Scientia est circa universalia, Ars verò et prudentia circa singularia

Libellus
Rerum Philosophicarum

in Celeberrima
Academia
Cracoviensi
A
Christophoro Schwabio
Dantiscô Pruteno
summo cum studio animiq[ue]
industria tum temporis
calamo exceptus
Anno videlicet à Verbo incarnato
1 6 4 1 et 42.

Deus Ter optimus Maximus
huic operi faveat
ac ubervimo Possesso-
rem utilitatis be-
et fructus,
Amen.

ÎN NOMÎNE SANCTÎSSIMÆ TRÎADÎS

DE PATHOLOGIA.

QVÎD SÎT.

PATHOLOGÍA est pars Medicinæ, quæ rerum contra Naturam Cogniti-onem absolute, quatenus ad Curationem pertinet, explicat.

SVBÍECTVM circa quod versatur Pathologia sunt tria contra Naturam idest, Morbus, Causa morbi et Symptoma. **Absolute** ad differentiam Semioticé, quæ circa eadem tria versatur, sed in respectu ad Hominem. **Ad Curationem** pertinet, est illius finis, quia non in Conservatione, sed in Curatione trium rerum contra Naturam consistit.

Hoc ita deduces. **SVBÍECTVM** Medicinæ est corpus Humanum, à quo passiones seu res diversæ emanant, prout affectum fuerit in suis actionibus secundum Naturam, aut contra Naturam in suis Effectis, quæ ex constitutione corporis aut partis, et ex causis Efficientibus dependent.

- **Res secundum Naturam sunt 3.**
  - Constitutio Corporis in
    - Temperie
    - Compositione
    - Vnitate.
    - — Consistit et est Sanitas
  - Causæ Efficientes quæ ipsam conservent.
  - Effecta seu Symptomata quæ consequuntur.
  - — Sanitas vult conservationem, quod ad Pathologiam non pertinet

- **Res contra Naturam sunt 3.**
  - Constitutio corporis in
    - Intemperie.
    - Compositione vitiata.
    - Vnitate soluta.
    - — Consistit et est morbus
  - Causæ Efficientes quæ morbum conservant
  - Effecta seu Symptomata quæ morbum consequuntur.
  - — Morbus vult remotionem similiter aliarum rerum contra Naturam, de quibus Pathologia tractat.

DE MORBO ET EIUS DIFFERENTIIS.

Morbus est Constitutio contra Naturam corporis humani, aut partis viventis primò & per se actionem lædens. **Forma** est Constitutio quatenus potest esse secundum Naturam, aut contra Naturam est communis particula Sanitatis & morbi. **Subjectum** seu Causa Instrumentalis est Constitutio contra Naturam totius Corporis aut partis similaris, aut dissimilaris, quæ sunt subjecta temperiei & Compositionis. **Differentia** à fine petita quia facultas agit, pars actionem determinat vitio partis actio læsa, erit contra naturam & per consequens morbus. Atque ita quia lædit actiones differt à Sanitate. A Causa morbifica quæ secundario operationes, Morbus primario vitiat.

Differentiæ morborum aliæ sunt

- Essentiales quæ à partibus essentiam constituentibus sumuntur ut à
  - Forma seu specie Morbi
  - Subjecto seu Loco affecto, vel à modo quo Subjectum informatur.
  - Causa Efficiente quæ est multiplex, alia Externa, alia Interna.
- Accidentales quæ sumuntur ab ijs quæ formam in Subjecto consequuntur.
  - A Magnitudine & Parvitate.
  - A Numero.
  - A motu in quo { Ævalitas & Modus. } attenditur.
  - A more & modo morbi.
  - Ab Eventu.

Et primum de differentijs morborum Essentialibus.

DE DIFFERENTIIS MORBORUM PETITIS À FORMA MORBI ET ESSENTIALIBUS (A)

- (B) Forma morbi est constitutio contra Naturam quam facit, aut (C)
  - (D) Intemperies quæ est duplex alia
    - Nuda quæ rursus duplex.
      - (G) Simplex ut est Calida. Frigida, Sicca. Humida
      - (H) Composita quando jungitur aut.
        - Caliditas
          - Siccitati
          - Humiditati.
        - Frigiditas
          - Siccitati
          - Humiditate.
    - Cum Materia seu cum Causa antecedente, cujus tot sunt species, quot Intemperiei Nudæ; fiunt enim aut per congestionem aut per affluxum materiæ.
  - (E) Mala compositio quæ est aut.
    - Conformatio cujus tria genera
      - Figura Vitiata, ut Gibbositas
      - Superficies aspera, vel lenis.
      - Cavitas quæ aut.
        - Nimis patet
        - Angustior cujus Species ratione Subjecti et Causæ dicuntur.
    - Magnitudo.
      - Aucta, quando pars excrescit, ut lædat actiones.
      - Diminuta, quando totum aut pars diminuitur.
    - Numerus qui consistit in
      - Exuperantia quando adest excrescentia sub specie partis, ut Calculus.
      - Defectu ubi perit membrum ex toto.
    - Situs Vitiatus quando aut
      - Partes propria sede moventur.
      - Partes connexionem amittunt.
  - (F) Soluta Unitas cujus Species
    - Ulcus Vulnus, Ruptio, Fractura.
    - Caries. Convulsio, Contusio. Divulsio. etc.

DECLARATIONES

(A) Essentiales Differentiæ dicuntur, quæ ab aliqua parte alicujus Definitionis, sed potissimum (B) à forma seu specie deducuntur, ut (C) Constitutio seu Compositio contra Naturam est genus ad omnes species Morborum, quatenus alij sunt intemperiei, vitiatæ compositionis et Solutæ Unitatis, quia triplex est compositio: Alia in qualitatibus Elementorum, quæ in partibus similaribus esse judicatur: Alia in partibus similaribus, quæ in structura partium Organicarum conspicitur: Alia in Unione et similarium et dissimilarium, Unde contiguitas et Unitas partium Corporis Humani apparet. (D) Intemperies quid sit. Est constitutio contra Naturam partis similaris, ob excessum Qualitatis ab Elementis perfectæ. (E) Mala compositio est constitutio contra Naturam partis dissimilaris vitio structuræ aut requisiti ad integritatem partis pertinentis (F) Morbi Intemperiei, alij à qualitate manifesta, alij à qualitate occulta, seu qui tota Substantia pugnant cum Natura nostra. Quotitaque sunt Compositiones seu Constitutiones Corporis Humani, tot sunt prima Divisione species morborum Essentialium. Compositio à qualitatibus primis Elementorum tot inducit Differentias Morborum Intemperiei, quot sunt recessus in qualitatibus. (G) Vel enim una reliquas superat et tres sunt temperatæ, ita quatuor erunt species simplicis Intemperiei Cal. Sic. frig. Humid. Vel (H) Duæ Qualitates erunt in excessu, quarum altera in activis, altera in passivis sibi opposi-

Sanitatis } tot sunt genera Morbi
quot sub sub { Sanitatis ſecta { Morbi

tam Qualitatem vincet. Tot erunt combinationes Qualitatum Intemperiei compositæ, quot sunt possibiles. Duplex erit Intemperiei compositæ Species si jungetur Caliditati aut Siccitas aut Humiditas frigiditati, similiter aut Sic. aut Hum. & sic erunt octo Species. (I) Compositio quæ propter recessus à debita structura partium Organicarum Species morborum producit, cum ad structuram seu Compositionem partis dissimilaris requiratur Conformatio seu forma, Situs & connexio partis, ex parte Quantitatis Magnitudo & Numerus. Atque rursus dividatur (L) Conformatio in (N) Superficiem exteriorem ut est (M) Figura, in Interiorem ut sunt Meatus Cavitates. Totidem erunt morbi Organici, quot recessus alicujus requisiti ad structuram partis idoneam, quatenus aut exuperat aut deficit. Compositionis itaque vitiatæ partis alij erunt Morbi in Conform. in Magnit. (O) (P) Num. (Q) & Situ exceptis formæ speciebus, ali, in Figura, ali in Superficie, ali in Cavitatibus recensentur. Compositio partium similarium & dissimilarium facit Unitatem, cujus Unitatis solutio tot erunt species, quot species partium ut altæ simil. dissim. molles, duræ, in quibus sit Continui Solutio.

DE DIFFERENTIIS ESSENTIALIBUS
Morborum, petitis à Subjecto Morbi

Subjectum morbi est corpus humanum ægrotans aut pars affecta quod considerat aut ratione.

- Extensionis in morbo alij est
  - Universalis, quando integrum corpus Morbus occupat, ut Febris, Lues Gallica.
  - Particularis, quando unam tantum partem Morbus afficit, ut Pleuritis, Phrenitis.
- Similitudinis aut dissimilitudinis cum morbo quod accidit vel ob
  - Ætatem Sine alij sunt
    - Morbi pueriles, ut Epilepsia
    - Morbi Viriles, ut Febris ardens
    - Morbi Seniles, ut Asthma.
  - Sexum alij sunt
    - Viriles ut Hernia.
    - Muliebres qui dicuntur Hysterici.
  - Temperamentum alij
    - Congrui qui ejusdem sunt Temperamenti cum morbo.
    - Non congrui qui non.
  - Vires alij
    - Magni collati cum viribus hominis validi.
    - Parvi comparati viribus imbecillium
- Modi secundum quem in Subjecto subsistit. Alij.
  - Perfecti, cum morbus inhæret Subjecto ita, ut insitus esse videatur. Imperfecti verò morbi dicuntur per oppositum.
  - Æquales cum partes uno eodem modo implicantur.
  - Æquales non.
  - Per se, cum morbus inhæret, ut intemperies similaribus.
  - Per Accidens, quando partes laborant non proprio morbo.
  - Primarij seu per Essentiam } dicuntur.
  - Secundarij seu per consensum }

DECLARATIONES

Essentiales quoque differentiæ dicuntur à Subjecto deductæ, pertinet enim Subjectum ad constituendam Definitionem accidentium, & loco differentiæ ponitur Subjectum quando accidentis Definitio formatur. Præterea morbus & ejus Species, cum sint voces communes prædicari possunt de Subjectis diversis, ut intemperies potest esse Cordis & Jecoris, sed tamen

per Sub

per Subjectum proprium, morbus contrahitur & determinatur ut alia est Intemperies Hepatis, alia Intemperies Cordis, & ob id curationem variant. Subjectum quod morbum recipit est materia secunda est Corpus humanum, quod licet sit ejusdem speciei, variatur tamen in suis Individuis, distinguitur aut ratione extensionis morbi, aut quatenus simile vel dissimile morbus habet cum Subjecto aut propter ætatem, sexum, naturam seu temperamentum quatenus sunt morbi congrui aut non congrui temperamento, aut propter dicuntur Magni vel parvi ex collatione virium. Ad extremum dantur Modi secundum quos in Subjecto subsistunt, aut Subjectum informant, ratione inhærentiæ, ratione implicationis, in proprijs Subjectis aut improprijs anticipante morbo unius Subjecti, alterum morbum qui in consensum trahitur.

DE DIFFERENTIIS ESSENTIALIBUS
Morborum petitis à Causa Effectrice morbi.

- Causæ Subjectum informantes s. morbum facientes differentias habent pro sua diversitate aliæ
  - Internæ differentiæ fiunt pro diversa materia peccante. aut
    - Specie. Materia vel est.
      - Tenuis ut flatus, unde Tympanites.
      - Crassa, ut Tumoris Species Atheorema, Steomata.
      - Melliceriatis, in illis speciem pultis, adipis, mellis referant.
      - Media seu humores
        - Exquisiti s. Sinceri.
          - A Sanguine fit Synochus.
          - A bile fit febris ardens.
          - A pituita febris quotidiana.
          - A Melancholia febris Quartana.
        - Spurij quando humores permiscent ut in Tertiana spuria.
    - Qualitate humoris alij
      - Crudi
      - Cocti
    - Motu. Alij Turgentes quatenus materia per corpus vagatur.
      - Non Turgentes seu fixi.
  - Externæ ut ratione aëris, Loci vel Regionis hominesque vel
    - Eodem tempore affligunt, & sunt aut
      - Diversæ speciei ut Sporadici
      - Ejusdem speciei ut sunt communes, quorum alij
        - Epidemij qui in pluribus Regionibus vagantur.
        - Endimij qui sunt unius Regionis, ut Scorbutus, Lues Gallica, Sarmatica quæ dicitur Plica.
    - Diversis temporibus ut alij sunt
      - Verni.
      - Æstivi.
      - Diurni
      - Nocturni

Quibusdam magis placet hæc Methodus deducendi differentias à Causa Effectrice.

Alij sunt Morbi; Materiales, Immateriales: Universales, Particulares: Interni, Externi: Consentanei, Dissentanei: A modo invadendi, ut Epidemici peste: A modo inhærendi, ut fientes vel facti, æquales, inæquales:

DECLARATIONES

Differentiæ Morborum à Causis Efficientibus Morbum in serie differentiarum Essentialium collocantur. Non enim satis nosse Subjectum informari à Morbi forma, seu morbum fieri parte affecta, nisi sciamus quænam sit Causa quæ ad generationem morbi concurrat, seu quæ sit Causa à qua Subjectum informetur. Causæ Subjectum seu partem affectam informantes,

Aliæ sunt

Aliæ sunt Intrinsecæ, aliæ Extrinsecæ. Intrinsecæ præter id quod sua præsentia partem corporis affectam alterant; Sed etiam ut materia morbum fovent ac promovent, sive talis materia peccet Specie, Qualitate, Motu ac Quiete. Sive talis materia impermixta aut alteri humori associata, vaga vel quieta morbos producat, pro diversitate suiipsi differentia quoq diversa est. Extrinsecæ Causæ, ut aër, cibi potus putridi ac corrupti, regiones multas aut Unam, uno tempore aut diverso, communiter vel proprie affligunt aut interimunt Alii igitur erunt morbi Pandemii, alii Epidemici, Endimici aut Sporadici. Quidam autem differentias Morborum volunt esse ab effectis ut sunt illæ quæ à more — & motu constituuntur. Benigni, Maligni, Venenati, Pestilentes, Contagiosi. A Motu ut acuti, Chronici. &

DE DIFFERETIIS ACCIDENTA
libus Morborum.

Morborum accidentales differentiæ sumuntur aut à.

- I. Magnitudine morbi, quorum alter dicitur Magnus ratione suæ Essentiæ, ratione partis Principis, aut ratione Symptomatum vehementium. Alter dicitur Parvus per oppositum.
- II. Numero partium sunt ergo morbi tales. aut
  - Unius partis & alius est.
    - Simplex qui est Unius generis aut partis.
    - Compositus, qui aut ejusdem aut diversi est generis, unam tamen Subjectum occupat.
  - Diversarum partium & sunt morbi qui
    - Eidem actioni nocent, Complicati dicuntur.
    - Non eidem Actioni, ut Disjuncti, Separati.
    - In causa conveniunt ut Connexi.
    - Non conveniunt, ut Disparati.
- III. Motu & Duratione, horu differentiæ aliæ sunt.
  - A Qualitate durationis quod sit morbus alius.
    - Chronicus seu diuturnus.
    - Brevis, qui intra 40 dies desinit
    - Celer, qui cito recurrit.
    - Acutus, qui celer & magnus. hujus differentia
      - Peracutus velocissimi motus.
      - Peracutus ad 7 durat.
      - Acutus simpliciter ad 17.
      - Acutus ex decidenti ad 40.
    - Non acutus, qui nec Magnus, nec celer, nec brevis.
  - A Modo durationis motus & vel.
    - Continuus dicitur aut
      - Continens s. Synochus in triplici differentia
        - Hemotomos q æqualiter.
        - Epagmasticus, qui semper increscit.
        - Paragmasticus, qui semper decrescit.
      - Continuus simpliciter, qui certas intermissiones habet ut Tertiana continua
    - Intermittens quorum duo periodi Paroxismus & Intermissio.
- IV. A More & Modo Morbi, alius benignus, alius Malignus.
- V. Ab Eventu, Alius Salutaris vel Lethalis.

DECLARATIONES

Accidentales Differentiæ dicuntur, quia jam informato Subjecto, seu existente morbo in sua Essentia superveniunt. Vel Accidentales dicuntur, quia Genus & Speciem Morbi non constituunt, sed jam Morbo in sua specie existente, ex certis conditionibus & proprietatibus Morbi alicujus eliciunt, Ergo Accidentales differentiæ non ab Essentia Morbi deducuntur sed ab his quæ essentiam morbi consequuntur, ut Magnitudo, Numerus, Motus, Mores & Eventus. Hæc rursus Differentiæ exeunt à magna Causa & illarum Commotione, ut Magnitudo, Numerus & Motus, à supervenientibus Symptomatibus, ut sunt Mores, à Termino Morbi ut Eventus. Vel si hæc Methodus placet, differentias accidentales comprehendi: Differentiæ Morborum accidentales sumuntur à Quantitate, à Motu, More & Termino Morbi. A Quantitate continua, ut est Morbus Magnus vel Parvus. Discreta, ut est Morbus Unus vel plures. Unus qui Unius generis est & Unum Subjectum habet. Plures morbi, alii sunt Implicati, consequentes, Connexi & Disjuncti. Implicati, involuti complicati. Quando affectus p.n. non est unus ratione locorum affectorum, tamen in Unam actionem conspirant, ut in respirationem Pleuritis

& Asthma

& Asthma per concursum communium Symptomatum. Consequentes quando Unus post alterum supervenit, ut post Apoplexiam Paralysis. Connexi, quando Uno non abeunte alter pullulat, ut in peripneumonia febris. Distincti qui eodem tempore in subjectis diversis praesentes sunt, ut est ulcus pedis cum Ophtalmia. 2do Differentiae accidentalium Morborum sumuntur à Motû & hic duplices differentias ostendit à Qualitate seu duratione Morbi, qua Celeritate & tarditate continentur. A Modo durationis, quatenus alij morbi continui, alij intermittentes. Huc quidam referunt Tempora seu aetatem Morborum, ut Principium, Incrementum, Status, Declinatio. Ad notitiam intermittentium scire oportet quid sit Typus & Periodus. Typus est ordo intensionis & remissionis. Periodus autem est tempus illius intentionis & remissionis seu spatium temporis, quo ille Ordo exacerbationis peragitur. 3tiò. Differentiae accidentalium Morborum capiuntur à More Morbi seu à supervenientibus Symptomatis mitioribus vel asperioribus seu vehementioribus; unde alij Benigni, alij Maligni videl. pestilentes Contagiosi & Venenati. 4to à Termino Morbi, ut Salutares, Lethales & Ancipites.

DE SYMPTOMATIBUS IN GENERE

Symptomatum tria sunt genera alia sunt.

- Actionis laesae quae tot sunt quot sunt facultates aliae sunt.
  - Animales, ut sunt facultatis, Principis seu gubernantis, sensitivae, motricis.
  - Vitales, ut: Pulsus, animi affectus; Spirituum Generatio.
  - Naturales, ut: Habitatio, Auctio, Generatio; et 4 ministrae in singulis partibus: Attractio, Retentio, Coctio, Expulsio.
  - Quae omnes differunt ex modo laesionis, quatenus vel: Auferuntur. Minuuntur. Depravantur.
- Qualitatis mutatae quarum aliae pertinet aut ad
  - VISUM. Visibiles sunt colores, immutati aut in toto Corpore ut Icterus, in parte determinata ut Lingua nigricans in febre.
  - OLFACTUM ut sunt Odores foetidi, ut Narium Oris.
  - GUSTUM, ut Sapores quibus in febribus lingua imbuitur, omnia amara, salsa videntur.
  - TACTUM ut qualitates primae & secundae quatenus tactui molestae sunt, non ut laedunt.
- Excretorum & retentorum. Excreta autem referuntur ad materias à naturali statu recedentes, quatenus peccat aut.
  - Toto genere seu tota Substantia, praeter naturam, ut sunt vermes, Calculi, Arenulae.
  - Quantitate excreti majori copia existente, ut sudor copiosus, Urina in Diabete.
  - Qualitate, ut si qualitas prima vel secunda in retentis vel excretis excederet.
  - Modo excernendi, ut per os ejiciuntur in Iliaca passione excrementa intestinorum.
  - Tempore excretionis, ut in Mensibus quae anticipant vel retardat.

DECLARATIONES

Altera pars Pathologiae est de Symptomatis seu Effectis Morborum. Symptoma est res contra Naturam, quae morbum tanquam umbra corpus sequitur, & sine illo subsistere non potest, ut febris est Morbus ejus Symptomata; Capitis dolor, sitis, vigilia, Linguae ariditas. &c. Symptomata haec sunt duplicis ordinis. Primi ut actiones laesae, ad quas referuntur Qualitates mutatae & excreta praeter naturam; Symptomata Ordinis Secundi. Primum genus Symptomatum actionum laesarum dividitur secundum facultates, quare actionum laesarum tot erunt species quot sunt facultates laesae. Facultates in genere sunt tres, in specie multae, totidem igitur actiones laesae erunt. Secundum genus Symptomatum est Qualitatis mutatae: Sunt autem qualitates secundae à primis profectae, ob idque intemperiem

consequuntur

consequuntur suntque patibiles & sensu percentibiles, alia itaque pertinent ad sensum. Tertium genus Symptomatum est excretorum ad materiam vitiatam spectantia, quo referuntur Urinæ, dejectiones, Sudores copiosi, vomitus, sputa, Sanguinis fluxus. Ex modo læsionis actionis sunt triplicia. Quia actio vel nullo modo fit, ut quando pars actione privatur ut Cæcitas. Vel fit quidem sed debiliter, aut depravate seu non contra naturam

DE CAVSIS MORBIFICIS

- Causæ Morbificæ aliæ sunt
  - Intrinsecæ quæ rursus in duplici sunt differentia & aliæ stilaru.
    - Continentes quæ referuntur ad
      - Plenitudinem quam facit aut
        - Substantia concreta præter Naturam, ut sunt Lumbrici, Calculi, arenulæ &c.
        - Humor. Humores autem varii sunt
          - Sanguis & dicitur Plethora.
          - Aliqui præter naturam humor & dicitur Cacochymia quando peccat aut
            - Pituita
            - Flava bilis
            - Melancholia
            - Humor serosus
            - Singulorum humorum peccat
              - Quantitate
              - Qualitate
              - Motu in quo partes corporis variantur
              - Quiete
                - Mandans pars
                - Recipiens.
                - Mobile.
                - Spatium
                - Motus.
                - Movens.
        - Spiritus, qui est duplex alter.
          - Tenuis & secundum naturam aëri puro similis neque implet nec distendit.
          - Crassus, impurus, caliginoso Cœlo similis, naturæ alienus.
      - Inanitatem quam afficit aut defectus Spirituum, aut humorum, aut partis solidæ absentia.
    - Antecedentes quæ sunt eædem causæ quæ continentes sed nondum morbum producunt, ut superiores.
  - Procatarcticæ à quibus primum ducitur Motus à quo fit Morbus. Sed harum aliæ sunt.
    - Necessariæ sine quibus vivere non possumus, ad 4 capita referuntur aut ad
      - Absumenda, ut cibus, potus, medic.
      - Evacuanda, quæ nullatenus evacuantur aut retinentur.
      - Adhibenda, ut aër & quæcunque corpus nostrum alterant.
      - Adhibenda ut:
        - Motus
        - Exercitium
        - Vigilia
        - Animi perturbatio.
        - Quibus opponitur.
          - Otium
          - Quies
          - Somnus
          - Tranquillitas
      - Annexa rebus naturalibus sunt 7.
        - Anima.
        - Calor innatus.
        - Sexus.
        - Ætas.
        - Color Corporis.
        - Habitudo.
        - Consuetudo.
    - Non necessariæ, quas evitare possumus ut Casus, Ictus gladii, Carnes.

DECLARATIONES.

De causis Morbificis est tertia pars Pathologiæ. Causa Morbifica est res contra Naturam, quæ aliquid ad generationem confert, & propterea secundario actionem lædit. Et licet causa sit res contra naturam quæ præcedit morbum, Symptoma autem est Effectus morbi. Symptoma & Morbus sine causa esse non potest. Symptoma quia immediatum dependet à morbo: Morbus est causa Symptomatis. Morbus habet propriam causam synecticam seu continentem, quæ est de Essentia morbi à qua producitur, qua sublata & ipse morbus tollitur. Differentias Causarum ob id necessario dandas esse, quæ faciunt ad genesim ipsius morbi, sive per intrinsecos modos Causarum, sive per remotiores dispositiones extrinsecas. Intrinsecas vero rationes causarum intrinsecarum, Quæ pro ratione partis solidæ seu Substantiæ concretæ, humoris vitiosi peccantis, Quantitate, Motu Quiete, rursusque ratione Spirituum (implentium ac distendentium variantur) ad Plenitudinem & Inanitatem referuntur. Atque ut Plenitudo in partibus solidis, in humoribus & in spiritibus constituitur ita in horum trium defectu & absentia Inanitas collocanda. Extrinsecæ Causæ, quatenus alterant tum propter dispositionem remotiores Causæ esse censentur, quia tum non consistunt neque permanentiam habent initia Morbi à quibus

bi à quibus fit Motus & Morbus, sunt dicendæ. Quatuor sunt illarum differentiæ, ut in Tabula de Caussis Morbificis in genere ostensum est. Est et aliud discrimen inter Causas Morbificas, quæ causæ pro. Catarcticæ seu evidentes similiterq Antecedentes sunt de Essentia morbi, benè tamen jam existunt in corpore quoties alicujs membri seu partis morbi fit apparatq. Solæ Continentes seu synnecticæ immediatè ad Morbi Essentiam concurrunt. Antecedentes & Continentes sunt eædem, aut Substantia Concreta aut Humor, aut Spiritus, sed differunt potentia & actu. Antecedentes aptæ sunt morbum constituere, Continentes actu morbum faciunt.

Causæq verò sunt { Intrinsecæ aut sunt { Continentes ut humores | Spiritq aut substantia solida | Antecedentesq quarum aliæ { Dispositiones, ut Temper. vitiosa. | Materiales, ut aër Cibusq pot. } } | Extrinsecæ, ut Causæ procatarcticæ

VSUS PATHOLOGIÆ IN PRAXI

Morborum Curatio à Medico dextrè non potest confici, nisi prius exactam affectuum præter naturam habeat cognitionem. Cognitio duplex altera fit absolutè, quando ægritudines in sua Essentia in Speciebq & differentijs, pariq ratione Causæ Morbificæ & Effecta Morborum cognoscuntur, antequam Medicus ad decumbentem in lecto curaturq accedat: Altera est Respectiva cognitio Morborum, quæ est jam in Subjecta materia seu in homine. Cum itaq primum & præcipuum sit Vniqcujusq affectq cognitionem nosse, quæ in Essentia Morbi & Speciebus consistit. Essentiam Morbi primam constituunt; Forma seu Species Morbi, Subjectum & Causa Efficiens. hisq tribus & Morbum & Symptoma constare, atq ita omnium Causarum con concursum ad Essentiam Morbi fabricandam concurrere. Forma est propria Cujusq rei Essentia: Morbus verò cum sit accidens, non habet causam materialem ex qua fiat, sed tantum in qua, tanquam in Subjecto, sive fuerit pars similaris, sive dissimilaris, quod quidem Subjectum in Morbis & Symptomatibq dicitur esse pars affecta seu Locus affectus, de quo quidem Subjecto in Pathologia nulla facta mentio, quia in Physiologia & de natura partis & de illarum differentijs dictum est. Accedit Causa Effetrix, quæ dicitur Causa inhærentiæ Formæ in Subjecto & totam Essentiam Morbi complet ac perficit, ex qua tota Curatio & præservatoria & Curatoria dependet. Differentiæ Morborum ac Symptomatum ab his tribq pendet; a Forma, à Subjecto & à Causa Effectrice, quæ quia Essentiam constituunt, Essentia in suas partes separata quælibet partium Essentiæ suas differentias producit. Forma variat Speciem Morbi & Symptomatis. Causa Effectrix differentias præbet, quamvis & à Loco affecto suæ differentiæ nascantur, tamen quia Morbus & Symptoma circa idem Subjectum seu circa partem affectam eandem inveniuntur ratione Subjecti convenient, ratione Caussis Effectricis discrepabunt. Similiter Symptoma quo discrepet ab alijs Symptomatibq, habet causam Morbum cujus est effectq. Morbus autem ipse per differentiam nonnisi causam continentem, eamq immedicatam obtinebit, quod potest illustrari Exemplo Apoplexiæ. Apoplexia si sit à corpore ægrotantis removenda, Cognitio illiq prius examinanda, & primò absolutè prout nondum in corpore ægrotante seu in subjecta materia sed in ratione sui consideratur, illiq Essentia juxta tres partes Essentiæ Formam, Subjectum & Causam Effectricem colligenda. Apoplexia consideratur vel ut Symptoma, vel ut Morbus. Si ut Symptoma, dices Apoplexiam esse privationem sensq & motq, quoad Formam Symptomatis propter Sinuum seu Ventriculorum Cerebri repentinam obstructionem. Causa Effectrix est Obstructio quæ est Morbus, atq ita ab Obstructione Symptoma proficiscitur, privatio Sensatricis & Motricis facul. Sicut Morbus apoplexia consideratur, similiter Forma, Subjectum Causa Effectrix, gratia con

statuendæ

stituendæ Essentiæ seu Definitionis concurrent. Apoplexia est obstructio repentina Sinuum seu Ventriculorum Cerebri propter crassos ac viscidos humores: Apoplexia consideratur ut Morbus Organicus, sed cum plures sint Morbi Organici ad Conformationem pertinebit. Deniq[ue] cum hæc suis Speciebus gaudeat non ad Figuram depravatam, non ad Superficiem Morbosam redigetur, sed ad cava seu Cavitates cerebri, in quibus est Angustia cujus Species est Obstructio. Forma Apoplexiæ erit Obstructio. Subjectum idem est, quod positum est in Essentia illius quatenus ut Symptoma consideratur. Crassus & viscidus humor (quatenus intercipit Spiritus animales, qui sunt instrumenta facultatis naturalis) erit Causa immediata Apoplexiæ & quidem per se partem informando dicetur Synectica seu continens. Antecedentes Causæ illius sunt, quæ existunt in Corpore V. pituitosus humor crassus & viscidus non tamen in Cerebro dominium habet. Causæ remotiores Causæ Antecedenti subjiciuntur, sunt aliæ Naturales, ut Temperamentum frigidum & humidum. Ætas Senilis, Habitus Obesus. Aliæ Non Naturales, ut cibi frigidi & glutinosi, crapula, Ebrietas, Somnus longus, Otium, animi perturbationes, perpetui moerores &c. Atq[ue] ita Usus Pathologiæ in Exemplo Apoplexiæ, quatenus absolute cognoscitur patebit, quod quidem Exemplum ut primo intuitu pateat, sequens delineatio Apoplexiæ inspicienda, cui omnia præcepta Pathologiæ sunt applicanda, perfectioris cognitionis gratia.

De Theoria absoluta Apoplexiæ, ut tanquam Symptoma & Morbus consideratur.

Essentiam Apoplexiæ constituunt.

- **Forma.** Est privatio omnium Operationum animalium respiratione manente, non tamen sine læsione.
- **Subjectum.** Est Substantia seu Corpus & omnes ventriculi Cerebri in quibus Spiritus potentiæ animalis immediatum instrumentum resident.
- **Causa Effectrix** e Morbo à quo dependet Symptoma qui legitimam constituit apoplexiam è Conformatio vitiata Cerebri. Sed quia & alii Morbi concurrunt ad illius constitutionem, ut aut
  - Intemperies frigida et humida, quæ est Causa Effectrix ut Spiritus animalis generetur, aut quatenus materiæ generationem promovet.
  - Obstructio integra Cavitatum Cerebri & pororum, quatenus affluxu Spiritus animalis in nervos & musculos arcet. Cujus causa est.
    - Continens seu in Cerebro existens Humor. aut
      - Crassus ac viscidus.
        - Pituitosus qui est Causa vera Apoplexiæ.
        - Melancholicus ut crassitiem obstruit.
      - Crassus sed copia peccans ut sanguis arterias, carotices obstruens, aut cava replens.
    - Antecedens ut Humor existens in Corpore qui fit à Causis.
      - Naturalibus. ut
        - Temperam. frigidum ac humidum.
        - Ætas 60 annorum.
        - Habitus obæsus.
        - Tempus.
      - Non Naturalibus. quæ
        - Assumantur Cibi glutinosi.
        - Non expurgatur pituita
        - Fiunt, concidunt extrinsecus.
  - Astrictio quæ fit à frigore aut à nimia evacuatione.
  - Compressio, quæ fit à tumore præter naturam à cranio fracto.

Observes

OBSERVES. Causam Effectricem Symptomatis esse Morbum, ut in Apoplexia quæ est Symptoma privatio sensus & motus pendet à sua Causa Effectrice V. à Morbo qui est obstructio, potest tamen Apoplexia ab alijs Morbis cerebri causari, ut ab Intemperie, aut ab alia specie Angustia, non tantum ab Obstructione, verum à Compressione aut ab Astrictione.

SEMIOTICE VID.

Semiotice est pars Medicinæ, quæ rerum contra Naturam Cognitionem, respective seu in Subjecta materia, quateng ad Curationem pertinent, explicat. **Forma** quod sit pars Medicinæ communis particula Definitionum, quibus partes Medicinæ explicantur: quateng hæc pars est Cognitionis Curandorum non solius tantum Curationis. **Subjectum** circa quod hæc Methodg Semiotica versetur, sunt res contra Naturam, Compositio Corporis, Causa & Effecta, ut in Pathologia, qua tamen certo discrimine cognoscuntur. **Respective** aut in Subjecta materia, videl. in Petro & Paulo, quateng aliquis actu decumbit, nec sufficit Cognitio rei alicujg contra Naturam, nisi simul respecto ad Curationem adsit, qui per certa signa & Indicia Medicum in amovendis affectibg præter naturam firmum ac stabilem constituat. **Finis** Ad Curationem Semiotice spectat, non autem ad Conservationem, quæ tribg rebus secundum Naturam inservit. Cognitio itaq. respectiva perficitur quando res contra Naturam, quoad Essentiam & differentias suas à Medico fuerint diligenter perspectæ, in corpore autem ægrotantis lateant & sint reconditæ, nisi ex signis manifestis & evidentibg deducantur. Quare quid sit Signum & quot signorum genera declarandum. Signum & Significata sunt relativa, quia Signum ad Significatum refertur, Significatum vero ex Signo cognoscit. Signum est rei alicujg Significativum, seu res aut sensibile Objectum, quateng ducit ad ignotam notitiam sive Morbi, sive Causæ Synectivæ in Subjecta materia. Symptomata quia obvia sensibg, signis non indigent. Significata sunt Constitutio Corporis, Causæ, Effecta in quibg Cognitio curandorum consistit. Quare quot sunt significata tot erunt genera signorum & contra. Signa dividuntur juxta multiplicem constitutionem corporis, quæ si fuerit secundum naturam Signa salubria, si contra naturam signa insalubria, eam indicabunt. Signa Neutra dispositionem Corporis neutram sequuntur. Altera est Divisio Signorum à conditione corporis. Alia sunt signa Diagnostica, alia Prognostica, alia Rememorativa patet generalis Divisio ex Tabula de signis in genere.

DE SIGNIS IN GENERE

- Signa quædam sumuntur a statu Corporis
  - A Constitutione cujus quot sunt Species, totidem Signorum genera. Signa istaque dicuntur alia
    - Salubria. Quæ enumerare non est præsentis instituti:
    - Insalubria, quæ sunt duplicia, alia
      - Ab Essentia Morbi deducuntur et talia signa sunt propria et inseparabilia Morbi. Patonomica dicta. Quæ quidem proprie Diagnostica dicuntur.
      - Ab Accidentibus quæ Morbo non necessario cohærent, ut et Magnitudo, Motus, exitus Morbi Communia seu Separabilia dicuntur Sinedrevonta seu assidentia. Duplicia sunt. alia
        - Epiphænomena quæ Magnitudine, Motu, Morem et Eventu Morbi declarant, sunt triplicia alia ostendunt
          - Coctionem vel cruditatem.
          - Salutem vel mortem.
          - Modum Salutis vel Mortis Krisima seu Decretoria dicuntur.
        - Epigenomena sunt Signa, quæ in Morbis Maligna appellantur, ut Delirium in Pleuritide. quæ quidem proprie Prognostica dicuntur.
    - Neutra, de quibus alibi.

  Quidam dicunt Epiphænomena et Epiginomena esse signa, quæ neque Morbi Magnitudine, neque natura ac specie, neque ejus conditionem significant, sed solum ejus mutationem indicant.

  - A Conditione et sunt triplicia alia
    - Diognostica
    - Prognostica
    - Anamnistica

    Quæ significant Corporis statum.
    - Præsente. Res præsentes cognoscit aut
      - A Causis.
      - Ab Effectis.
    - Præteritas ab Effectis
    - Futuras a Solis Causis.

DECLARATIONES

Signa Insalubria dividuntur dupliciter. Quædam sunt quæ Essentiam morbi propriam declarant dicuntur Pathognomonica vel Inseparabilia et Propria. Ratio, quia statim primam originem cum Morbo intensionem et remissionem acquirunt pro ratione Morbi et temporum illius. Quædam ad Essentiam Morbi non pertinent, sed potius spectant ad differentias accidentales Morborum, ob idque communia et separabilia sunt, ab uno Morbo separari alteri adjungi possunt, vel potius nunc unius effectus sunt, iterum accidit eadem esse signa in Morbo alterius generis. Sinedrevonta seu assidentia signa, similiter communia et separabilia dicuntur, dupliciaque sunt. Epiphænomena quæ accidentia seu differentias Morborum accidentalium insinuant, ut aut Magnitudinem, Motum, Eventum Morbi. Epiginomena, quæ signa Maligna in Morbis significant, sequuntur hæc signa differentias Morborum accidentales a more petitas, quatenus alii sunt Benigni, alii Maligni. Quæ Essentiam consequuntur Morbi Diagnostica appellantur ut sunt Pathognomonica. Quæ autem accidentibus Morborum se associant dicuntur potius Pragnostica.

DE SIGNIS DIAGNOSTICIS SEU Demonstrativis in genere.

- Signa Diagnostica ex tribus fontibus capiuntur. Alia
  - A Natura seu Essentia rei, sive sit Morbus, sive causa Effectrix. Quia data Definitione, quæ Definito convenit, quæ natura illius am aligerit quærenda.
  - A Causis, ab Antecedentibus, quæ aut sunt Causæ.
    - Internæ
    - Externæ & Evidentes, quæ aut
      - Assumuntur
      - Geruntur
      - Retinentur
      - Exercentur
      - Foris corpori accidunt
    - Disponentes, ut
      - Ætas. Sexus.
      - Habilitas seu dispositio passi.
      - Consuetudo
      - Evacuatio consueta aut suppressa
  - Ab Effectis Morborum qualia sunt Symptomata. Alia
    - Actionis vitiatæ
      - Animalis
      - Vitalis.
      - Naturalis.
    - Excretorum & retentorum ut peccant, aut
      - Substantia
      - Quantitate.
      - Qualitate.
      - Modo. Tempore.
      - Ordine excernendi.
    - Qualitatis mutatæ ad sensus referuntur.

Signa Diagnostica dicuntur quæ præsentem Corporis statum seu constitutionem demonstrant, sive sit Morbus, sive causa Morbifica. Sed quia quævis constitutio p.n. per suam formam seu genus v. Morbum aut Speciem ejus per Subjectum aut partem affectam aut per causam immediatam definitione exprimitur. Singulæ partes Definitionis ex triplici fonte declarantur.

- Aut
  - Ab Essentia
  - à Causa.
  - Ab Effectis.

DE SIGNIS DIAGNOSTICIS in Genere.

- Signa Diagnostica ab Essentia Morbi deducta Sumuntur aut
  - A Forma seu specie Morbi alia sunt
    - Principalia.
      - A natura Morbi. Ab excretis.
      - A doloris proprietate.
      - Ab accidentibus talis morbi
    - Minus principalia.
      - Consuetudo. Ætas. Sexus.
      - Causæ Procatarcticæ.
      - Juvantia & lædentia.
  - A Subjecto s. Loco affecto.
    - Principalia
      - Ab actione læsa. / Ab Excretis. } seu ab Effectis.
      - A doloris proprietate. A situ partium.
      - A propriis accidentibus ut color citrinus in Ictero
    - Minus principalia.
      - A Sexu. Ab ætate. A parentum Constitutione.
      - A Consuetudine ægrotantis. A patria. A Loco
      - A Tempore. Ab juvantibus & lædentibus.
      - Ab Analogia partium.
  - A Causa Effectrice Hæc cognoscitur à Causis quæ præcesserunt.
    - Naturalibus ut
      - Temperamentum totius corporis vel jecoris
      - Ætas, Tempus, Habitus. Regio
      - Domus. Aëris temperies.
    - Non naturalibus, ut
      - Usus alimentorum. Vini potus.
      - Suppressa aut immodica Evacuatio.
      - Exercitium intermissum. Vigilia.
      - Somnus. Animi perturbatio aut Tranquillitas.

DECLARATIONES

Signa Diagnostica juxta tres partes, quæ Essentiam constituunt, partiuntur, alia Morbum, alia Subjectum, alia Causam immediatam Morbificam significant. Quæ quidem signa quædam sunt Communia ratione hac, quatenus sunt partes Uniq Essentiæ, quædam suis partibq, aut formæ seu Speciei Morbi aut Loco affecto sunt propria. Et rursus alia sunt Principalia illius partis Essentiæ cujus sunt signa quia sunt illi Essentiali. Alia Minus principalia quia ex annexis Morbo & ex remotioribus differentiæ Morbi Essentiales demonstrantur, ut est Temperamentum Ætas Sexus. &c. Ut autem innumera signa Diagnostica breviori Methodo comprehendere possis, omnia signa Diagnostica, aut Causis quæ præcesserant, aut Effectis Morbi tribuuntur, quibus subdivisis adest ingens copia Signorum Diagnosticorum. Specialiter tamen forma seu Species Morbi hæc inter se communia habent, utriusq signa trahuntur ab actione læsa, ab excretis & doloris proprietate, ab accidentibq propriis morbi aut partis affectæ. Forma seu Species Morbi gaudent signis, quæ tantum ad illam pertinent V. quando signum petitur à natura Morbi, Subjectum similiter, Situm partis. Causa Effectrix immediata Morbi præcognoscitur ex causis Naturalibq ut sunt Temperamentum, ætas &c. ex causis nonnaturalibq, ut sunt Causæ Procatarctica, Aer, cibq potq, Motus, quies, quæ retinentur ac excernuntur animi tranquillitas & perturbationes. Ex quibq signis Causam Effectricem morbi ostendentibq adjunguntur quæ faciunt ad demonstrationem Speciei Morbi & Loci affecti, sed dicuntur Signa Minus principalia, quod non sint ex Essentia morbi deducta. Breviter dicam. Signa ab Effectis Morbi, Formæ & Subjecto Morbi inserviunt, signa à Causis quæ præcesserunt Naturalibq continens Causa Morbi declaratur. Quibusdam placuit ad superius signa Diagnostica addere.

Signum quod sumitur:
- A communiter vagantibus.
- A Juvantibus & Lædentibus.
- A habilitate passi.
- A præcipiti lapsu in morbum.

Sed hæc signa aut ad Effecta Morbi, aut ad materiam ex qua causatur Morbus revocantur.

DE SIGNIS DIAGNOSTICIS FORMAM Seu Speciem Morbi ostendentes.

Signa Diagnostica Morbum in sinuantia sumunt, Aut
- Ab Essentia seu Natura Morbi, sive Morbo consideretur in sua Specie sive in differentiis ab ipsa Essentia deductis, ut Calor præter Naturam est de Essentia Febris. Ergo ad intemperiem pertinet.
- Ab Effectis
  - Actionis vitiatæ quæ vel respicit:
    - Unam partem determinatam, cujq propria actio demonstrat Morbum, ut Chylificatio læsa ostendit & partem affectam videlicet ventriculum, & Morbum videlicet Intemperiem.
    - Plures locos affectos, unde actionum diversitas, plura quoq genera Morborum demonstrat.
    - Modum Invasionis, ablata operatio frigiditatis depravata est calidilatis effectu. Quæ subito erumpunt Organicos, quæ sensim Intemperiei Morbos insinuant.
  - Excretorum ut Urina rubens alvus sicca Caliditatem, alvi excreta albicantia Icterum patefaciunt.
  - Qualitatis mutatæ, ut
    - Color rubicundus. — notat Caliditatem
    - Color albicans. — notat Frigiditatem
    - Mollities. — notat Humiditatem.
- A Causis vel
  - Intrinsecis, ut si spiritus aut humores sint causa ægritudinis, si humorum congestio aut afflux vitiatæ structuræ Morbum ostendunt.
  - Extrinsecis
    - Naturalibq, ut ætas, Tempus &c. quarum varia inclinatio & habilitas varia signa prædicant.
    - Non Naturalibq ut aer, somnq &c. talem ægritudinem promovent quales sunt.

DECLARATIONES

Signa Diagnostica Forma seu Species morbi suppeditat, cum enim constitutio seu Compositio Corporis sit genus ad suas Species videlicet ad Intemperiem, vitiatam compositionem et solutam Unitatem ut genus ita Species morborum aut à Natura Morbi, ab Effectis à Caussis quæ præcesserunt sua indicia depromunt quibusdam placuit ternario genere signorum non contenti à doloris proprietate et à proprijs accidentibus signa addere. Per naturam Morbi intellige Definitionem Morbi qua data et concessa, quæ sit Species Morbi subito cognoscitur. Ab Effectis eadem signa subministrantur ut et actione læsa Chylificatio est actio ventriculi. Ergo Ventriculus Intemperie laboret. Ratio quia morbus est causa symptoma. Chylificatio autem est symptoma actionis vitiatæ. Ab Exeretis ut ramentum in excretis apparens, ulcus intestinorum significat. A proprijs accidentibus s. qualitatibus mutatis, ut color rubicundus in tumoribus phlegmone flavus Erysypelam ostendit. Doloris proprietas ad actiones vitiatas pertinet ejus Species cum pulsu inflammationem cum stupore Intemperiem frigidam denotat. Causæ quæ præcesserunt etiam signa offerunt de quibus inferius."

DE SIGNIS DIAGNOSTICIS PARTIS AFFECTÆ.

Signa Diagnostica locum affectum significantia sumuntur. aut:

- Ab Essentia partis non Morbus. Sed sic propter reciprocationem Morbi cum loco affecto præter Substantiam et proprietatem loci affecti in Essentia partis proponit Argenterius malam compositionem et ut adest Intemperies. Ergo pars asia est læsa, cujus est Intemperies.
- Proprietas quoque partis sua indicia præbet, ut Calculi renes.
- A Effectis, quæ læsam partem comitantur et sunt aut
  - Actionis læsæ, ut Vigilia et delirium significant Cerebrum læsum. Huc quoque pertinet Signa à doloris proprietate, quæ dolor est actio læsa tactus.
  - Ab Excretis spectantia. aut
    - Substantia seu ut sit Excretum de natura partis ut ramentum excretum læsum intestinum.
    - Quantitate, ut sanguinis mixtio venam renalem.
    - Qualitate Urina frequens vitium vesicæ.
    - Loco, per Vulnus stercora egrediuntur, intestina sunt læsa.
    - Excretionis modo, ut si quid tussendo exspuitur pulmones laborant.
  - Qualitas mutata, ut color maxillarum, pulmones inflammatos.
- A Caussis, partem efficientibus partem disponentibus; ut aqua majore Quantitate ebibita, lædit Ventriculum aut Jecur, aut ob discrasiam Ventriculi, aut ob Jecoris Caliditates extinctas.

DECLARATIONES.

Signa Diagnostica pars affecta seu Subjectum in quo Morbus residet subministrat, non enim certius signum Morbi esse potest, quam quod à læsa actione partis affectæ sumitur. Quia forma Morbi est quid indifferens et indeterminatum, ut Intemperies, per partem affectam limitatur ac contrahitur, ut Intemperies Jecoris, atque ita Species Morbi adjuncta Subjecto constituit Morbum particularem. Ejus signa videlicet Loci affecti sunt 6. Imum A Natura partis ut laborat pars similaris. Ergo est Intemperies. 2dum. Ab Actione læsa Modus læsionis dependet qui Morbum aperit, subitanea invasio Morbi, partem Organicam, lenta similarem partem laborare docet. 3tium. Ab Excretis signa deduces; si Excretorum Substantiam, Quantitatem, Modum excernendi consideraberis, simulque Tempus et Ordinem excretionis, ut Caro spongiosa tussi ejecta, ulcus pulmonum monstrat, saliendo sanguis exit. Ergo arteria læsa. 4tum A proprijs accidentibus s. à Qualitate mutata, ut dejectio similis loturæ carnium. Ergo est Imbecillitas doloris. 5tum. Doloris proprietas est dolor punctorius. Ergo Membrana affecta. 6tum. Situs partis, ut tumor hypochondrij dextri, Jecur sinistrum, Lienem laborare insinuat.

DE SIGNIS DIAGNOSTICIS
Causarum Morbificarum.

Causæ Morbificæ vel cognoscuntur

- In Genere sed horum quædam sunt, aut
  - Externa, quæ ex relatione ægrotantis habentur.
  - Interna, à quibus Morbi afficiuntur, sunt potissimum humores, qui cognoscuntur. aut
    - A causis disponentibus, à quibus materia producitur, quæ vel sunt
      - Causæ Naturales, ut sunt Temperamentum, ætas, Sexus, Consuetudo etc.
      - Res non naturales sunt sex causæ procatarcticæ.
      - Morbi et Symptomata præter Naturam.
      - Vitia morbi qui præcesserunt, humores similes generant.
    - Ab Effectis, quæ excessus humorum testantur, ut sunt.
      - Colores qui in nobis efflorescunt, qualis humor intus talis ad superficiem tendit.
      - Sapores alieni ejus dominium testantur qualis in Ventriculum regurgitat aut in faucibus hæret.
      - Motus Humorum indicat horam, qua movetur.
      - Odores tetri exspirantes ex ore aut ex naribus Cacochymiæ indicium.
      - Sonus, ut in ventre borborigmi, in Ventriculo ructus materiæ crudæ et flatulentæ.
- In Specie ut
  - Sanguis.
  - Pituita
  - Bilis flava
  - Bilis nigra
  - Vapores
  - Flatus
  - Cuilibet autem horum Humorum cognoscitur aut
    - A causis materialibus, ut sunt
      - Res non naturales.
      - Naturales morbi præter naturam ut supra
    - Ab effectibus revocantur, aut ad
      - Colores.
      - Sapores.
      - Motus cujusque proprius

DECLARATIONES.

Causa Effectrices Morborum constituunt Species Morborum, quæ suis signis carere non possunt, ita Species Causarum pro diversitate suarum specierum signa exposcunt. Aliæ sunt Causæ continentes, Aliæ Antecedentes sive à plenitudine sive ab inanitate, aut spiritus, aut humoris, aut alicujus partis solidæ proficiscuntur eadem signa habent quæ Morbum adesse testantur. Sumuntur à Causis vel ab Effectis. Causæ, quæ copiam succorum subministrant sunt duæ: Materia ut sunt Causæ procatarcticæ, quæ materiam gignendis humoribus subministrant. Et Vis Effectrix Ventriculi et Jecoris pro sua aptitudine ad hunc vel illum humorem generandum. Effecta sunt Triplicia: Alia sub actionibus læsis continentur, ut insomnia, mores prout mutantur pro varietate humorum. Alia quæ indicantur à Qualitatibus corporis qui monstrant in cute, in venis contentos humores, ut mollities, durities, frigus, calor. Alia quæ ab Excretis, ut ab Urina, sudore, sputo dejectionibus copiam signorum faciunt. Causæ procatarcticæ sunt simul Morborum Causæ et signa. Effecta semper sunt signa.

USUS SEMIOTICE
IN PRAXI.

Usus Semotice vel maximus hic est: Cognitionem enim Pathologiæ inutilem decernit, nisi adsit notitia signorum, quæ in suis Essentiis ac proprietatibus res contra Naturam firmat ac stabilit. Jam enim non solum ingenium perspicax Medici adest, sed etiam à quibus informatur querelæ ægrotantium, et adsistentium fideles enarrationes adsunt. Cujus temporis momento constitutio corporis sive fuerit præsens, sive futura diligenter est custodienda, quod facile videre licet in Diagnosi, tum in Prognosi. Diagnosis nihil aliud est nisi certa quædam distinctio eorum, quæ ad Essentiam affectuum præter naturam conspirant, videlicet ut per certa Indicia concursus Speciei Morbi, Subjecti et Causæ Morbificæ investigetur, hæc enim tria apprime in Curatione cognoscenda. Quibus ex Locis sint signa depromenda, nonnisi ex causis et Effectis. Forma Morbi et Subjectum (si compendio uti licet) per Effecta Causæ Morbificæ, per Causas disponentes et materiales, ut sequens Tabula de Apoplexia docebit.

DE THEORIA APOPLEXIÆ

Comparate s. ut in Homine quoad Diagnosim.

Apoplexia cognoscitur aut quatenus.

- **Symptoma.** Est privatio sensus et motus cum respiratione læsa. secundum quam Intensio Apoplexia distinguitur patet ad sensum.
- **Morbus**, signa dicuntur juxta causas Essentiam Apoplexiæ constituentes. Itaq innotescit ex aliis signis.
  - **Forma** Est Intemperies frigida et humida cum materia. Exqua Obstructio Cavitatum cerebri et hæc est potiss quia fit repente paulatimve intemperies fit, tum etiam ex Compressione.
  - **Subjectum** est Corpus et Ventriculi cerebri læsi, actiones vitiatæ testantur. Super.
    - Obstructionem
      - Substantia cerebri principium facultatum carentiam testatur. Ventriculi omnes anteriores non esse sensum, quia puncti non moventur. Posteriores in quibus motivi spiritus resident, sequitur respiratio læsa, oculorum, linguæ palpebrarum et musculi sine motu.
    - Compressionem
      - Malum inflammatorium sanguine Ventriculi repleutur. Sanguinis quoq indicia aut arteriæ carotides repellentur.
  - **Causa Effectrix** quæ est duplex.
    - Pituita indicant. aut
      - Effecta
        - Actionis vitiatæ nempe Obmutescentia repentina prolapsus in terram, Oculi somnolenti, Spuma, stercor seu Oregenon.
        - Qualitatis mutatæ Color pallidus.
        - Excreta. Salivæ copia, Nares mucosæ.
      - Causæ Naturales et non naturales.
    - Sanguis, quem etiam ostendunt Causæ quæ præcesserunt et Effecta.
- NB Nihil hic desideratur.

DE ALTERA SEMIOTICÆ PARTE

Seu de Prognosi:

Prognosis est altera pars Semeioticæ, quæ futurum statum rerum contra Naturam edisserit quatenus Eventum, Tempus, Modum Morbi præcognoscit, et insignis Prognosticis confirmat. Cognitio curandorum sive fuerit absoluta sive respectiva, in Constitutione corporis præsentis vel futuri status est, aut de rebus cognoscendis, aut de rebus per quas fit præcognitio. Tria autem sunt præcognoscenda; Causæ Compositionis quæ ut præsentes cognoscendæ, quia jam adsunt ob idq cognoscendæ, aut à Causis materialibus aut à Causis disponentibus. Effecta Compositionis talia expectanda, qualis ipsa Compositio Corporis. Sola igitur compositio Corporis diligenter præcognoscenda, quæ non est alia nisi Eventus s. Exitus Morbi, Tempus et Modus seu via illius. Eventus est quadruplex: Commutationis in salutem aut Interitum, ad Meliorem vel deteriorem statum. Tempus Eventus est breve aut longum; Modus s. Via futuri Eventus fit ut paulatim, quia fit coctione aut subito salutaris aut perniciosus. Subito salubris per expulsionem, aut translationem materiæ, ad partes ignobiles longum somnum. Subito perniciosus expulsione aut translatione materiæ ad partes nobiliores aut propter præsentiam nimiæ plenitudinis cruditatis nimiam exsolutionem virium imbecillium. Res per quas fit cognitio, seu Loci ex quibus signa depromuntur sunt Effecta vel Causæ. Effecta quia nondum sunt, nequeunt signa suppeditare. Superest igitur ut Eventus futurus colligatur ex solis Causis, quæ sunt, Natura et Morbus inter se pugnantes. Et sunt isti Loci ex quibus signa capiuntur ad præviden dum ex rebus cognoscendis. Compositio corporis verò seu Eventus futurus ex solis Causis quæ sunt Natura et Morbus. Supersunt Crises, quæ sub rebus præcognoscendis comprehenduntur, et dies Crisimi, qui sub rebus per quas fit præcognitio. De his separatim dicendum, Multam enim diligentiam requirunt, ut summè necessaria ad notitiam futuri Eventus.

DE PROGNOSI IN UNIVERSUM

- Prognosis consistit aut
  - In rebus cognoscendis quæ sunt.
    - Constitutio corporis quæ sola est præcognoscenda, nec alia est nisi Morbis
      - Eventus cujus Species 4.
        - Salutis
        - Interitus
        - Ad meliorem / Ad deteriorem — Statum.
      - Tempus quod est longum aut breve.
      - Modus s. Via Eventus morbi.
        - Paulatim quando fit Coctione.
        - Subito aut
          - Salubris.
          - Perniciosa
    - Causæ compositio quia jam adsunt ut præsentes cognosci debent præ Effecta sunt talia, qualis ipsa Compositio corporis, quæ illam consequuntur.
  - In Locis ex quibus signa depromuntur; Sæc autem aut sumuntur
    - Ab Effectis, quæ quia nondum sunt non possunt signa suppeditare.
    - A Causis quæ solæ signa futuræ Eventus communicant, & sunt simul
      - Natura & Morbus

DE PROGNOSI IN SPECIE & PRIMUM

de signis futuri Eventus à Causis.

- Signa futuri Eventus colliguntur ex causis ejusq Eventus videlicet à Natura & Morbo per comparationem quæ causa sibi victoriam habeat, nam ex illa fit victoria id cognoscitur à Causis
  - Proximis quæ indicant Eventum aut ex robore.
    - Naturæ quod ex signis patet aut ex Sanitatis
      - Speciebus ut quia Sanitas Temperie, Contiguitate, Unitate, apta partium compositione causarum plenitudinis & Cruditatis absentia gaudet.
      - Differentijs quæ sumuntur, aut à
        - Subjecto, & quatenus ad illud Sexus, Ætas Temperamenti referuntur.
        - Modo, quo Sanitatis forma Subjecto inhæret.
        - Consequentibus, Forma videlicet.
        - Magnitudine, Numero, Loco, Tempore.
    - Morbi seu ex Morborum.
      - Speciebus Morborum, videlicet ob Intemperiem vitiatam contiguitatem continuam, solutam, causarum plenitudinis & Cruditatis dominium.
      - Differentijs accidentalibus sumptis. aut.
        - A Subjecto, quod sit morbus Universalis aut particularis, aut ad ætatem aut ad Sexum refertur.
        - A Modo, quo corpus formam accipit, ut perfecte, imperfecte, perse &c.
        - A Consequentibus formam videlicet.
        - A Magnitudine, Numero.
        - A Loco & Tempore.
  - Procatarcticis, omnes ubi fuerint temperatæ indicant Robur Naturæ; Si autem fiet recessus à Sanitate, illius imbecillitate. Morbi Robur significant.

DE SIGNIS

DE SIGNIS FUTURI EVENTUS AB
Effectis & primum ab actionibus, sive vitiatis.

- **Ab Effectis Eventus futuri praecognoscitur & primum ab actionibus, sive fuerint integrae sive vitiatae, quae sunt 3.**
  - **Animales, quae sunt duplices.**
    - **Principes**, ut Imaginatio, Memoria &.
    - **Minus Principes**; ut Sensus communis, vel proprius, Motus Voluntarius, ad quem respiratio & Vox refertur.
  - **Naturales quarum aliae.**
    - **Principes**, ut Nutritio, Augens, Generans, Gignens & Augens a Nutriente proficiscitur, sola etiam suppeditat signa futuri Eventus.
    - **Quatuor ministrae, ut** Attractio. Retentio. Coctio. Expulsio.
  - **Vitales** ad pulsum Cordis & arteriarum pertinent. **Pulsus** si ordinatus & aequalis & moderatus fuerit, bene valere naturam significat. Imbecillitatem naturae declarat, si immoderatus, tardus, rarus, qui incidit, cum dolor nativus extinguitur. **Durities** pulsus magis convelli vires naturae demonstrat. **Languidissimus** & tardissimus pulsus inter omnes immoderatus postea intermittens, inter omnes inaequales Naturae imbecillitatem significat. Longe deterior est privatio pulsus. Haec etiam valet in pulsu cordis.

Prognosis ex actionibus animalibus, Vitalibus &c colligitur. Si fuerit secundum naturam Robur Naturae, si fuerint vitiatae Imbecillitatem Naturae robur autem Morbi designant. Modus laesionis actionum. Intensionem & remissionem imbecillitatis assignat, omnium maxima est imbecillitas quando aufertur actio.

DE SIGNIS FUTURI EVENTUS AB EFFECTIS
Secundi generis s. a Qualitatibus corporis.

- **Qualitates corporis referunt ad sensum vel ad**
  - **Unum quilibet Sensus habet propria Objecta pertinent aut ad**
    - **VISUM**, ut sunt Cutis & linguae Colores.
    - **Auditum**, ut sunt soni v. c. crepitus dentium non consueti.
    - **Olfactum**, ut odores qui expirant a corpore aegrotantis.
    - **Gustum**, ut sunt sapores, quos lingua percipit, ut salsi amari.
    - **Tactum**, ut sunt primae & secundae Qualitates, calor frigus, humidum, siccum, mollities, durities.
  - **Plures sensus quorum sunt Objecta communia aspectu & tactu judicantur ut est.**
    - **Figura.** Figura quando immutatur ob alium Morbum, sequitur aut plenitudinem minorem & Imbecillitatem denunciat, aut inanitatem majorem ut in spasmo a siccitate.
    - **Magnitudo** ubi v. g. augeatur, notat multitudinem materiae, ubi minuatur summam Imbecillitatem nam ut in facie cadaverosa, quam repraesentat nasi primoris acumen tenue, Cavati oculi, cava tempora.
    - **Numerus**, quando aliquid augetur v. g. ut humor glutinosus dentibus inhaerescens, copiam significat humorum crassorum & febrem validam, si minuitur ut pili in phthisi, summam Imbecillitatem significant & quando augetur & quando minuitur.

DE SIGNIS FUTURI EVENTUS AB EFFECTIS
tertii generis seu ab Excretis.

Excreta significant robur et Imbecillitatem Naturæ, quorum observanda est.
- Substantia seu materia quæ vel est.
  - Sanguis secundum Naturam expulsus, ut sunt Menses robur Naturæ significant, oppositum si accidit vitio retentricis vasorum rarefactorum ab acri materia.
  - Pituita vel utraq Bilis. Huc pertinent. Substantia quæ per nares, palatum excernitur, tum Semen, Liquor ex carne, aut adipe tabescente, arenulæ, pili, calculi.
- Accidentia ex quibus consideratur aut
  - Quantitas, quæ Excreta, si respondeat multitudini superanti robur Naturæ significat: Contrarium si Morbum auget est Symptoma.
  - Qualitas ad quam spectat.
    - Odor si foetidus, putredinem; Sapor redundantes Humores. } Significat.
    - Habitus Humoris crassioris proficiscitur aut à Calore urente, aut à frigore cogente. Quod nimis tenue crudum est.
  - Tempus expulsionis conveniens iis quæ p.n. redundat, cum coctio apparet in die Crisimo robur significat.
  - Locus unde expelluntur excreta notus est omnibus, ut Urina, dejectionis, sudoris.
  - Modus expulsionis, ubi p.n. expellantur ut si Urina dejectiones p. Voluntatem expellantur sed multo magis lachrymæ non Voluntariæ Imbecillitatem significant.

DE SIGNIS EXCRETORUM IN SPECIE PRIMUM
per Dejectiones.

Dejectio alia est.
- Secundum Naturam, ut quæ est mollis, figurata respondet Quantitati assumatorum, expellitur tempore consueto, facultate valida et materiam coctam denunciat.
- Præter Naturam, sæpe peccat aut
  - Substantia, ut Sanguis, pus, sanies, liquor ex carne vel adipe tabescente arenulæ, lumbrici, ramenta intestinorum.
  - Accidentibus, quæ sunt aut
    - Quantitas, quæ esculenta in excretis declarat robur significat, ubi pauciora sunt expultricem debilitatem, seu canales non patentes.
    - Qualitas adit sub varios sensus illorum objecta. ut.
      - Calor in dejectione secundum Naturam est subrufus, si recedit à calore naturali est diversus, albus ut in Ictero, valde coloratus ubi coctio stabilis, niger Melancholiam nuntiat, lividus coloris extinctionem monstrat.
      - Odor fœtidus putredinem declarat.
      - Calor calidit. frigus impermixtum pituitam.
      - Habitus
        - Mediocris Coctionem.
        - Tenuis cruditatem.
        - Crassus ustionem et fervore in partibus humiditate exsiccatibus.
      - Spuma fervore et agitatione ostendit, quæ si non adesset, robur naturæ significaret.
    - Locus est consuetus nisi essent intestina vulnerata, aut nisi vomantur in Ileo.
    - Dejectio p. Volunt. Motricis imbecillitatem aut vitium in nervis aut Musculis ani.

NB Substantia Dejectionis p.n. est pars illa crassior esculentorum, quæ in Ventriculo non potuit in Succos converti per Dejectiones capiuntur quomodo et Ventriculus et intestina sint affecta.

DE SIGNIS EXCRETORVM PER VRINAM

Vrina vel est

- **Secundum Naturam** ut significat validam facultatem Naturalem, humorum Coctionem et in partibus Vrinarys non adesse vitium.
- **Præter Naturam et haec peccat, aut ex**
  - **Substantia** quæ est aut cruda aut prava. Cruda alba, tenuis, aquosa. Prava cui sanies, pus, liquor tabescens admiscetur, significat cruditatem.
  - **Accidentibus, quæ sunt aut:**
    - **Quantitas**, si minor fuerit quam ut poculentis respondeat, calorem adurentem aut vitium renum Vesicæ etc.
    - **Qualitas ad quam pertinet:**
      - **Color Vrinæ aut est:**
        - Secundum Naturam, ut est pallidus, ruffus, subruffus.
        - Præter Naturam quæ aut:
          - Remittitur, ut est Vrina alba, subpallida. Cruditatem notat alba minorem subpallida.
          - Intenditur ut Flava ob admixtionem bilis. Rubra ob permixtionem Sanguinis nisi accidat vitio renum. Livida ob frigus. Viridis ob calorem procedit nigrum. Niger, Viridis, Lividus, caloris extinctione aut vstionem significat.
      - **Foetor** Nota putredinis et Naturæ succumbentis morbo.
      - **Tactus quoad**
        - Primas Qualitates
          - Calor ferventem calorem et naturæ imbecillitatem.
          - Frigus caloris nativi extinctionem.
        - Secundas Qualitates: Lenes frigid. Acres bilis nota.
    - **Habitus, qui 3plex:**
      - Medius, inter tenuem et Crassum Coctionem ostendit.
      - Tenuis cruditatem indical.
      - Crassus, aut ob mixtionem, aut obustionem, aut pertur-bationem.

DE SIGNIS EXCRETORVM PER VRINÆ SVBSIDENTIA

Subsidens Vrinæ.

- **Secundum Naturam**, album, leve et æquale, perfectam coctionem denotat.
- **Præter Naturam ubi aut**
  - Nihil subsidet, est nota cruditatis aut vapidæ materiæ ad suppurationem.
  - **Subsidet sed aut**
    - Non separatur ab aquoso humore ut in Vrina perturbata. (Significat.
    - **Separatur itaq; aut.**
      - **Accidentibus mutatis, ut**
        - **Quantitas** si major crudorum, si minor biliosorum copiam.
        - **Qualitas**
          - **Color**
            - Niger caloris extinctionem aut miscellam humoris Melancholici.
            - Ruber tenuis et crudi sanguinis copiam.
            - Flavus bilis redundantis copiam.
          - **Odor** foetidus putredinem et naturam succumbentem.
          - Inæqualitas, inæqualitatem humorum et Coctionem imperfectam. Figura rotunda est vitiosa. Spumma fervorem et agitationem significat.
        - **Habitus** tenuior Cruditatem. Crassior ustione vel crassorum humorum copiam monstrat. Subsidens quod medium Vasis tenet imperfectam Coctionem et flatum ostendit.
      - **Substantia mutata ut est aut.**
        - Humor crudus et Crassus qui continetur naturaliter.
        - Sanguis vel notat vitium instrumentorum Vrinæ aut vena abrupta, aut sanguinis ebullientis copiam.
        - Pus inflammationem suppuratam et robur naturæ. Sanies significat naturam superari a morbo. Oleaginosa notat adipem liquari. Squamæ aut veluti caruunculæ calorem urentem et febrem tabificam. Furfura et squamæ a solidioribus partibus resolutis, seu calculi a crassis et viscidis humoribus renis.

NB Vrina ostendit partes illas laborare in quibus generatur, colatur, et ad debitum semper conservatur, id sunt venæ, renes, ureteres, vesica, collis per quas mingitur. Vrina constat aquoso humore et subsidentibus.

NB Sedimentum secundum Naturam est album, leve et æquale mediocriter crassum, pyramidale et in fundo residens, sed in bibentis fundum medium occupat, vel in summo nebulæ apparent.

DE SIGNIS EXCRETORUM PER SUDOREM

Sudor est duplex, alius
- Secundum Naturam, qui ejusdem Naturæ cum Vrinæ, neq est superfluus, nec fœtor adest, calidus è toto Corpore emanat. Robur significat.
- Præter Naturam quando mutatur, aut
  - Substantia, cum non aquosq Humor, sed alius sudore educitur, ut liquor crassis succis, aut partibq liquentibq, Imbecillitatem significat.
  - Accidentia ut est.
    - Quantitas, ubi plus aut minus emanat sudoris. Plus ubi liquorem succi, aut partis tabescentis præbent vel nimiam multitudinem ejusmodi humoris in corpore redundantem vel facultatem retentricem debilem, vel tenuitatem materiæ, vel foramina relaxata. Contra erit expultrice debilis, materia crassa, ut densitas cutis. Exiguq quidam sudor circa caput & collu tum exiguq à toto corpore summam Imbecillitatem.
    - Qualitas, ut
      - Color ubi mutetur superantem humorem cum quo miscetur.
      - Frigus, si effluat humores frigidos denuntiat, si talis fuerit in febribq pernitiosis interiora uri, exteriora refrigerata monstrat.
      - Si non sint febres acutæ, tunc morbi longitudinem denunciant.
    - Tempus, Sudoris cum perficitur Coctio, ut in diebus Crisimis in quibq si sudor appareat, bonum est. Qui Coctionem antecedit Symptoma est, natura enim non superat morbi causam.
    - Locus Vnde exire debet, est cutis totiq Corporis, si ex aliqua parte tantum est morbq particularis.

DE SIGNIS EXCRETORUM PER VOMITUM

Vomitus, ut
- Substantia quæ per superiora ejicit, aut sunt
  - Esculenta vel Poculenta immoderatè sumpta externam causam indicat, hæc eadem moderatè ingesta retentricem Ventriculi debilem.
  - Humores, qui
    - Quanto minus fuerint sinceri & permixti Robur naturæ declarant.
    - Non permixti & quidem.
      - Flava bilis est deterior quam pituita, atra bilis deterrimus quia ex toto naturæ vires convellit.
      - Sanguis si evomatur cum febre, viscerum inflammationem & imbecillitatem virium denotat. Sine febre non ita malum ostendit.
- Accidentia ut sunt
  - Quantitas Multa ostendit debilitatem. Pauca significat naturam oppressam non potuisse id perficere. Secum nausea duplex malum, & ut causa & ut signum. Agitatio Ventrem lacerat, humor glutinosq in orificio Ventriculi designatur.
  - Qualitas, quæ consequitur aut in
    - Colore ruber sanguinem, flavq bilem significat.
    - Odore Si fœtorem stercoris repræsentet Ileum esse testatur.
    - Sapore, Qui respondet humori quando educitur, ut acidus, amarus etc.
  - Habitus si fuerit
    - Tenuis cruditatem
    - Crassus ustionem. } patefacit.
  - Tempus vomendi, si succi cocti sunt, si crudi monstrant naturam esse coactam.

DE SIGNIS EXCRETORUM PER SPUTA

Sputum consideratur vel in:

- **Substantia** igitur si sit humor, non sincerus, non pravus, non crudus. Robur naturæ significat, si fuerit in sua natura opposito aut coloris diversi ut Sanguis, vasa aperta demonstrat, et ob id Imbecillitatem naturæ insinuat. Pus coctum phlegmone apertum et Naturam, Morbum superantem. Sanies contra Morbum superari Naturam ostendit. Si aliqua pars tussi ejecta Cartilaginea ulcus et arteriam oblæsam esse denuntiat.
- **Accidentibus ut sunt.**
  - **Quantitas parva** Sputi bonum opposita malum notat virium Imbecillitatem et copiam materiæ.
  - **Qualitas sub sua continentur**
    - **Color,** humoris speciem peccare docet. Pessimus autem Color niger sputi.
    - **Foetor** summam putredinem et defectionem Virium significat.
    - **Figura** nullo sputo convenit.
    - **Spuma** fervorem ingentem et agitationem, et naturæ Vires languescere ostendit.
  - **Habitus,** quod tenuis Cruditatem, quod crassis ustionem esse testatur.
  - **Tempus,** quanto celerius exspuitur Coctionem accelerari significat, quanto tardius, tanto diuturniorem Cruditatem monstrat. Si celeriter et cum facilitate Coctionem et celeritatem significat.

DE SIGNIS EXCRETORUM PER SANGUINEM

Sanguis consideratur vel in:

- **Substantia.** Sanguis ubi nimium superet educendus est, eductus enim Naturam juvat, si id fiat tempestive.
- **Accidentibus ut sunt.**
  - **Quantitas** Sanguinis excreti respondeat copiæ superanti, nimia copia Vires convellit, paucitas perniciosa est, veluti cum stilla Sanguinis ex naribus exit, tum temporis significat naturam imbecillem esse.
  - **Qualitas** ut Sanguinis color niger deterrimus.
  - **Tempus** cum perficitur Coctio et die Critico.
  - **Locus** Unde effluit respondere debet loco ubi redundat, ex quibusdam enim partibus commode exhauritur per anum, ex quibusdam per nares. Qui per nares profluit, erit aut qui in Universo Corpore redundat, aut qui in visceribus ut in Jecore et Liene, ex nare dextra si jecur, ex sinistra si lien afficiatur, effunditur.

DE PROGNOSI IN SPECIE SEU DE DIFFERENTIIS EVENTUS MORBI ET PRIMUM DE TEMPORE EVENTUS.

Ad hunc usque locum quid sit Eventus Morbi, quæ sunt ejus species, et ex quibus locis Eventus Morbi deducatur, dictum est. Differentiæ Eventus sunt postea explicandæ temporis, modi et stabilitatis, ita tota prognosis de Eventu Morbi et ejus differentiis explicabitur. De Differentiis temporis Eventus 2do quærit. 1. Quanam sint tempora Eventus morbi seu illius specierum. 2. Ex quibus signis tempus Eventus breve aut longum præcognoscatur.

Quo tempore Morbi Eventus quisque sequatur:

Eventus Morbi seu Mutationum sunt species 5. Salutis et Interitus, ad meliorem statum, ad deteriorem et Stabilitatis. Tempora sunt 4. Principium, Incrementum, Vigor et Declinatio.

Eventus Morbi sua tempora sequuntur juxta Differ. Morborum:

- Salus si paulatim fiat sequitur in Declinatione, quia tunc perficitur Coctio, a qua Salus.
- Salus si subito fiat cum pugna, non sequitur.
  - In Principio, quia Natura nondum aggressa Morbum.
  - In Incremento, quia nondum est perfecta Coctio, non est Tempus Crisis.
  - In Declinatione, quia jam Morbus superatus.
  - Igitur In fine Vigoris, quia perfecta Coctio
- Subita mutatio potest fieri ad meliorem statum in Incremento et Vigore, non autem in Principio et Declinatione.
- Subita mutatio ad deteriorem statum in Vigore et sequitur Interitus.

NB Differentia temporis Eventus, quæ sit brevis aut longum: Breve tempus consequitur celeritas, longum tarditas. Apparitur paulo post, Ex quibus signis tempus Eventus, sive celeritas et tarditas cognoscatur, R. Ex viribus naturæ et morbi.

DE SIGNIS MONSTRANTIBUS
Tempus Eventus.

Differentia Temporis Eventus, quod sit breve aut longum, brevitati celeritas longitudini tarditas respondet. Signa Eventus Temporis eadem sunt quae ipsius Eventus, videlicet aut

- **Natura** id ostendit, aut
  - **Robur naturae**, quod si majus sit, quam robur morbi simulto celeritatem, si pauto tarditatem Eventus denuntiant.
  - **Causae**, quae sunt aut
    - **Proximae** videlicet compositio corporis partium similarium, ut calido innato abundant dissimilares ut cavitates pateant. Aut si sint astrictae et densae ita ad celeritatem et tarditatem conducunt.
    - **Remotae**, ut aer, tempus anni, quae quatenus calidum innatum conservant, differentias temporis ostendunt.
  - **Effecta** si secundum naturam fuerint Morbo naturam validiorem significant, et ita cum Celeritatis et tarditatem in se continere.
- **Morbus** insinuat aut
  - **Morbi Robur** ex suis differentiis, quarum aliae validum, aliae imbecillum robur ipsius demonstrant. Nam differentiae adjunctae speciei Morbi illam intendunt vel remittunt et ita celeritatem aut tarditatem ostendunt.
  - **Causa**
    - **Interna** pro ratione copiae humorum aut pravitatis majoris vel minoris Celeritas vel tarditas adest.
    - **Externa**, quae majores sunt et magis pravae, ut magnus aestas aer pestilens, eo validius indicant Morbi robur, et idcirco celeritatem minus validam tarditatem significat.
  - **Effecta**, dissimilia monstrant morbi robur, sed quatenus multum dissimilia multa validius, quam natura sit ideo celeritatem, quatenus parum dissimilia, ideo tarditatem demonstrant.

De Tempore praefinito Eventus quoad diem et Horam.

Imò Inter dies Crisimos quosdam esse Indicantes, quosdam Judicantes, quosdam Intercidentes. Indicans Quaterni, quidquid futurum est proximis Septenis. Indicia, quae Quaternis apparent maximè pertinent ad Coctionem et pravitatem, quae contraria est Coctioni. Similiter pertinent ad Symptomata mitiora Quarto die, ostendunt Septimo futurum Eventum bonum, si autem graviora, malum. 2dò Quod dictum est de quarto et Septimo die valet in sequentibus quaternis et Septenis. 3tiò. Quaternus, in quo signa Coctionis appareant evidenter Septeno indicat Crisim seu Eventum, quod si fuerint signa obscuriora sequentibus diebus futurum Eventum denunciabunt 4tò. Primi Quaterni, videlicet 4, 11, et 17 usque ad 20 non aequale indicandi facultatem cum sequentibus, qui sequuntur usque ad 40. 5tò In Morbis inordinatis ut sunt febres Erraticae, dies Eventus non videtur posse praedici, cum non constet qui sunt Quaterni. 6tò. Diebus intercidentibus ob vim accessionis, ob errorem, ob imbecillitatem naturae, subitaneas interdum mutationes accidere, quae erant exspectandae Septenis 7mo Accessiones maximè naturam ad expellendum excitant, quo die accidunt subitae mutationes, eo die Eventus exspectantur. Accidunt quibusdam morbis diebus imparibus, quibusdam paribus. Morbi perniciosi accessiones habent ferè diebus paribus. Hinc fit ut interitus 4 die indicatur, non sequitur 7 sed 6 ob vim accessionis. 8vo Eventus diem praefinitus ex die indice conjiciemus, sed simul aestimabimus quid possit accessionis impetus cum Celeritate motus, quid error, quid robur naturae aut Imbecillitas. 9no. Intereunt quidam homines, cum remittitur accessio, quidam cum augetur ac viget, alii cum incipit 10mo De hora eo accessionis tempore et ea hora timebis interitum qua magis afflictari aegrotantem praeterit accessionibus observasti. 11mo Qui magnis inflammationibus obstructionibus plenitudine tenentur, principio accessionibus maximè vexari, quod tunc calor suffocari videatur. 12mo Qui vi Symptomatum urgentur potissimum in Incremento ac vigore accessionis affliguntur 13tio Futurum interitum indicabis qui vires valdè imbecilles habent, maximè languent dum remittitur accessio, quod Spiritus dissipentur ac dissolvantur.

DE SIGNIS MONSTRANTIBUS MODUM

futuri Eventus paulatim vel subitò cum pugna vel sine.

Modus Eventus paulatim vel subitò cognoscitur. aut ex.

- Morbo tam ex
  - causis
    - Proximis.
    - &
    - Remotis.
  - quam ex Effectis
  - Ex his igitur colligitur Morbi robur quam validam vel invalidam, idcirco habere vim interitus subiti vel lenti.
- Natura valida idque ex ejus
  - Causa proxima roboris, quæ est constitutio corporis, quantum ad partes dissimilares & similares, quarum robur continetur moderato temperamento & plurimo calido innato.
  - Causa remota, ut est aer, victus ratio, quæcunque corporis compositionem augent & tuentur.
  - Effectis quæ si fuerint secundum naturam eò magis validum robur naturæ significant.
  - Ex his colligitur Naturæ robur, colligitur etiam vis solutionis repentinæ ex contrarijs conjicies naturam debilem & propterea vim solutionis repentinæ.

Subita Mutatio ad salutem semper fit cum pugna, ad d sine & cum signa deducunt ex.

- Natura, quatenus habet vim commutationis cum pugna vel sine pugna, ubi robur validum vel invalidum habuerit sine quibus non committitur pugna.
- Morbo Si autem Morbus validus fuerit adest interitus cum pugna quin etiam natura imbecillis alias non committeretur pugna.
- Conjicitur tam Naturæ quam Morbi robur ex Causis & effectis.

Sine pugna, quando fit interitus

- In principio paroxismorum ob copiam & cruditatem humorum
- In magnis inflammationibus viscerum, in statu, in incremento ob violentiam Morbi, Simptomatum magnitudine, in remissione ob languidarum virium dissolutionem.

Quæ verò harum trium Causarum sit Causa interitus subiti sine pugna intelliges, si unamquamque accessionem observes & quo tempore ægrotans magis langueat. Monstrabit hic tibi & quo tempore accessionis, & ob quam Causam homo decedet.

DE SIGNIS MONSTRANTIBUS NUM SUBITUS

Eventus cum pugna futurus per somnum expulsionis & translationis.

Eventum subitum cum pugna si salubris sit, perfici somno longo ex pulsione aut translatione, si sit pernitiosus expulsione aut translatione. Salubris igitur Eventus cum pugna cognoscitur aut per.

- Somnum longum ut accidit illis, qui habent multum calidi & humidi, cum per caloris revocationem ad internas partes humores concoquuntur & morbum vigente superat, accedit tempus hyemis aut Verni & Morbi ex illis humoribus qui per somnum evinci possunt.
- Expulsionem & translationem discernes ex simili differentia in signis Eventus. ita
  - Majus vel Minus robur naturæ innotescit ex.
    - Causis, ad quas refertur ætas; Temperamentum, In juvenibus magis conspicitur Expulsio, in Senibus translatio.
    - Effectis, quæ cum validiorem esse naturam declarant, sunt Indicia Expulsionis, cum minus validam Translationis. Sed inter effecta magis firmum dat judicium roboris Naturæ Coctio & idcirco Expulsionis coctionem ostendunt, dejectio, sputum, sed maxime Urina.
  - Majus vel Minus robur Morbi innotescit ex
    - Causis; videlicet ex humoribus à quibus proficiscitur. Tenues et calidi maxime idonei ut expellantur ut accidit in Morbis, qui sunt celeres, breves, ut hementes, ardentes, crassi & glutinosi, ut transferantur ad alias partes, ut Morbi tardi, longi, lenti, tepidi. Huc referuntur tempora anni, æstate fit Expulsio, hyeme translatio. Quidquid igitur contra naturam est, expulsiones & translationes monstrant, ut ad humores pertinent.

Expulsio est cum natura & Morbus videntur ad Expulsionem.
Translatio ad alias partes, cum natura & Morbus fit habilis ad humores transferendos labores.

DE SIGNIS MONSTRANTIBUS VIAM

Expulsionis.

Expulsionis Viæ multæ, cum interdum efficiat aut

- Sanguis ex naribus, utero aut ex ano.
- Vomitus. Dejectio.
- Urina. Sudor.

DE SIGNIS MONSTRANTIBUS SANG. PER NARES.

Signa profluentis Sanguinis ex naribus an sit terminaturus Morbus sumuntur, aut ex:

- **Natura**, quatenus ad talem fluxum Sanguinis idonea, quia multo Sanguine abundat, aut ipsa quantitate peccat, ut in Plethoricis, aut qualitate seu acrimonia. Ad quam etiam spectat tempus anni ut Verno tempore ob copiam, æstivo quia acris & adsunt signa sanguinis redundantis propter Causas disponentes seu materiales.
- **Morbo.** Morbum habere vim hæmorrhagiæ ex naribus cognosces, idque aut ex:
  - **Loco affecto**, quia caput laborat Sanguine redundat, qui evacuari solitus per nares ut in Phrenitide. Aut quia partes inferiores materiam sursum transmittunt, quod cognosces ex absentia doloris in partibus inferioribus, ex difficili respiratione cum dolore capitis, aut gravitate, aut cervicis dolore, quæ omninò sanguinem sursum transmitti testantur.
  - **Causis**, Quia peccat Sanguine, ut in Synocho, acrimonia ut in Tertiana.
  - **Effectis**, Quia adest temporum gravitas, dolor pulsus, palpitatio, oculorum & faciei rubor, lacrymæ involuntariæ, pruritus narium.

DE SIGNIS EXPULSIONIS SANGUINEM PER UTERUM AUT ANUM.

Si terminaturus sit Morbus fluxu sanguinis. aut:

- **Ex Utero** patet, ex:
  - **Natura**, Quia in fœminis expectandus talis Eventus morbi ubi tenuis acris ac seposus Sanguis fuerit.
  - **Morbo.** Expulsionis vim in Morbo dignosces ex:
    - **Causa** si oriatur à plenitudine vel acrimonia sanguinis
    - **Loco affecto** si versetur in partibus sub septo transverso.
    - **Motu** versus Uterum quod intelliges ex dolore cum gravitate ac distensione circa dorsum ac lumbos.
- **Ex ano** idque aut ex:
  - **Natura** quæ habilis, quæ redundat Sanguine crasso, acri, Melancholico, Sanguis talis transmittitur ad venas ani, quod accidit ætate constante sicut & in autumno & in assuetis
  - **Morbo**, Expulsionis vim in Morbo dignosces. ex:
    - **Situ**, si præcordia & partes sub septo transverso ægrotent.
    - **Motu**, humorum versus anum, nam si sentiatur dolor & gravitas circa lumbos constat ad ipsum ferri noxios succos, et ex ejus venis esse expellendos.

DE SIGNIS EXPULSIONIS PER VOMITUM

Vomitu terminantur Morbi, quod conjicies ex signis, videlicet ex:

- **Natura** quæ idonea est his, qui orificium Ventriculi habent debile, quod indicat facilitas & consuetudo vomendi.
- **Humor**, ostendit robur & imbecillitatem ventriculi, ut qui flavam bilem contrahunt plurimam, maxime proni sunt ad vomitum.
- **Flava bilis** calida est & tenuis facilè partes superiores Ventriculi tentat. Æstate magis accidit Vomitus. Facilè vomunt graciles quod biliosi sunt, ægrè hepates quia pituita redundant.
- **Morbo** & ex ejus:
  - **Causa** oritur à humoribus biliosis.
  - **Situ** partis
  - **Motu** humorum

Signa Vomitus imminentis ex:

- **Situ** partis aut ex Loco ubi humor continetur nam si vel in Ventriculo vel in partibus vicinis, in cavo Jecoris & circa præcordia circa septum transversum contineantur maxime solent vomitu detrudi.
- **Maximum** indicium dant futuri vomitus humores qui sursum moventur, in ore Ventriculi sentitur morsus fastidium, nausea, dolor capitis ob acres humores à flava bile tentantes Os Ventriculi & vertiginem inducentes, ante oculos caligo labrum inferius agitatur quod afficiatur a ore Ventriculi, ob commune tunicam.

DE SIGNIS EXPULSIONIS PER DEIECTIONEM.

Dejectio futura eadem ratione deprehenditur qua Vomitus nimirum ex simili differentia, quam præ se fert Natura et Morbus, ob vim quam habent dejectionis signa sumuntur. aut ex.

Natura Ille homo potissimum vim dejectionis habet, cujus inferior pars Ventriculi debilis est tum quia valde frigidis, crassis ac viscidis humoribus abundat. Rursus frigidi, multi crassi humores idonei sunt, qui deorsum transmissi dejiciantur. Balbos maxime capi ab alvi profluvio. Humores crassi copiose hyeme contrahuntur à homine Melancholico, ob id necessarius usus Catarcticorum.

Morbo. In Morbo autem inesse vim dejectionis cognoscimus, cum à propositis humoribus oritur videlicet multis, crassis et viscidis, quæ occupant intestina aut inferiorem partem Ventriculi, et quæ vicina sunt, veluti lienem et cavam partem jecinoris, et tandem accedant symptomata monstrantia deorsum ferri quod infestum est, veluti illa distenta murmurantia et dolentia. Sicut multa Vrina parvam dejectionem, ita parva dejectio paucitatem Vrinæ significat. Ab Vrinæ retentione spectare oportet, ubi alvus laxa fuerit dejectionem, ubi astricta sudorem significat.

DE SIGNIS EXPULSIONIS PER VRINAM

Vrinæ copiam sæpe sequitur Eventus Morbi cum pugna, eam vero cognosces ex.

Natura. Ad hanc expulsionem idonea quæ cum bene valet copiose Vrinam reddit, tum illa quæ aquoso humore multo et tenuibus succis redundat, nam tales proposita via educi solent, quanquam etiam qui crassi et pituitosi.

Morbo. Morbus maxime idoneus est qui Vrinæ profluvio solvitur, cum ab humore aquoso veluti hydrops, vel à tenuibus succis dependet, quanquam et ille quem faciunt succi crassiores ut quartana aut quotidiana febris.

Locus Cui morbo implicatur idem significat, nam cum humores vitiosi aut in venis versantur, aut in gibba parte Jecinoris, aut in Instrumentis Vrinæ Inservientibus solent hac via expelli. Intelliges aut eo ferri ex sensu gravitatis in vesica, ardore in cute, præterea retentione dejectionis quæ cum supervenit, si adsunt signa sudoris firmum sunt Indicium Expulsionis Vrinæ.

DE SIGNIS E[X]PULSIONIS PER SUDOREM

Natura Natura illa præcipue habilis est ad sudorem quæ et materiam et locum idoneum præ se fert.

Materia quæ naturaliter sudore expellitur est aquosus humor vel aliquis tenuis.

Locus unde sudor exit sunt pori cutis, quæ si pateant quemadmodum in laxa et molli cute, facile exitum præbent iis, quæ inde sunt detrudenda. Æstate sudores multos expectandos esse.

Morbo. Morbus vim habet sudoris, quatenus redundat aquoso humore vel tenuibus humoribus, vel in eo loco versatur, unde facile transfertur ad cutem. Interdum materia crassior adeo extenuatur, ut inde exeat, quod non accidit longinquitate temporis ut in quartanis. Conspicitur frequenter sudor ut in febribus acutis quod oriantur à tenuibus et biliosis humoribus.

Quod spectat ad locum, qui humores putrescant extra venas quod parum distent à cute plerumque in sudorem vertentur, id quod faciunt interdum illi qui continentur in venis cum non sint conclusi in uno loco. Motus humorum sudorem denunciant id quod cognosces ex calore, vapore et rubore cutis.

DE THERAPEUTICE SEU OPERATRICE MEDICINÆ PARTE & Primum DE METHODO MEDENDI.

Medicina Operatrix, quatenus deperditã Sanitatem restituit, versatur aut circa auxiliorum.
- Inventionem et hæc Methodo Medendi tribus perficitur, aut quia considerat in Corpore.
  - Agens quoddam, quod ex sua natura juvans seu auxilium indicat, ob idque dicitur Indicans.
  - Agendum, quod juvat et quia venit ab Indicante Indicatum seu Remedium dicitur.
  - Ab utrisque procedit Indicatio, quæ est perceptio Juvantis simul cum Comprehensione Nocentis seu Indicantis, absque Experientia & Analogismo.
- Executionem, quæ quidem Indicata tribus Instrumentis absolvit, aut per.
  - Pharmaceutriam quæ considerat Medicamentorum.
    - Materiam, juxta facultates illorum divisam. Facultates vero sunt Quadruplices.
    - Formam, quatenus sub diversis formis Corpori tribuuntur.
  - Chyrurgiam, quatenus accommodatur.
    - Indicationibus ex Methodo Medendi occurrentibus.
    - Arti Chyrurgorum, ut quando agitur de Synthesi & Ustione.
  - Diætam, quæ conservandarum Virium gratia instituitur.

DECLARATIONES

Cum jam eleganti Methodo de rebus contra Naturam videlicet de Compositione Corporis, Causa Morbifica & Effectis insinuatum sit, ut illorum notitia tam absolute quam respective haberi possit. Relinquitur ut pars Medicinæ Operatrix rationem curandi nobis tradat atque præscribat.

THERAPEUTICE duo habet Inventionem Juvantium & Executionem Inventorum: Alterum per Methodum Medendi assequitur, quæ docet quomodo per Cognitionem affectuum p.n. Juvans auxilium suboriatur per Contrarium: Alterum excogitatum præsidium Sanitatis per Instrumenta victo videlicet rationem & Medicamenta Executioni demandat. Methodus igitur est certa quædam ratio inveniendorum remediorum, quæ ex jam præmissa cognitione rerum contra Naturam per Indicationes certo ordine procedit eorumque genus, qualitatem, quantitatem, tempus & Ordinem definit. Tria hinc resultant, nocens seu Cognitio rei p.n. & dicitur Indicans, quia indicat remedium quod dicitur Indicatum ex Comprehensione utriusque videlicet rei contra naturam & remedij resultat Indicatio, quæ à Galeno ita circumscribitur: Indicatio est Comprehensio Juvantis una cum comprehensione nocentis, quæ simul cum re indicante adveniat sine ulla experientia aut discursu. Quod ita interpretaberis. Indicatio est Comprehensio seu Cognitio rerum contra naturam V. Morbi, Causæ Morbificæ & Symptomatis, quælibet enim harum Corpori noxam infert, & partium in quibus sunt actiones lædit, quibus ut medeamur, adest Comprehensio Juvantis seu auxilij, quod indicat Nocens ob idque dicitur Indicans, quia ex eo quod nocet indicatur Juvans seu auxilium, à quo emanat Indicatum seu Remedium. Cæterum quia simul advenit Comprehensio Nocentis una cum re Indicante ab his duobus Indicatio emergit, quæ Galeno dicitur Insinuatio quædam illius quod sequi debet. Exemplo deducitur: Febris est Intemperies calida & sicca, & est Comprehensio Nocentis quatenus est morbus, res contra naturam, colligitur per Contrarium Juvans seu Auxilium esse refrigerandum et humectandum. Et quia est Intemperies Qualitas inerit alicui Substantiæ seu Subjecto videlicet Corpori febricitanti:

Ita auxilium refrigerans et humectans accidit alicui rei oppugnantis talem Dyscrasiam, quæ dicitur Remedium seu Indicatum simul connexis Indicante et Indicato, jam accedet Indicatio quæ suadet febrem et Morbum oppugnandum humectante et refrigerante medicamento, ita fine suo Operans seu Medicus feliciter ex elicitis Indicationibus potietur. Reliquum est quod Galenus Essentiæ indicationis suæ junxit. Indicatio fit sine Experientia et sine discursu. Sine Experientia, quia hæc nihil aliud nisi observatio in Curatione facta absque Intellectus Consilio, et per consequens Indicatio erit absque Analogismo qui similiter non supponit Cognitionem Nocentis, sed similitudinem quandam affectuum et Medicamentorum, ubi multoties errare contingit. Sine discursu, non quod non fiat aliqua illatio ut Morbus est calidus. Ergo indiget frigidis, sed non est ipsis Syllogismus, in quo requiritur medium pro inferenda Conclusione, aut prout Vido Seniori placuit, qui Scopos Curationis præmissis Syllogismi assimilat, ergo, quod infertur Conclusioni, indicationem ratiocinationi. Alij Ita patebit quid sit Indicare, Indicans, Indicatum. Indicare nihil est aliud, quam ejusmodi notitiam Curativum producere. Indicans est id ipsum quod producit ipsam Indicationem, Res videlicet p.n. Indicatum est id, quod cognoscitur seu consequitur istam notionem nempe remedium.

DE DIVISIONE INDICATIONUM

- Ex Indicantibus Indicationes nascuntur et sunt duplices, aut:
  - Veræ ab Indicantibus deductæ quæ propriè vocantur deductæ à rebus
    - Præter Naturam, hæque aut
      - A Morbo, à quo petitur Indicatio Curativa duplex.
        - Universalis et communissima, omnibus notissima indicat ablationem per contrarium.
        - Specifica, quæ convenit alicui speciei Morbi et tres indicationes habet
          - Curatoriam
          - Præservativam
          - Facultatem Servatricem
          - Singulæ dividuntur in suas species.
      - A Causa Morbifica, unde Indicatio Præservatoria.
    - Secundum Naturam, hinc ducta Indicatio facultati tribuitur est quoque Generalis et Specialis, quia conservatio fit per similia vel per talia similia.
  - Minus Veræ ab Indicantibus emanentes quæ primas Indicationes aut
    - Promovent, ut sunt Coindicationes, quæ non indicant per se Duplices.
      - Propriè, quæ est quædam convenientia Indicationis et Coindicationis, ut Morbus est frigidus talis quoque disponens erit frigida.
      - Impropriè, quæ propterea dicuntur Coindicare, quia præcipuas Coindicationes permittunt ut plethora phlebotomiam indicat vires validæ.
    - Impediunt et
      - Contraindicans per se et primo huic quod à primo Indicante Indicatum, ut Sectioni Venæ vires debiles contradicunt.
      - Correpugnans quod secundario Impedit Indicationem ut vires debiles contraindicat, Correpugnant, ætas, Sexus, Tempus anni etc.
- Ex his nascuntur Coindicationes et Correpugnantiæ Scilicet
  1. Vires
  2. Pars affecta.
  3. Temperamentum.
  4. ægrotantis accidentia propria
  5. Habitus Corporis
  6. Ætas.
  7. Sexus
  8. Tempus anni
  9. Regio
  10. Cœli Constitutio
  11. Consuetudo.
  12. Ars.

DECLARATIONES.

Quoad Divisionem Indicationum, dividuntur juxta sua Indicantia. Quare quot sunt Indicantia tot sunt Indicationes. Indicans est res præter naturam, ut Morbus, Causa Morbifica, quæ sui remotionem exposcunt. Indicatio est Cognitio Indicantium, quæ actionem Medici dirigit et ordinat. Quare Indicantia, cum alia sint propriè et per se ut Morbus, Causa Morbifica, quæ verè ostendunt esse amovenda, alia impropriè, sed quatenus Morbum et Causam Morbificam in illorum generatione ob similem qualitatem per Causas disponentes et Materiales auget et promovent, ea ratione Qualitates eædem cum propriè Indicantibus seu secundario coindicant dicta Coindicantia. His opposita sunt Contraindicantia seu prohibentia et Correpugnantia. Indicatio quæ est Cognitio affectuum præter naturam Morbi et causæ juxta Divisionem Indicantium dividitur. Indicatio altera est vera et immediata à Morbo, Præservatoria à Causa Morbifica dependens est quoque et Vitialis, sed hæc est conservanda non oppugnanda. Altera Indicatio est minus propria dicta Coindicatio, quæ indicat quidem Morbum tollendum esse, causam Morbificam expugnandam, sed ex Circumstantijs, non autem ex his quæ sunt propriè opposita morbo aut causæ, ut vires ægrotantis præscribunt facultatem validam aut invalidam medicamenti. Temperamentum ostendit, an cum

NB Indicatio Convenit à rei curandæ cognitione. Indicatio à Morbo si non est prima executione, saltim existimatione. Coindicatio est notio ex Circumstantijs petita, quæ Indicationis efficaciam auget et promovet, non est quæ nascatur ex Cognitione rei curandæ.

Morbo

Morbo symbolizet vel non. Pars affecta ut proprium Subjectum Morbi considerandum, quod ipsius finem seu actionem, compositionem seu materiam seu formam. Ad extremum Causæ Naturales considerandæ, quia & Sæ copiam Coindicationum subministrant, similiter aëris statu, sub quo domus, Regio, anni Tempus, dies, hora, Venti, Luna quadra continentur, & variæ Cœli & astrorum Constellationes. Jam verò his omnibus opposita sunt contraindicantia & Correpugnantia. Contraindicantia primaria sunt quæ ex diametro Indicantibus opponuntur. Ut enim Morbus vel causa certum remedij genus ostendit, ita alius illi adversus vel causa causæ aut Morbo contraria oppositam Remedij naturam exposcit. Secundaria contraindicant seu repugnant ea omnia, quæ coindicare diximus, si fuerint adversa Indicationibus, ut sunt Vires, Temperamentum, ætas, Sexus. Ut enim Coindicantia per similem Qualitatem Indicationem augent; Ita repugnantia per eandem Qualitatem Contraindicantia promoveri.

DE SCOPIS CURATIVIS & QUOMODO PER INDICATIONES compleantur.

Scopi Curationum alij sunt:
- Primarij qui sumuntur, aut
  - A reipsa, ut quando quæritur
    - An sit agendum, seu An Naturæ seu Arti negotium committendum?
    - Quid sit agendum? Tunc pro Essentia Morbi et Causæ Operatio à Medico hæc vel illa arripienda, ut in Synocho phlebotomia, in Cacochymia evocatio materiæ juvat.
  - Ab Instrumentis ut quando quæritur
    - Quibus an victu an Chyrurgia et occurrendum, hinc fons Remedij petitur.
    - Qualibus, unde contrarietas Remedij à Natura Morbi, aut à Causa petita.
    - Quantis, Quantitas Remidij desumenda
      - Indicatione, quæ petenda à Morbi Causa, quæ vel intensivè aut extensivè considerat. Extensio & Intensio qualitate gradum Remedij indicat.
      - Coindicantibus, ut sunt Vires, Temperamentum, causæ naturales, quæ etiam Quantitatem præscribunt.
- Secundarij ut est Modus utendi cui subjicitur.
  - Tempus & Occasio, quæ ducitur ex constitutione Morbi, idque aut Universalis aut Particularis.
  - Locus in quo & per quem Medicamenta admovenda hic deducitur ex Indicationibus, Coindicationibus, sed maximè partium Conformatio, situs, Connexio consideranda.
  - Forma seu Consistentia remedij, quæ aptior ut pillulis caput optimè expurgatur.
  - Ordo, cum alio ordine exhibeatur simplicibus morbis aliter complicatis.

DECLARATIONES

Maximam Cognitionem inter se habent Scopus Curationis, qui est Intentum seu Propositum in animo Medici, ut sit actu et Indicatio quæ viam & modum Scopi exequendi subministrat. Alij sunt Primarij alij Secundarij. Primarij sumuntur à reipsa vel ab Instrumentis Curationis & duo sunt Scopi. Primus Scopus quærit An à Medico sit agendum & Quid sit agendum. Quoad primum, ad agendum se accingit Medicus, in quo potissimum illius auxilium requiritur, quæ non simul Naturæ (per Naturam intellige quæ ipsa suo sponte agit[1][2][3][4][7] cum perficit coctiones suo calore, evacuationes; Per artem in quibus non juvat Naturam ut in fractis luxatis) neque Conatio Morbi talis ut potius prognosi relinquatur, sed quæ præceptis & industriæ cedunt. Ephemera levis est, à natura facilè expugnatur, ex specie Morbi Apoplexia lethalis est, ex vehementia Causæ sudor anglicus, infesti, prognosi potius relinquendi Morbi, quam ut aliqua circa illos Operatio exerceatur. Multos morbos ut pleuritis & peripneumonia Ars una cum Medico aggreditur & vincit. Quomodo hic Scopus an sit agendum Indicatione perficitur, videnda Natura Morbi, causæ Morbificæ. Species Morbi, motus, magnitudo, ex his colligere licet, an Naturæ an vero artificio Medici res committenda. Secundus Scopus est Quid sit agendum hic Scopus si Cognitionem curandorum norit, quoad absolutam & respectivam notitiam rerum contra Naturam, illarum Essentias, Species, differentias, Causas & Effectus perspiciant, simulque Diagnosim & Prognosim optimè teneat. Ac Indicationibus elicitis, quæ magis fuerit commoda actio, ut in Synocho Sectio venæ, in Hectica & Spasmo ab inanitione refectio & humectatis, eligat. Sequitur Tertius & Quartus Scopus ab Instrumentis Curationis quæ sunt tria; Ratio victus, Medicamenta & Operationes Chyrurgicæ. Tunc si Medicus cogitabit quibus instrumentis uti debeat, Qualibus & Quantis. Ex Instrumentis fontem Remedij capiet. Ex Qualitate contrarietatem Remedij. Ex Quantitate mensuram & gradum Medicamenti inveniet & capiet. Fons Reme

dij eligetur

medij eligetur, qui magis quadrat ægrotanti et simo ratione ægrotantis an magis ratio victus, an Medica menta conveniant. Qualitas denuò trutinanda, quia hæc sola habet annexam proprietatem, contraria admitten di. Qualitatis nomine censendæ sunt primæ, secundæ et tertiæ, ut caliditas frigiditas quæ attenuant, incidunt Men ses evocant aut supprimunt. Qualitatis scopus, à quo contrarietas Remedij profluit ex Essentia Morbi et Causæ. Sed quia materia non solum peccat Qualitate à qua contrarietas, sed etiam peccat Substantia ratione cujus est Evacuatio, ratione motus, quietis Revulsio, Derivatio, Eductio quorum usus coindicatur à viribus, à Temperamento, à natura partis et fontem Remedij et illius contrarietatem cum Morbo sequitur Quantitas illius, quæ etiam ab Indicatione Morbi aut Causæ, et ab illorum Coindicationibus desumitur. Quantitas Remedij illa est existimanda quæ juxta gradus efficaciam aut Morbo aut Causæ respondet ad Curationem apprime necessaria nam si calidæ Intemperiei, quæ est duo Remedium refrigerans ut 4 exhibueris contrariam affectionem calidæ Intemperiei induces. Ad Quantitatem praefigendam pe tenda Indicatio à Causa Morbi prout intensivè aut extensivè consideratur. Intensio Causæ respicit gradum et ef ficaciam. Extensio ejusdem copiam Medicamentorum subministrat. Ultimus est Scopus Curationis Modus utendi remedij, Galenus sub eo complexus est omnia, quæ extra Quantitatem remedij continetur, ut est Tempus seu Occasio agen di, Locus, forma seu consistentia remedij et Ordo. Ratione temporis ætas Morborum inspicienda, ut an sit Principium an Incrementum, quia hac ratione tempora Medicamenta variant. Locus quoque diversus et ejus ratione forma Remedij Ordo quomodo sibi adinvicem Medici succedant, ostendit.

DE INDICATIONIBUS IN SPECIE ET PRIMO de Curatorijs.

- **Indicatio à Morbo dicitur Curatoria, quæ vel est.**
  - Communissima, quæ sumitur à Morbo et dicitur Curatio.
  - Propria, ut pars, tes pro diversa spe cie Morborum. Mor bus autem est du plex.
    - Simplex Mor bus simplicia con traria pro ratio ne speciei, ut.
      - Intemperies à Qualitate vel
        - Manifesta vel
          - Nuda. Alteratione tantum opus habet.
          - Cum materia tollenda Evacuatione atque alteratione
        - Occulta, Alexipharmaces.
      - Mala composi tio contraria requi rit pro diversa speci e, ut est
        - Conformatio quæ vel est.
          - Figuræ depravata propter Causas quæ talem à Natura recessu faciunt, illis remotis emendat, quod tensum est, rela xamus laxumque tendimus Repletum exurimus, exhausta implemus.
          - Superficiei lenis exasperantibus, aspera lenientibus opus habet. Cavitatum quatenus aperiunt, quia relaxant, aut quia carent, quo solent operari, postulant contrarium v. astringentia et quibus obstruant. Claudunt, quia as tringent aut obstruunt humore. Contrarium astrin gentia et de obstruentia.
        - Ad Numerum et Magnitudinem duo genera referuntur, redunda tiæ et defectus his medemur si addimus quod deest, detrahimus quod super est. Situs si pars suo loco mota in suum locum compellitur. Si con tra naturam separata junguntur, juncta separantur.
      - Solutio Unitatis ratione partis divisæ ostendit agglutinantia, ratione Substantiæ deperdita Sarcotica, Carnem aut Cicatricem generantia. Cuique videndum.
    - Compositus composita contraria postulat, et in implicatis sua remedia adhibenda, sed quod magis.

DECLARATIONES.

Indicatio Curatio dicitur, quæ per contrarium à Morbo deducitur, ut Morbus est calidus. Ergo refri gerantibus utendum, accedente aliqua passiva Qualitate ad activam, utraque indicat Febris calida et sicca, uten dum refrigerantibus et humectantibus. Indicationes Curatoriæ tot sunt, quot sunt species Morbi, ac illorum Differen tiæ non tantum Essentiales, sed etiam accidentales, quæ etiam suas Indicationes sibi oppositas postulant. Ad Intempe riem emergit accidente materia duplex Indicatio alterandi et evacuandi, ubi prius facta Evacuatione materiæ adhuc Intemperies manet, ob id est alteranda ut Intemperies secundum naturam evadat. In Morbis Organicis dispar ratio, in quibus remota materia morbus tollitur, quia à Causis dependet natura omnium Morborum vitiatæ Compositionis. Quare differentia erit Indicationum in Morbis Intemperiei et in Organicis, illi à Qualitatibus primis et augentur et conservantur, hi à Causis et Esse, et augeri et conservari accipiunt. Quare sublata Causa Morbi Organici tolli tur et ipsius Intemperies. Morbi Solutæ Unitatis præter communem Indicationem uniendi, etiam specificas habet Indicationes à speciebus solutæ Unitatis desumptas.

DE INDICATIONIBUS PRÆSERVATORIIS

- Causa Morbifica aut peccat
  - Substantia toto genere p.n. ut sunt Calculi, Vermes, Humores putrescentes. Hic dicendum de solis Humoribus qui evacuantur per Evacuationem.
    - Universalem seu totius Corporis 4. modis id fit.
      - Per alvum qui facile et quidem humores existunt vel
        - Citra Jecur, ut sunt Lenientia, Vomitoria.
        - Ultra Jecur quorum aliy Humorem
          - Præparant aut.
            - Biliosum
            - Pituitosum
            - Melancholicum
          - Præparatum expurgant ut
            - Cholagoga.
            - Melanagoga.
            - Phlegmagoga
            - Hydrotica.
      - Per Urinam, ut sunt Diuretica
      - Per Sudorem idem humor educitur qui per Urinam.
    - Particularem seu partis determinatæ ut sunt Caput purgia, Vesica, Vomitoria et alia his similia.
  - Quantitate in corpore autem abundat.
    - Excrementa Naturalia, quorum cum humoribus toto genere præter naturam eadem est evacuandi ratio
    - Sanguis, ut peccat copia est minuendus. Modi qui Sanguinem minuunt, alii agunt. Efficientia
      - Debilius
        - Frictiones.
        - Balnea.
        - Sudores. Exercitium. Inedia.
      - Validius
        - Hirundines
        - Mensium. Hæmorrhoidum provocatio.
        - Cucurbitulæ. Scarificationes.
      - Validissime, ut Sectio Venæ quæ refrigerat, evacuat, derivat, repellit.
  - Qualitate aut
    - Manifesta
      - Prima, ut humor frigidus optat calidum
      - Secunda, ut Crassus attenuans, Tenuis incrassans, Viscidus incidens.
    - Occulta aut Substantiæ proprietate malignus vult Alexipharmacum.
  - Motu. Motus materiæ duplex
    - Diminutus et imperfectus perficiens Motum indicat.
    - Verum cum omnis motus à termino à quo ad quem. Indicabit ratione.
      - Partis mittentis Revellens.
      - Spatij. Intercipiens s. motu supprimens
      - Partis recipientis oritur derivans ad partes vicinas.
      - Materiæ transferentis, ut reprimens
    - Immodicus motus indicat remedium compescens motum.
  - Quiete. Quiescit autem humor vel.
    - Nondum impactus, qui secundum naturam fluere debet, indicat motu promoventia, calefacientia vires, dilatantia.
    - Impactus et requirit Evacuans
      - Sensibiliter, ut in abscessu, maturantia, Aperientia, Expurgantia.
      - Insensibiliter per poros, Discutientia dicuntur.

BREVIOR METHODUS.

- Causæ Morbificæ sunt Præservatione aut
  - Evacuatione. Quædam autem evacuant
    - Sensibiliter et aut
      - Totum Corpus per
        - Secessum.
        - Urinam.
        - Sudorem.
      - Partem determinatam ut Vesica
    - Insensibiliter, ut sunt
      - Repellentia. Siccantia.
      - Resolventia. Intercipientia
  - Alteratione, ut sunt Præparantia, Alterantia, Alexipharmica.
  - Aversione ut
    - Revulsione
    - Derivatione } in Causa Antecedente.
    - Repressione in Causa continente.

DE TRIBUS INSTRUMENTIS.

THERAPEUTICE seu ratio curandi in Medicamentorum Inventione et Execucione consistit. Pharmacorum Inventionem Indicationes seu opera (de quibus jam dictum est) nobis suppeditant, per tria autem Instrumenta videlicet per victus rationem, per medicamenta, per Chyrurgiam inventa remedia reponuntur in usu, de quibus dicendum est. Quem habeant nexum inter se ita constabit. Indicationibus seu operibus, per facultates respondere debent. Operum Differentijs seu Scopis Curativis, qui sunt Qualitates, Quantitas, Numerus, Locus, Modus, Ordo, Tempus, differentiæ Instrumentorum similes, Qualitas Qualitati, Numerus Numero, Locus Loco etc. respondebunt. Cum autem sint tria Instrumenta, de Pharmacia inprimis dicendum, tandem de reliquis.

PHARMACIA QUID.

PHARMACIA est Instrumentum, quo Ars Medica perficitur. Vel est ratio copiam Medicamentorum tam simplicium quam compositorum suppeditandi juxta elicitas Indicationes (quæ Methodus Medendi dicitur) à proprijs Morbis et Caussis Morbificis quibus Curatio et Præservatio totius Corporis, aut partis laborantis, juxta varium usum et effectum Medicamentorum accommodatur, gratia pristinæ Sanitatis recuperandæ. Subjectum circa quod Pharmaceutria versatur est copia Medicamentorum. Medicamentum autem est id, quod corpus nostrum immutatâ calore nativo actuatum, non nutrit neque corrumpit. Patebit tunc differentia, si distingues inter Nutrimentum, Venenum et Medica

num & Medicamentum esse distinctionem. Nutrimentum dices quod à calore nostro vincitur. Venenum quod illud vincit & secundum naturam oppugnat. Medio modo se habet Medicamentum nec nutrit nec vincit, & mutat Corpus nostrum mediante Instrumento actionum totius corporis & partium videlicet calore naturali.

DE DIFFERENTIIS MEDICAMENTORUM.

Ab Essentia Medicamenti differentias Medicamentorum deduces, si primum inspexeris unde hæc mutatio à Medicamentis in Corpore nostro, seu quæ Origo actionis in Medicamento, quæ materies, ut illorum copia haberi possit, & quæ forma commodior circa ipsius Medicamenti Usum. Medicamentum agit ex vi suæ formæ Substantialis. Quia omnis actio à suo principio dependet aut à forma, sive spectes actiones actiones totius corporis, sive determinatas proprijs Organis, sive ipsius Medicamenti, quatenus alterat, evacuat, in contrarium avellit, derivat, dissipat. Nam ut Corpus nostrum alteratur à suis causis cum in procincta est ad morbos, ita à Medicamentum alteratum, immutatur cum in recursu est ad Sanitatem conservandam & recuperandam. Quæres Quomodo forma Substantialis operatur an immediatè? Non, Sed mediante facultate seu Qualitate, seu Qualitatum concursu, partium Unitate, contiguitate, aut illius apta compositione. Quia ut in corpore facultatis Instrumentum præcipuum est Temperies & Compositio: ita in Pharmacis Qualitatum moderatio & apta illarum connexio à facultate capit Originem. De facultatibus igitur Medicamentorum inprimis dicendum, quia cum facultates Instramentorum suis, Predicationibus respondeant, operari Instrumenta sine facultatibus nequeunt.

FACULTAS MEDICAMENTI QUID.

Facultatem si respicies absolutè dices esse Qualitatem quæ naturam alicujus rei comitatur, & rursus qualitas est quæ per formam agit. Si Relativè ut respicit suum affectum seu actionem, dices esse Causam Effectricem proximam, qua mediante agit in determinatum Subjectum. Atque ita Medicamentorum varietas differentias accipit à facultatibus Medicamentorū, & Medicamentū à propria facultate denominatur.

DE DIFFERENTIIS MEDICAMENTORUM
juxta Facultates.

Facultatum tot sunt species quot quot actiones in Medicamentis consequuntur. Facultas itaque agit vel per Qualitates.

- **Manifestas** quæ aut sunt
  - **PRIMA** seu **Formales**, quæ à Forma Substantiali Medicamenti primis Qualitatibus mediantibus proficiscuntur ut sunt Calefac. Refriger. Exsiccan. Humectantia.
  - **A PRIMIS ORTÆ** Materiales nominata quia Morbos & materiam respiciunt. Sunt autem aliæ quæ respiciunt aut
    - Indeterminatam partem Corporis aut humorem peccantem respiciunt. Secundæ Qualitates dictæ sunt.
      - Attenuantia, Incrassantia, Detergentia.
      - Emollientia, Incidentia, Epicerastica.
      - Aperientia, Astringentia, Resolventia.
      - Rarefacientia, Condensantia, Emplastica.
      - Repellentia, Attrahentia, Suppurantia.
      - Catharotica, Caustica, Vesicatoria.
      - Anodina, Somnum inducentia, Epulotica.
      - Sarcotica, Glutinantia.
    - Determinatam partem vel humorem Tertiæ facultatis dictæ
      - Menses moventia aut Sistentia.
      - Lac Sperma generantia, extinguentia.
      - Lithontriptica, Errhina.
      - Sternutatoria, Diuretica.
- **Occultas** quæ aut
  - Expurgant, aut
    - Universum corpus
      - Per alvum seu Dejectiones.
      - Per Urinam
      - Per Sudores.
    - Determinatè, aut
      - Partem, ut sunt Caput purgia, Bechica, Vomitoria.
      - Humorem, ut
        - Cholagoga. Melanagoga.
        - Phlegmagoga. Hidrotica.
  - Corroborant partes, & tunc appellata. ut
    - Cephalica, Ophtalmica, Thoracica Cardiaca.
    - Stomachica Jecoraria Splenica Nephritica
    - Cistica, Hysterica Arthritica.
  - Venenis resistunt, ut Alexipharmaca & Alexiteria.

QUOMODO

QVOMODO FACVLTATES MEDICAMENTORUM MATERIALES PRIMAS CONSEQUANTUR.

Facultates Medicamentorum Materiales dicuntur, quia in materiam Morbi agunt, aut

- Indeterminatæ Qualitates Secundæ dictæ illarum quædam sunt
  - Interiores respicientes aut
    - Humores, Humor autem — requirit.
      - Crassus Attenuantia, Incrassantia, Fluidus
      - Viscidus lentus, Incidentia et detergentia.
      - Condensatus, Emollientia, Indurantia. Mollis
      - Serosus, Discutientia vel Resolventia. Aeris Physice rastica
    - Partes et vel — dicuntur.
      - Ductus Interiores
        - Dilatant, Aperientia seu Anomastica.
        - Contrahunt, Obstruentia. Occludentia
      - Vasorum oscula
        - Referant, Aperientia.
        - Contrahunt, Astringentia.
  - Externæ Ordinata ad
    - Humores quos
      - Retrocedere cogunt, Repellentia.
      - Attrahunt ex profundo, Attrahentia.
      - Attractos dissipant, Digerentia.
    - Poros, cutis, Rarefacientia, Condensantia.
    - Abscessus et Ulcera
      - Pus aut Carnem generant, Suppurantia, Sarcotica.
      - Carnem superfluam absumunt, ut Catheretica.
      - Cicatricem inducunt, ut Epulotica.
    - Vulnera, ut Sanguinem Sistentia, Glutinantia.
    - Cutim quam solvunt, ut sunt Septica, Putrefacientia, Escharotica.
    - Crustas facientia, caustica, Vesicatoria.
- Determinatæ Qualitates tertiæ dictæ, ut sunt.
  - Sudorifica, Diuretica, Diaphoretica, Bechica.
  - Sternutoria, sed has inter quartas facultates reponunt.
  - Menses moventia, sistentia. Calculum comminuentia. Lac generantia, tollentia.
  - Semen augentia, Venerem extinguentia, promoventia

DECLARATIONES DE DIFFERENTIIS MEDICAMENTORUM

Ut in Corpore humano, ita et in Medicamentis facultates seu potentiæ sunt actionum causæ, et pro diversitate actionum variæ facultates Medicamentorum cernuntur. Facultates seu qualitates Medicamentorum, sequuntur aut Temperiem illis emanantes illarum Differentiæ, quæ dicuntur facultates a Qualitate manifesta quatenus a Qualitatibus primis dependent, aut ab his ortæ, seu a primis Qualitatibus emanentes dicuntur Qualitates Secundæ et Tertiæ, aut sequuntur Formam substantialem a Qualitate profectæ dicuntur Occultæ. Primæ facultates earumque actiones, quia a Temperie primarum Qualitatum proprie resultant Formales dicuntur, quia Morbis Dyscrasiæ nudis adsunt, dea ratione alterant unicam solum Indicationem habentes per contrarium alterandi. Secundæ Qualitates et Tertiæ potius Materiales appellantur, quia circa mineram et Constitutiones Corporis versat, et morbis Materialibus sive a materia adsunt, aut in partem affectam agunt, cum hoc tamen discrimine. Qualitates Secundæ indeterminate insunt aut humori aut parti. Qualitates tertiæ determinate agunt vel in humorem vel in locum affectum. Atque ita tres differentiæ Facultatum Medicamentorum emanant propter actiones quæ sequuntur Qualitates manifestas v. primæ, Secundæ et tertiæ. Facultates Quartæ, quatenus purgant partes corroborant, venenis resistunt, a Qualitatibus occultis et abditis Originem capiunt et propterea diversæ. Quatuor itaque genera facultatum in Medicamentis spectantur.

HUIUS TRACTATUS FINIS.

fol 19:

Συν τῷ θεῷ ἀγαθῷ καὶ χριστῷ

IN INSTITUTIONES UNIVERSÆ MEDICINÆ PRÆFATIO.

Quæ alij de Medicinæ dignitate atq; Utilitate copiosè solent prologui, ea nos omittemus interea: Ars namq; et materia proposita longa est, Tempus verò breve et angustum, quin imò utrumq; non in plumosa dictione consistit, sed in rebus et præceptis Arte contentis edis cendis. Nec à prima origine eam Divinam Artem seu Scientiam repetemus, sufficerit nobis Universam gloriam et perfectionem Medicinæ primum Hippocrati, mox Galeno à tot annis tributam esse et ab his seu fontibus in alios derivari valde quam certum sit et proclamatum. Quamobrem primum nos convertemus ad Definitionem Medicinæ; postmodum ad Divisionem: Tandem singulas ejus partes ac fundamenta summa accuratione persequemur.

QUID MEDICINA

Hippocrates in lib. de Flatibus cui subscribit Galenus lib. II. Therapeuticæ Meth. cap. 12 dicit: MEDICINA est ADIECTIO et SUBTRACTIO. Adjectio quidem deficientium, Subtractio verò in corpore redundantium. Et hæc Definitio continet omnia quæ ad Sanitatem tuendam, a morbo præservandum corpus, præsentemq; morbum curandum pertinent. Theophilus ut et Galenus in sua μικροτέχνη (seu arte parva) dicit: ESSE SCIENTIAM SALUBRIUM INSALUBRIUM et NEUTRORUM. Salubre porrò dicitur et quod sanum est et quod Sanitatem efficit et conservat et quod indicat. Insalubre et quod est morbo obnoxium, et quod morbum efficit seu conservat, et quod morbum indicat. Neutrum quod nullius extremorum est particeps vel utriusq; in diversis partibus, vel utriusq; in diversis temporibus. Hinc manifestum est: SALUBRE DICI DE CAUSA, de CORPORE, de SIGNO. Pariter INSALUBRE de ijsdem: Insalubre Corpus, Insalubris Causa, Insalubre Signum, Sic Neutrum Corpus, Neutra Causa, Neutrum Signum: Cæterum Salubre Corpus dicitur tripliciter: 1. Salubre simpliciter. 2. Salubre in præsentia. 3. Salubre magna ex parte. Salubre simpliciter est quod à primo naturæ ortu in similaribus partibus optimè temperatum, et in instrumentalibus optimè compositum. Salubre in præsentia est, quod nunc est sanum cum valet, idest, benè temperatum in similaribus probè compositum in Instrumentalibus. Salubre magna ex parte est, quod parum declinat ab optima constitutione scil. simpliciter sani corporis. Insalubre corpus porrò dicitur quadrupliciter. 1. Simpliciter quod à primo ortu est intemperatum, in Similaribus malè conformatum, in Instrumentarijs, vel habens utrumq;. 2. Insalubre in præsentia quod nunc ægrotat quoquo modo. 3. Semper quod ab ipso ortu vel in Similaribus vel in Instrumentarijs aut utrisq; partibus et per totam

Vitam

Vitam malam habet Constitutionem. 4. Magna ex parte, quod ægrotat quidem, minus tamen quam illud simpliciter vel semper. Neutrum Corpus tripliciter dicitur. 1. Propriissime dicitur per abnegationem extremorum quod neq est saluberrimum neq insaluberrimum, sed medium inter hæc ut sunt Corpus Senum & Corpus convalescentis quod est medium per respectum ad operationes, neq enim perfectas exercet neq habet sensibiliter læsas, reliquum est igitur ut habeat læsas insensibiliter & sic constituat Corpus medium scil. Neutrum. 2. Minus proprie per participationem scilicet extremorum, simul in diversis partibus, ut si alia parte sit sanus, alia æger V. G. cerebro temperato, Jecore intemperato. 3. Improprissime per participationem extremorum in diversis temporibus, ut si quis autumno male valeat, hyeme recte valeat. Idem intellige de Causis. Causa salubris quæ sanitatem efficit, Insalubris quæ morbum, neutra quæ nec Sanitatem nec Morbum. Signu itidem salubre quod Sanitatem indicat, Insalubre quod Morbum, Neutrum, quod nihil horum. Causalis Definitio talis est seu datur: MEDICINA EST ARS QUÆ CIRCA CORPUS HUMANUM POTISSIMUM VERSATUR EXPERIMENTO atq RATIONE CONSTITUTA SANITATIS GRATIA. Dicitur ARS, Quia Medicina est habitus qui cum ratione vera in faciendo positus est, quod Arti est proprium juxta Aristot. 6 Ethic. c. 3 & 4. Cum vero Ars sit quadruplex, si a fine artem capiamus: Contemplatoria, Activa, Factiva, Comparans. Medicina est ex genere factivarum quia relinquit post se opus quod potest demonstrare, ut Corpus sanum quod paulo ante fuit ægrum. Porro cum factiva alia sit, quæ novum opus efficit ut Textona. Alia quæ factum conservat vel reparat, ut navium gubernatoria. Alia quæ præstat utrumque ut Ædificatoria. Medicina erit de specie factivarum quæ efficit & factum conservat & reparat, inducit enim Sanitatem in Corpus ægrum & inductam conservat. Dicitur (Circa Corpus humanum potissimum) Ad hoc enim primo & principaliter omnia ordinantur & determinantur considerata in Medicina velut quod est inter omnia animantia & mista perfectissimum & nobilissimum seu vinculum Universi. Dicitur (ratione & experimento) per quod duplex Causa efficiens Medicinæ constituitur. 1. Est experimentum quæ dat occasionem rationi eandemq juvat & docet alia esse salubria, alia Insalubria: Rationem vero quæ per præcepta certa, theoremata atq principia constituit: Utramq Causarum colligere licet ex Galeno comment. Imi Aphor. 1. Dicitur (Sanitatis gratia), sic enim est finis principalis seu Ultimarius in Medicina, ut Sanitatem vel restituamus vel conservemus.

DIVISIO MEDICINÆ

Quinque sunt Medicinæ partes: Ima dicitur φυσιολογικὴ quæ tractat de Elementis hominis Temperamentis, humoribus & Universam videl. hominis naturam speculatur. Huc refer Galeni libros de Elementis de Temperamentis, de Formatione foetus, de Placitis Hippoc. & Platonis de Administratione Anatomica, de Usu partium. 2da dicitur ὑγιεινὴ quæ Sanitatem tuetur & hoc fit Quadrifariam: Admovendis, Fatiendis, Foris incidentibus Educendis. ADMOVENDA sunt Cibus Potus. FATIENDA sunt Frictio, Ambulatio, Vectio, Equitatio & omnis Exercitatio. Huc refer somnum & vigiliam animi pathemata & similia. FORIS INCIDENTIA Ut aer nos circumdans, Unguenta, Lavacra. EDUCENDA ea videlicet quæ continentur in jecore, Liene, et Tales sunt Galeni Libri de tuenda Sanitate, de Alimentorum facultatibus, de Cibis boni & mali succi. 3tia est Διαιτιολογικὴ seu παθολογικὴ quæ affectus præter naturam, Causas, Symptomata investigat, ut Galenus in Libris de Morborum &

Symptomatum

Symptomatum differentijs. 4ta est Σημειωτική tractans Signa seu Indicia quæ demonstrant bonam vel malam Sanitatem, proponuntq; nobis bona et præterita et præsentia et Futura. Huc refer Hippoc. de Præsagijs. Galenum in locis de Laborantibq, de Judicijs, dieby Decretorijs Differentijs Febrium, Pulsuum, de prædictione ex pulsibus. 5ta est Θεραπευτική quæ medetur Morbis. Huc refer Lib. Galeni de Meth. medendi et ad Glauconem. Subdividitur hæc in Diæte-ticam quæ ratione victus sanat, Pharmaceuticam, quæ Medicamentis intra et extra corpus assumptis medetur. Chyrurgicam, quæ manibus operatur. Hanc Ultimam considerat Medicus non ut exerceat, sed ut adstans ægris præscribat Chyrurgis quid sit agendum.

ALIA DIVISIO MEDICINÆ

Alij et præclare Medicinam in tres partes sunt partiti quo melius discentium memoriæ consulerent, ut ex his Ordinibus quid dicendum vel agendum esset facile occurrere posset. Dividitur ergo in Res naturales, Non naturales et Res præter naturam. NATURALES dicuntur, qui Corpus nostrum continent et constituunt et sunt numero septem: Elementa, Temperamenta, Humores, Partes, Facultates, Actiones, Spiritus. NON NATURALES dicuntur, quod alterent Corpus humanum ad ægritudinem, si non debitæ adhibeantur ad Sanitatem, si debitæ et sunt sex: Aer, Cibus Potus, Motus Quies, Somnus Vigilia, Excretio Retentio, Animi πάθη seu Perturbationes. PRÆTER NATURAM dicuntur quia humanum Corpus lædunt ac corrumpunt et sunt Tres: Causa, Morbus et Symptoma. Hac igitur arrepta partitione singula persequemur incipientes à rebus naturalibq. Methodus autem tractandorum erit non Resolutoria, sed Compositoria, quia ab his ordiemur quæ constituunt Corpus Humanum. Quod Corpus quia facile alteratur, idcirco quomodo alteretur à rebus non naturalibq statim disquiremus, tum quibq destruatur et quibus destructio prohibeatur considerabimus.

DE REBUS NATURALIBUS

DE ELEMENTIS

Cum Elementi multivaria sit acceptio, hoc loci Medicus considerat Quatuor scil. Corpora Simplicia: Ignem, AErem, Aquam et Terram. Galenus libro 1. de Elementis illud definit: Est minima rei quam constituit portio lib. 8 de Hippoc. et Platonis placitis.✠ Elementa sunt corpora prima Simplicia minima seu indivisibilia qualitatibus primis et Secundis primo insignita ex prima materia seu Forma peculiari à natura ordinata, ex quibus omnia alia fiant et in quæ omnia alia mista resolvantur, ipsa ex se apta invicem generari. Dicuntur (CORPORA) scil. de genere Substantiæ et non aliquod Corpus Quantitativum de genere accidentis et per hoc distinguuntur à principijs rerum Naturalium, materia, Forma, privatione, quæ non sunt Corpora. Dicuntur (PRIMA) id ad mentem Aristotelis, qui ait: Elementa primo inesse rebus: Primo enim ex his omnia fiunt ut ex Corporibus. Dicuntur (SIMPLICIA) quia non sunt composita ex alijs Corporibus carentq omni permistione suntq ps intemperata.

✠ ELEMENTUM EST MINIMA PARS EIUS CUIUS ELEMENTUM EXISTIT. Potest et sic definiri ✠

intemperata & ut Galenus vult Qualitate summa. Dicuntur (MINIMA, INDIVISIBILIA) minima quidem quod existimandum est non ad sensum, secus enim ad sensum reperitur, sed minima, quia indivisibilia, quæ scil. amplius in alia corpora dividi non possunt, præterquam in materiam & formam, quæ non sunt Corpora. Dicuntur (QUALITATIBUS PRIMO INSIGNITA) ut notetur has Qualitates mistis competere secundario, ab Elementis scil. mutuatas. Dicitur (EX MATERIA PRIMA) per quod notatur causa materialis Elementorum EX QUA, quod enim ex materia prima sint Elementa fit ut transmutationi sint obnoxia, ut & ex illis alia fiant, & illa ex se invicem partialiter. Dicitur (FORMA PECULIARI) ut ostendatur Qualitates primas non esse formas Elementorum cum sint accidentia ut formæ Elementorum sint necessario partiales formæ de prædicamento Substantiæ. Dicitur (A NATURA) naturante et si Aristoteles lib. de Coelo omiserit Efficientem Causam, quod existimasset mundum esse æternum. Dicitur EX QUIBUS OMNIA FIUNT et est finis Elementorum. Reliquum dicitur (AD DISTINCTIONEM CAUSARUM) quæ non ingrediuntur compositionem, quemadmodum Elementa. Dicitur (APTA EX SE INVICEM GENERARI) quod intelligendum est particulariter non totaliter, ex uno enim pugilo terræ generantur decem aquæ. Nota. Cum Galenus velit esse Elementa simplicissima, dicit lib. I. de Elementis Qualitates utrasq in summo existere in singulis; si enim altera esset remissa V.G. siccitas in igne deberent reperiri aliquæ partes humidæ in eo quæ illiq siccitatem retunderent. Et Hipp. libello de Humoribq ignem terramq omnino & in summo siccam esse scribit. contra autem Philosophi qui alteram in summo, alteram prope summam existimant.

DE NUMERO ELEMENTORUM

Avicenna ait, quod Medicus debeat credere Philosopho de numero Elementorum. Sed Hippoc. propria & medica ratione investigavit numerum eorundem. Et Imo ostendit plura esse quam Unum: Libro namq de Natura circa principium inquit; Si unum esset, homo non doleret. Sed quia dolet Ergo per causam contrariam dolet. Sed quia doloris non est unicum remedium, sed plura; Inde collegit plura esse Elementa. Tandem ex resolutione collegit quatuor esse Elementa, intereunte inquit homine (idem de aliorum interitu est censendum) calidum, frigidum, humidum, siccum ad suum locum abeunt & à misto segregantur: Siccum in siccum, humidum in humidum, calidum in calidum, frigidum in frigidum, cujusmodi tum animantium, tum aliorum natura est, cuncta enim similiter oriuntur & similiter occidunt. Ubi sciendum quod calidum, frigidum humidum siccum intelligant ipsa Elementa Qualitatibq denotata corpora. Ita semet declaravit loco citato Hippocrates, quod illustravit Galenus lib. de Elementis. Sciendum secundo nullum animantium vel quippiam simile ex Qualitatibus Elementorum constare, quæ sejuncta à Corporibus non possunt existere, nisi enim pristinas suas naturas retinerent, & illorum Substantiæ remanerent non posset fieri ut per interitum animantis sejungerentur, & eo unde nata sint redirent. Numerq quaternariq Elementorum ab Hipp. probatur ex combinatione primarum Qualitatum, quarum sunt quatuor compatibiles & duæ incompatibiles, idq lib. de natura humana & lib. de carnibus. Probavit hoc idem & ex motibus rectis cum duo sint loci contrarij maxime distantes & duo medij ad quos debet esse motq. Hinc lib. de Carnibus inquit calidi plurima portio cum turbata essent omnia in supremam circumferentiam secessit, Æthera Veteres appellarunt. Altera pars inferna appellatur terra, frigidum quid & siccum. Tertia pars aër medium locum occupavit calidum quod & humidum. Quarta vero pars terræ locum proximum cœpit humidissimum & Crassissimum. (Nota humi

dissimum

dissimum intelligit ad sensum non ad naturam) Colligi quoq potest numerus quaternarius apud Hipp. ex quatuor humoribus: Sanguine, bile, pituita, Melancholia quorum singulos Elementorum qualitatibus insignivit. Sciendum quoq ex sententia Medicorum in generatione animalis vel stirpis Elementa non manere pura sed permixta, imò permanere secundum substantias atq ita temperata ac mista ut ex his procreetur quod nec sit ignis, nec aër, nec aqua, nec terra, sed diversum quippiam non tamen contrarium, in quo virtute tantum, sed actu permaneant miscibilia seu Elementa. Galenus hoc illustravit Exemplo Emplastri τετραφαρμακου dicti, quod non possis dicere ceram, non resinam, non picem, non adipem etsi ex illis sit compositum sed quid distinctum, ita et de Elementis in corporibus mistis existimaveris et si hoc potest Ars, multò magis Natura. Nota discrimen inter Elementa et principia. Elementa enim sunt corpora et quæ ex alijs fiunt principijs et ex se invicem. et sunt ejusdem generis cum ijs, quorum sunt Elementa. Principia verò non sunt corpora ut materia et forma, nec fiunt ex se invicem, licet ex illis omnia nec possunt esse ejusdem generis cum rebus, quarum sunt principia ut rectè dicamus quod Elementa sint principia utpote cum omnia ex illis fiant, principia vero non possunt dici Elementa: Quomodo autem fiant ex Elementis omnia, monstrari potest exemplo hominis. Hic ex primis simplicissimis sensibus Elementis quæ similaria dicuntur constat, ut sunt Caro, ossa, cartilago, adeps, nervus, ligamentum, quæ sunt ejusdem speciei et retinent eandem omninò formam. Hæc adhuc ex alijs Elementis gignuntur, scil. ex Sanguine, pituita, utraq bile flava et atra. Hæc adhuc ex alijs videl. cibo, potu. Hæc porrò ex igne aëre, aqua, terra. Hæc ex nullo alio Corpore sed ex materia et forma. Porrò Medicus ideò considerat Elementa, ut cognoscat ex horum legitima temperatura Sanitatem constitui ex vitiosa mistione morbos: Quod autem à principijs Philosophi, Medici autem ab Elementis ordiantur, Ratio est, quia illi quærunt Causas ob quas inter se misceantur Elementa, nimirum ob qualitates, quæ alterant subjectam Substantiam unde stirpes et animantia generantur, Medici id demonstrandum relinquunt Philosophis, et ab Elementis inchoant.

DE TEMPERAMENTIS

Hic afferetur Imò Definitio Temperamenti, deinde Divisio. 3tio Temperamenta quatuor anni temporum. 4to Numerus et Temperamenta ætatum. 5to. Temperamenta singularum partium. Ultima pars continebit qualitates Secundas. Naturæ et doctrinæ ordo flagitat, ut de Temperamentis agamus post Elementorum tractationem. Porro cum multipliciter accipiatur Temperamentum, utpote: Pro innato, pro influente, mixto ex hoc utroq totali seu Universali, pro substantia, deniq pro eo quod ex qualitatibus Elementorum resultat, hoc loci intelligimus Temperamentum Sextæ Significationis, quod coincidit cum quarta. Est igitur Temperamentum Qualitas misti ex qualitatum primarum Elementorum mutua actione et passione resultans ad obeundas actiones. Notandum: Temperamentum, Temperaturam, Temperiem, Complectionem, Temperationem esse idem, quæ tamen omnia differunt à mistione, dicimus enim Temperamentum calidum frigidum, humidum, siccum, non autem mistionem calidam, frigidam et nec etiam signa

NB. Licet Temperamentum atq Complexio idem omnino significent tamen usus loquendi obtinuit, ut complexionem ipsis animantibus cum respectu ad quatuor humores tribuamus: Et juxta quosdam eo differt temperamentum à Complexione, quia temperamentum deducitur à naturali Elementorum proportione, complexio verò potest derivari etiam ab humore adventitio. vide partem 3tiam Cursus de Generatione et Corruptione Theorema 3. plura hac de re.

quæ nobis ostendunt Temperamentum, ostendunt mistionem. Dicitur autem Qualitas: Temperamentum enim est accidens, suscipit enim magis & minus, inest ei contrarietas & fit ex accidentibus, hoc est, Qualitatibus. Sciendum tamen non esse Qualitatem quintam distinctam ab his quatuor, quemadmodum Avicenna videtur censuisse, sed has ipsas Qualitates refractas & temperatas appellari temperiem & consequenter Qualitates: Dicitur Misti, ut notetur Subjectum cui talis Qualitas inest. Dicitur ex Qualitatum primarum, ut notetur materia, ex qua consurgit Temperamentum. Dicitur Actione & Passione, per quod notatur Causa Efficiens Temperamenti. Dicitur ad obeundas actiones ut notetur finis à natura per productionem Temperamenti intentus qui est actio. Cum Temperamentum sit Instrumentum actionum.

DIVISIO TEMPERAMENTI

Temperamentum aliud est temperatum; Aliud intemperatum. Temperatum duplex. Aliud ad pondus, aliud ad Justitiam. Ad pondus dicitur illud quod est optimum exquisitum ad unguem mediocre in quo non sit plus calidi quam frigidi, humidi quam sicci. Galenus lib. I. de tuenda Sanitate ait, Cogitatione seu intellectu potius imaginabile, quam quod actu vel reipsa possit existere. Temperamentum verò ad Justitiam est, quod hominis animantis vel stirpis naturæ congruit ac suæ speciei est proprium ut quasi Justitia ritu sit à natura tributum, per quod suas actiones probè & citra reprehensionem exerceant, ut si homo rectè exerceat operationes. animales, Vitales, Naturales Dicitur temperatum ad justitiam. Intemperatum porrò est quod à medio recedit per exsuperantiam alicujus contrariorum sic dicimus calidum, si prævaleat calor &c. Tale temperamentum intemperatum est duplex: Simplex ubi in una oppositione est intemperatum ut calidum tantum, frigidum tantum &c. Compositum vero si in utraq; oppositione fiat exsuperantia, & sic erit Quadruplex juxta combinationes quatuor Qualitatum ut erit calidum & siccum si hæ vincant Qualitates & sic de aliis. Nec mirum videatur quod dicamus Temperamentum Intemperatum, non enim est quicquam repugnans temperamentum esse in una oppositione Temperatum, in altera oppositione Intemperatum V. G. datur Temperamentum calidum in quo caliditas exsuperat, quia calidum non est necessariò siccum sed potest et esse humidum. Si potest esse humidum. Ergo potest esse & medium. Propior enim calidæ intemperaturæ quam extrema aliqua media est, potest igitur esse aliquid medium in humiditate & siccitate, & si in caliditate V. G. sit intemperatum, sic intellige de aliis. Sciendum autem calidum, frigidum, humidum, siccum dici dupliciter, Imò absolutè 2do per exsuperantiam. Absolutè tale est, quod est tale per se & sine ulla mixtura & illi primariò convenit. Sic Elementa dicuntur calida, frigida, humida, sicca. Sola enim Elementa dici possunt talia, reliqua per eorum mistionem. Per exuperantiam porrò dicitur seu per Excessum, quod ex contrariis constat & à præpollentis virtute dicitur tale, ut calidum in quo major portio caliditatis. Id porrò dicitur rursus per exuperantiam dupliciter, absolute & per comparationem. Absolutè illud dicitur quod consideratur in latitudine suæ naturæ & ad nullum extra se comparatur. Sic canem dicimus siccum in sua natura, si enim conferamus ad formicam non poterit dici siccus, hæc enim siccior. Per comparationem verò tripliciter:

Vel enim

Vel enim comparatur aliquis Simetro seu medio ejusdem generis, ut si Leo cum Homine compararetur qui conveniunt in genere animalis: Vel Symetro Speciei, ut si Homo cum Homine, Vir cum puero conferatur. Vel Symetro Individui, ut si Socrates cum Platone, Petrus cum Paulo.

DE TEMPERAMENTO QUATUOR ANNI TEMPORUM.

Alij Quatuor Temperamentorum Conjugationes accommodant quatuor anni Temporibus, et dicunt Ver esse calidum et humidum, Æstatem calidam et siccam. Autumnum frigidum et siccum; Hyemem frigidam et humidam, quod alijs non probatur, quod nimirum hæc Temperatio debeat illis potius assignari ex illorum natura, quare tali modo si considerentur anni Tempora, dicunt Ver esse temperatum, cum in eo non prævaleat frigiditas, ut in Hyeme, nec Caliditas ut in Æstate, et sic de alijs. Ut propterea dixerit Hippoc. 2do Aphorismorum 9no Ver saluberrimum et minime exitiale. Æstas porro in se est calida et sicca, vincitur enim in ea humiditas à siccitate, Frigiditas à Caliditate. Autumnus porro est inæqualis in Caliditate et Frigiditate, à meridie quippe calidior, mane et vespere frigidior ob quam inæqualitatem est maxime morbidus ut Hippoc. 2do Aphorismorum 9no testatur. Esse autem in eo talem inæqualitatem patet ex 3tio Aphorismorum 4to. (In temporibus quando eadem die modo calor, modo frigus fit, Autumnales morbos expectare oportet) Ergo est inæqualis. Cæterum cum magis vergat ad Siccitatem quam humiditatem, ideo appellatur siccus. Hyems dicitur frigida et humida, superat enim in ea frigiditas caliditatem, et humiditas siccitatem. Objicies: Ver male dici temperatum, esset enim saluberrimum, atqui multi morbi in Vere generantur et illi graves atque exitiales ut patet ex Hippoc. 3tio Aphorismorum 20. Igitur ut non est saluberrimum ita neque temperatum. Respondetur Ver non esse simpliciter liberum à morbis sed minus obnoxium morbis ex se exitialibus, et qui accidunt exitiales ex coacervatis in præteritis temporibus humoribus tales oriri. Et si exceperit Ver corpus liberum à pravis humoribus, conservat sanum.

DE NUMERO et TEMPERAMENTIS ÆTATUM

Ætas est Vitæ cursus per quem constitutio Corporis immutatur. Sunt autem ætates numero Sex; Pueritia, Pubertas, Adolescentia, Juventus, Constans ætas, Senectus. Pueritia est quæ incipit à tempore nativitatis cujusque statim, et volunt currere ad annum circiter decimum quartum. Hanc ætatem dividunt alij in infantiam quæ extenditur ad annum tertium vel quartum et in pueritiam quam perferunt deinceps ad annum circiter decimum. Hæ duæ possunt dici uno nomine pueritia. Altera ætas est pubertas ab anno decimo quinto vel decimo quarto ad annum decimum octavum. vide Galen. Sect. 3. Aphorismorum commento 27. Tertia est Adolescentia à decimo octavo ad 25. vid. Gal. Sect. 5. Commento Aphorismi 9ni. Hanc nonnulli comprehendunt sub pubertate. Quarta Juventus à vigesimo quinto ad Trigesimum quintum. vide Galen. Aphorismo 3tio Commento 30. Quinta est Constans, media inter crescentes et decrescen-

tes. Dicitur consistens quod non amplius crescat, quin aliquantulum decrescere incipiat. Incipit à 35 ad 49. Sexta ætas Senectus, ejus tres Differentiæ. 1ma Viridis appellatur, quod civilia negotia rectè illi obire possint, à 50 ad 60. 2da Media eorum, qui jam Civilia obire non possent negotia à 60 ad 70 durat. 3tia Est decrepita vitam claudens à 70 ad 80, à 70 incipit enim meta ejus incerta. Nota Pueritia est Temperamento calido et humido, quod sit proxima principijs generationis. Pubertas et Adolescentia est Temperamenti medij et optimi et hæc sæpè pro eadem accipiuntur Aphorismorum 1mo, Commento 18. Juventus est calida et sicca. 1mo Aphorismorum commento 24. Consistens seu Virilis per collationem ad præcedentes ætates est frigida et sicca Hippoc. lib. 1. de victu ratione ait: Vir ubi constiterit frigidus et siccus est, calor enim non præpollet amplius, corpus non augetur et siccitas prioris ætatis inest. Senectus hæc in universum est frigida et sicca, jam enim solidæ ejus partes sunt siccæ. Nota Calidi et frigidi Corporis index est tactus hominis Temperati saltem ad justitiam per cutem tanquam per Instrumentum, et eam potissimum volæ manus, hæc enim ab omnibus extremis videlicet calido frigido et æqualiter videtur distare. Cæterum frigidi et humidi index est tactus simul cum ratione. Nam v. g. quod siccum est, est et durum, non è converso, si quid durum statim est siccum, nisi sit modicè calidum: sic glacies durum est quid, attamen humidum à frigore concretum. Ergo ratio demonstrabit quomodo se habeat in calore et frigore ea quæ voluerimus dicere humida vel sicca.

DE TEMPERAMENTIS SINGULARUM PARTIUM

Temperamenta distinguuntur, ut per tactum ita per Essentiam et Compositionem partium humani Corporis. Cutis cum et sensu et Compositione Essentiaq sit media temperie, idcircò reliquæ partes ad eam relatæ talem sunt sortitæ temperiem. Calidarum partium ordo est talis: Spiritus imprimis et calidissimus in corpore humano, tum Cor, Sanguis, caro, dein jecur, lien, renes; tum pinguedo et adeps, cutis in media temperie constituta. Frigidarum ordo Cerebrum imprimis, tum spinalis medulla, hæc nervi molles, post duri, his vena, arteria, membrana. His tendo, ligamentum, post Cartilaginosum ligamentum, cartilago, os, pilus, pituita in Corpore frigidissima omnium. Siccarum imprimis pilus, hunc sequuntur, os, cartilago, chondrosindesimos seu ligamentum cartilagineum, tendo, membrana, arteria, vena, nervi duri; molles autem nervi sunt veluti medium sunt in humiditate siccitateq. Humidæ siccæ consequuntur cor post renes, jecur, Lien, caro simplex, pulmo, spinæ medulla, cerebrum, ossium medulla, adeps, Sangvis, pituita humidissima

DE QUALITATIBUS SECUNDIS

Secundæ dicuntur quia ex attemperatione primarum quatuor Qualitatum generentur sunt autem quadruplices: visibiles ut colores, Olfactiles ut odores, gustabiles ut sapores;

Tactiles,

Tactiles, ut mollities, durities, densitas, raritas, crassitudo, tenuitas, asperitas, levitas et c. Quoad colores ut ex colore cutis atq pilorum potest cognosci temperies. Sic enim ea V.G. nigra sunt calidam notant Temperiem, ita de Medicamentorum complexione nihil ex eis certi esse potest: In singulis enim singulæ temperies reperiri possunt, quare in ijs non immoramur. Quod ad Odores attinet, ex his nihil posse de medicamentorum temperie judicari testatur Gal. lib. 2. de simplicium Medicamentorum Qualitatibus c. 3. Quod fit propter inæqualitatem Essentiæ, cum enim non æquè omnes partes evaporant, proinde sensum æqualiter amovere non possunt. Quoad Sapores sunt numero Octo; Et quatuor quidem frigidi, ut astringens, austerus, acerbus, acidus. Tres calidi, amarus, salsus, acris. Unus est temperatus nimirum dulcis. Astringens astringit, densat, repellit, incrassat propter majorem terrei sicci commistionem. Acerbus est cum terrea pars magis vincitur à calore quam superior, linguam astringit, desiccat exasperat. Austerus cum ad frigiditatem non exsuperantem accesserit parum caloris et tantillum humoris permisti cum sicco terreo minus priori adstringit et resiccat. Acidq cum subjecta materia plusculum habuerit humoris quam terreæ substantiæ et calor inceperit coctionem et exhalat ante perfectam incidit, extenuat, deobstruit, expurgat, abstergit. Ex Calidis primus est salsus qui calidus est et siccus, nec tamen prorsus expers omnis humiditatis et illiq coctæ detergit, abluit, leviter contrahit, condiendo servat, exsiccat. Amarus in quo nimia caliditate est absumpta omnis humiditas, is est siccissimus, minimè putridus, meatus Corporis expurgat, abstergit humores crassos, extenuat, incidit, ad alendum ineptus ob defectum humiditatis. Acris est in quo validus igneus calor agilad mistionem habetq humorem copiosum cum sicco terreo mistum exsiccat, mordicat, rodit. Quorum omnium ut melius natura intelligatur potest definitio saporis dari ejusmodi: Sapor est passio quædam corporum mistorum ex miscella aquosi humoris cum terræ siccitate immutativa facultatis gustativæ de potentia ad actum ad cognitionem alimenti, Temperamenti et Medicamentorum. Quæ Definitio ut ex genere et differentia constat, ita omnia genera causarum consideranti sunt propatulo. Circa Qualitates tactiles vide ea quæ sunt dicta supra nimirum quod siccum est, id esse et durum, non è contra. Porrò asperitas, lævitas, tenuitas, densitas quid conferant ad dignoscendum Medicamentorum temperamentum, vide Librum Galeni, de simplicium Medicamentorum facultatibus.

DE HUMORIBUS

Hoc loci afferemus Definitionem humoris, numerum, temperamentum ex primis et secundis Qualitatibus, usum, Differentias non naturalium humorum; Tandem et de secundarijs humoribus agemus. Quoad Imum; Humorem intelligimus hic strictè pro eo in quod convertitur cibalis massa seu chylus in ventriculo penitus et sic definitur: Humor est corpus humidum, fluidum ex chilo ab hepate genitum propter nutritionem Corporis. Dicitur (Corpus) ad differentiam rerum incorporearum. Dicitur (humidu) ad differentiam ossium et aliorum, quæ sunt dura et sicca. Dicitur (ex chilo) sic enim est propria materia massæ sanguineæ. Dicitur (ab hepate) intellige à parenchimate seu

Carne he.

carne hepatis primò seu principaliter virtute sanguinificatricis facultatis sibi insiden-
tis & à venis tanquam à causis disponentibus & præparantibus chylum ad recipiendū
sanguinis formam, per reliqua notatur causa finalis: Sunt autem humores duplices: A-
lij naturales, alij non Naturales. Naturales sunt numero quatuor: Sanguis, pituita, bi-
lis & Melancholia; de quorum quidem generatione ita censendum est. Cibus in ore
commansus alteratus calore oris, commixtione salivæ & communitate tunicæ ventriculi.
Ventriculus per gulam velut per manum rectis fibris ad se trahit & vi transversarum retinet
undiquaq; contingens mutam in substantiam quandam dictam Chilus, qui [illegible] velut cre-
mor quidam, chylum jam probè confectum Venæ miseraicæ exsugunt & hepati præparant
& ad portæ punctum ejusq; radices sparsas per hepatis corpus transportant in illis fle-
xibus venarum assumit rudimentum sanguinis in substantia & qualitate & obtenu-
itatem exsudat ad visceris carnem mediam quo contactu carnis concurrente Virtute san-
guinatrice & temperie velut instrumento formam sanguinis & consequentia primas & secun-
das videlicet qualitates assequitur. Quia verò substantia est heterogenia chyli, idcircò
quatuor humores generantur & non unus. Et cum in corpore humano non reperiatur sanguis
sincerus, idcircò nomine sanguinis intelliguntur omnes quatuor dicti humores: Cistis-fellea
trahit quidem bilem à jecore & Lien melancholiam sed non penitus hos humores separant,
pituita autem semper permiscetur sanguini, ut coctione ex ea fiat sanguis: Quare bilis
in venis est tenuior, calidior & siccior pars sanguinis Melancholia crassior, frigidior,
siccior, pituita humidior frigidior. Pars temperata quæ tantum intellectu potest separari
ab alijs, est sanguis. Ex nunc dictis patet temperamentum singulorum humorum in
primis qualitatibus. Quo ad secundas qualitates sanguis est dulcis, pituita in-
sipida, bilis amara, melancholia acerba. Usus sanguinis est nutritio singularum parti-
um corporis. Hinc inferas ventriculum non nutriri propriè chylo sed sanguine. Et si dicant
autores nutriri, intellige oblectari, & cum dicunt sedari famem ingesto cibo, intelli-
ge sedari animalem, non naturalem. Naturalis enim sedatur solo sanguine per nu-
tritionem propriam. Hic sanguis efficit hilares facundos, pituitæ usus ut convertatur
coctione in sanguinem, efficit segnes, carnosos, bilis naturalis alit partes cognatas
facit iracundos, macilentos, ingeniosos. Melancholia alit partes affines qualitate, hi sunt
meticulosi, tristes. Nota. Excrementum per nares destillans appellari mucum non
pituitam: Non naturales dicuntur humores cum substantia & qualitate immu-
tati fuerint: Sic sanguis præter naturam dicitur biliosus, pituitosus, Melancholicus
serosq; aliquando putridus. Pituita est quadruplex. Vitrea, nimis frigida, frigida
minus, dulcis, acida, satis frigida, salsa, ex dulci putrescente, bilis flava, alia vi-
tellina, torrida nimio calore; secunda porracea ex majori assatione: Tertia æruginosa
ab ærugine. Quarta Isatidis seu cæruleum colorem referens. Melancholia naturalis
duplex: Ima acris & erodens quam nullum animal gustare potest. 2da. Ex bile
maximè vitellina torrida, potest dici excusta. Humores Sanitarij sunt quatuor.
Fiunt ex sanguine immutato à venis exilibus substantia & qualitate, talis dici-
tur Imus innominatus. 2dus est Ros sparsus in substantiam partium & jam

nutrit

nutrit. 3tius dicitur gluten seu cambium agglutinatur partibus, convertitur in carnem, os &c. 4tus est humidum radicale: Spiritus caloris & Vitæ fundamentum. Prout autem quæque istarum humiditatum siccata fuerit, oritur specialis siccitas. Liquores quoq; oriuntur ex humoribus ita ut Aliq; sit liquor Sanguineq, Alius pituitosus, Aliq biliosus, Alius Melancholicus. Sanguis dominatur ab hora noctis nona ad diei horam tertiam. Bilis flava ab hora diei tertia, ad horam diei nonam. Melancholia ab hora diei nona ad tertiam noctis. Pituita à tertia noctis ad horam nonam noctis.

DE PARTIBUS

Cum tres sint in humano Corpore partes Principes. Cerebrum quod est in Capite locatum. Cor quod in thorace; Hepar quod in Ventre inferiore, earum compositionem pro compendiaria ratione prosequemur. Porrò pars est corpus totum complens & integrans ex semine vel sanguine à virtute formatrice genita ad obeundas actiones. Partes autem sunt similiares seu simplicissimæ quæ in similes sibi semper dividuntur ut ossa, cartilagines, ligamentum, membranæ nervi, arteriæ, venæ, cutis. Aliæ dissimilares seu organicæ quæ in partes diversæ speciei dividuntur & peculiarem edunt actionem: Sic oculus videt, musculus movet: Similares Aliæ propriæ quæ verè non dividuntur in alterius speciei partes. Aliæ imeropriæ seu sensu tantum tales ut venæ, arteriæ, nervi, cutis: Constat enim ex fibris & membranis quod non dixeris de osse, cartilagine, ligamento, membrana &. Partes adhuc aliæ sunt Communes, aliæ propriæ: Communes quæ ubiq; reperiuntur, dicuntur & continentes. Communes seu continentes sunt quatuor: Cuticula, cutis, adeps, panniculus carnosus. Propriæ sunt quæ debentur singulis. Cerebrum est pars Princeps animalis facultatis & nervorum principium in calvaria locatum, substantia ejus est mollis & alba, dicitur cerebralis medulla. Pars spermatica dividitur in anterius & posterius. Anterius dicitur Cerebrum: Posterius cerebellum. Anterius dividitur in dextrum & sinistrum portione duræ meningis: Duæ enim sunt membranæ involventes Cerebrum; Una dicitur crassa menix seu dura mater; Altera pia seu tenuis menix, illa cavitatem calvariæ totiq; obducit; Hæc Cerebri & Cerebelli substantiam proximè continet. Tres sunt in cerebro ventriculi seu sinus notabiles. Anteriores duo, altera dextra, altera sinistra distincti septo sunt ampli. Tertiq; Ventriculus est medius & quasi duorum illorum concursus, in quo Spiritus animales suam perfectionem adipiscuntur. Rotatur hic et plexus horrides ex venulis & arteriolis, in quo fit elaboratio Spiritq animalis seu præparatio: Sunt & processq duo mammillares organum odoratus à medulla cerebri exoriuntur septem paria nervorum. Primum par ad visionem in oculum inseritur, Secundum & oculum & palpebras movet. Tertium inest Linguæ ad gustum. Quintum auribq inservit & Laringi & linguæ. Sextum per omnia viscera vagatur. Septimum dicitur linguam movere. Cerebellum situm est in occipitio, & Cerebri & cerebelli substantia effunditur spinalis medulla velut caudex: Cum enim à cerebro non omnes nervi in universum corpus poterant disseminari, natura medullâ providit ad fœcunditatem nervorum. Cæterum cerebrum tegitur osse calvaria seu cranio dicto, unde membrana quæ ambit cranium dicitur pericraniū.

In hoc osse Nota tres veras suturas 1ma est in syncipite dicta coronalis. 2da In Occipite Lambdoides. 3tia per longitudinem capitis sagittalis. Duæ mendosæ temporales feruntur ad tempora. Spina porro tegit medullam spinalem constans vertebris seu ossibus 24 nempe Cervicis septem, thoracis duodecim, lumborum quinque. Post hæc est os sacrum seu magnum. Sub hoc coxyx. Hoc loci oculus non est omittendus. Habet sex tunicas, 1ma est adnata, dicitur album oculi, est enim candida. 2da Cornea à duritie et pelluciditate sic dicta. 3tia Uvea, uvæ acino similis, hæc habet exiguum foramen rotundum dicitur pupilla, alijs fenestra oculi. 4ta Aranea ob tenuitatem ambit Chrystallinum ✠ instar oculariorum defert spectra visibilium. 2dus Chrystallinus et princeps organum visionis. 3tius Vitreus à posteriore parte Chrystallini. Duo hic sunt nervi Opticus ad visionem moves ad motum adest et adeps oblinens oculum, sunt et glandulæ seu carunculæ in angulis oculorum: Sunt et musculi sex Recti quatuor qui præsunt motibus rectis attollens dicitur et superbus, deprimens dicitur humilis. 3tius adducens seu bibitorius movet majorem angulum versus oculi 4tus abducens seu indignatorius. Obliqui verò dicuntur Circulares seu amatorij. Auditus porro præcipuum Instrumentum est membrana tympanum dicta cui implicantur ossa tria; Malleolus, Incus, Stapes. Cor est sedes facultatis Vitalis parens Spirituum Vitalium et arteriarum origo, constat carne, adipe, venis, arterijs, nervis. Caro est solida, fibrosa, adipe oblinitur. Dividitur Cor in basim et conum seu mucronem: Basis est in medio; Conus seu mucro movetur motus Sistoles et Diastoles ad sinistrum latus magis porrigitur. Habet et sinus duos seu duas cavitates insignes, dextrum et sinistrum. In illo continetur sanguis: In hoc continetur et generatur spiritus Vitalis. Auriculæ sunt duæ ad basin Cordis. Vasa quatuor, Vena cava, vena arterialis, arteria venalis, et arteria magna. Cava ex jecore sanguinem defert, sita ad basin, vena arteriosa sanguinem defert ad pulmones, arteria venosa aërem ex pulmone Cordi suppeditat, arteria magna seu aorta ex sinistro Cordis sinu excipit spiritum Vitalem. Arterias habet corollarias et villorum genus triplex: Rectum, Obliquum transversum. Vestitur Cor membranâ, dicitur pericardium seu capsula cordis. Inter hanc membranam et Cor adest aqua sero similis: Cordi ad huc ministrant membrana, costas succingens dicitur pleura, adest et mediastinum, adsunt et arteriæ leves et aspera arteria, cujus summitas seu caput dicitur guttur, reliqua autem dicuntur fauces Adest et duplex genus grandularum seu tonsillarum, tum gurgulio seu columella: Pulmo quoque inservit Cordi, cujus caro spongiosa, habet in se venam arteriosam, arteriam venosam et asperam arteriam. Est autem calidus et humidus movetur, aërem inspirans et exspirans, circumdatur Cor porrò costis et sunt numero duodecim, septem legitimæ quæ sterno articulantur, quinque illegitimæ, quæ non articulantur. Sternum porrò vocatur os pectoris quod est medium inter costas omnes ab initio costarum anteriorum sunt claviculæ quod claudant thoracem. Posterius sunt scapulæ seu alæ inferna pars sterni, habet cartilaginem mucronatam. Tertia pars princeps est jecur, sedes facultatis naturalis seu sanguinificatricis situm est in dextro hypocondrio sub diaphragmate quod est princeps liberæ respirationis, instrumentum constat carne propria seu parenchimale, vena cava et vena portæ ex umbilicalibus radicibus arteriolis et tunica tenui. Carnis is est usus proprius ut vi propria sibi insita chymum seu sanguinem generet, generat autem ex chylo qui ex cibis ore præparatis conficitur in ventriculo. Ventriculus autem positus est ✠ sub diaphra

✠ 5ta Reticularis spectra visibilium ad Cerebrum defert. 6ta Vitrea, ambiens humorem Vitreum. Humores habet 3: 1mus aqueus situs ante Chrystallinum et

Sub diaphragmate inter jecur et lienem, ejus substantia est membranea, constans pro prijs tunicis duabus et tertia communi, multis venis, arterijs, nervis. Tres sunt ejus partes dissimilares; Orificia enim habet duo quod et stomachum et cardian vocarunt, sedes est appetentiæ: Inferius Orificium dicitur piloros seu Janitor. Tertiam partem appellarunt fundum ventriculi sedes est coctionis, ab hoc venæ miseraicæ chilum deferunt in hepar et ab hepate sanguinem in intestina, ubi prius à bile superflua repurgatus fuerit per vesicam ferream seu cistim et paliena in sinistro hipocondrio sito humore Melancholico. Lien autem est carne spongiosa. Renes verò qui duo sunt habent situm inferius circa jecurà parte posteriore serositate expurgant sanguinem. Porro intestina sunt duplicia tenuia et crassa. Tenuia tria duodenum jejunum ἴλεον: Crassa quoq tria: Cæconum κόλον rectum. Dicata sunt præparando chilo tametsi et colon fæces contineat. Rectum quoq ea excipiat et expellat. habet tamen synctarem hoc est musculum prohibentem, ne fæces ante excernantur quam velimus. Circa intestina notatur mesenterium scil corpus membranosum intestina continens et Pancreas. corpus glandulosum substratum ventriculo tegumentum autem ventriculi et intestinorum dicitur epiploon seu Omentum: Adest et membrana, quæ visceribq imæ regionis circumtenditur. Dicitur Peritoneum supra hoc sunt musculi octo. Quatuor eorum congeneres id est pares ab utraq parte. Musculi autem sunt organa motus voluntarij. Cæterum manus et pedes sunt ad famulicium corporis Universi: Manus constat osse brachij quod scapulæ et cubito articulatur, dicitur humerus. Cubitus verò dicitur constans ossibus duobus coarticulatis, quod est longius dicitur ulna et est inferius: Superius autem et brevius dicitur radix. Finis cubiti dicitur carcus seu brachiale quod constat octo ossibus à brachiale ad radicem digitorum. Hæc pars dicitur postbrachiale habet quatuor ossa majora digitorum ossibq. Digiti ternis ossibq constant. Sunt autem quinq. Primus Pollex. Secundq Index. Tertius Medius. Quartq Annularis seu Medicus. Quintq Auricularis seu minimq. Potissimum autem manq serviunt ori cibum suppeditando, quem delatum dentes frangunt, sunt numero triginta duo. Primi quatuor incisivi seu incisorij hi ex omni parte connectuntur quatuor dentibq caninis ultra hos mollares seu maxillares viginti. Qui verò anno Vigesimo alijs autem in senecta nascuntur duo dicuntur dentes sapientiæ. Ossa pedum sunt femur, incipit à coxa ad genua protenditur. Crus est à genu ad talum habet duo ossa interq grandius dicitur tibia, externus fibula. Tibiæ et fibulæ imæ partes dicuntur malleole, ab horum autem appendicibus os dicitur talus.

DE FACULTATIBUS

Facultas est Qualitas seu potentia animæ modum substantiæ et temperiem partis cujusq consequens, actionum Effectrix. Tres autem sunt facultates corpus nostrum gubernantes, animalis, vitalis, naturalis. Animalis ex cerebro per nervos sensum et motum in Universum corpus transmittit et intellectum fovet. Habet tres differentias Principem, Sentientem, moventem. Princeps est triplex: Imaginatrix, Ratiocinatrix memoratrix quæ omnes totiq sunt cerebri. Sensum communem Galenus refert ad imaginatricem Imaginatrix imagines ab externis sensibus repræsentatas apprehendit et objecta sensuum discernit.

Ratiocinatrix de illis imaginibus quæ qualesq sint indicat, componit, dividit, aliud ex alio eliciens. Memoratrix à prioribus recepta conservat. Sentiens autem continet quinq sensus exteriores; Visum, auditum, gustum, olfactum, tactum. Primæ quatuor sunt conclusæ certis Organis. Tactq per Universum corpus, quia ad vitam maxime necessarius. Movens facultas habet unum instrumentum nempe musculum & unum movendi modum nempe voluntarium. Facultas Vitalis in corde residet & ab eo vitam in Universum corpus derivat calidum innatum conservans mediante influente movetur cor & arteriæ. Nota Calidum innatum dici quadrupliciter: 1mò Quod primis principijs nostræ generationis semini & sanguini est implantatum sic dictum à Qualitate calida illis indita à natura. 2dò Pro humida et äerea subsistentia ex primis principijs in singulis partibus post generationem relicta. Ille enim calor insitus perfusus est è nativa & temperata humiditate primorum principiorum donata omnibq partibus similaribus. Dicitur & humidum radicale seu primigenium hoc est, quod dicitur (vita in calido & humido). 3tio Influens calidum dicitur calidum innatum, influens autem non est aliud nisi sanguis & Spiritus è cibis generatq & à hepate cordeq per venas & arterias in Corpus diffusum, nisi enim hoc afflueret insitum illud facile dissolveretur. 4tò Calidum innatum accipitur pro insito & influente simul. Hic dicit Galenq calidum innatum esse omnium Actionum naturalium causam effectricem. Naturalis facultas residet in hepate ejus differentiæ tres præcipuè: Generatrix, Auctrix, Altrix. Generatrix habet immutatricem & formatricem. Prima immutat principia nostræ generationis in Substantiam partis. Secunda dat Formam seu Figuram, situm, constructionem. Auctrix est, quæ hominem auget ad certum tempus in omnem partem. Altrix est, quæ alimentum assimilat in partis Substantiam: Hæc habet ministras attractricem quæ attrahit commodum alimentum. Retentricem quæ idem retinet. Alteratricem seu Coctricem quæ assimilat. Expultricem quæ superflua pellit. Cæterum hæ per fibras suum officium exercent. Attractrix per rectas, Expultrix per transversas. Retentrix per obliquas: Alteratrix verò sine fibris, calorem tamen ad concoctionem largitur.

DE ACTIONIBUS

Actio est Motus partis à Facultate procedens adsui vel totius, vel utriusq perfectionem & Conservationem. Tres igitur erunt Actiones præcipuæ prout tres sunt facultates: Animalis, Vitalis, Naturalis. Animalis subdividitur in sensificam; Hæc refertur ad quinq sensus exteriores: Motricem quæ movet per musculos pro arbitrio nostro Principem et est triplex: Imaginatio, Ratiocinatio, Memoria. Vitalis actio est pulsq Cordis & arteriarum. Hæc cum dicatur animosa etiam seu irascibilis: Ad eam referes lætitiam, tristitiam, spem, desperationem, confidentiam, metum, amorem, odium misericordiã invidentiam, iram, furorem &c. In his volunt cor moveri dilatari quidem in rebq ad arbitrium nostrum cedentibus in adversis constringi, in ira autem fieri accensionem spirituum & sanguinis circa cor teste teste Galen. lib. 2. tuendæ sanitatis cap. XI. Naturalis actio est multiplex: Generatio constans immutatrice & Formatrice. Augmentatio & Nutritio

quæ pro.

quae praesupponit appetentiam & animalem & naturalem. Ad animalem requiritur Imo Inanitio partium. 2do Suctus seu tractus vicinarum partium, hanc sequitur divulsio ventriculi, divulsionem sensus, sensum appetitus seu fames. Naturalis autem est Inanitio partium: Nutritioni famulantur Attractio, Retentio, Coctio, hanc sequitur Expulsio vel inutilium è corpore vel utilium ad alias partes. Coctio autem est triplex in corpore humano & unicuiq debetur sua praeparatio suumq habet excrementum proprium. Ima Coctio est ventriculi cum cibi mutantur in chylum cremori similem quod fit in fundo ventriculi: Mutantur autem & à calore insito ventriculi & partium adjacentium & à proprietate occulta. Praeparatio ciborum fit in ore, excrementa hujus Coctionis sunt faeces durae. 2da Coctio est in jecore, producit sanguinem ex chylo, praeparatio ejus est in venis miseraicis, excrementa bilis flava, quae à vesicula fellea humor Melancholicus qui à liene, serum quod à renibus trahitur ex his ad vesicam vocatur urina. 3tia Coctio est in singulis partibus, cum alimentum in partes convertitur, praeparatio fit in venis exilibus, excrementa sunt; sudores & quae per insensibilem transpiratione̅m ejiciuntur, unde sordes cuti adhaerent; tum pili ungues, sputa, pulmones mucus &c. Respirationem aliqui volunt esse actionem pure voluntariam. Alij et melius mistam ex animali & naturali.

DE SPIRITIBUS

Spiritus est Corpus ex tenuissimo Sanguinis vapore virtute partis Principis genitum ad deferendum partibus Facultates actionum effectrices. Sunt autem tres: Naturalis, Vitalis, animalis. Naturalis generatur in hepate quem agnovit Galenus 6. lib. de usu partium fertur per venas cum sanguine. Vitalis generatur in sinistro Cordis sinu & per arterias in Universum corpus diffunditur. Animalis generatur in cerebro & per nervos manat in Universum Corpus, sensum ad motum deferens. Unusquisq ex his spiritibus alius est influens alius insitus. Influens est qui à partibus principibus influit & ad agendum excitat insitum. Hi duo simul juncti efficiunt operationes, Insitus sine influente actiones non potest edere, patet in obstrictione nervorum, in qua prohibetur transitus Spiritus Influentis, ideo Actio non editur. Conservat etiam & fovet insitum. Porrò si spiritus Influens referatur ad materiam, ex qua primò fit scil. ad sanguinem, cum sanguis sit unus hoc est unica massa Sanguinis potest dici unus spiritus Influens: Si autem referatur ad partes principes & ad sua principia à quibus generatur, tres erunt spiritus juxta ternarium numerum partium principum.

DE REBUS NON NATURALibus.

Sunt numero Sex: Aër, Cibus & Potus, Motus & quies, Somnus Vigilia, Vacuatio, Repletio, Animi affectus seu pathemata.

DE AERE

In hoc considera Essentiam & Qualitatem: Essentiam ut sit purus, nitidus, tenuis, patens non putridus, ventis difflatus non ex stagnis neq paludibus vel supra auram malam efflante

ex olentibus

ex oleribus aut leguminibus aut animalibus seu putrefine eorum non infectus. Qualitas aëris etiam consideranda, An calidus, An frigidus, an humidus, an siccus, cum in morbis calidis frigus competat et sic de aliis, siq; talis aut natura aut arte v.g. in febre fit frigidus et humidus si perfundatur aquâ habitatio, per quam spargantur etiam Violæ, Rosæ, Nymphea. In morbis longis mutatio terræ convenit, Ita Galenus Pavidos Româ ad Tabidas remisit ad aërem sicciorem.

DE CIBO ET POTU

Hic consideranda potissimum Novem: Cibi bonitas, Mensura, Qualitas, Consuetudo Delectatio, Ordo, Tempus, Hora, Ætas. 1mo Cibus sit boni succi partium levium et tenuium generans bonum sanguinem vid. Galenum lib. 1. de Alimen. facultatibus. 2do Hippoc. 6 Epidemiorum. Sanitatis studium est non satiari cibis et impigrum esse ad laborem in morbis etiam diuturnis plus offeremus Cibi, in acutis minus, quare consideranda semper sunt duo: Vires et morbi acuties. 3tio. Sanis similes Qualitate cibos præbebis contrarios ægris. 4to Consueta insuetis minus molestare solent ex Hippoc. ubi mutare oportet consuetudinem faciendum paulative, hoc enim tutum est teste Hippoc. 5tò Hippoc. 2do Aphorismorum 28 inquit parum deterior cibus, suavior autem melioribus, sed minus suavibus est præferendus, talem enim ventriculus citius amplectit et melius coquit, id tamen notandum quod Hippoc. dicat: parum deterior. 6tò Concoctu faciliora præcedant, tum et liquida atq; lubrificantia in ventriculo etiam justo laxiore exhibeantur prius modicè astringentia 7mo Sani solita hora concocto cibo priore illiciente appetitu et præmisso modico exercitio. In morborum autem accessionibus et exacerbationibus abstinendum. Porrò hyeme et Vere plus commedendum, minus bibendum, tametsi vere minus quam hyeme commedendum licet aliquanto plus bibendum. Ventres hyeme calidiores ait Hippoc. æstate adhuc commedendum minus, quod tum calor nativus dissipetur plus bibendum; sed minus merax ob æstum. Autumno utendum cibo pleniore et sicciore, minus bibendum sed meracius. Hoc patet ex dictis. 9no Puerorum victus est frigidus et humidus ex Hippoc. 8mo Aphorismorum 16 ob calidam temperiem, Vinum illis non convenit. Puberibus et Adolescentibus victus temperatus congruit nec his Vinum convenit. Juvenes cum sint calidi et sicci frigidam et humidam victus rationem postulant nec his vinum commodum. ✠ Cerevisia omni ætati et tempori convenit habet etiam et vim alendi propter triticum et hordeum, habet et vim medicamentosam propter lupulum salictarium, vigore cujus facit abstersiones, educitq; bilem et phleomata detergit.

DE MOTU ET QUIETE

Per motum intellige exercitia omnis generis quorum alia sunt tantum exercitia, alia et exercitia et opera. Exercitia hæc potissimum: Luctu cum duo ad terram se conantur detrudere. Pugillatus qui exercetur cæstibus feriendo adversarium. Cæstus est clava habens pilas plumbeas pellibus bubulis insutas Pancratium peragebatur cum alter cum altero lucabatur stando erectis pedum digitis summa nervorum et virium contentione. Cursus in quo certabatur velocitate. Exercitia vero et opera sunt quæ exercendo opera relinquunt ut fodere, arare, venari, piscari, vites putare etc. Vociferatio est etiam est etiam exercitatio thoracis et vocalium Instru

✠ Senibus utpote frigidis et siccis victus calidus et humidus et Vini potio ✠

lium Instrumentorum, itidem frictio: Haec si dura est, ligat, mollis laxat, multa extenuat, mediocris auget carnem, aspera trahit ad exteriora. Lenis retinet in membris. Exercitandum Corpus vel ante cibum, vel certè peracta probè concoctione, ne cibi crudi rapiantur in venas, dum exclusis excrementis in vesica et alvo contentis exercitij mensuram determinabit color floridus corporis humor modicus, motus promptus, sudor calido vapori mistus, ubi ab aliquo discessum fuerit, cessandum ab exercitio. Apotherapia utebantur Veteres, hoc est frictione, Spiritus tensione, cohibitione quae jam non sunt in Usu; Sunt autem Exercitij commoda: 1mò Robur Instrumentorum ex mutuo attritu. 2do Caloris innati augmentum. 3tio Spirituum motus promptior. Porrò ut nimia quiete et otio calor obtorpescit, ita moderata vires restaurantur et lassitudo ex labore sedatur.

DE SOMNO et VIGILIA

Somnus est quies facultatis animalis ab utili humore seu vapore Cerebrum madefaciente et vias Spirituum obstruente crassiore ob frigiditatem cerebri reddito ad resumptionem virium ad perfectionem aliarum facultatum. Utilis somnus est ad concoctionem Ciborum, humorum corrigendam insaniam, aegritudines animi delendas restaurationem virium et Spirituum. Hic potissimum considera Tempus, Quantitatem, formam decubitus. Quoad Tempus Hippocrates in praesagijs inquit: Interdiu vigilare, noctu dormire oportet, duabus autem horis à coena ut tanto melius ad fundum Ventriculi cibus descendat diurnus reprehenditur, Cerebrum enim replet nimio Catharro et humiditate quae vigilijs exsiccari debebant. Coctio perfecta ob brevitatem temporis perfici non potest: Hinc ructus acidi, admittitur tamen si adsit lassitudo et nox praecedens in somnis Vel si talis consuetudo fuerit. Quantitas ex coctione Cibi colligitur; Coctio autem ex Urina mediocriter rufa, vel mediocriter pallida, non alba; talis enim cruda. Galenus lib. 6. de tuenda sanitate cap. 5. ad summum novem horis eam determinat, idque si cibi praecessissent crudiores vel Ventriculus tardè coquat, alias horae 7 vel 8 sufficiunt. Decubitus erit primò ad dextram; paulò post ad sinistram, mox ad dextram rursus ut sic cibus melius ad fundum Ventriculi descendat. Supinus vitandus, sic enim cum ad nares et palatum Excrementorum non potest fieri expulsio, decumbunt ad posteriora et ad exortum nervorum: Hinc incubus Apoplexia resolutio nervorum pronus itidem malus ad oculos enim facilè ruunt superflua excrementa. In aegris advertendum an somnus juvet, an fatiget. A priori arcendi aegri quemadmodum et ubi viscus est aliquod inflammatum: augetur enim inflammatio revocato calore ad intra per somnum. Prohibendus in initio morbi pestiferi, alias cum calore et sanguine vis maligna ad cor defertur, in principijs accessionum non dormiendum, tum enim horror vel rigor frequenter imminet externorum et somnum auget concentrato ad intra calore. Febres quoque difficulter veniunt ad consistentiam. Insomnia quoque considerantur, connotant enim affectus et humores, si quis videat ignem ardentem in somno apparet in illo dominari bilem flavam, et sic de alijs humoribus judica. Si quis in sterquilinio se versari somniet, arguitur humorum pravitas, sordities putredo vel copia faecum in intestinis. Contrarium existima de locis odoratis. Quod attinet vigilias hae immodicè temperiem cerebri magis refrigerant, sensus debilitant, Virtutem dejiciunt, cruditates generant, Capitis gravitatem inferunt. Unde Hippocrates 2do Aphorismorum 3. Somnus atque

Vigilia

vigilia utraque si modum excesserit mala.

DE REPLETIONE ET INANITIONE.

Repletionis prima duo genera reperiuntur apud Autores. Primum Qualitatis 2dum Quantitatis. Qualitatis est ubi sola qualitas calida vel frigida, humida vel sicca sine admistione humoris habet excessum. Quantitatis duplex: Vel enim est repletio cibi et dicitur satietas et est duplex; ad vasa et ad Virtutem. Ad vasa est ubi ventriculus plus justo ex cibo distendi tur. Ad Virtutem ubi à cibo facultas gravatur. Vel est altera repletio humorum, et hæc ēssproprie dicta. Repletio duplex itidem: aut humorum omnium in corpore, aut minus. Si omnium di citur plethora seu plenitudo seu multitudo, ubi Sanguis plus justo auctus fuerit servata inter se naturali proportione. Est itidem duplex: Ad vasa et ad Virtutem: Ad vasa est ubi copia humo rum omnium et si aliquis alios superet venæ distenduntur. Ad virtutem, ubi licet non tu meant copiâ, tamen à natura regi non possunt. Si vero unius humoris in corpore est redun dantia V.G. pituitæ aut bilis, aut melancholiæ aut serosorum humorum dicitur Cacochymia seu vitium succi, seu humor vitiosus qua voce significant excessum, et quantitatis et Qua litatis, vix enim peccat humor in Quantitate sine Qualitate. Contraria repletioni est inani tio seu evacuatio. Hæc est duplex; Universalis est missio Sanguinis, purgatio, vomitus, mictio seu urina, sudor, balneum, insensilis, transpiratio, excreatio, inedia. Venæ sectio convenit potis simum plethoræ sed plenitudini ad vasa maxime verno tempore, hora una mane, jam ma ne vigilantibus; in ad Virtutem parcius, vel cum jamjam morbus adest vel constat in ægris nul lum tempus præscribitur pro exigentia celerius aut tardius, qui tamen acutis morbis corripi untur his mox mittendus. Primum ergò morbi magnitudo consideratur si inflammatio par tem incipiat obsidere vel aliquis dolor gravis ex ictu, casu vel alia occasione externa vel inter na, in robusta facultate plus, alias minus. Pueris autem decimum quartum annum, Senibus post Septuagesimum non mittendum Galenus censet. Ferunt tamen aliqui venæ sectionem in ætate graviore, si sanguine abundent; ferunt aliqui quinto et sexto ætatis anno ad tres vel quatuor Uncias ubi adsit morbi magnitudo. Plus autem in temperatis calidis, quæ notan tur venarum latitudine. In habitu Corporis denso mediocriter gracili plus, in habitu raro pingui obeso et valde gracili minus. In regione nimis calida et nimis frigida minus, alias pl. Assueti melius tolerant, insueti contra. Exercitatis minus mittendum. Quibus consuetæ vacuationes non procedunt, hi melius ferunt venæ sectionem. Ad animi deliquium mittitur in mixtis inflammationibus in febribus ardentibus et vehementissimis doloribus. Cum sanguis mu tatur desistendum nisi virtus imbecilla ante mutationem sanguinis prius desistendum suadet. In phlegmone maligna à qua non potest vacuari sanguis cessandum prius. Sistendus quoque si caligo oculorum vel virtus labascens et pallor faciei apparuerit. Desistendum ubi pulsus mu tatus fuerit, arguit enim vires casuras. Duplex quoque est Venæ sectio: Alia è directo partis labo rantis Altera ex opposito: Hæc est revulsio, illa derivatio. Venæ hodie inciduntur primo Cubiti et sunt tres. Interna seu jecoraria sic dicitur in dextro brachio, lienaris in sinistro dicitur et basili ca. Alia externa seu Cephalica: Tertia media seu communis. Jecoraria tunditur laborantibus par tibus infra cervicem positis, ut sunt cor, jecur, lien, pulmo, ventriculus etc. Cephalica laboranti bus partibus supra collum, ut capite, facie, Oculis. Media cum aliqua ex dictis latet, vel cum volumus vacuare ab utrisque partibus: Secantur Salvatella in debilitate virium. Cucurbitis fit quoque evacuatio sanguinis, si fuerint scarificatæ et tum sunt vicariæ venæ sectionis cum nimi

rum sectio.

rum sectionem prohibet, aut aetas, aut robur aut teneritudo corporis. Adhibentur pueris gravi-
dis, senibus, morbo longo fractis aut acuto. Minor enim fit tum jactura. Si Venae sectionis loco spi-
rituum scarificentur in humeris, si ad hemorroides excitandas in poplitibus et cruribus inter utramque
scapulam frequenter adhibentur ad mala thoracis sananda, in collum et scapulas ob mala fa-
ciei et a capite revellit. Aliae sunt cucurbitae non scarificatae, dicuntur leves. Hae spiritus,
flatus vapores vehementer et cito trahunt a proximis primo, tandem et remotioribus partibus.
Optimae ex vitro levissimae adtutissimae: Faciliusque enim detrahuntur de parte quam ex aere ar-
gento, vel alia materia. Hirudines vacuant quoque sanguinem eo commodiusque si aliquot diebus
cicurentur antequam admoveantur. Prius quoque pars calescat vel frictione unguium, vel pan-
nis asperis. Admotis pars calide fovenda ut melius sanguis sequatur si admotae non satis tra-
hunt, caudae earum praecidendae forfice, si sua sponte non decidant, sale aut cinere os earum
aspergendae. Postquam deciderint solent alij admovere cucurbitam non scarificatam. Alij
spongiam ut si qua est, extrahatur virulentia. Si sanguis non sistitur obturatur foramen, la-
na oleo rosato imbuta aut spongia pice liquida madente: Trahunt sanguinem hirudines
qui carni adjacet, non eum qui est in profundo. Hemorroides sunt venae circa anum per
quas vacatur humor Melancholicus ortae a vena cava et porta, magis tamen per mamum
qui venit a porta vena. Hae fluunt interdum sponte et liberant pleuritide phlegmone pul-
monis, lepra, Melancholia, insania etc. Constringendae non sunt, nisi valde profluant et ta-
men una servanda, alias est periculum hydropisis ex suffocatione, quemadmodum si nimi-
um fluant et diu, ex refrigeratione sequeretur hydrops. Arte interdum aperiuntur commodis-
sime tamen per hirudines, alias aspero panno et fricatione si sit cutis tenuis. Per nares quoque
vacuatur sanguis a natura frequenter qui cohibendus non est nisi vires multum debilitet
juvat potissimum morbos capitis, solvit et febres. Per nares quoque vacuantur capitis et ce-
rebri excrementa sternutationibus et Errhynis.

DE PURGATIONE

Haec medicamento ore assumpto vacuat humores otiosos et naturae molestos, et dicitur
vacuatio non spontanea, ut illa quae fit a natura citra medicamenti opus, dicitur sponta-
nea, ut in diarrhaea. Haec convenit cacochymicis, his videlicet qui abundant pravis humori-
bus: Videndum autem ne alium humorem purgandum moliamur praeter peccantem, ut si pi-
tuita peccet haec purgetur, et sic de alijs. Deinde vires prae oculis habendae inquit Hippocra-
tes, plurimum et repente vacuare periculosum. Pueri inepti ad purgandum, et si eorum al-
vus sit adstricta mel cibis injiciendum nisi quid obstet, vel Syrupus de cicoria cum Rhabar-
baro, Syrupus rosatus solutivus, mel rosatum solutivum. Senes ob imbecillitatem inepti ad
purgationes, Ver purgationi accommodatissimum, cum sit temperatum. In calida itidem re-
gione purgatio periculosa. Quis humor purgandus ex specie morbi colligitur, ut in tertiana
bilis etc. Et ex complexione hoc idem notatur. Cavebis autem uno et eodem die, et venam secare
et purgare. Mane potissimum sumendum medicamentum purgans finitis tum jam coctioni-
bus. Si elective purgans quatuor horis ante prandium, ad minus tribus. Si benedictum ad
minus duabus. Ubi adest humorum crassities attenuantia adhibe, meatus resera, deobstrue.
V.G. Oximelite, Syrupo de duabus radicibus, agrimonia, byzantino et alijs pro ratione par-
tis obstructae. Concocta etiam medicari jubet Hippoc. non cruda nisi turgeant. Ubi nota Co-

ctionem

ctionem esse duplicem. Aliam alimentorum, qualis in ventriculo, jecinore, singulis partibus. Huic opponitur cruditas seu semicoctio vel in ventriculo, vel in jecinore, vel in partibus elaborationem perfectam non sunt consecuta, sic pituita dicitur cruda. Alia coctio est humorum morbum efficientium, dicitur proprie maturatio perquam humores redduntur naturae obedientes & à calore evicti sortiuntur quendam debitam crassitiem. Hinc crudos humores dixeris qui naturae non sunt obedientes redditi à calore naturali s. solo seu extrinsecus adjuto cibis & medicamentis accommodatis. Haec igitur secunda coctio hoc loci intelligitur in initio morborum non est purgandum quia humores sunt crudi leniter tamen subducente alvum commode adhibueris, ut est Syrupus rosatus solutivus, mel rosatum solutivum de polypodio, dic cicoria cum Rhabarbaro, manna &c. Si vero materia turgeat, hoc est fluctuet & de uno loco in alium agitetur, talis etiam in principio vacuanda. Calidum medicamentum sumis ne ventriculum laedas, assumpto nihil comedes quatuor horis si sit Electivum: Si sit leniens tribus vel duabus. Corpus autem purgatum satis & bene arguit sitis. Si Medicamentum assumptum non purget, sed dolores potius excitet leni Clystire vel suppositorio eodem die alvum subduces, si fiat superpurgatio hoc est immodice purget, fac ut dormias. Partes superiores fricabis, ligabis, aer erit temperatus, tiriacum exhibebis, conservam rosarum & similia astringentia ut in disenteria: Caute tamen cum adstringentibus procedes, & potius ab initio abluentibus clysteribus uteris. Cum vero excreta hac considerabis, meminens Aphorismi Hippocr. Sect. 4 Aphorismo 20. Nigrae dejectiones; veluti sanguis niger sua sponte exeuntes & cum febre & sine febre pessimae & quo plures deteriores fuerint colores, eo pejus. A Medicamento autem si tales egerantur melius est, & quo plures fuerint colores, eo minus mali.

DE VOMÎTV

Vomitus vacuat per superiora contenta in capacitate Ventriculi, differt à nausea. Haec enim est inanis conatus ad vomendum. Utiliter vomunt & biliosi & pituitosi, tam post nimiam repletionem, quam post imminutam coctionem. Vomendum singulis mensibus biduo continuis diebus ut priores reliquiae expellantur sequente. Frequens Vomitus cavendus, obest visui, pectori, pulmonibus capiti qui sunt graciles pectus amplum habent sunt dispositi ad vomendum. Sinoves ac stricto pectore inepti. Aestate etiam potius vomendum.

VRÎNA

Per hanc vacuantur serositates circa hepar positum, in gibba parte renes & vesicam, quas obstructionibus liberat, quod si etiam circa has partes inflammatio aut exulceratio adsit, urinam non movebis, alias enim duces ad partem laborantem.

SVDOR

Tum elicitur cum interiores partes morbus occupavit ut in febribus ac bubonibus pestilentibus & in alijs etiam. Elicitur sudor balneo Laconico ignitis lapidibus, arenae caliditate, exercitijs, interdum fomentis lapide Bezoar, cornu cervi, apud nos pulvis pro laesura. Cavebis imminu

tionem

tionem vitium per sudorem. In diebus decretorijs sudor bonus, si finiat febrem et si sit totiq corporis et relevetur æger. Pessimus frigid et si tantum caput vel facies sudet, vel cervix, talis enim in Morbis, aut longitudinem morbi aut mortem significat.

BALNEA

Balnea alia sunt Naturalia, Alia artificialia. Naturalia sunt ut Thermæ, hæ vel participat aliquid nitri vel salis, aluminis, bituminis, ferri, auri vel argenti. Omnium vis exsiccatoria, alijs et calefactoria, alijs adstrictoria, quæ constant nitro et sale capiti, thoraci fluxionibus affecto prosunt, tum ventriculo humido aqua inter cutem, tumoribus pituitosis. Aluminosa juvant rejicientes sanguinem, vomentes, abortus patientes fœminas. Sulphurea nervos emolliunt, calefaciunt, articuli morbo prosunt, sed ventriculo obsunt. Bituminosa nervos calefaciunt et sensim emolliunt; potatamen lædunt caput et sensoria. Ferrea prosunt Ventriculo et Lieni. Ærea tonsillis, ori uvæ, oculis utiles. Auri et argenti cor reficere traduntur. Artificialia apud Antiquos habebant quinq partes. Ima Apodyterium seu tepidarium, hic balneaturi se exuebant, tepebat hic aër autem ab igne delatis vaporibus calidis et humidis, vel de coctione herbarum calidarum et humidarum. 2da pars dicebatur calidarium seu sudarium, vel Laconicum largius hic sudabant, habuit hoc hypocaustum fornicem concameratum, in quo ignis succensus edebat vapores calidos; similes hodie reperiuntur in nostris balneis testudines. 3tia pars solium calidum, cisterna seu Vas, seu cupa, seu labrum vel lavacrum in quo homines se abluebant sedentes. 4ta pars solium frigidum, hic corpus laxatum priore balneo densatur et refrigeratur. 5ta pars in qua detergebantur loti, et qui sudabant.

INSENSILIS TRANSPIRATIO.

Hæc à natura perficitur quæ nunquam quiescit; sed tenuia excrementa per porositates cutis expellit. Fit et arte per medicamenta discussoria et vocatur digestio seu discussio quod vi medicamentorum calidorum et siccorum humores collecti aliqua parte discutiantur

EXSCREATIONES.

Hæc vacuat quæ à capite in fauces destillant et in thoracem redundant juvatur et arte ut syrupo de liquiritia, succo liquiritiæ, syrupo Sarsapar, capillorum veneris, Syrupo violato, eleymate ad asthma, sano et experto et similibus.

INEDIA.

Vacuat hæc calore absumente et vincente superflua duplex est; alia dicta privatim inedia in qua nihil cibi offertur. Alia abstinentia in qua offertur tantum quantum est conveniens ad virium conservationem. Inediam ferre non possunt adolescentes, minus pueri et qui exiguo sunt sanguinis strictarum venarum; Melius ferunt ætate consistentes, his melius Senes. Somnus post inediam evacuat calore revocato ad intra, nec repente cibu agit in eo quod reperit.

ANIMI AFFECTUS seu PATHEMATA

Animi perturbationes sunt concitati et à recta ratione aversi motus animorum potentes Corpus alterare et à naturali statu evertere, et moderati quidem prodesse possunt, ut ira interdum profuit excitando calorem torpescentem immoderati obesse ut sæpe ad mortem duxerint, sic

xerint, sic multi mortui gaudio, moerore, irâ: multi resoluti. Sunt autem affectus ani
mi multi: Timor, Diffidentia, Desperatio, Pudor, Laetitia, Ira, Odium etc. quae omnia non
nulli volunt reduci ad duo; Ad Dolorem et ad Voluptatem.

DE REBUS PRAETER NATURAM

Sic dictae, qui Corpus nostrum à naturali statu detrudunt, sunt nume
ro tres: Causa, Morbus, Symptoma.

DE CAUSA.

Causa est affectus praeter naturam, qui suapte natura ei qui fit morbo, aliquam suae gene
rationis partem confert. Duplex autem est causa morbi: Externa et Interna. Externa
est, quae vel extra corpus fit, vel à rebus externis nimirum à Corpore aliis oriatur, ut ci
bus, potus, ira, tristitia. etc. Vocatur etiam haec primitiva seu praeincipiens. Interna est,
quae praecedens et Antecedens dicitur, quae in animalis corpore reperitur in Celso dicta
abdita. Solis enim Medicis cognita ut causa inflammationis est Sanguis, sic enim
in corpore est, nec datur aliquod medium inter Sanguinem et inflammationem. Galenus
inter causas facit mentionem concausae, quae est Causa sine qua non dicitur. Vult eam
esse, quae etsi non conferat per se ad morbi generationem et morbus sine ea fieri potest,
tamen à morbo non potest separari ut dolor in inflammatione.

DE MORBO.

Morbus est affectus praeter naturam partis vel totius Corporis ab interna vel externa
causa ortus. Imo per se et sensibiliter laedens Actionem. Tria sunt genera Morborum: A
lij enim morbi sunt partium similarium, alij instrumentalium, alij utriusque communes. Si
milarium partium dicuntur morbi intemperiei instrumentalium dicitur mala composi
tio seu constitutio: Utriusque communis est solius unitatis. Intemperies est excessus cujus
cunque Qualitatis vel defectus, et haec aut cum affluxu materiae aut citra affluxum, si
citra affluxum materiae vel est Qualitas una et simplex vel composita, ut calida et sic
ca etc. Aut cum affluxu materiae et pro specie materiae erunt differentiae, et adhuc erit
intemperies aequalis aut inaequalis, aut in toto aut in parte. Mala compositio specta
tur in figura, in numero partium, in Quantitate, in situ. Unitatis solutio autem est frac
tura, si in osse contingat, aut ulcus sive vulnus, si in carnosa parte, aut ruptio si in
venis, aut convulsio in nervis aut excoriatio in cute. Insuper morbi alij sunt acuti
alij longi. Acuti qui terminantur in quatuordecim diebus, et horum alij peracuti qui
septimo alij exquisite qui acuti qui quarto terminantur. Qui vero praetenduntur ad diem
vigesimum dicuntur acuti ex decidentia. Longi sunt qui superant terminum acutorum. Item
Alij sunt morbi patrij qui unum locum semper occupant. Alij vulgares seu Epidemici qui an
ni aliquo tempore in aliqua Regione grassantur, qui si sint perniciosi, dicuntur pestilentes.
Alij maligni cum gravibus symptomatibus, alij benigni cum parvis. Alius morbus magnus seu
vehemens, talis dicitur tripliciter. Imo Dignitate quod fit in parte Principe. Alius vehemens
essentia hoc est sua natura. Alius vehemens symptomatibus dicitur et mali moris. Alij ex
quisitus seu legitimus ut tertiana ex bile sincera. Alius illegitimus seu nothus ex bile mista

cum pituita

cum pituita. Alij morbi simplices. Alij cum alijs complicati. Alij ordinarij tempo-
ribus statis redeuntes. Alij inordinati seu erratici. Alij recidivantes, qui cum remis-
sent iterum acuuntur. Alij per se seu per essentiam qui primario partem occupant. Alij
per consensum seu per accidens ut cum pars una trahit alteram in consensum. Alij salu-
tares, alij lethales. Notabis morborum tempora esse quatuor: Principium, Augmentum
seu incrementum, status seu vigor et Declinatio, dicuntur et aetates morborum. Sine his
Crisis praedici non potest. Crisis autem est motus ad sanitatem aut ad mortem. Sunt
natura acti per sputum, vomitum, hemorrhoidam narium, alvi fluxum, hemorrhoidas, ab-
scessus, urinam, sudorem, insensilem evaporationem.

DE SYMPTOMATE

Symptoma est affectus praeter naturam nostri corporis qui morbum velut umbra corpus sequi-
tur V.G. ut ad febrem sequitur dolor capitis, sitis &c. Symptomatum autem sunt genera tria.
1mum Actionis laesae. 2dum Affectus nostri corporis. 3tium excretorum e corpore vel retento-
rum praeter naturam. Actio laesa fit tripliciter diminute, abolite, depravate et haec vel anima-
lis, vel vitalis vel naturalis actionis. Symptoma autem ad affectus nostri corporis relatum est
aliquantum permanens etiam ablato morbo. Tales affectus sunt visiles ut colores V.G. Color fla-
vus in Ictericia. Odorabiles ut foetores aurium. gustatiles, ut sapores. Tactiles ut cutis
durities, siccitas &c. Sic aliquando vel difficilis auditus vel surditas sequitur ad morbum. Por-
ro excreta et retenta aut sunt toto genere praeter naturam, aut qualitate peccant aut
quantitate, praeter naturam toto genere ut si sanguis excernatur, sic enim est naturae adeo
familiaris; qualitate ut odore colore, ut si exhalet odorem tetrum, qui ei naturaliter non con-
venit; quantitate, ut si feces vel nimium excernantur vel retineantur, sic Urina, sudor &c.

DE FEBRIBUS

Reliquum est ut examinemus qui Morbi Universum Corpus et qui determinatas par-
tes occupare consueverint, incipientes a febribus quae sunt Morbi totius. Febris est autem
species calida primo cordis, deinde totius corporis a calore igneo per sanguinem et spiritus
mediantibus arterijs difuso actiones laedens. Tria sunt prima genera febrium nempe in
Spiritibus, in humoribus in partibus solidis. Si in spiritibus fit accensio dicitur fe-
bris effemera seu diaria et haec vel est simplex scil. 24 tantum horarum et dicitur ef-
femera simpliciter, vel effemera duorum vel plurium dierum et dicitur effemera cum
casectione. Vel fit accensio in humoribus et dicitur febris humorales aut putrida, et hoc
dupliciter, aut enim humores putrescunt intra vasa aut extra. Si intra aut om-
nes humores putrescunt, aut unus. Si omnes aequaliter, oritur febris dicta continens
seu synochus putrida, quae omni magna mutatione caret donec cesset. Tres ejus differen-
tiae. 1ma dicitur ὁμοτονος seu acmastice, quae a principio ad finem aequali magnitu-
dine durat. 2da dicitur epagmastice quae ad finem semper augetur. 3tia paragmastice
quae paulatim semper declinat. Quod si unus humor putrescat intra vasa dicitur continua
et si putrescit bilis, dicitur tertiana continua, quae nunquam intermittit seu ut loquuntur
Medici nunquam venit ad infebricationem, tamen tertio quoque die exasperatur et postre-

mittit dicitur ardens vel candens. Si vero putrescit pituita dicitur quotidiana continua. Si humor Melancholicus dicitur quartana continua. Cum autem humores extra vasa putrescunt, oriuntur febres intermittentes seu pervenientes ad imperfectam infebricationem seu quietem. Est autem et quotidiana intermittens et tertiana et quartana. Quotidiana alia est exquisita ubi dulcis pituita extra vasa putrescit et habet singulis diebus accessiones et intermissiones; aut non exquisita, ubi vitrea pituita ex dimidio fuerit putrida ex dimidio non, dicitur Epiala in qua singulae partes corporis simul et callent et frigent. Tertiana febris est, quae tertio quoq die redit unum tantum intermittit, et est vel exquisita in qua sola bilis putrescit, vel spuria ubi bilis nonnihil pituitae permiscetur. Quartana intermittens ex Melancholico oritur putrescente extra vasa sic dicta quod quarto redeat et duos integros intermittat. Meminit Galenus quintanae, sextanae, septimanae, nonanae quae vix aliquando conspiciuntur. Huc refer pestilentiales in quibus adest excellens gradus putredinis et proprietas quaedam substantiae seu qualitas venenata et periculosa. Est etiam febris Lipiria in qua partes internae uruntur, externae frigent, hac accidit inflammatione partium internarum; Quae vero ex pulmonis, ventriculi, jecoris eresipelate oritur, dicitur ardens perniciosa, inter putridas continuas est febris Hiphodes seu humida, quod in ea corpus perpetuo sudore exsolvatur. Febres adhuc aliae sunt Tipica, quae statis temporibus habent suas accessiones et remissiones: Aliae Eraticae quae contra se habent. Item febris alia est morbus id est per Essentiam, alia accidens id est per consensum. Tertium genus febrium est, cum in partibus Corporis solidis fit caloris praeter naturam accensio et dicitur Hectica, ubi autem liquari ceperint partes solidae et corpus insigniter tabescere, dicitur marasmus. Compositarum febrium sunt variae differentiae; Vel enim quotidiana, tertiana, quartana componuntur circa partem aliquam laborantem, vel certe ob partium inflammationes febres accensae miscentur. Citra inflammationem seu per se dupliciter miscentur, aut enim complicantur quando diversis horis invadunt, aut confunduntur quando una fermè et eadem hora ut vix discerni possint, miscentur. Fit etiam ut tertiana intermittens jungatur quotidianae continuae et dicitur Semitriteus seu semitertiana junguntur et intermittentes secum invicem et continuae secum invicem et intermittentes cum continuis

DE MORBIS CAPITIS INTERNIS

Dolor Capitis aliquando dicitur Cephalea si vehemens et permanens sit; aliquando Cephalalgia sive sola si sit minor Hemicrania dolor mediae partis capitis: Scotaphos dolor temporum. Scotoma seu vertigo obtenebratio oculorum, ubi omnia circumagi videntur. Incubus hic putant se homines noctu premi aliqua gravi mole ob vapores crassos se insinuantes in meatus cerebri ut ad diaphragma non veniant spiritus animales et si in fauces sese insinuaverint illi vapores, vox supprimitur. Epilepsia est ablata functio principalis sensus et motus convulsione manente ab obstructione Ventriculorum cerebri ex vaporibus dicitur morbus sacer, herculeus, puerorum, Lunaticus. Apoplexia est privatio subita sensus et motus cum stertore ex obstructione substantiae cerebri a materia crassa et copiosa, dicitur et morbus attonitus. Phrenitis est delirium continuum cum febre acuta et inflammatione cerebri et meningum. Paralysis est privatio sensus vel motus vel utriusq partis alicujus corporis ex affectione alicujus partis cerebri vel spinalis medullae maximè a materia frigida et crassa. Lethargus est inexpugnabilis

expugnabilis

expugnabilis dormiendi necessitas actioq; læsa, principes et sensus communis cum febre ab inflammatione ex humore pituitoso putrescente, cerebrum obsidente. Coma soporiferum et somnus profundus citra febrem ab intemperie frigida vel humida vel utraq; vel cum sine materia non possunt hic attollere ægri oculos. Coma vigil est defectus somni cum summa proclivitate ad somnum propter admistionem humoris calidi putrescentis vel intemperiei calidæ vel siccæ vel utriusq; vigilat homo nec surgere potest. Catochus seu congelatio est immobilitas totiq corporis in ea figura in qua est deprehensus homo à vapore frigido et sicco cerebro et nervis impacto. Spasmus seu convulsio est motus pravus musculorum ex nervis affectis inanitione vel repletione; Tres ejus species: Thetanus in rectum tendit cervicem. Emprostotanos mentum pectori contrahit; Opistotanos ad posteriora caput scapulis annectit. Melancholia est delirium sine febre ex humore Melancholico cerebrum occupante. Mania est furor citra febrem ex bile vel Melancholia. Licantropia cum homines putant se conversos in lupos. Tremor est motus sursum et deorsum. Catharrus est destillatio à capite ad partes infernas, et dicitur Coriza si destillet ad nares; si ad asperam arteriam, raucedo.

DE MORBIS OCULORUM

Opthalmia seu lippitudo est, cum alba oculorum inflammantur. Thoraxis est perturbatio oculi à pulvere, fumo, oleo. Cataracta seu suffusio est cum humor lentus instar glaciei inter corneam et Chrystallinum concretus circa pupillam subit. Phlictenes seu vesica est cum cornea repleta aquositate extuberat. Vlcus corneæ cum eroditur cornea à materia acri. Rexis est ruptura corneæ usq; ad procedentiam uveæ. Hypopion est collexio puris sub cornea ex tumore. Midriasis est dum dilatatur pupilla ex humore replente. Pthisis seu tabes pupillæ est imminutio Ragoidis ex humida intemperie vel ob defectum albuginei in humoris. Sugillatio oculorum est ubi sanguis è venulis effusus tingit ad natam et corneam. Pteribion seu Unguis cum caro adhæret tunicis oculorum externis genita ex sanguine abundante. Leucoma seu albugo est crassities corneæ à Cicatrice. Epiphora seu lachryma est serositas à cerebro manans in angulos oculorum. Rhoas est imminutio carnis lacrymalis ab acri humore. Encantis est additio carnis lachrymalis ex abundantia sanguinis. Egilops est tumor in majore angulo oculi qui neglectus degenerat in fistulam usq; ad os. Angilops tumor qui abit in ulcus sed sine fistula. Morbi totius oculi: Atrophia imminutio totius oculi ex defectu alimenti expressio seu exitus oculi est prominentia ob septimum musculum non potentem regere oculum. Strabismus est visio inæqualis oculorum propter vitium musculorum motivorum. Lusciosi dicuntur, quia à nativitate vident parva prope sed remote etsi magna non vident. Nictalopia est cæcitudo nocturna, in qua quis interdiu quidem videt Sole occidente minus, noctu nil penitus, dicuntur Hi Luscitiosi. Hebetudo oculorum fit ob crassos spiritus vel tunicas densas vel humores oculorum lentos. Paralysis oculi cum motiones oculorum non possunt exerceri sursum, deorsumve. Gutta serena dicitur in qua homines nil vident, nulla labe apparente in oculo propter obstructionem nervorum Opticorum, in eo loco, in quo congrediuntur et uniuntur. In palpebra nascitur Horodeolon tumor grano hordei similis oritur et grando tumor mobilis huc atq; illuc.

AFFECTUS AURIUM

Othalgia dicitur dolor aurium ex quacunq; causa. Barikia est difficilis auditus. Sirismus est tinnitus seu sonitus aurium. Cophosis est surditas vermiculantes aures sunt scatentes vermibus.

Psyrea in adenis longæ eminentiæ sub auribus. Parotis est inflammatio in glan-
dulis post aures. Marmorata seu cerumina sunt aurium sordes.

AFFECTUS NARIUM.

Ozæna sunt exulcerationes narium cum fœtore. Polipus tumor in narib. similis car-
ni piscis polipi. Miza est destillatio pituitæ per nares à cerebro, dicitur et mucus. Sar-
comia carnis incrementum in naribus præter naturam. Hemoragia narium sanguinis
profluvium ex narib.

AFFECTUS FACIEI

Ephilis nigrities ex ardore Solis. Lentigo macula ad
instar lentis. Varus tumor qui instar fimi faciem fœdat.

VITIA DENTIUM.

Odontalgia omnis dolor dentium. Odaxismo est pruritus
dentib. erumpere conantib. Dentitio eruptio dentium infan-
tib. Stupor dentium ex reb. acidis. Parulis inflammatio
gingivarum suppurata. Epulis excrescentia carnis ab inflamma-
tionem juxta intimum molarem dentem.

VITIA ORIS

Batrachos seu ranula tumor puerorum sub lingua. Aphte ulcera oris calida in superficie.
Cynicus Spasmus seu tortura oris, cum os motum est in quamcunq. partem. Squinantia seu a-
ngina inflammatio faucium, ejus quatuor species. Si inflammatio occupet internos gut-
turis musculos, dicitur Cinanche, si externos paracinanche, si gulæ musculos internos di-
citur Sinanche, si externos parasinanche. Paristmia seu tonsillæ inflammatio partis in-
ter os et guttur. Staphile seu columella seu Uva in qua columellæ pars inferior est la-
xa major livida, superna tenuior. Balbus dicitur qui in loquendo literam vel Syllabā
omittit. Blesus qui certam aliquam literam non exprimit.

VITIA THORACIS

Dispnea est omnis spirandi difficultas. Asthma difficultas cum sonitu. Ortopnea spiratio
recta cervice. Pleuritis inflammatio Pleuræ seu membranæ succingentis costas. Peripneumo-
nia inflammatio pulmonis cum febre. Hæmoptoses sanguinis sputio. Empiema collectio puris
inter thoracem et pulmonem. Phthysis macies totius corporis potissimum ex ulcere pulmonis.
Palmos seu palpitatio motus cordis frequens, vehemens, depravatus. Syncope omnium viri-
um lapsus, vitio spirituum vitalium. Lipothimia est via ad Syncopen.

MORBI VENTRICULI

Cardiaca seu Cardialgia seu Cardiognos est morsus acris superioris oris Ventriculi. Ar-
dor gulæ seu stomachi est vehemens calor à bile. Anorexia est abolitus appetitus. Caninaap-
petentia vehemens fames à qua impleti vomunt et rursum se implent et iterum vomunt. Bu-
limus est vehemens fames. Κιττα seu pica potissimum mulieris appetitus cum extranea appe-
tit ut carbones etc. Apepsia ~~[illegible]~~ omnimoda cruditas ciborum. Dispepsia permutatio cibi
in alienam qualitatem. Bradipepsia valdè tarda coctio. Nausea irritus ad vomitum conatus.
Vomitus ejectio contentorum in capacitate Ventriculi. Singultus motus ventriculi vel ut
convulsivus ad expellendum noxia. Cholera ejectio bilis per superiora et inferiora. Κιλιακη
seu celiaca passio ubi egeruntur ex Ventriculo cibi non cocti.

MORBI IECINORIS et LIENIS

Jecinerosi dicuntur hepate imbecillo. Cachexia est malus corporis habitus quasi via ad Hydropem. Hydrops est aqua inter cutem. Triplex est Hydrops: Ascites venter intumescit, habens plus aquæ, flatus minus. Anasarca aqua in toto corpore. Tympanites venter tumet à flatu magis quam ab aqua & percussus sonat. Icterus flavus effusio bilis flavæ per corpus universum. Niger effusio humoris Melancholici, dicitur & morbus regius, arquatus, aurigo. Lienosi appellantur qui Lienem habent obstructum vel tumentem ab humore Melancholico.

VITIA INTESTINORUM.

Diarrhæa est copiosus alvi fluxus sine ulcere & inflammatione. Lienteria seu levitas intestinorum ubi cibi excernuntur non alterati statim ab assumptione. Dissentheria est fluxus alvi cruentus cum torminibus. Colica passio est dolor vehemens quasi perforativus in intestino Colo situs. Iliaca passio est dolor vehemens in tenuibus intestinis in quo prohibetur transitus & excrementorum & flatus ut aliquando ejiciantur per os. Dicitur & convolvulus & miserere mei. Thenesmus est crebra & inanis egerendi voluntas. Lumbrici triplices sunt. 1mò Theretes seu rotundi habent longitudinem palmarem, protenduntur ad ventriculum, sunt proprij infantium excernuntur aliquando per os. 2do Ascarides seu tenues & breves in recto intestino reperiuntur. 3tiò Lati dicti Tineæ & fasciæ extenduntur super omnia intestina. Hemorroides sunt venæ circa anum si non fluunt dicuntur cæca, si reddunt sanguinem, dicuntur apertæ. Ragades sunt scissuræ seu rima in musculo sphinctere. Condilomata sunt rugæ callosæ circa anum. Sicon seu ficus seu marisca est ulcus durum rubeum, dolorificum circa anum.

VITIA RENUM

Nephritis est vitium qualecunq Renum. Iscuria est omnimoda urinæ suppressio. Stranguria est stillicidium Urinæ. Disuria difficultas urinæ cum dolore. Diabetes cum ægri copiosè bibentes statim reddunt potum immutatum. Lithiasis est Renum vel Vesicæ calculus.

VITIA ARTICULORUM

Arthritis est dolor in quibusvis articulis corporis, qui si sit in articulis pedum dicitur podagra. Si in manibus χηραγρα. Si occupet genua Gonagra. Hyschiadicus seu Coxendicus dolor seu sciatica ubi pars afficitur in qua femur cum superiore parte conjungitur. Coxendicus dolor dicitur à coxa.

QUARTA MEDICINÆ PARS

est Σημιοτικὴ tractat de Signis.

Primò ergo breviter de signis agemus; Secundò de Judicijs. Tertio de urinis. Quartò de pulsibus. Signum est rei alicujus significativum seu est propositio in anima ab intellectu objectis sensibilibus adjuto producta ut ignotum in Medicina innotescat. Signum & Indicium differunt. Indicium certum est; Signum potest fallere. Signa alia sunt Salubria, alia insalubria, alia neutra.

lia neutra. Signa præsentia dicuntur diagnostica. Futura dicuntur prognostica.
Præterita ἀναμνηστικὰ seu memorativa παθογνωμονικὰ, quæ sunt huius morbi
propria, ut delirium continuum cum febre acuta. Preritiais pathognomonica. Πρὸ
σήμαντα signa incipientis mali ἐπιγενόμενα supervenientia. Συνδρομὴ
circumstantia. Syndromen autem signorum est concursus seu collectio eorum: Si,
gna cruditatis quæ materiæ in morbis cruditatem notant, proinde aut nulla Crisis
futura, aut prava vel morbi diuturni vel recidivæ. Signa Coctionis nempe na,
turæ superantis morbum considerantur in excrementis alvi, urinæ, sputis, suntque si,
gna dicta judicatoria. Et hæc duplicia. Aut signa et Causæ simul quod et effici,
ant et significent ut V.G. vomitus, sudor, Hemoralgia. Aut sunt tantum signa, ut
pulsus inæqualis, delirium, hæc possunt dici indicatoria. Hæc omnia signa in suis tem
poribus morbi considerare licet; Tempora autem sunt alia Universalia quatuor an
te statuimus, Principium, augmentum, vigorem seu statum et declinationem.
dicuntur et ætates morbi. Sunt autem eadem tempora morbi particularia in acces
sionibus considerata. Accessiones sunt quæ dicuntur et paroxismi circuitus ab inva
sione morbi ad intermissionem. Datur igitur in paroxismo quovis principium au
gmentum status seu vigor et declinatio paroxismi seu accessionis, quæ in febribus in
termittentibus dicitur infebricitatio. Universale morbi principium noscitur ex natura mor
bi: Si enim acutus est morbus, anni tempus calidum, ætas et natura ægri calida Regio
victus præcedens calidus principium est quod brevi morbus percurret. Augmentum colli
gitur ex hora, si accessio citius invadat etsi accessio antevertendo in longius protrahitur
etsi vehementius affligerent quam antea et diutius duraverit. Vigor seu status noscitur ubi om
nia hæc habuerint se æqualiter. Declinatio noscitur ex signis contrariis augmento.

DE IUDICIIS SEU CRISIBUS

Judicium alias Crisis est subita in morbo mutatio: Si enim paulatim morbus solvatur
dicitur λύσις seu morbi solutio. Aut sic: Crisis seu Judicium (intelligimus autem bo
nam) est motus velox in die decretorio materiæ noxiæ concoctæ et universæ
propulsa ab internis partibus ad extra corpus per ductus convenientes ut
Sanitas citò, tutò, integre habeatur. Crisis seu Judicium aliud est perfectum
quod penitus tollit morbum, aliud imperfectum quod nonnihil ex morbo relinquit. Certum
quod non redit: Incertum quod recidivat seu redit: Periculosum quod cum vehementibus
Symptomatibus accidit; Securum quod secus. Manifestum quod fit evidenti excretione vel
abscessus: Obscurum quod secus. Judicatum quod die judicatorio est ostensum, Non judi
catum quod secus. Sic Salutare ad Sanitatem, Lethale ad mortem. Boni judicii signa:
1mum: Coctiones in urinis, dejectionibus, sputis. 2dum si die id indice appareat. 3tium Si
die judicatorio id fiat. 4tum Si fiat modo congruenti morbo. Hæc omnia ex definitione Cau
sali Num æger servabitur aut non; cognoscitur 1mò Ex specie morbi: Morbus si sit saluta,

ris ex se ut

ris ex se ut tertiana intermittens febris diaria: Contra Apoplexia est periculosa. 2do Ex magnitudine; Si enim vehementia sint Symptomata propria lethalis morbus ut in Apoplexia respiratione ablata. 3tio Ex more scil. si boni vel mali moris est, id est, malignus & cum Symptomatibus ultra rationem morbi; vel benignus. Si per hemoraloiam narium terminandus sit morbus, sunt signa: 1mum Splendores oculis obversantes. 2dum Oculorum hebetudo. 3tium Oculi lacrymantes 4tum Rubicundi. 5tum malæ & nares rubræ. 6tum Hypocondriorum tensio citra dolorem. 7mum Spirandi difficultas. 8vum Dolor capitis. 9num Viscerum phlegmones seu inflammatio 10mum Nares prurientes. 11mum. Si sano fluere consuevit sanguis, sit ætas florens tempus & Regio calida. Vomitus futuri signa. 1mum Oris ventriculi morsus 2dum Capitis dolor. 3tium. Ejusdem vertigo. 4tum Tenebrosa oculis obversantia 5tum. Labri inferioris agitatio. 6tum Saliva multa & tenuis. Signa Sudoris futuri; Si urina & alvus supprimatur & rigore æger corripiatur, sudor futurus est, quod si urina tantum sit suppressa & alvus multa excrevit & excernit, non fiet sudor quia serositas excreta per alvum. Si tamen alvus parce fluxerit, sperandus sudor; Ad hæc si æger delirav erit, si externæ partes calidiores ac rubicundiores fuerint & pulsus undosus. Si junguntur signa vomitus & per sudores & per vomitum fiet judicium. Idem censendum & de judicio per Vrinam. Si nulla signa vomitus fuerint & sudores per alvum fiet Crisis potissimum si murmura & dolores in ventre inferiore excitentur. Abscessus futuræ notæ communes si æger se salubriter habet, si morbus sensim non solvitur, si urina tenuis & cruda. Quodsi ad superiora abscessus est futurus, corripit subito spirandi difficultas, deinde dolor capitis & gravitas, surditas, sopor gravis ex his sperandus abscessus post aures. Quodsi morbus sit diuturnus, nullum adsit signum ex dictis, adsit dolor, tensio, gravitas, inflammatio partium infernarum expectandus est abscessus in partibus infernis. Porro cum judicium certo aliquo die fieri debeat sciendum apud Medicos tres esse septimanas: Primam habere dies septem; Alteram itidem septem; Tertiam sex tantum proprios, quod nimirum ultimus secundæ septimanæ, id est, decimus quartus sit principium tertiæ septimanæ, ita ut tres septimanæ efficiant dies tantum viginti Finitis his tribus septimanis item incipiendum ut ante computando tres septimanas & in his dies. Dies autem harum septimanarum alij sunt indicatorij seu contemplabiles: Alij decretorij seu judicatorij seu Critici. Judicatorij dicti quia decretorios seu Criticos indicant. Quartus autem in quavis septimana est judicatorius septimi; Septimus verò cujusq septimanæ est Criticus seu judicatorius, eo enim judicatur æger vel ad salutem vel ad mortem: Sunt & dies intercidentes apud Medicos qui faciunt ne diebus decretorijs fiat Crisis quos efficit & morbi malignitas & causa morbifica & accessiones quæ si invadunt diebus imparibus, imparibus quoq fiunt judicia. Edisceendus est ille Aphorismus Hippocratis. 2do Aphorismorum 24. Quartus septenorum est index. Octavus alterius septimanæ initium, est verò & undecimus contemplabilis, ipse enim est quartus alterius septimanæ. Contemplabilis rursus decimus septimus, ipse enim est quartus à decimo quarto & septimus ab undecimo.

DE VRINIS

Vrina est

Vrina est excrementum serosum in hepate ex aquosis humiditatibus genitum, à renib. attractum per vrinarios meatus ad vesicam delatum. Optima est substantia mediocris, q. pia. respondens potioni colore subruffo seu potius citrino, sedimento albo et æquali. In vrina considerantur quatuor: Color, consistentia, quantitas, contenta. Coloris potissimè differentiæ sex: Albus, pallidus, Ruffus, flavus, ruber, niger; hinc subalbus, subpallidus etc. Ad nigrum autem referes viridem, lividam, fuscam etc. Consistentia in vrina est triplex: Crassa, mediocris, tenuis. Mediocris est naturalis: Quantitas itidem multa, pauca vel mediocris. Mediocris est naturalis proportione respondens potulentis. Contenta sunt tria: Nubecula, sedimentum seu hypostasis, et sublime seu suspensio, in summa vrina superficie est nubecula. Sedimentum in fundo matulæ. Sublime seu suspensio in medio dictorum duorum.

QVID EX HIS PRÆDICENDVM

Alba notat cruditatem, debilem facultatem, jecur frigidum, obstructiones, oligoposion potionem in acutis morbum protendit, deliria ob raptum materiæ ad caput. Pallida imperfectam adhuc coctionem, sed meliorem priori. Ruffa et flava coctionem perfectiorem. Rubra usum multorum et acrium ciborum et aliorum bilem generantium. Nigra notat velementissimum calorem vel extremam frigiditatem fermè semper lethalis. Si venea sit notat assari sanguinem. Fusca bilem aduri. Viridis excessum in quantitate et qualitate notat. Oleaginosa colliquationem à calore si non sit corpore obeso. Quoad consistentiam. Tenuis est ab imbecillo calore notat cruditatem, obstructiones maximè si sit et alba. Crassa abundantiam humorum circa ventriculum, intestina, cava jecoris. Si in febri ex tenui crassa evaserit declinatio est futura brevi. Si ab initio crassa et crassescat postea, virtus est imbecilla et humorum multitudo. Crassa ut jumentorum, dolorem capitis pronuntiat. Crassa et alba arguit maximam cruditatem; in laboriosib. etiam febribus abscessum significat. Vrina multa redditur in sanis ob multam potionem vel usum diureticorum, In ægris multa ob calorem, etsi alvus sit adstricta. Pauca vero si cibus et potus paucus exercitium corporis vehemens, obstructiones meatuum, calor febris absumens serum, vel debilis facultas serum attrahens, rem et de alijs esto judicium. In contentis aliquando apparent ramenta; si sit multa notatur materia semicocta talis qualis color, si pauca mitior est malitia humoris, interdum capilli ob vehementem calorem renum. Caruncula ob renum exulcerationem, arenulæ calculum, pus et squamæ exulcerationem vesicæ, Sanguis venæ ruptionem. Fœtor putredinem pinguedo supernatans colliquationem à calore vehementi. Egestio debet esse ejus consistentiæ ut nec sit dura ut lapis, nec mollis ut diffluat et respondens assumptis, et si excernatur tempore consueto sanitati. Alba cruda est, viridis bilem æruginosam denotat, nigra humorem Melancholicum. Livida frigus, pinguis et viscida colliquationem, fœtida putredinem, stridens flatus, spuma pugnã flatuum cum humiditate. Sputum mala thoracis denotat sed sit album, æquale, neq. tenue neq. crassum bonam notat coctionem, alias contrariam. Sudor bonus est, qui die critico ac

cidit Indi

cidit, indicatus die indice & finit morbum, & si manat toto corpore vel saltem ali quam morbi partem auferens, contrarius sudor malus. Si febris acuta sit, sudores frigidi & si sint toto corpore mali sunt, ut & illi mali qui sunt circa caput, cervicem & si sint calidi.

DE PULSIBUS.

Pulsus est actio seu motus systoles & diastoles, primò cordis, deinde arteriarum à facultate vitali, ad aeris attractionem et excrementi fuliginosi expulsionem. Diastole est dilatatio cordis & arteriarum. Systole constrictio eorundem. Pulsus alii sunt simplices alii compositi, alii pulsuum relationes. Simplicium genera sunt quinque. Primum est quantitatis seu quantitatis diastolos arteriæ. Hinc est pulsus magnus mediocris, parvus. Magnus est, qui consistit in longitudine, latitudine & profunditate arteriæ. Parvus est contra. Mediocris medium tenet in his. Secundum genus refertur ad tempus motus arteriæ: hinc est celer, mediocris, tardus. Tertium refertur ad quietem, quies autem est duplex, tam illa quæ sequitur diastolon, quam quæ sequitur systolon; hinc est creber, mediocris, rarus. Quartum spectat ad robur virtutis. Hinc vehemens, mediocris, languidus. Quintum ad corpus arteriæ. Hinc est mollis, mediocris, durus. Compositi pulsus sunt ex simplicibus constantes. Relationes pulsuum sunt, dum pulsus ad alios pulsus vel partes eorum ad alias partes refertur; hinc oriuntur quinque genera: Æqualitas, Inæqualitas, Rythmus, Ordo, Ordinis perturbatio. Æquales sunt vel simpliciter, qui sibi continuò sunt æquales vel certi alicujus generis, ut æquales in magnitudine, celeritate, vehementia. Idem de inæqualibus intellige. Hæc porrò inæqualitas habet duas species collectitiam & singularem. Collectitia est, ex pluribus pulsibus est æqualiter inæqualis huc refer pulsum dictum miurum s. decurtatum. Prima hic pulsatio est major, secunda minor, tertia minor prioribus & sic ad plures ad instar caudæ muris. Et hi vel sunt miuri s. decurtati deficientes, qui minuuntur ad defectionem, vel durant in ea parvitate ad quam pervenerunt, & hi non habent nomen. Aut sunt decurtati reciproci, qui à parvitate ascendunt. Huc refer inæqualiter inæquales potissimum 4tuor. 1mò Intermittentem, cum post plures magnos unus apparet minor, vel totus abolетur, sive unus sive duo ictus vel plures. 2dò Intercurrentem dum inter duos ictus tertius intercurrit. 3tiò Deficientem, cum arteria cessat à motu. 4tò Deficientem reciprocum, cum arteria iterum incipit moveri. Inæqualitas singularis aut est in una parte arteriæ, & oritur vel intermittens in uno pulsu, id est interruptus quiete, vel est impar citatus, id est continuus sine quiete media. Vel sunt Dicroti s. bis pulsantes, nimirum antequam subsideat arteria iterum pulsat. Pulsus compositi inæqualiter sunt hæc nomina. 1mum. Undosus, cum nimirum prima arteriæ pars elevatur, deinde alia, post et alia. 2dum Vermicularis est undosus sed ad parvitatem redactus instar vermis movetur. 3tium Formicans est creberrimus & languidissimus. 4tum Caprizans, hic videtur paululum intercisus, deinde citatior. 5tum Convulsorius, præbens sensum instar chordæ tensæ. 6tum Serratus, ubi alia pars arteriæ est magis dilatata alia minus. 7mum. Turbulentus seu vibratus, cum eodem tempore, aliæ partes arteriæ sursum, aliæ deorsum ferri videntur. 8vum Hecticus semper sibi similis in parvitate. 9num Palpitans id est tremulus. 10mum Strepens, vehemens cum duritie, velut strepens sub digitis. 11mū

Rythmus

Rytsmus est concinnitas pulsus, qui si respondeat debitè temperamento, ætati, sexui, Regioni, dicitur Eurytsmus; si ab eo discedat, dicitur arytsmus: si vero respuat proprium ætatis & vicinæ imitetur, pararytsmus dicitur. Si cujusvis ætatis habeat heterorytsmus: Si nullius ekrytsmo appellatur. Ordo porrò in pulsibus æqualibus semper adest, & dicuntur ordinati, qui servant in multis pulsationibus suam æqualitatem; Inordinati contra.

PROGNOSIS PVLSVVM

Magnus simpliciter significat calorem magnum & vehemens robur facultatis. Parvus caloris imminutionem, si sit et languidus, imbecillis est facultas. Celer in ægrotanti morbum calidum & vires exiguas. Tardus & languidus imbecillem facultatem. Creber morbum calidum vel facultatem debilem. Rarus morbos frigidos. Vehemens robur facultatis aut causæ morbificæ irritationem. Languidus debilem facultatem. Mollis humilem arteriam. Durus siccam. Ex his facile judicium erit de pulsibus compositis. In febre diariâ vehemens est diastole, seu systole vehementior. In hecticâ parvi, celeres, crebri, languidi. In putrida contractio celerior; In biliosâ magnus, celer, creber: In Melancholica parvi rari. In pituitosa, minimi & tardi. In pestilenti seu maligna parvi, languidi, celeres, crebri.

QVINTA PARS MEDICINÆ TERAPEVTICE

Hæc docet rationem curandi, quæ quia fit per Indicationes, ideò videamus breviter, quid Indicatio, coindicatio, contraindicatio. Indicatio est Insinuatio agendi, quæ velut digito ostendit ex natura indicantis, quod agendum. Vel sic: Indicatio est comprehensio seu cognitio juvantis simul & indicantis per intellectum coacta, citra analogismum & Experientiam, ut sanitas deperdita restituatur. Coindicatio est, quæ simul aliquid indicat, cum Indicatione à natura rei sumptâ, ut sunt vires, temperies, ætas, anni tempus, Regio, consuetudo, quæ quando cum natura morbi simul consentiunt, coindicare dicuntur. Contraindicatio est impedimentum, quo prohibetur id fieri, quod ab indicante indicatur. V. G. plenitudo indicat Venæ Sectionem, vires languidæ contraindicant. Triplex est potissimum indicatio: Præservatoria & hæc debetur causæ. Curatoria & hæc propriè debetur morbo, tum & Symptomati. Vitalis debetur facultati seu viribus. Porrò Medicina universa versatur in quatuor potissimum, In adhibendis, ut est cibus potus, intus assumpta Medicamenta. Faciendis, ut frictio exercitatio &c. Educendis, ut sunt excrementa in toto vel in parte. Foris incidentibus, ut aer unguenta, lavacra, thermæ &c. in quibus omnibus observanda est qualitas, quantitas occasio, quæ ex natura morbi sumuntur. Nota communem Indicationem curationem esse contrarietatem, sive contraria contrarijs curantur. Morbus ergo judicat sui ablationem per contraria, causa præservationem, facultas sui conservationem. In contraindicationibus Medicus ita se gerere debet, ut illi potius studeat quod magis urget V. G. si adsint humores in

Corpore

Corpore corrupti indicant sui vacuationem, si vires admodum debiles contraindicant et prohibent eandem vacuationem; prius ergo reficiendæ vires, deinde vacuandum, et si non audemus confestim sive unica vice, partitis id vicibus tuto faciemus. Habitis recte Indicationibus veniendum ad præsidia. Hæc vel est diætetica, hoc est ad diætam pertinentia, de his actum est circa res non naturales, vel ad Chyrurgiam, de his egimus magna ex parte cum de venæ sectione, de cucurbitulis et de alijs vacuationis generibus in communi superius docuimus. Restat ut nunc Medicamenta quæ sunt magis in usu proponamus.

DE PHARMACIA.

Antequam ad rationem pharmacorum accedamus, prius breviter pondera et mensuras eorum explicabimus; Sunt autem hæc potissimum quibus hodie Medici utuntur. Libra (℔), Uncia (℥j), Drachma (ʒj), Scrupulus (℈) Grana (gr.), Gutta (g.), Manipulus (m.) Pugillus (p.). Libra continet Uncias 12. et hæc est Medica. Mercatorum enim continet Uncias XVj. Uncia porro habet Drachmas Vjjj, Drachma autem Scrupulos tres ita ut Drachma sit octava pars Unciæ. Scrupulus habet grana XX jjjj, ut autem granis notantur sicca medicamenta, sic liquida guttis, et granum quidem per gr. notatur, gutta per solum g. Manipulis herbas mensuramus pugillis autem flores. Porro cum dicimus libram unam, duas, tres, numero Ecclesiastico hæc sunt notanda; quod est apud Medicos ana, alias per geminum aa. notatur, hoc significat æquales partes singulorum: Quando vero libram vel Unciam semis accipiendam præcipimus mediam intelligere oportet qui consonante s notatur. vel sic ß. Pharmaca alia sunt Vacuantia, alia Alterantia, alia Roborantia. Vacuantia per os, Lenientia sunt hæc: Syrupus Rosatus Solutivus vacuans bilem; mel rosatum solutivum pituitam. Syrupus de Polypodio Melancholiam. Syrupus Verneli Solutivus Catholicus omnes humores leniter vacuas. Hi omnes à longinquis partibus non trahunt, sed primas tantum vias blande expurgant. Dosis horum tam singulorum quam plurium simul mistorum est ad Uncias V vel VI vel etiam Vjj in robustioribus aut etiam minor Uncijs quinque in debilioribus. Exhibentur autem vel ex aqua Cicorei sive acrimoniæ si hepar respiciamus, vel ex aqua fumariæ si Liene vel betonicæ si Caput, vel decoctione cordiali si Cor, vel decoctione pectorali si pulmonem s. pectus. Inter hos Syrupos numeratur Manna, quæ exhibetur ad Uncias duas sola vel etiam tres ex ijsdem aquis vel decoctis superius memoratis. E. G. ad bilem primo, deinde ad pituitam. ℞ S. Ros. Solut. ℥iij, mel. Ros. Sol. ℥ij ex aq. agr. q. s. f. p. b. s. a. Sic si hos hos humores movere volumus, quod manna blande efficit. ℞ Mannæ Calabrinæ Electæ ℥ij vel in fortioribus ℥iij ex aq. agr. vel fumaria vel Cicor. id est, Cicorej q. s. f. p. b. Electuaria tria potissimum: Electuarium diaphœniconis purgat pituitam, de succo rosarum bilem, Confectio Hamech humorem Melancholicum, singula vel plura mista cum Syrupis ante dictis ad ℥iij vel jjjj exhibentur, dosis tamen Syruporum minuitur. V. G. ℞ S. Ros. Solut. Vern. (id est Verneli) Sol. aa. (id est ana) ℥j (id est Unciam unam). Syrupus Elect. Diaph. ʒiij (id est Drachmas tres) ex aq. agr. (id est aqua agrariæ) Q. S. (id est quantitate sufficienti. F. P. B. (id est fiat potio brevis) Idem de alijs esto judicium. Syrupi di

Syrupus notatur per S.
Mellis per Mel.
Rosati per Rosat.
Solutivi per Solut.
Aqua per aq.
Acrimonia per acrim.
Quantitate sufficienti q. s.
Fiat potio brevis secundum artem per F. P. B. S. A.

cti Man

cti & manna horis tribus & etiam duabus ante prandium commode exhibentur calidi, pra-
cticum dictis Electuariis 4 ad minimum 3 horas ante prandium. Electuaria dicta si
in bolo sumantur dosin ℥j (idest Unciæ uniq.) non debent excedere, ne magnitudine sint mo-
lesta ægroto exhibentur ʒiiij, V, VI, et amplius in robustioribq., condiuntur tamen sac-
caro pro ratione gustum. V.G. ℞ Elect. Diaph. (idest Electuarium Diaphoeniconis) ʒiij (idē drach-
mas tres) Conf. Hamech (idest Confectio Hamech) ʒij (id est drachmas duas) M. (idest mis-
ceantur) et ex saccaro F.B. (id est fiat bolq.) Plerumque tamen cum Electuariis dictis permis-
cetur cassia fistularis pro delicatis, tum & tamarindi, utrumque humores biliosos blande vacuat
possunt hæc sola exhiberi ad ℥j (idest Unciam unam vel aliquanto amplius in fortioribq., minus
si cum Electuariis misceantur. V.G. ℞ Cassiæ rec. ext. (id est recenter extractæ) ʒvj (idē
drachmas sex) Elect. Diaph. (id est Electuarii Diaphoenicis) ʒij (idest drachmas duas) Miscea-
tur & ex saccaro. F.B.S.A (id est fiat bolus secundum artem). Si sola Cassia exhibeatur, vel
pro basi permiscent nonnulli tantillum cynamomi ad corrigendos flatus. Tria potissimum
in medicamentis notanda. 1mum illud quod habet basis rationem, nempe quo principaliter
purgare intendimus hunc vel illum humorem. 2dum Adjuvantis quod nimirum vim prioris
promovet. 3tium Corrigentis quod nimirum habet vim corrigendi qualitatem Medicamenti,
quæ posset molestiam inferre. V.G. Si Senam ponas pro basi addes illiq. correctivum, vel se-
mina anisi & foeniculi & similia; quod autem promoveat vim illiq. si addas Rebarbarum,
vel agaricum trochiscatum. Sunt et quæ in pulveribus exhibentur, V.G. folia Senæ, quæ Me-
lancholiam vacuant, Rabarbarum quod bilem, agaricum Trochiscatum quod pituitam movet.
Exhibentur autem dicta cum suis correctivis, nempe cum seminibq. anisi, foeniculi, Cyn-
namomo; exhibentur autem singula vel simul sumpta in substantia i. pulvere ad ʒj (idē
drachmam unam) vel unam semis, cum correctivi ℈ (id est scrupulo) semis vel ℈j (idest scru-
pulo uno. V.G. ℞ Rabarb. Elect., Agarici Trochiscati aa. ℈ij. Seminum anisi, Cynam.
aa. ℈ semis. M.F. Pul. subtilissimus, detur ex vino vel Cerevisia vel jusculo aliquo horis
duabus ante prandium. His interdum additur diagrydium, hoc est scamonium prepara-
tum, quod quidem per se ad gr. 12 (idest grana duodecim) exhibetur pulverisatum ex
convenienti aqua vel vino &c. Cum autem aliis additur, prebentur ejus gr. iij. iiij plus
vel minus pro quantitate aliorum purgantium cum quibus miscetur, sed ubi additur dia-
grydium 4tuor aut ad minus tribus horis ante prandium sumitur V.G. ℞ Agarici
Trochiscati ʒj Diagrydii gr. iij M.F. pul. subtil. et ex tantillo vini Cerevisiæ calidæ vel
jusculi capiat horis tribq. vel 4tuor ante prandium. Idem existima de Trochiscis Alandali
purgant pituitam, ut diagrydium bilem. Serosos humores vacuat Radix Mechoacanæ, ex-
hibetur in pulvere ad ʒj & unam semis in fortioribq. cum correctivo seminum anisi, foe-
niculi & similibus: Radix Salapæ fortius vacuat serositates, dosis ℈ij V.G. ℞ Salapæ
℈ij (idest scrupulos duos) seminum anisi ℈j (idest scrupulum semis) M.F. pul. subt. capiat
ex vino vel jusculo horis tribq. ante prandium. Et Rebarbarum & folia Senæ & Agaricq. dan-
tur in infusione, quæ infusio debet durare horis 12 ad minus, additis simul correctivis, do-

sis horum

sis horum in infusione ℥iij vel iiij & plures in fortioribus, & miscentur cum syrupis lenienti,
bus ante dictis. V. G. ℞ S. ros. sol. Vemuli sol. aa. ℥j semis ex decocto cordiali ℥iij folia
senæ, seminum anisi ℈j per infusionem hor: vi alteratæ. L. S. M. F. P. B. da horis trib
ante prandium. Adsunt in officinis nostris pulveres purgantes. V. G. species diaturbit
cum Rebarbaro, datur ʒj una & S. (id est semis in fortioribus) ex aliquo jusculo ad ming tri,
bus horis ante prandium, sic pulvis senæ præparatæ s. diatartarum purgans Melancholiam
ad ʒj unam & semis præbetur. Species autem diaturbit purgant pituitam & bilem. Conserva
Rosarum Caryntiarum s. viennensium est in usu frequentissimo, sumitur illius ℥j per se
vel paulo amplius hora una vel media ante prandium, quod si illi admisceantur alia purgan,
tia, tum pro ratione eorum tribus vel quatuor horis ante prandium sumitur & accipitur illius
℥j semis. V. G. ℞ Conservæ Rosar. Carynth. ℥j semis diagrydij gr. vij m. F. P. B. hora 4.
ante prandium. Pillulæ s. Cathapotia a figura parvæ pilæ dicta ad ℈j vel unam se,
mis dantur si sint scammoneata, vel insit illis turbit vel colocynthis, horis 4tur ad minus
tribus ante prandium idque cum custodia, debent autem respicere & partes & humores purgat.
bilem à capite. Aureæ sine quibus Arabica, tum Lucis majores & minores quæ magis vacu
ant atram bilem & in doloribus oculorum commodè exhibentur. Pituitam vacuant Cochiæ
de Chera cum Agarico. A pectore eadem. A stomacho Aloes hangina stomachica, masti,
cinæ. A juncturis artriticæ, foetidæ. Atram bilem ab hepate & liene pillulæ de la,
pide lasuri, Indæ. V. G. ℞ Massæ pillularum Lucis minorum ℈ij cochiarum ℈j diagr
gr. iij & ex aqua foeniculi. L. S. reformentur pill. numero V. vel VIJ, idem de alijs esto ju
dicium; solent enim formari omnes numero V. vel VIJ vel VIIIJ. Aloë succotrina utimur
frequentissime in pill. vacuat biliosas & phlegmaticas serositates, dosis ʒj vel major vel
minor V. G. ℞ Aloes saccotrinæ ʒj ex aq. Cicor. L. S. Refor. pill. num. 7. possunt
accipi horâ mediâ ante prandium, aut etiam una, duæ vel tres pillulæ prima men
sa in jusc. caveatur in illis qui aliquo fluxu sanguinis tentantur: aperit enim orifi,
cia venarum. Unde tutius sumitur Aloes aqua pendentis s. rosarum, q. sint correta per fre,
quentem lotionem ex aq. Rosarum s. rosata. Inter vacuantia sunt Clystires & supposita,
ria. Clyster significat ablutionem, qui vocatur & Enema & hoc significat injectionem
est medicamentum liquidum quod per sedem in intestina inijcitur, componitur vel ex
jusculo, vel ex decocto aliquo & 4 herbarum emollientium, vel carminativo pro flatibus
vel lacte vel aqua hordei: talium liquorum dosis communis est ℔ una (id est libra una)
additur mel ad detersionem vel in disentericis saccharum, mel enim fugiendum, dosis ℥j,
una semis vel duæ, adhibetur butyrum vel oleum aliquod propter lubricitatem dosis quoque
℥j ad duas, additur sal ad stimulum expultricis. Insuper vitellum ovi numero unum
duo, vel tria V. G. ℞ decocti herbarum 4tuor emollientium ℔ unam, Mellis butyri
aa. ℥j (seu unciam unã) semis salis gemmæ ʒj M. F. Clyster. Si non suo tempore Clysteres

reddantur

reddantur & diutius quam par est retineantur, retineri autem debent ad minus mediã horã (nisi ulcus consolidare velimus cum retinẽdi diutiùs) tum inducuntur Suppositoria ut evocetur Clyster. Suppositorium est Medicamentum solidum magnitudine & crassitie respondens digito Indici quo supponitur in rectum intestinum immittitur. Basis eorum est mel, ex hoc solo fit aliquando fit suppositorium cocto ad crassitudinem; Interdum melli additur sal, interdum pulvis Hierae, species Hierae simplicis, trochisci alandali ad ℥j mellis specierum ʒj semis vel ℈ij addunt, miscentur V.G. ℞. Mellis ad consistentiam cocti ℥ij Specierum Hierae simpl. ℈ij Trochiscorum alandal, salis gemmae aa. gr. iij vel iiij M. F. Supp. numero 2. ad minimum enim semper duo conficiuntur, ne ex ignea mellis portio uratur citiùs, quam acquirat necessariam consistentiam pro suppositorio. Interdum illiniri potest venter ex Unguento agrippae de artanita, cui si addes Elaterij gr. aliquot vel ℈.ß. potentiùs vacuabit.

ALTERANTIA SEU DIGESTIVA.

Sunt Syrupi qui et aperiunt, & materias biliosas, pituitosas, Melancholicas pellant. Aperientes sunt Syr. de duabus radicibus, de quinque radicibus hic est fortior, Syrupus Bizantinus simplex fortior autem compositus Oxymel simplex, fortius Oxymel compositum fortius Oxymel squiliticum, idem facit Oxysacchara simplex, fortior Oxysaccharum squilitica aperiunt haec et humores crassos incidunt, attenuant. Syr. acetosus simplex omnem materiam digerit estque aperitivus, sic de succo acetosae. Syr. acetositatis Citri bilem flavam attenuat, febribus biliosis & pestilentibus servit, sic & Syr. de limonibus; Syr. de betonica in morbis capitis frigidis de papavere ad somnũ conciliandum: In calidis Syr. violatus de Nymphea: Ventriculum respiciunt Syr. de absynthio, de menta. Hepar Syr. de Endivia, agrimonia de cicorea. Nota esse in usu frequenti Syr. de Cichorea cum Rhebarbara qui lenissimè bilem vacuat, eadem dosis ejus, quae et lenientium superius nominatorum Syruporum. Videtur pro pueris institutus & infantibus in Epilepsia & lumbricis ad ℥j & ij exhibitus. Lienem respiciunt Syr. de fumaria, de pomis, de lupulo de succo boraginis. Thoracem respiciunt Syr. de Liquiritia, Syr. Capillorum Veneris. Syr. de Hissopo. Cor respiciunt Syr. acetositatis Citri Syr. Limonum, Syr. de succo boraginis &c. Hi Syrupi quando exhibentur diluti, dosis eorum è ℥j semis, aquarum autem ℥iij. Aliquando Syruporum exhibentur ℥ij, & tum aquarum ℥iiij debent autem aquae esse appropriatae parti laboranti & humori peccanti: Celebres sunt decoctiones duae: Decoctio pectoralis in morbis pectoris, & decoctio apertiva in gravi viscerum obstructione, dosis illarum eadem quae & aquarum stillatitiarum gratiores futurae, si per infusionem parentur & clarificentur. Aquae porro stillaticiae respicientes quibus Syrupos diluimus sunt hae. Betonicae, primulae veris, Nenupharis, lactucae &. Pectus aqua scabiosae decoctum pectorale. Cor aqua acetosae, buglossae, boraginis &. Stomachum aqua absynthii. Hepar aqua Endiviae, Cicoreae, agrimoniae. Lienem aqua fumariae V.G. in febre tertiana ℞ Syr. acetosi simpl. ℥j de duabus radicibus ℥j semis aquarum agrimoniae, acetosae, fumariae ana ℥j M. F. potio. Vel in obstructionibus ℞ Oximellitis simpl. Syr. de duabus, bisantini simpl. ana ℥ semis decoctionis aperitivae, non solutivae minoris in aq. agrimoniae per infusionem horarum

duodecim parata et clarificata ℥iij M. F. potio. In quo morbo major urget refrigerandi neces-
sitas utimur emulsione quatuor seminum frigidorum majorum V. G. ℞ Emulsionis 4
frigidorum seminum majorum extract. ex aqua Agrimoniæ, Cicoriæ, fumariæ ℔ S. ℥iij. Syr.
acet. simpl. ℥j de duabus ℥ semis M. F. potio. Exhibentur hi Syrupi manè quatuor vel tribus ho-
ris ante prandium, duabus autem ante coenam et potiùs calidi quam frigidi: Interdum hi Sy-
rupi dantur sine aquis stillaticijs ad modum julepiorum componuntur ex convenientibus mor-
bo et parti, frequentissimus eorum usus in hydropicis tametsi et alias commodissimè uti possimus
dosis eorum cochlearia duo, tria, quatuor V. G. ℞ oxymellitis simpl. Syrup. de duabus agri-
moniæ fumariæ, bisantini, absynthij aa. ℥iij mis. capiat cochlearia 2 vel 4. horis tribus vel
quatuor ante prandium, aliquando et solo oxymelite utimur ad incidendum humores cras-
sos, et detergendum.

ROBORANTIA.

Roborativum est quasi confirmativum Medicamentum quod proprietate quadam partes nostri
Corporis respicit, et eam roborat et conservat. Unde cephalica caput, Ophtalmica oculos, stoma-
chica stomachum, Cardiaca Cor, Hepatica hepar, Splenica splenem respiciunt. Per os sumun-
tur aut in conservis, aut in pulveribus, aut morsellis, aut rotulis. Conservæ capitis Betonicæ
antos salviæ, primulæ veris, rosarum, violarum etc. Pectoris Conserva florum malvarum.
Cordis conserva rosarum, boraginis, buglossæ, melissæ, acetosellæ, acetositatis citri, cario phylli
hortensium. Hepatis cons. cicorei, agrimoniæ. Lienis fumariæ, boraginis, buglossæ. Hæc sin-
gula vel plura simul juncta dantur circiter dosi ℥ semis unâ horâ ante cibum vel duabus
optimè consulueris, si ad cordialem conservam pro delicatulis et ditioribus addideris Confect.
alchermes vel hyacinthinæ ʒ semis vel ʒj vel ʒj semis plus minus. Dantur et pulveres ad ʒij
vel ʒj ex aqua convenienti stillaticea Compositi cephalica sunt. V. G. Species aureæ Ale-
xandrinæ. Pectoris species diaireos, diatragacanthum calidum. Cordis aromaticum Rosatum
diambra, diamoschum calidum, diamargariton calidum. Stomachum, Aromaticum Rosatum
Diaxyllo aloës. Hepar species diacinamomi, dialaccæ etc. Lienem species diatalament, dia-
capparis.

REFRIGERANTIA CAPUT

Species Diacodium. Pectus species diatraganti frigidi diapoenidion sine speciebus calidis.
Cor species diamargaritanis frig. Species diarodinis abatis sine calidis manus Christi perlata
qua et in morbis pectoris utimur. Ventriculum species diarodinis sine calidis. Hepar spe-
cies diatrion santalorum, quæ et in splene valent, ut et diarodonis sine calidis. Admiscentur
hæ rectè conservis V. G. ℞ Cons. acetositatis citri ℥ ß. Speciei diamargaritanis frig. ʒ ß mis. Dari
possunt et in morsellis V. G. ℞ Spec. diamargariton frig. diarodonis sine cal. aa. ʒj sac-
cari albissimi dissol. in aq. Melissæ ℔ S. M. F. mors. Secun. A. num. X Sic pro vicibus
pluribus multiplicabis dosin. Idem existima de rotulis, hæ habent figuram rotundam ut mor-
selli oblongam. Species excipiuntur sacchero, quod debet dissolvi in aliquo liquore, vel aquâ con-
venienti, observant plerique, ut ad ʒj specierum sac. ℥iij sumantur, præbentur autem una vel
duabus horis ante cibum. Simplicia quæ roborant Cor et in pulveribus sumuntur, sunt hæc:
Cornu cervi ustum præparatum, margaritæ præparatæ dantur ad ʒij vel ℥j vel in pulvere in a-

liqua aqua convenienti vel in conservis vel in rotulis, Lapis Bezoar in febr. malignis et pestilentib. in usu frequentissimo, prolicere sudores potest copiose, sed hic mensuratur granis. Unde ad margaritas praeparatas ad cornu cervi ustum praeparatum addantur gr. ij. iij. iiij. v, vj, v.g. pro una vice ℞ Cornu Cervi usti praeparati ℈ij marg. praepar. ℈j Lapidis Bezoartici pulveris gr. iij mis. exhibe v.g. ex aqua Cardi benedicti, datur etiam per se sine aliis gr. iij, iiij, iiiij, vj pro una vice, interdum et plura, sed partitis vicibus. Sunt et liquores roborantes, quemadmodum nunc aq. Cinamomi ex aq. cordialib. destillata, quae etiam febricitantib. tutissime exhiberi potest ad ʒj plus minus, reliqua quae tam intus quam extra adhibeatur pete ex Beckero, Renodeo, Valerio Cordo et similibus.

INSTITUTIONUM

FINIS.

fol 42

CONTROVERSIA DE ENTE RATIONIS LOGICO

CONTROVERSIA DE ENTE RATIONIS LOGICO

quod est Secunda Intentio.

Nulla quidem Scientia inferior habens pro Objecto aliquam determinatam speciem Entis considerat per se gradus genericos talis Objecti, sicut Philosophia naturalis non considerat gradum Substantiæ qui invenitur in corpore, Similiter nec Arithmetica considerat rationis Entis aut Accidentis, quæ inveniuntur in numero, quod de cæteris quoque sentiendum est: Nihilominus absque aliquali talium graduum notitia à superiori Scientia mutuata non potest inferior Scientia commode procedere, idcirco Ens rationis non prout præcisè opponitur Enti reali & est commune omnibus Entibus Rationis, sic enim pertinet ad Metaphysicum, sed ut est quædam determinata species Entis Rationis prout est commune solis Secundis Intentionibus quæ ad Logicam spectant est Objectum formale Logicæ & ad ejus considerationem per se refertur. Circa quod tria consideranda occurrunt. Unum est quodnam sit hoc Ens Rationis? Secundum Quotuplex sit? Tertium per quam Causam firmetur? Ut tamen aliqua saltem imperfecta Entis rationis in communi notitia habeatur, nonnulla de Ente Rationis in communi prælibabimus.

Quæsitum Imum.

Quod sit Ens Rationis in communi & quotuplex.

Punctum Imum.

Investigans Definitionem Entis Rationis.

În tota sua latitudine Ens Rationis est quod dependet aliquo modo à ratione: Contingit autem dupliciter à ratione dependere, vel enim dependet ut Effectus à Causa, vel ut Objectum à cognoscente. Rursus priori modo potest aliquid dupliciter dependere à ratione, vel quia est ab ipsa ut à causa Efficiente quemadmodum opera artis, quæ per rationem excogitantur & fiunt, & præterea omnes Effectus naturales & artificiales: Vel quia est in ipsa ratione ut in Subjecto & Causa materiali; Quemadmodum Scientia aut quilibet habitus & actus, aut etiam species intelligibiles sunt in intellectu: Sed uterque horum modorum pertinet ad Ens reale; Siquidem Ens ita dictum, habet veram & realem existentiam, quæ tamen dependet ab intellectu. Quod ad alteram Entis Rationis acceptionem spectat, ut nimirum dependet ab intellectu prout Objectum, sic propriè dicitur Ens rationis quod pertinet ad præsens negotium; nam nullum Esse habet extra intellectum, sed Objectivè tantum dicitur esse in ratione & sic opponitur Enti reali; Quia Ens reale exi

stit in reru

sit in rerum natura; Ens vero rationis non habet existentiam in re, sed tantum cognoscitur et fingitur; Quod vel ex eo appareat quia advertimus multa nos imaginari et cognoscere, quae prorsus impossibilia sunt et talia sunt Entia ficta quae quidem dicuntur Entia quia cognoscuntur per modum Entis: At vero ficta dicuntur quod illis non correspondet aliquod esse verum à parte rei. Ex dictis elicitur Entis Rationis in communi Definitio: Ens rationis est quod habet esse objective in ratione, cui nullum esse correspondet in re. Definitio haec est ad mentem Divi Thomae, qui lib. de Ente et Essentia cap. 1. et 5. lib. Metaphys. lectione 9. et 1ma par. Quaest. 16 artic. 3 ad secundum docet. Ens Rationis dico, quod cum in re nihil signat in se non sit Ens, formatur tamen seu accipitur ut Ens in ratione. Quaeres Quid sit habere esse objectivè in intellectu? Respondetur ex ipso modo cognoscendi affici apprehensivè ut Ens, quod non est Ens. Dices Ergo Omne Objectum, quod aliter in intellectu concipitur quam sit in re, est Ens Rationis: Consequens est falsum Ergo et Antecedens: Minor seu falsitas consequentis patet; Nam plura Entia realia cognoscimus ad instar alterius et non sicut sunt in se quemadmodum Deum et Angelos aliaque quae experientiâ non sumus assecuti. Respondetur Negando Consequentiam. Quia talia Entia supponuntur esse in re vera Entia, unde ex modo cognoscendi non attribuitur illis ratio Entis, dicuntur tamen attingi ad instar alterius quia proprio et speciali modo non attinguntur, Unde dicuntur Entia modo alieno non propriae Naturae.

Punctum 2dum.
Divisio Entis Rationis.

Quotuplex sit Ens Rationis in tota sua latitudine docere ad Metaphysicum pertinet non ad Logicum qui tantum tractat de Ente rationis Logico, ut tamen scias ad quod membrum Divisionis Ens rationis Logicum referatur, ex Divi Thomae Sententia dividitur Ens rationis communissimè sumptum in duo membra: In Negationem et relationem rationis, sic enim Quaest. 20 de veritate artic. 1 inquit: Id quod est rationis non potest esse nisi duplex Negatio vel aliqua relatio; Omnis enim positio absoluta aliquid in rerum natura existens significat, ubi advertendum est quod sub negatione privationem etiam includat. Ratio, Privatio enim est quaedam Negatio formae in Subjecto apto ad recipiendam formam oppositam: Negatio vero si propriè et in rigore sumatur est negatio formae in Subjecto repugnante formae. V.G negatio potentiae Visivae in lapide est pura negatio, unde dicitur lapis non esse videns. In homine vero negatio ejusdem potentiae Visivae est privatio; Unde hominis loquendi proprie utimur: Homo est Caecus. Quantum attinet ad relationem illud relatio habet proprium ex vi sui conceptus, quia est ad alterum quod in sola apprehensione inveniri possit et non in re, et hoc tum fit quando relatio se ita habet ad aliud quod non sit in aliquo secundum doctrinam Doctoris Angelici 1 par. Quaest. 28. artic. 1. Quibusdam tamen haec sufficientia Divisionis displicet, atque Ens rationis dividunt, ut sit aliud quod fundamentum habet in re, et aliud quod non habet fundamentum in re. Primum vocatur Rationis ratiocinatae.

natæ. Secundum vero rationis ratiocinantis. Deinde illud solum quod est ratio
nis ratiocinatæ arbitrantur dividi in Negationem & Relationem. Istud vero quod est
rationis ratiocinantis putant per omnia genera vagari. In qua Sententia est M. Ca
verro de Vniversalibus Disput. 1ma dubio 3tio cum alijs. At vero Martinez Disp.
2da prologi Quæst. 1ma existimat, nullam dari speciem determinatam Entis rationis
sed omnem repugnantiam seu omne impossibile contradictionem implicans, esse speciem
Entis rationis. Et ratio est, Quia omne illud est Ens fictum. His tamen non obstan
tibus dicimus, prædictam Entis rationis in communi Divisionem, esse optimam & ad
æquatam, & quæ magis conveniter eidem convenit: Quod maximè hinc perspicitur, quia
in Ente rationis tria considerari possunt, nempe Subjectum, ratio ipsa quæ concipitur & at
tribuitur alteri, atque id ad cujus instar concipitur & apprehenditur. Ex parte Subjecti cui
Ens rationis attribuitur vel reperitur fundamentum, ut tali vel tali modo aliquid ei at
tribuitur: Vel fundamentum non reperitur. Et hinc orta est illa distinctio Entis rationis
in id quod est cum fundamento, & in illud quod est sine fundamento: Quæ desumitur re
spectivè ad id cui Ens rationis attribuitur. Simili ratione ex parte illius ad cujus
instar concipitur Ens rationis non repugnat per omnia genera vagari; aliquando
enim potest fingi & apprehendi aliquid ad instar Substantiæ ut Chymera, mons au
reus; Aliquando ad instar Quantitatis ut vacuum: Aliquando ad instar Qualitatis
V.G. si cæcitas vel mors concipiatur tanquam forma quædam obscura vel nigredo &c.
Consideratum vero Ens rationis ex parte rei cognoscitæ scilicet ex parte ejus quod ad
modum Entis realis cognoscibile cum in re non sit Ens, adæquatè dividitur in prima
genera Entis rationis nimirum in Relationem & Negationem; Sub his tamen plures
negationes & relationes subdividitur. Aliæ autem Divisiones Entis rationis licet pos
sint admitti, illæ tamen desumptæ sunt ex conditionibus Entis rationis. Probatur ve
rò esse adæquata Divisio Entis rationis in negationem & relationem: In quibus opposi
tio Entis rationis ad Ens reale consistit, in illa adæquatè Ens rationis dividitur ✠ Assum
ptio autem probatur sic: Ens rationis quod non est capax existentiæ, vel est aliquid
positivum vel non positivum, sed si non positivum est Negatio; si vero positivum dun
taxat esse relatio potest. Ergo Ens rationis in negationem & relationem directè &
adæquatè dividitur. Minor prosyllogismi quoad prius membrum clara est, quia nega
tio non ponit sed tollit formam, proindeque est Ens rationis non positivum. Quoad alteru
membrum Quod Ens rationis positivum non sit aliud quam relatio. Probatur 1mo Quia
omne positivum absolutum vel est in se vel in alio. Ergo nullum positivum absolutum est
Ens rationis, sed positivum respectivum quod est relatio. Consequentia manifesta Quia
Ens positivum absolutum essendi in se vel in alio realitatem aliquam importat. Antece
dens au

✠ Sed in negationem & relationem oppositio Entis rationis consistit. Ergo
Ens rationis in Negationem & relationem adæquatè dividitur. Majoris veritas
patet: Quia ratio ipsa formalis Entis rationis consistit in oppositione ad Ens
reale, siquidem Ens rationis non est capax existentiæ. Ergo quibus Ens rationis
opponitur formaliter Enti reali, in illa adæquatè dividitur. &c. ✠

dens autem patet; Quia omne Ens positivum absolutum si est in se est Substantia, si verò in alio est accidens. Probatur 2dò Quia quod dicit præcisè conceptum sine realitate est Ens rationis. Sed sola relatio dicit præcisè conceptum sine realitate. Ergo sola relatio est Ens rationis. Major à ratione formali Entis rationis; Minor quoq ostenditur: Dicere conceptum Ad, est dicere conceptum sine realitate. Sed relatio dicit conceptum Ad. Ergo Relatio dicit præcisè conceptum sine realitate. Majoris propositionis in hoc prosyllogismo veritas perspicua est: Quia conceptus Ad non nisi extrinsecam termini attingentiam dicit, non verò relationis existentiam in se: Nam relatio secundu quid dicit conceptum IN dicit existentiam cum alia. Assumptio quoq recepta est in Scholis Philosophorum; Relatio enim in eo consistit ut referatur ad aliquid: Unde à pospoli Græcis, Latinis ad aliquid communiter dicitur. Ergo Relationem concipi sine realitate esse eam Ens rationis non repugnat, præsertim concipiendo illam non ut in alio sed ut ad aliud cum negatione existentiæ in alio.

Punctum 3tium.

Instantias contra sentis rationis Divisionem, earumq resolutiones continēs.

Instabis Contra Divisionem invenitur aliquid rationis præter relationem & Negationem. Ergo Divisio Entis rationis in relationem & Negationem non est adæquata. Consequentia est manifesta, Antecedens probatur Unitas rationis qualis est in Universali est aliquid rationis. Sed Unitas rationis in Universali neq est relatio neq negatio. Ergo invenitur aliquid rationis præter relationem & Negationem. Major certa est, Universale enim est Unum in multis, ut ex ejus Definitione constat. Præterea Unitas rationis non est aliud nisi aliquid rationis. Assumptio quoq perspicua esse videtur quod Unitas rationis in Universali non sit relatio: Nam Unitas dicitur absolutè non respectivè. Non est quoq Negatio ob duplicem rationem, quarum prima est, quia Unitas dicit aliquid positivum & non puram negationem ut D. August. I. parte. Q. XI. artic. I. docet. Secunda Ratio Quia si esset negatio deberet concipi per modum Entis rationis & sic non diceretur Unitas rationis hoc est negatio rationis, sed diceretur absolutè Ens rationis. Alio quoq Exemplo similiter deducitur: Dualitas seu distinctio rationis non est negatio, siquidem Dualitas tollit potiùs Negationem Unitatis: Non etiam Dualitas est relatio. Ratio Quia super distinctionem seu Dualitatem funditur relatio distinctorum. Igitur sicut Unitas ita Dualitas erit alia species Entis rationis, quam sit negatio aut relatio. Præterea confirmari potest eadem Instantia Dantur purè figmenta, quæ non sunt Negationes nec relationes. Ergo ad Divisionem Entis rationis in Negationem & relationem non omnia Entia rationis reducuntur, proptereaq, non est adæquata prædicta Divisio. Consequentia patet. Si enim alia reperiuntur Entia rationis præter Negationem & relationem, procul dubiò inadæquata est illa Divisio. Antecedens ostenditur purè figmenta sunt ut Chymæra, Hircocervus, mons aureus & similia, quæ tamen non videntur esse negationes nec relationes quia sunt potiùs plures substantiæ ab intellectu adunatæ ex partibus inter se repugnantibus.

tibus. Eodem modo potest dari Quantitas vel Qualitas rationis V. G. Si vacuum per modum Quantitatis accipitur, Similiter si tenebræ per modum Qualitatis accipiuntur. Ergo dantur figmenta rationis præter negationem & relationem.

Resolutio præcedentis Instantiæ.

Dicunt quidam ad probationem Antecedentis, Unitatem rationis tantum sumi ex Unitate conceptus & distinctionem ex Pluralitate conceptus; Quæ responsio vera est ex parte Causæ efficientis seu causantis Ens rationis: Sed hæc in præsenti non inquiritur: Inquirimus enim de Objectiva seu fundamentali Unitate: Idcirco Rtur quod Unitas rationis ex parte objecti pro formali considerata, pertinet ad Negationem seu privationem: Ratio, Unitas enim nihil aliud est quam Segregatio ejus in quo est convenientia à pluribus facientibus differentiam. Quod vero pro impugnatione assumitur ex D. Thoma: Dico in illo Santum Doctorem usurpasse ita Unitatem, ut materialiter & Entitative sit aliquid positivū sed tamen formaliter sit negatio Divisionis. Ad alteram impugnationem Dico, non repugnare quod ista Unitas rationis sit etiam Ens rationis. Ratio quia ipsa negatio seu separatio pluralitatis & Differentiæ per modum Entis ab intellectu accipitur. De Dualitate verò seu distinctione rationis quod dicitur in oppositum, Respondendum est quod distinctio rationis formaliter relatio rationis est & est ipsamet relatio distinctorum, quamvis ipsa ad instar duorum absolutorum interdum distincta concipiantur V. G. ad modum duplici Substantiæ. Quod si quæras, in quo hæc distinctio rationis fundetur? Respondeo: Quod non super alia distinctione formaliter accepta, sed super relatione fundamentaliter sumpta, nempe in Pluralitate Virtuali quæ se tenet ex parte subjecti, quatenus objectum Pluralitati conceptuū subjicitur. Ex dictis constat, Unitatem rationis ex parte Objecti pro formali spectare ad Negationem seu privationem; Similiter Dualitatem seu distinctionem rationis formaliter relationem rationis esse. Ad confirmationem verò in oppositum adductam sic Respondetur: Omnia illa figmenta esse Entia rationis quæ sunt negatio. Non posse verò dici Substantiam rationis vel Quantitatem rationis illa figmenta; Siquidem non est id Substantia vel Quantitas quod per rationem formatur ad instar Entis realis: Sed potiꝰ negationes Substantiæ vel Quantitatis ad instar Substantiæ vel Quantitatis concipiuntur. Cavendū tamen est ne putetur id Ens rationis dici, ad cujus instar aliquid concipitur, sed potiꝰ id est Ens rationis quod concipitur ad instar Entis, licet ipsum non sit Ens. Instabis 2do Non recte dici, Privationem & Negationem esse Entia rationis, Nam Privatio & Negatio nullo intellectu considerante dicunt carentiam formæ & denominant Subjectum carens. Ergo Privatio & negatio non sunt formæ fictæ nec sunt Entia rationis. Antecedens verum est; Consequentia patet; Quia Ens rationis dependet à cognitione, ut sit & ut conferat suum effectum formalem. Ergo Si negatio ante Cognitionem dat suam denominationem rebus profectò negatio non est Ens rationis. Similiter arguitur de denominatione extrinseca V. G. esse visum, esse cognitum quod nullo intellectu considerante, denominatur tale per hoc solum quod detur visio parietis in oculo denominatur paries visus. Præterea natura potest denominari superior & inferior, prædicatum & Subjectum, antequam resultet Ens rationis, igitur ut Negatio ita & Relatio non rectè dicuntur Entia rationis. Potest

quoq; sic con

quoq; sic confirmari: Quia denominatio extrinseca sequitur ad formam realem existentem in alio Subjecto. Ergò Denominatio extrinseca est forma realis. Antecedens manifestum est V. G. in pariete viso. Consequentia patet; Ut enim Denominatio quæ sequitur ad formam Substantialem est Substantialis, similiter quæ sequitur ad formam accidentalem est accidentalis, ita quæ sequitur ad formam realem debet esse realis non rationis. Ad Instantiam Secundam R. detur distinguendo Negationem quæ dupliciter considerari potest; Vel enim Negatio dicit carentiam formæ à parte rei negative; Quia ipsa forma in re non est, absq; consideratione intellectus; Vel ita dicit carentiam formæ ut ab intellectu per modum Entis accipiatur: Et hæc posterior Negatio est Ens rationis, quia per modum effectus formalis ab intellectu accipitur, quatenus per modum formæ accipitur & consequenter ad modum effectus formalis siquidem in re, illa carentia non est effectus formalis sed ablatio illius: Illa verò Negatio in priore sensu non est Ens rationis, cum in re non sit Ens sed carentia formæ quæ ante considerationem intellectus denominat Subjectum carens; Hæc autem carentia propriè non est effectus formalis; quia tollere formam non est aliqua forma. Quod ad Denominationem extrinsecam attinet eadem est prorsus ratio, quia Denominatio extrinseca datur quidem à parte rei quoad formam denominatam; Applicatio verò formæ denominantis ad rem denominatam non est realiter in ipsa re denominata: Propterea illam formam ut adjacentem & applicatam rei extrinsecè denominatæ, est aliquid rationis. De Subjecto autem & prædicato, similiter de superiori & inferiori R. detur: Esse aliquid prædicatum & Subjectum, superius & inferius bifariam contingit: Vel fundamentaliter & sic tantum ante cognitionem intellectus inveniuntur: Vel formaliter sub conceptu relationis, sic non sunt sine consideratione intellectus. Ad confirmationem R. det Pater Vasquez Ima parte Disp. XIX num. 2. & cum alijs qui negando consequentiam, sentiunt absolutè denominationem extrinsecam esse aliquid rationis. Alij verò limitant consequentiam, inquientes: Denominationem extrinsecam, absolutè quidem esse aliquid reale, non tamen realitate intrinseca quæ sine aliquo rationis superaddito præbet suum effectum, sed realitate extrinseca: Sic Suarius Disput. ult. Metaph. sect. 2. Veruntamen ad consequentiæ resolutionem verius hac distinctione utemur: Quod in denominatione extrinseca concurrunt duo nimirum ipsa forma ut ratio denominans, & adjacentia seu applicatio ejus ad denominatum: Si itaq; forma spectetur procul dubio non aliquid reale V. G. Visio qua paries denominatur visus, realis forma est in oculo; Sed applicatio Visionis ut tangit Subjectum denominatum non est aliquid reale: Ratio, Nihil enim in ipso pariete ponit; & Probatur Quia omne non reale apprehensum, est quid rationis. Sed denominatio extrinseca ex parte applicationis ut non reale apprehenditur. Ergo Denominatio extrinseca ex parte applicationis in forma denominata est aliquid rationis.

Observandu

Observandum tamen est, Dici denominatum Subjectum ante Operationem intellectus non ratione ejus quod in illo ponit, sed ratione ejus quod extra illud supponit, hoc est, ratione præexistentiæ formæ realis in se quæ tamen non existit realiter in eo quod denominat, dicitur Denominatum: Ratione vero non existentiæ sumitur ut Ens rationis: Priori ergo modo dicitur denominari res ante Operationem intellectus, posteriori non item. Dices Denominatio extrinseca ad quod membrum Divisionis, cum concipitur ut Ens rationis, pertinet? R. dico, Quod Denominatio extrinseca ut Ens rationis concepta pertinet ad Relationem, et ratio est Quia Denominatio extrinseca non concipitur ut efficiens negando et tollendo formam, sed ordinando et dependendo ab eo a quo Denominatio sumitur vel ad quod imponitur et destinatur per Cognitionem.

Punctum 4tum
Secunda Intentio et Relatio rationis Logica quid sit et quotuplex?

Ens Rationis Logicum proprie consideratur à Logico, quatenus talis Relatio adinvenitur ex ordinatione conceptuum, Quod D. Thomas in 4to Metaphys: lib. lectione 4ta expressit, dicens; Ens Rationis dicitur proprie de illis Intentionibus quas ratio adinvenit in rebus consideratis, sicut Intentio Generis, Speciei et similium, et hujusmodi Ens Rationis est proprie Subjectum Logicæ. Duo hic igitur determinanda sunt, Scil. Quid sit Secunda Intentio et quomodo conveniat cum relatione Rationis; Deinde Divisio Secundæ Intentionis adducenda. Pro Intelligentia prælibo, terminum Cathegorematicum quatenus ad præsens negotium spectat reperiri duplicem, Nempe alium esse terminum Primæ Intentionis, alium Secundæ Intentionis. Terminus Primæ Intentionis est, qui significat aliquid secundum id quod habet in re vel in suo proprio statu, id est, secluso statu quem habet in intellectu, et prout conceptum V.G. album, homo ut in re. Terminus autem Secundæ Intentionis est, qui significat aliquid secundum id quod habet per conceptum mentis et in statu intellectus. E.C. Species, Genus et hujusmodi alia quæ sunt considerationis Logicæ. Hinc duplex Entium status apparet, Scil. Primus et Secundus. Ratio autem cur primæ et Secundæ Intentiones dicantur est hæc: Quia id quod alicui convenit secundum se, est quasi primum in illo et status proprius E contra vero quod convenit alicui quatenus est intellectum, est quasi secundum et est secundus status superveniens primo, vocaturque propterea Secundæ Intentionis. Deinde Intentio accipitur dupliciter, Imo ut dicit actum Voluntatis qui distinguitur ab electione et respicit finem: Et hoc modo in præsenti non usurpatur. 2do accipitur pro actu seu conceptu intellectus qui generali modo dicitur Intentio, quia tendit in aliud nempe Objectum et in hoc posteriori sensu à nobis consideratur. Præterea sicut conceptus alius est Formalis, Scil. ipsa Cognitio; Alius

tio; Alius Objectivus nempe res cognita; Ita Intentio alia est Formalis, alia Objectiva. Et Objectiva quidem Intentio dicitur ipsa relatio rationis, quæ rei cognitæ attribuitur. Formalis verò Intentio est ipse conceptus per quem formatur E.G. quando concipimus animal tanquam superius ad sua inferiora. Universalitas itaq ipsa tenens se ex parte animalis dicitur Intentio Objectiva s. Passiva; Conceptus verò ipse quo sic animal concipitur appellatur Intentio Formalis. Discrimen autem hoc statuitur inter formalem Intentionem ut distinguitur contra Objectivam, et inter formalitatem Intentionis Secundæ, ut se tenet ex parte objecti cogniti, quia formalis Intentio contra distincta Objectivè est actus realis. Intentionis verò secundæ Formalitas ex parte Objecti cogniti se tenens, est aliquid rationis eo quod ex cognitione resultat. Illud quoq adjiciendum est quod Intentio Secunda sortiatur denominationem secundum differentiam à prima. Et hoc propterea evenit, quia objectum potest in duplici statu considerari. Imò Secundum quod est in se sive quantum ad existentiã s. quantum ad Quidditatem. 2dò Ut est in apprehensione et is status Essendi in Cognitione est Secundus respectu status Essendi in se est qui Primus. Ratio sicut enim cognoscibilitas sequitur Entitatem, ita Esse cognitum est post Esse in se. Affectiones porrò rei convenientes in se vocantur Primæ Intentiones, quæ autem conveniunt rei ut est cognita appellantur Secundæ Intentiones quas per se considerat Logica ad quam pertinet dirigere res prout sunt in consideratione. Ex dictis infertur Imò Quod non omnis Relatio rationis est Secunda Intentio: Omnis tamen secunda Intentio est relatio rationis. Prior pars probatur: Quod non tantum denominat rẽ in statu cogniti sed etiam in statu existentiæ, illud non omne est Secunda Intentio. Atqui aliqua Relatio rationis denominat rem in statu existit. Ergo non omnis relatio rationis est Secunda Intentio. Major patet; Quia omnis relatio rationis ex cognitione resultat, quod est commune omni Enti Rationis: Quæ rursus rationis Relatio tum tantum est Secunda Intentio, cum rem in secundo statu scil. ut cognitum dicit; Rem autem existentem denominare est eam in primo statu dicere. Assumptio patet; Nam relatio Creatoris et Domini est relatio rationis: Sed hæc relatio non denominat Deum in se cognitum sed Deum existentem. Similiter esse Doctorẽ esse Judicem, siquidem homo non ut cognitus est Doctor aut Judex, sed ut homo existens, Proinde illæ relationes denominant pro statu existentiæ. Ultra verò Cognitionem quæ est causa cujusq Entis rationis, illud ad Secundam Intentionem constituendam requiritur, ut illa Cognitio reddat ipsum Subjectum aptum et congruum susceptivum talis Denominationis quæ illi solum conveniat in esse cognito, sic esse Genus vel speciem supponit non solum cognitionem causantem tales relationes; sed etiam Cognitionem sup.

nem supponit quæ reddat Subjectum abstractum ab inferioribus: Et super rem ita abstractam cadit illa Entis rationis Denominatio: At vero Relatio Creatoris et Domini ut denominet Subjectum requirit cognitionem quæ hujusmodi relationem causet, sed non quæ constituat Subjectum in esse cognito, quod sit capax ut denominationem illam suscipiat. Secunda pars manifesta est apud D. Thomam qui inquit Quæst. 7 de potentia artic. 9. Quod Secundæ Intentiones sequuntur modum intelligendi. Præterea 4to Metaphys. lib lect. 4 quod conveniunt rebus prout cognitæ ab intellectu. Insuper opusc. 42. cap. 12 dicit; Quod Secundæ Intentiones sunt proprietates convenientes rebus ex eo quod sunt in intellectu. Ergo omnis Secunda Intentio est relatio rationis, non autem realis forma. Probatur 1mo ratione: Quia Ratio Generis et Speciei atque reliquorum Universalium consistit in relatione superiorum ad inferiora: Sed hæc non possunt esse relationes reales. Ergo sunt relationes rationis. Major patet, Genus enim Species et alia sunt Secundæ Intentiones dicentes respectum unius ad aliud: Minor quoque perspicua est: Si enim Genus, Species et alia Universalia essent relationes reales, daretur Universale formaliter à parte rei quod neutiquam dicendum est. Probatur 2do. Quia Intentiones Secundæ V.G. Genus, Species et hujusmodi, supponunt pro fundamento esse cognitum V.G. Genus supponit rem esse abstractam ab inferioribus, et ratione abstractionis ei convenit. Ergo Intentio Secunda supponit denominationem extrinsecam cogniti et abstracti, estque relatio rationis. Consequentia, Quia Intentio Secunda non est formaliter ipsa denominatio extrinseca, tanto minus est forma realis: Ratio, Formæ enim reales abstractæ descendunt ad ipsa singularia in quibus realiter inveniuntur. Colligitur 2do Intentionem primam absolutè sumptam debere esse aliquid reale, vel conveniens alicui in statu realitatis; Alias non esset simpliciter prima: Ratio, Quia semper id quod est reale præcedit, et prius est eo quod est rationis. Illud tamen certum est in Intentione Secunda, aliam Intentionem Secundam fundari sed tunc illa fundans Intentio, inducit quodammodo conditionem Intentionis primæ respectu alterius fundatæ; Non quia sit simpliciter prima, sed quia est prior illâ quam fundat. Probatur Nam intellectus est reflexivus supra suos actus. Ergo potest ipsam Secundam Intentionem reflexe cognoscere et super ipsam cognitam fundare aliam Secundam Intentionem. Antecedens in Schola Peripatetica est manifestum; Consequens patet: Nam animali tanquam Primæ Intentioni tribuitur intentio Generis quæ est Secunda Intentio; Attamen hæc Intentio Generis tributa animali rursus ut cognita potest fundare Secundam Intentionem Speciei, prout Intentio Generis est quædam Species prædicabilis. Id vero discrimen inter has Intentiones Se

cundas tene

cundas reperitur, quod Intentio fundata denominet priorem fundantem, ut hinc Genus formaliter sit Genus, denominativè autem sit Species: Quod sæpius evenit in Secundis Intentionibus, quæ tamen dicuntur omnes Secundæ Intentiones eo quod omnes conveniunt Objecto ut cognito: Esse autem cognitum (ut ex antedictis liquet) est status Secundus rei. Instabis Intentio Secunda prædicatur de suo fundamento: Sed Secunda Intentio fundata in alia non prædicatur de illa fundante Secunda Intentione. Ergo Una Secunda Intentio non fundatur in alia Secunda Intentione. Major patet; Quia verè dicimus, Homo est Species, quæ prædicatio est Secundæ Intentionis de fundamento: Minor quoq clara est, Quia falsa est ista prædicatio, Prima Intentio est Secunda Intentio. Ergo Secunda Intentio non prædicatur de prima. Rdetur Secundam Intentionem de prima quidem prædicari sed in concreto non aliter quam album prædicatur de homine: In abstracto enim Secunda Intentio de prima Intentione prædicari non potest: Hinc verè dicitur, Homo est Species: Falsum verò est dicere, Prima Intentio est Secunda Intentio. Hinc apparet non tantum Intentiones Primas Concreto nomine & Abstracto significari (ut cum dicimus Homo, est nomen Primæ Intentionis Concretum: Humanitas verò est Abstractum:) Sed etiam Intentiones Secundas et in Concreto considerari & in Abstracto: In Concreto quidem Genus Species sunt Intentiones Secundæ, In Abstracto verò Secundas Intentiones contingit dupliciter considerari: Vel in communi per hoc nomen, Secunda Intentio: Vel in particulari Ut Universalitas, Genereitas, Specieitas &c quæ solum important formam rationis in Abstracto; Subjectum autem s. rem non significant directè sed in obliquo: Quemadmodum etiam albedo quæ est Prima Intentio in Abstracto sumpta, importat Corpus in obliquo; Siquidem albedo est paritas corporis Physici.

DIVISIO SECUNDÆ INTENTIONIS.

Quotuplex sit Secunda Intentio & quomodo dividatur?

Pro Intelligentia Noto 1mò: Quamlibet relationem dividi ratione sui proximi fundamenti s. rationis fundandi: Sed Intentio Secunda est relatio rationis, quæ ad instar relationis realis formatur. Ergo Intentio Secunda dividitur per sua fundamenta. Noto 2dò Fundamentum Secundæ Intentionis esse ut cognitam & ut subest statui apprehensionis juxta diversum ordinem cogniti. Ergo Quot erunt ordines rei ut cognitæ, tot quoq erunt Species Secundæ Intentionis. Ratio Consequentiæ; Quia juxta diversum Ordinem dirigibilitatis formantur Species Secundæ Intentionis. Noto 3tiò Ad Ordinationem rei ut cognitæ Secundam Intentionem formari: His præmissis infertur Conclusio 1ma: Tres sunt primariæ Species Intentionis Secundæ. Probatur; Quot sunt fundamenta relationis rationis, tot sunt Species Intentionis Secundæ

seu relatio=

seu relationis rationis. Sed tria sunt primaria fundamenta Secundæ Intentionis, quæ est relatio rationis. Ergo Tres quoq; sunt Species Secundæ Intentionis. Major ex notabili primo patet; Quia relatio ratione sui proximi fundamenti dividitur ut realis ita et rationis: Ergo Quot erunt specie distincta fundamenta Secundæ Intentionis, totidem etiam erunt Species ejus. Minor probatur, Quia res ut cognita, et ut subest statui apprehensionis tres habet species. Ergo tres quoq; erunt Secundæ Intentionis Species. Consequentia patet: Quia ad diversum rei cognitæ ordinem, diversæ quoq; species Intentionis Secundæ formantur. Antecedens ostenditur: Res enim aliter per Primam intellectus Operationem, aliter per Secundam, aliter per Tertiam ordinatur et distinguitur. Ergo Tres erunt primariæ Species Intentionis Secundæ. Consequentia est clara; Quia ad Ordinationem rei Secunda Intentio formatur. Antecedens patet; Quia Prima Operatio circa simplicium rerum apprehensionem, Secunda Operatio circa Compositionem et Divisionem, Tertia circa discursum versatur; quibus rebus ut cognitis et apprehensis Ordinatio et dirigibilitas distincta competit. Ergo Secundum rei seu Intentionis Primæ per triplicem Intellectus Operationem consideratæ, distinctionem, tres erunt Species Intentionis Secundæ: Una quæ correspondeat rei per Primam operationem directe; Altera quæ rei per Secundam Operationem considerate; Tertia quæ rei per Tertiam Operationem ordinatæ attribuatur. Conclusio 2da. Non tantum secundum diversas Operationes Intellectus diversificantur Intentio Secunda; Sed etiam in qualibet Operatione intellectus secundum diversum ordinem dirigibilitatis, diversæ erunt Intentionis Species. Probatur Inductione Prima Pars: Quia Alius est Ordo dirigibilitatis in Prima, Alius in Secunda, Alius in Tertia Operatione intellectus, ut ex Prima Conclusione patuit. Pro altera quoq; parte conclusio probatur: In Prima enim Operatione est Intentio Secunda termini, est alia Universalitatis et aliorum. Sed hæc alio et alio ordine diriguntur. Ergo In Prima Operatione diversæ erunt Species Intentionis Secundæ: Consequentia aperta est ex diverso ordine dirigibilitatis rerum per Primam Operationem intellectus. Antecedens declaratur: Quia alia est Intentio termini quæ ordinatur ut pars Enunciationis et Syllogismi, sub qua diversæ Intentionis partes continentur, quemadmodum ratio Nominis, ratio Verbi et aliorum terminorum: Alia itidem est Intentio Universalitatis per modum superioris prædicabilis, quæ etiam dividitur in varios modos V.G. in Genus, Speciem etc. cui correspondet Intentio subjicibilitatis, sicut in Individuo invenitur et in alijs inferioribus prædicatis respectu Superiorum. Ergo Secunda Intentio in Prima Operatione intellectus, varijs modis in species dividitur. At vero quod attinet Secundam Intellectus Operationem, dico quod in Secunda Operatione Intellectus invenitur Intentio Orationis. Ergo Secunda Intentio in Secunda Operatione Intellectus multas habet Species. Antecedens patet; Oratio enim est simplicium terminorum per Secundam Intellectus Operationem compositio.

Ergo Conse

Ergo consequentia illa perspicua est; Quia Oratio dividitur in perfectam & in imperfectam; Rursus perfecta dividitur per affirmativam & negativam & per alias Divisiones. Praeterea Propositio fundat alias Secundas Intentiones quae sunt proprietates Propositionis; Hujusmodi sunt, Oppositio & Conversio quae pertinent ad totam propositionem; Similiter quae sunt proprietates partium propositionis. V.G. Suppositio & Ampliatio, Praedicatum & Subjectum & alia similia Ergo In Secunda Operatione Intellectus diversae sunt Species Secundarum Intentionum, ut hoc fusius à Summulistis explicari solet. Ad extremum In Tertia Operatione Intellectus est Intentio consequentiae seu argumentationis quae dividitur per Inductionem & Syllogismum; Deinde Inductio fit per ascensum; Syllogismus verò fit per descensum: Rursus Syllogismus per varios modos & figuras dividitur. Ergo Secunda Intentio in Tertia operatione Intellectus varias habet species.

Quaesitum 2dum
Quid sit Distinctio & Unitas Rationis ratiocinatae & rationis ratiocinantis.

Cum ad eas quae in Universalibus tractantur circa graduum superiorum & inferiorum distinctionem, atq. ad Metaphysicas & Theologicas Quaestiones, istorum terminorum Explicatio maximè conducat, leviter & (ut ajunt rude minerva) declarandi sunt.

Punctum 1mum.
Fundamenta Distinctionis praebens.

Noto itaq. 1mò. Quod ista Nomina, Distinctio, Pluralitas, Divisio. Separatio Diversitas, Differentia licet aliquando promiscuè accipiantur pro eodem, non tamen sub eadem formalitate significant. Probatur Inductione: Nam Distinctio seu Pluralitas vel Multitudo opponuntur Unitati vel Identitati. Divisio vel Seperatio Unioni vel Continuitate. Diversitas Insuper & Differentia, dicunt Distinctionem cum inclusione vel exclusione convenientiae: Hoc ita intelligendum, Quia ea sunt diversa quae in nullo conveniunt: Ecce est exclusio Convenientiae & simul Distinctio: Deinde ea differunt quae in aliquo conveniunt & in alio distinguuntur, non autem se totis diversa sunt. **Noto** 2dò. Quemadmodum duo solum sunt genera Entium scil. Entis realis & rationis: ✠ Probatur, Quia Unitas & Distinctio debent sequi Ordinem & rationem Entis. Atqui duo tantum sunt genera Entis videl. Ens reale & rationis: Implicat enim dari medium Ens inter reale & rationis. Ergo In genere duae tantum sunt Species Distinctionis nempe realis & rationis. **Noto** 3tiò Distinctio realis in genere accepta est nihil aliud quam remotio seu carentia Identitatis, quae datur à parte rei sine apprehensione seu fictione Intellectus. Est verò è contra Distinctio rationis est quae beneficio Intellectus fit & in re non datur. Dividitur autem Distinctio rationis in Distinctionem rationis ratiocinantis & rationis ratiocinatae. Distinctio rationis ratiocinantis est, quae fingitur ab intellectu sine fundamento in re: Et dicitur Distinctio hoc solum

✠ Ita secundum consensum Autorum in genere loquendo duplex tantum quoad datur Distinctio, nempe realis & rationis &c. ✠

quoad modum significandi & prædicandi V.G. quando idem apprehenditur prædicari de se & distingui à se, ut cum dicitur, Petrus est Petrus; In quo Exemplo, Petrus de se ipso Petro prædicatur, & Petrus ut est Prædicatum, distinguitur à Petro ut est Subjectum idq fit Distinctione rationis ratiocinantis. E converso vero distinctio rationis ratiocinatæ est, quæ formatur ab intellectu cum fundamento in re; E.G. In Deo attributa distinguuntur ratione ratiocinata: Similiter in eadem forma gradus seu prædicata Essentialia, quæ sunt ejusdem Entitatis, distinguuntur ratione ratiocinata. Rursus Distinctio realis dividitur in realem simpliciter ut inter duas res V.G. inter Marcum & Petrum: Similiter inter Quantitatem & Qualitatem Distinctio est realis simpliciter. Et in realem, modalem seu formalem, quæ est inter rem & modum V.G. inter Petrum & sessionem vel Ubi; vel quæ est inter duos modos, qui Entitates realibus minores habent quod probant Metaphysici.

Punctum 2dum.

Opiniones de Distinctione rationis.

Non admittunt quidam illam Distinctionem rationis ratiocinantis & rationis ratiocinatæ: Nonnulli enim rationis ratiocinantis distinctionem excludunt: Fundamentum eorum est quod rationis ratiocinantis distinctio sit ficta solum repetitio ejusdē conceptus, sine resultantia alicujus distinctionis in conceptu Objectivo. Ita Vasquez 1ma parte Distinc. 17 Cap. 3 & Suarez in Metaph. Disput. 7 sect. 1ma. Admittunt autem solum illam Distinctionem rationis quæ habet fundamentum in re, estq rationis ratiocinatæ. Scotus oppositum tenet cum sua tota Subtilizantium Schola qui Distinctionem rationis ratiocinatæ non admittit, sed tantum recipit Distinctionem rationis ratiocinantis, quia existimat Distinctionem Virtualem, revera actualem esse ex natura rei, & secluso opere intellectus. Circa hoc magna est Scoti & Scotistarum cum Thomistis Controversia: Scotus enim mediam ponit Distinctionem inter realem & rationis nimirum illam, qua unum ex ipsa Natura & Essentia sua, & ante omne opus Intellectus, non est de intrinseco & formali conceptu alterius: Vocatq eam formalem ex natura rei, id est quæ dicit negationem Identitatis, in sensu formali ex ipsa propria rei natura.

Punctum 3tium.

Distinctio rationis ratiocinantis & rationis ratiocinatæ stabilitur.

Conclusio 1ma Distinctio rationis ratiocinantis est illa quæ inter extrema quæ distinguit, nullam Identitatem tollit ex parte Objecti, neq materialiter seu Entitative neq formaliter: Proptereaq Distinctionem Virtualem non supponit; Sed tota Distinctio ē in ipso modo significandi et concipiendi. Distinctio rationis ratiocinatæ est, quæ relinquit ex parte Objecti Identitatem materialem, sed non formalem seu Virtualem. Hæc Conclusio est ad mentem Thomistarum quam multis expresse posita referunt

ut Pater

ut Pater Joannes à Santo Thoma. Advertendum est Identitatem formalem appellari quæ proprio et formali conceptu exprimitur seu quo formaliter aliquid constituitur: Hinc differre formaliter dicuntur, quæ differunt Definitione seu ratione propria. Identitas autem materialis, s. in sensu Identico vocatur quando aliqua sunt idem in ipsa Entitate et realitate, non autem in ipsa ratione, quæ per se primò significatur. Probatur verò 1ma Pars Conclusionis de Distinctione rationis ratiocinantis autoritate D. Thomæ, qui 1ma par. Quæsl. 41. artic. 4. ad 3tium inquit: Quod inter intelligere et intellectum in Deo, solum datur Distinctio ex modo significandi: Quæ distinctio est rationis ratiocinantis. Advertendum est, Distinctionem rationis ratiocinantis minorem esse, quam rationis ratiocinatæ, ✝ ex ipso Objecto fundamentum habet. Vnde quoad 1mam partem Probatur Conclusio 1mò autoritate Aristotelis qui hanc Distinctionem asseruit 5to Metaphys. lib. tex. 16. quando dixit, Intellectum posse uti uno tanquam duobus. Deinde probatur ratione: Quæ Distinctio solum originatur ab intelligente est Distinctio rationis ratiocinantis. Sed Distinctio relinquens in Objecto omnem Identitatem tam in sensu Identico, quam formali, solum originatur ab intelligente. Ergo Distinctio relinquens in Objecto omnem Identitatem, est Distinctio rationis ratiocinantis. Major est manifesta; Quod enim Identitatem non tollit ab Objecto, non sumit quoque Distinctionem ab Objecto. Minor quoque patet; Distinctio enim quæ fit non ex parte rerum, est Distinctio rationis. Quoad alteram partem probatur Conclusio: Quando Objectum est Vnum sed non in omni sensu, quamvis in re habeat Entitatem, originatur ab Objecto Distinctio rationis ratiocinatæ. Ergo Distinctio rationis ratiocinatæ relinquit ex parte Objecti Identitatem materialem, licet non formalem. Conclusio 2da Distinctio rationis ratiocinatæ non supponit Distinctionem aliquam ex natura rei actualem ex parte Objecti. Ad hoc intelligendum Suppono Quod secundum Assertores istius Distinctionis, Distinctio ex natura rei est quando Vnum realiter quidem est alterum; Sed Vnum non est de conceptu alterius. Tunc sic probatur: Distinctio actualis à parte rei, non est vera distinctio. Ergo non præsupponitur Distinctioni rationis ratiocinatæ. Consequentia clara est: Quia quod non est nequit præsupponi. Antecedens patet: Quia Vnum non esse de conceptu alterius, est nihil aliud quam Negatio habitudinis et connexionis intrinsecæ Vnius cum alio: Atqui hæc Negatio non sufficit ut constituat extrema distincta actualiter et distinctionem ipsam realem. Ergo Distinctio actualis à parte rei non est vera Distinctio. Major est certa; Quia esse Vnum de alterius conceptu, est habere connexionem s. habitudinem Essentialem et intrinsecam cum alio. Ergo Negatio istius Identitatis solum est Negatio habitudinis et connexionis cum alio. Minor autem probatur; posita enim Negatione habitudinis Essentialis tantum, extrema non manent ita distincta quod possint fundare inter se relationem hujus Distinctionis

✝ eo quod illa solum ex intelligente s. ratiocinante originatur: Distinctio verò rationis ratiocinatæ ✝ ex. ut in altri

ut in attributis Divinis patet, quæ ponit Scotus hoc modo distingui, cum tamen inter Unum et aliud non sint relationes reales: Sic in eodem hodie in quantum homo ad se ipsum ut animal, non datur relatio realis. Ergo neq; Distinctio: Ratio consequentiæ Distinctio enim est quædam relatio Ergo Si non existit in re relatio, non erit quoq; Distinctio. Infertur ex dictis Quod Distinctio rationis est duplex; Altera rationis ratiocinantis, Altera rationis ratiocinatæ. Distinctio rationis ratiocinantis est, quando rem concipiendo Unico conceptu adæquato, utimur tamen eo conceptu tanquam duobus conceptibus Objectivis propter solam rationem reflexam, quam circa illum conceptum exercet V.g. cum distinguimus Socratem quatenus est Subjectum in Enunciatione Identica, qua prædicamus Socratem de Socrate dicendo, Socrates est Socrates. Oritur verò hæc Distinctio ex vi reflexiva Intellectus, quæ potest se reflectere supra suas Operationes, quatenus terminantur ad aliquod Objectum, & cognoscere quid adveniat tali Objecto propter Operationes circa illas exercitas. Distinctio autem rationis ratiocinatæ est, quando eadem res per plures conceptus inadæquatos concipitur: Dico autem inadæquatos, quia licet concipiatur per quemlibet conceptum totum id quod est in re tamen per nullum conceptum concipitur adæquatè, ita ut conceptus commensuretur rei conceptæ toti, et exhauriat omnē conceptibilitatem Objecti V.G. quando concipimus misericordiam infinitam, Sapientiam DEi, per duos diversos conceptus formales concipimus quidem per utrumq; conceptum totum, sed inadæquatè id est non omni eo modo quo conceptibilis est: Adhuc enim concipi potest alijs conceptibus ut conceptu Justitiæ, Bonitatis & cæteris. Nascitur autem id Originaliter ex improportionalitate, ut diximus intellectus nostri: Posita tamen tali imperfectione in nostro intellectu non temerè id facit intellectus circa quodlibet Objectum quomodocunque, Sed tantum vel propter perfectionem rei, quæ pluribus æquivalet perfectioribus, ac proinde pluribus conceptibus concipi potest, ut diximus de Natura DEi, & gradibus Essentialibus rerum; Vel propter diversa connotata ut V.G. partium abstractio dicit respectum ad abstrahentem & ad Objectum abstractum, & ad id quo fit abstractio: Qui perfectè vellet concipere abstractionem, deberet eam pluribus conceptibus concipere, nunc sub ratione tantum actionis pendentis ab abstrahente, nunc sub ratione notitiæ terminatæ ad Objectum, seu repræsentativæ Objecti, nunc sub ratione abstractionis, quatenus est Uni rationis Objectivæ notitia, sine notitia alterius rationis Objectivæ sibi conjunctæ. Conclusio 3tia Fundamentum Distinctionis rationis ratiocinatæ duplex esse potest, Vel ex parte Objecti, Vel ex parte intellectus nostri: Ex parte quidem Objecti fundamentum istius distinctionis est Virtualis aliqua Distinctio S. Eminentia rei quæ Unica existens, plures rationes seu perfectiones continet in aliquo esse. Deinde ex parte intellectus nostri fundamentum distinctionis hujus est imperfectio ipsius, non adæquatè concipiens omnes illas rationes Objecti, sed diversis conceptibus

ceptibus id attingens s. comparans. Ista conclusio est eruta ex Doctore Angelico D. Thoma 1mo Sententiarum Distin. 2. Quæst. 1. artic. 2. quam ibi luculenter tractat; Similiter Cajetanus docet 1ma par. Quæst. 39 art. 1. Ratione verò probatur; Plures rationes s. perfectiones in Una Entitate contentæ non possunt ab intellectu adæquatè attingi Ergo Eminentia rei quæ scilicet plures continet perfectiones, seu Virtualis illa plurium perfectionum Distinctio una cum intellectu inadæquatè attingente illam rei Eminentiam, est fundamentum Distinctionis rationis ratiocinatæ. Antecedens autem patet 1mò quoad illud, Quod Uni rei plures adsint rationes; Quia res aliqua quantò superior et eminentior est, plures perfectiones unit, quam inferior. Ergo plures rationes s. perfectiones in Una Entitate dantur. Antecedens apparet certum esse: Quia in Eminentia Dei infinitæ perfectiones sunt ut supra innuimus. Deinde quoad illud; Quod imperfectio Intellectus est adæquatè concipiens rationes illas in Objecto repertas, diversis illas attingit conceptibus; Probatur, Plura per Conceptum Unius adæquatum nequeunt ab intellectu nostro concipi Ergo necesse est illa pluribus conceptibus attingi. Consequentia patet; Quia V.G. in homine tanquam Entitate plures rationes continente, intellectus lumine suo non potest illas omnes rationes manifestare, sed uno conceptu unam attingit, et alio aliam, Atque sic distinguit illas in esse Objecti, cum tamen in Esse rei non sint distinctæ, sed sint unum. Ergo Intellectus pluribus conceptibus dividit, et abstrahit unam rationem ab alia: Sic distinguit Intellectus noster gradus Metaphysicos id est prædicata superiora et inferiora, ut esse animal, esse Vivens in eodem V.G. Equo, distinguuntur ratione ratiocinata. Eadem distinctione dicuntur per Intellectum nostrum distingui attributa Divina, quæ in una forma Divinitatis sunt Unum. Quia tamen illa non attingitur adæquatè à nostro intellectu, sed ad instar rerum Creatarum, idcircò dividit illas secundum diversos conceptus, nempe explicando Unam rationem et non explicando aliam. Ergò In qualibet distinctione rationis ratiocinatæ reperitur principium et radix in aliqua forma, quæ propter aliquam Eminentiam plures continet rationes, sed quæ ab intellectu inadæquatè illas attingente dividuntur.

Colligitur 1mo Per Distinctionem rationis non plurificari rem ut est in se, sed ut Objectivè terminat plures conceptus Intellectus nostri: "Namque in Deo ut est in se non invenitur aliqua distinctio inter misericordiam et justitiam, siquidem Deus est Ens simplicissimum, excludens omnem Compositionem et omnem rationem partium et Entitatum incompletarum: Unde cum dicimus in Deo justitiam esse distinctam à misericordia, Illud prædicatum distincta est Denominatio rationis (quod Etiam Suarius fatetur) à conceptu abstrahente, tanquam à forma denominante. Hinc patet cur dicatur Distinctio rationis ratiocinatæ: Per rationem enim ratiocinatam significatur

hoc loco

hoc loco id quod vocamus rationem Objectivam quatenq objecta s intellecta est. Non enim Objecta simpliciter et specificativè sumpta distinguuntur per hanc distinctionem, sed objecta quatenq objecta sunt, id est, quatenq terminando actionem intellectq exercent rationem Objecti, quæ non est alia quam objici intellectui s terminare ipsius Operationem. Distingui igitur ratione ratiocinata, est distingui ratione Objectiva; ut quando dicitur misericordia in Deo esse distincta ratione ratiocinata à Sapientia; Sensus est, quod ratio Objectiva misericordiæ intellecta non sit ratio Objectiva Sapientiæ. Colligitur 2dò Duo includi in ratione ratiocinata. 1mum est quod convenit cum distinctione rationis ratiocinantis, scilicet actualem Distinctionem esse solum per distinctos actq intellectq, à quibq extrinsecè res ipsa denominatur distingui. 2dum est in quo differt Distinctio rationis ratiocinatæ à distinctione rationis ratiocinantis, nimirum, quod ita res ipsa Objecta et concepta repræsentetur per plures actus intellectq, ut aliter repræsentetur per unum aliter per alium, id est, ut aliquid ipsius rei repræsentetur per unum conceptum, quod explicitè non repræsentetur per alium. Hæc Distinctio à Doctoribq appellari solet, Distinctio inchoata s. Distinctio incompleta et Virtualis: Non quod sit inchoata in re aliqua Distinctio actualis, quæ postea compleatur per intellectum, ut nonnulli malè intellexerunt, sed quod Intellectq initium distinguendi sumit ex re ipsa s. vel ex perfectione ipsius rei, quæ continet id quod per diversos conceptq repræsentatur, ex qua quidem rei perfectione provenit quasi radicaliter illa fœcunditas conceptibilitatis in ipso Objecto, ut scil. ab intellectu limitato, diversis intellectionibq concipi possit, per quas omnes intellectiones tandem repræsentetur unica illa Entitas quæ omnibq perfectionibq per diversos actq conceptis æquivalet: Vel certè intellectus sumit initium distinguendi ex imperfectione alicujq Entis, quod quia habet Entitatem à multis dependentem et illa à quibus dependet, unico conceptu simul connotari non possunt propter limitatam nostræ Intellectionis Unitatem, ideò pluribus conceptibus intelligi debet, concipiendo per illos diversos conceptq non diversas perfectiones sed diversas dependentias, quæ non possunt concipi nisi connotando ea, à quibq dependet id quod concipitur ut supra ostensum est Exemplo abstractionis. Sublata tamen imperfectione intellectq, non est in re concepta sufficiens causa talis distinctionis ut patet de intellectu Divino, qui non facit ejusmodi distinctiones rationis in rebus quas comprehendit, quamvis cognoscat istam Distinctionem rationis quæ à limitato intellectu humano fieri solet. Colligitur 3tiò; Distinctionem ratiocinatæ rationis, non ideo vocari rationis quod sit inter Entia rationis; Misericordia enim et justitia in Deo non sunt Entia rationis; sed vocatur Distinctio rationis, quia fit mediante ratione s. intellectu, concipiente rem aliquam diversis conceptibq: Qui

quidem

quidem conceptq distinguuntur inter se realiter ut res à re; Objectivæ tamen rationes, quæ diversis conceptibq inadæquatis respondent, sunt rationes diversæ: Et hæc diversitas illis accidit, eo quod diversos conceptq terminent; Atq ita nihil sunt aliud illæ rationes Objectivæ, quam diversæ denominationes ejusdem Objecti, factæ à diversis conceptibq tanquam à formis denominantibq: Inde sequitur, id quod concipitur per diversos conceptq non esse à ratione, sed in re ipsa; per rationem autem non resultat aliud in Objecto quam distinctio rationum Objectivarum. Advertendum circa Distinctionem Entium rationis quod duobus modis Entia rationis contingit posse distingui: 1mò Quando distinguuntur plura Entia rationis quæ diversa habent fundamenta, vel sunt rerum diversarum negationes &c V. G. quando distinguitur ratio cogniti à ratione visi: Et hæc Distinctio, quamvis ex eo fonte possit inter Entia rationis, & non inter Entia realia dici Distinctio rationis; Non tamen propriè est Distinctio rationis quia non nascitur ex pluribq conceptibq quibus inadæquatè res eadem concipiatur: Sed est potius Distinctio similis Distinctioni reali; Quia esse visum et esse cognitum distinguuntur seipsis, non ex fictione aliqua rationis, quod tamen intelligendum est de distinctione convenienti illi modo Essendi quem habent Entia rationis. Idem dicendum est de Distinctione privationum & negationum, ut tenebrarum & cæcitatis, Non hominis & non equi &c Inter hæc enim non est propriè Distinctio rationis ratiocinatæ, neq etiam proprie distinctio realis quia extrema non sunt realia, sed est Distinctio similis Distinctioni reali. 2do modo potest accidere Distinctio rationis, si in uno aliquo Ente rationis effingat intellectq plures rationes Objectivas: V. G. Si in ratione Prædicati concipiat et respectum ad prædicandi actum et alium respectum ad Subjectum cui Prædicatum attributum est; Tunc enim si quis velit utrumq hunc respectum rationis pertinere ad complementum Unicq Entis rationis, quod est ratio Prædicati, poterit dicere illam relationem, quæ est ad actum prædicandi, distingui ratione ratiocinata ab illa relatione quæ est ad Subjectum. Et hæc Distinctio est magis propriè Distinctio rationis quam illa prior; Illa enim dicitur Distinctio rationis tantum extrinseci, id est, tantum ratione extremorum, quæ sunt Entia rationis; Hæc verò dicitur distinctio rationis intrinseci, quia causatur à ratione.

Punctum 4tum.
Objectorum resolutionem subjiciens.

Contra prædicta objici potest: 1mò Contra illud quod diximus Distinctionem rationis ratiocinatæ esse, quando eadem res diversis conceptis inadæquatis concipitur: Vel enim pluribus conceptibq de una re formatis, objicitur semper eadem ratio; Vel alia ratio objicitur Uni & alia alteri; Si 1mum, non est Differentia inter distinctionē rationis

ratioci=

ratiocinantis et rationis ratiocinatæ. Si 2dum, Ergo ante omnem Operationem Intel
lectus est in re distinctio ejus rationis quæ objicitur. Uni conceptui ab ea ratione qua
objicitur alteri conceptui. Objicitur 2do Videntur esse repugnantia quæ diximus, quod
nimirum res una simplicissima (qualis V.G. est natura divina) concipi possit pluribus
conceptibus inadæquatis: Quia conceptus iste inadæquatus videlicet repræsentat to
tum Objectum. Et sic non bene dicitur inadæquatus, sed adæquatus, quia non plus est
in Objectivo quam in conceptu repræsentante. Vel aliquid concipit et aliud relinquit
concipiendum per alium conceptum, et tunc id quod hoc modo concipitur non poterit di
ci Ens simplicissimum, quandoquidem est in illo aliquid quod concipitur per Unum con
ceptum, et aliquid quod relinquitur per alium conceptum concipiendum. Confirmatur
a Simili: Quia enim punctus V.G. est quid simplex, et cujus pars nulla est, ideò non
potest designari aliquid puncti, quin designetur totum punctum. Si enim tangeretur
aliquid puncti, non tangendo totum punctum, quod est contra naturam et definitione
puncti. Eodem modo in re simplici nihil videtur mente attingi posse, nisi attingatur to
ta ipsa entitas rei simplicis. Quodsi tota Entitas rei simplicis attingitur per aliquem con
ceptum, procul dubio ille conceptus non erit adæquatus. Quodsi Rdeatur Eandem
quidem rem concipi per diversos conceptus de illa re formatos, nihilominus tamen
esse quandam distinctionem propterea quod conceptus illi non eodem modo repræsentant
rem illam conceptam. Alius enim magis explicitè et distinctè repræsentat: Alius minus
explicitè et minus distinctè, ut V.G. quando concipitur natura hominis, concipiendo
rationem animalis per unum conceptum, et rationem rationalis per alterum conceptu,
tunc per utrumque conceptum natura humana concipitur, sed diverso modo: Nam magis
explicitè concipitur per rationem rationalis. Contra arguitur. Quia si res quæ re
præsentatur est omninò simplex, quolibet conceptu tota explicitè repræsentari debet, alio
quin si aliquis est conceptus qui non explicitè rem simplicem repræsentet, erit aliquid in
re simplici, quod per talem conceptum non attingatur, atqui ita res illa non erit simplex,
quia datur in illa aliquid quod non explicitè concipitur, et restat aliquid, quod non at
tingitur sed relinquitur concipiendum explicitè per alium conceptum. Objicitur 3tiò
Distinguere duo per intellectum, est negare unum esse aliud. Ergò quando intellectus di
stinguit V.G. rationem animalis à ratione Viventis in homine, negat rationem Viventis
esse rationem animalis. Atqui ita ut aliud est quod concipitur in homine sub ratione Vi
ventis, et aliud quod concipitur sub ratione animalis. Et sic non erit sola distinctio per
rationem. Vel certè si non est aliud, sed idem, errabit intellectus distinguendo rationem a
nimalis à ratione Viventis. Rdetur ad 1mam Objectionem Conceptibus illis omnibus
quod de re simplici format intellectus, objici et repræsentari idem, sed non eodē modo.
Tota enim res simplex cuilibet conceptui objicitur, et non pars Uni et pars alteri, quia hoc es

Set contra

sit contra rationem rei simplicis ut convincit argumentum. Totum igitur Ens simplex, omnibus qui de ipso formantur conceptibus objicitur. Sed non totaliter, id est, non omnino modo quo conceptibile et repraesentabile est. Nam res praeter eum modum quo objicitur intellectui per unum conceptum apprehensa, potest et aliis modis objici, atque ita per alios conceptus concipi. Isti autem alii et alii modi non se tenent ex parte rei quae repraesentatur quasi in ipsa sit quidam modus distinctus, quo explicite objici intellectui potest, si per unum conceptum concipiatur, et minus explicite si per alium; sed potius res simplex, quantum est ex parte sua, tota et totaliter est repraesentabilis unico simplici actu ut constat cum repraesentatur actu cognitionis Divinae. Quare ut ejus perfectio non totaliter, neque explicite repraesentetur per quemlibet actum, id provenit solum ex limitibus nostrorum conceptuum. Ad 2dam Objectionem Respondeo Non esse repugnantia cum dicitur aliquid totum concipi, et non conceptu adaequato. Ad hoc enim ut aliquis conceptus dicatur adaequatus alicui objecto, non est satis si conceptus repraesentat totam Entitatem Objecti, et non tantum partem illius, sed dicit repraesentare totam et totaliter, id est, omni modo quo objici illa Entitas potest. Itaque alia est totalitas ut est Ens, alia vero totalitas ejusdem Objecti ut cognoscibile est et repraesentare: Seu alia est totalitas Entitatis, alia totalitas repraesentabilitatis seu conceptibilitatis. Potest igitur unicus conceptus tendere in totam simplicem rem totalitate Entitatis, non autem in tota totalitate conceptibilitatis, quod est dicere in totam non totaliter, id est, non omni totalitate quam habet. Quae duae totalitates sunt diversae in Objecto indivisibili, nam totalitas Entitatis in tali Objecto dicit tantum negationem partium id est carentiam omnis compositionis. Totalitas vero conceptibilitatis est totalitas includens quodammodo partes, ut dici possit quod non totaliter concipitur. Concipi partialiter id est secundum totam conceptibilitatem. Ad Confirmationem Respondeo cum distinctione; Si enim similitudo procedit in totalitate Entitatis, concedenda est paritas. Quemadmodum per contactum corporeum seu Quantitativum punctus tangitur secundum totam Entitatem quam habet, et non potest tangi aliquid puncti quin tangatur totus punctus. Ita per Intellectum non potest aliquo conceptu attingi Ens indivisibile, quin attingitur tota rei indivisibilis Entitas. Si vero similitudo procedit à totalitate conceptibilitatis, neganda est paritas; Quia contactus Quantitativus non habet vim attingendi separatim quamcunque rationem Entis in puncto cognoscibilem, et ita punctus respectu tactus non habet nisi unum modum attingibilitatis, neque est in puncto alia et alia ratio terminativa tactus, sed unica solum quatenus nimirum punctus est quid habens positionem in corpore Quanto. At vero respectu potentiae intellectivae, tum punctus, quod quodlibet aliud indivisibile, habet latitudinem conceptibilitatis, propterea quod Intellectus Objectum est omne Ens et omnis ratio Entis. Atque ita tum punctum, tum quamlibet aliam rem potest concipere nunc sub ratione Entis, nunc sub ratione talis Entis. Ad Instantiam Respondetur Non explicite aliquid concipere, non

est aliquid

est aliquid relinquere in Objecto, quasi alio conceptu concipiendum; Sed est non explicare in conceptu Objectum omni eo modo quo explicabile et significabile est. Unde quando dicitur aliquid rei explicitè significari, et aliquid implicitè: Illud aliquid et aliquid, non est diversum in re ipsa sed solum ita nuncupatur, quatenus duplici subest intellectioni, quarum una est repraesentatio magis explicita Unius rei quam alia. Quod autem ejusmodi plures conceptus de aliquo Ente simplicissimo formati non possint arguere in Objecto aliquam multiplicitatem ex natura rei, probatur evidenter ex pluralitate conceptuum, quos formant de summis generibus, V. G. de Substantia concipiendo eam tanquam Ens quoddam, in quo convenit cum Quantitate et alijs summis generibus, et concipiendo eundem Substantiae gradum, tanquam tale Ens in quo Substantia differt ab alijs summis generibus. Si ergo ista quae duobus hisce conceptibus in Substantiae gradu objiciuntur, essent ex natura rei diversa, quia à quolibet eorum possunt fieri similes conceptus Entis et talis Entis, quodlibet debet esse ex duabus rationibus constans, quae ex natura rei inter se distinguerentur et sic abiretur in infinitum. Quare dicendum est, ex diversis conceptibus, quos de aliqua re formamus, non posse inferri distinctionem Objecti ex natura Objecti. Ad 3tiam Objectionem Respondet Suarius concedendo in distinctione rationis ratiocinatae intercedere negationem Unius perfectionis Uno conceptu cognitae, de alia perfectione, alio conceptu cognita. Negando V.G. rationem Viventis in homine esse rationem animalis: Sed tamen non est concedendum, quod in hac re fallatur et erret intellectus sic negando. Non enim negat, nisi quia reflexè confert unam rationem procul cognitam uno conceptu seu cum alia ratione procul cognita alio conceptu. Et sic sine dubio cum isto respectu illae rationes sunt distinctae per rationem ratiocinatam. In ipsa vero praecisiva abstractione, quia non est affirmatio aut Negatio, ideò (dicit Suarius) neque est error neque falsitas.

Quaesitum 3tium
Per quam Potentiam fiant Entia rationis. et per quos actus.

Punctum Imum.
Opiniones attinguntur.

Potentiae quibus fit Ens rationis debent esse potentiae operantes immanenter. Et Ratio est, Quia potentiae transeuntur operantes faciunt aliquid extra intellectum existens. Potentiae autem immanentes, Aliae sunt cognoscitivae aliae appetitivae. Scotus asserere videtur ex Voluntate quae ex potentia appetitiva, resultare Entia rationis, quem impugnat Cajetanus Ima par. Quaest. 28. art. I. Ille tamen non strictè in 3tio lib. Sent. 26. Quaest. 2. § respondet, accipit Ens rationis, sed prout hoc nomen Ratio comprehendit intellectum et Voluntatem, loqui de Ente rationis videtur. Alij putant Ens rationis extendi ad omnem potentiam in qua resultat denominatio extrinseca in Objecto,

eo quod

eo quod existiment Ens rationis in extrinseca denominatione consistere: Quod falsum esse ex dictis constat. De internis vero potentijs, ut de imaginativa vel Phantasia, quia multa fingunt et imaginantur, quae sunt Entia ficta merito dubitari potest. Cum vero de actu formante Ens rationis quaeritur: Potest duobus modis dubitari 1mò, An per solum actum absolutum fieri possit Ens rationis, qualis est Operatio simplex; An vero requirat aliquem actum comparativum vel compositum? 2dò An actus directus an vero reflexus requiratur, quod cognoscatur Ens rationis formatum?

Punctum 2dum
Determinatio Quaesiti.

Conclusio 1ma Voluntas et Sensus externi non formant Entia rationis, ut habeant Esse ex vi actus illorum: Probatur, Quia potentiae, quae supponunt Objectum suum extra se formatum, non formant Entia rationis. Sed Voluntas et Sensus externi non formant suum objectum sed extra se formatum supponunt. Ergo Voluntas et Sensus externi non formant Ens rationis. Major est perspicua: Minor autem probatur: Voluntas enim supponit Objectum propositum per cognitionem, sive sit verum illud s. apparens. Ergo Voluntas non facit Objectum sed in Objectum propositum fertur. Quoad secundam partem de sensibus externis probatur Minor: Sensus qui feruntur in Objecta extra se posita non intra se, non formant Ens rationis; sed sensus externi feruntur in objecta extra se posita, non rationis Ens formant. Major est manifesta, &c. quid enim habet Esse extra potentiam cognoscentem non est Ens rationis. Minor aperta est ex Objectis sensuum externorum: Objectum enim visus est color s. Lux, et auditus est Objectum sonus et sic de alijs: Sed haec omnia Objecta sunt extra sensum. Ergo Objecta ista non formantur ab extensibus sensibus. **Instabis.** Sensus videtur falli in multis. Ergo ficte cognoscit s. format Ens rationis. Antecedens patet; Visus enim bacillum aquae immersum, putat esse fractum vel curvum, qui tamen sit rectus et infractus. R. tur negando Sensum per se falli, sed tantum dicitur sensus occasionaliter falli quia intellectus probet occasionem ut fallatur: Ut V. G. Visus videns aurichalcum, non fallitur judicando quod sit aurum, quia Judicium hoc ad intellectum spectat: Sensus autem solum apprehendit apparentiam coloris aurichalci in quo falsitas aut fictio non fuit. **Conclusio 2da** Sensus Interni non formant Entia rationis formaliter loquendo: Materialiter autem repraesentare possunt id, ad cujus instar formatur aliquod Ens fictum. 1ma pars Conclusionis ut probetur praemitto: Formare Entia rationis formaliter loquendo, est discernere inter Ens rationis et Ens reale, et concipiendo id quod non est Ens, ad instar Entis realis: Materialiter autem cognoscere Ens rationis est ipsam apparentiam Entis realis attingere. Sed non discernere inter id quod rationis et realitatis est. Hoc illustratur Exemplo imaginativae potentiae, quae est sensus internus; Potest enim imaginativa formare montem aureum, et similiter animal compositum

positum ex capra ex Leone et Serpente quod est Chymæra; in quibus imaginativa tantum attingit id quoad sensibile s. quoad sensum repræsentabile est: Habere autem habitudinem ad non Ens, et quod ex ea habitudine Entia ficta s. rationis dicantur, quod est formaliter discernere inter Ens et non Ens, nec imaginativa nec cæteri sensus attingere possunt. Probatur prior conclusionis pars: Internus sensus non potest ferri in aliquid nisi sub ratione sensibilis. Ergo sensus internus non potest formare formaliter Ens rationis: Antecedens patet ex objectis potentiæ proportionatis sensitivæ. Consequentia quoque certa est; Ens enim rationis seu fictum non est sensibile quandoquidem istud quod interno sensui repræsentatur ut sensibile, sensus non judicat quod opponatur Enti reali; siquidem non concipit Ens sub ratione Entis: Nam formaliter Ens fictum concipi est concipi illud nihil Entitatis habere, et tamen ad instar Entis attingi; quod sensui non conceditur. Posterior conclusionis pars; Quod scilicet Ens fictum materialiter loquendo, possit sensus cognoscere; Probatur, Quia sensus internus multa adinvicem componit quæ extra se nullo modo sunt aut esse possunt. Ergo sensus internus cognoscit aliquid quod in se est Ens fictum, quamvis ipsam fictionem non apprehendat, id est, solum id cognoscit quod in illo Ente ficto tanquam sensibile se offert. Instabis Sensus Externus cognoscit privationem proprij Objecti V.G. tenebras. Ergo Sensus Externus cognoscit ipsum Ens fictum. Consequentia; Tenebræ enim sunt privatio Lucis. Rdetur quod sensus tenebras non percipit fingendo illas ad modum Entis, sed non eliciendo actum videndi. Conclusio 3tia Ad formanda Entia rationis formaliter, intellectus indiget aliquo actu comparativo, ut sic Entia rationis dicantur formaliter esse et non solum fundamentaliter. Probatur Conclusio autoritate S. Thomæ qui in lib. 1. Perihermenias lect. 10 inquit: Quod hujusmodi Intentiones (de Universalibus loquens) intellectus format secundum quod comparat eas ad res quæ sunt extra animam: Similiter Quæst. 7. de potentia art. 11 inquit: Quod relationes rationis aliæ sunt quas intellectus invenit et attribuit rebus intellectis; Aliæ vero quæ consequuntur modum intelligendi, licet illum modum intellectus non adinveniat, sed ex modo intelligendi consequatur. Et primas quidem relationes ratio adinvenit considerando ordinem ejus quod est in intellectu ad res quæ sunt extra vel etiam ordinem intellectuum ad invicem; Illæ vero consequuntur ex eo quod intelligit unum in ordine ad aliud. Ergo secundum doctrinam S. Thomæ omnes Intentiones per aliquem actum comparantem formantur. Probatur ratione: Quia omne Ens rationis vel est Relatio vel aliqua Negatio: Si Relatio Ergo debet comparative apprehendi ad terminum; Si Negatio ✝ Ergo omne Ens rationis indiget actu comparativo. Major patet ex dicta Entis Divisione: Assumptio quoque clara est pro priore parte, quia omnis Relatio fit comparative ad terminum: Pro altera quoque,

✝ Ergo debet concipi positive ad instar Entis rationis; Sed concipi ad instar Entis est comparative ad alterum etc. ✝

ra quoq parte, Negatio enim si concipitur absolutè non concipitur positivè:
Ratio; Nam Negatio nihil in se habet positivum. Ergo debet concipi ad modum En-
tis non modo quia ex parte principij cognoscendi per speciem realem concipi de-
bet, verum etiam quia ex parte termini cogniti debet accipi ad instar Entis atqui Ne-
gationem ex parte termini cogniti accipi ad instar Entis exigit aliquam noti-
tiam comparativam. Ergo negatio ex parte termini requirit actum comparativum.
Assumptio probatur à Simili; Sicut quando concipio Viennam ad instar Cracoviæ com-
parativè concipio Viennam & non absolutè, quia connotativè & respectivè ad aliud.
Ita quoq quando Negationem concipio ad instar Entis non absolutè, sed respecti-
vè & comparativè concipio illam. Quoad relationem rationis diversa est ra-
tio; Siquidem relatio rationis positivi de se dicitur non negativè; Unde fit ut aliun-
de comparativa indigeat cognitione s. quia relatio est quædam comparatio quoad
terminum, tum quia ad instar relationis realis concipitur, quamvis in se positivè di-
citur. Advertendum est nomine actus comparativi non solum intelligi oportere
Comparationem positivam vel judicativam, quæ ad secundam Operationem Intellectus
pertinet, sed etiam quamlibet cognitionem, quæ cum connotatione & ordine ad aliud con-
cipit: quod etiam contingit fieri extra secundam Operationem, nam cum apprehendi-
mus relationem per ordinem ad terminum, hoc fit per primam Operationem. Potest quoq
fieri Ens rationis per comparationem compositivam & discursivam. Præterea Cæcitas
ad instar positivi accipitur acsi esset Ens; hoc autem fit per connotationem ad Verbum
Est, quia intellectus de Cæcitate affirmat quid est ut V. G. in hac Enunciatione, Cæci-
tas est Ens rationis, quia de non Ente seu cæcitate aliquid affirmatur, positivè con-
cipitur Cæcitas acsi esset Ens. Quantum attinet ad postremam Conclusionis
partem additum est ibi, ut Entia rationis dicantur formaliter esse & non solum fun-
damentaliter. Hoc autem propterea quia fundamentum Relationis rationis non requi-
rit comparationem, ut V. G. quando simplici abstractione denudatur natura natura à
conditionibus Individuantibus, ubi est solo præcisio ab inferioribus citra ullum actum
comparans: Verumtamen in hoc statu Universale constitutum, non est Universale Lo-
gicum formaliter, sed potius Metaphysicum quod est fundamentum Intentionis Logicæ
ut ex infra dicendis constabit. Corrolarium Ex dictis deducitur posito fundamen-
to relationum rationis, antequam actu cognoscatur per comparationem ipsa relationis
rationis fit denominatio Relationum rationis; patet hac inductione. Nam natura de-
nominatur Universalis hoc ipso quod abstrahitur etiam antequam actu comparetur: Ita quip-
pe denominatur Dominus etiamsi actu non consideretur relatio Dominij, sed ratione po-
tentiæ

tentiæ denominativæ: Similiter literæ in libro clauso sunt signum, etiamsi actu non consideratio Relatio signi. DICES Relationes reales non denominant nisi existant. Ergo Relationes quoque rationis non denominant nisi actu compararentur. Consequentia videtur esse à pari, ut relationes tam reales quam rationis in actu constitutæ denominent. Antecedens patet: Quia in relationibus realibus non denominatur quispiam Pater nisi in actu habeat relationem ad filium; Præterea non dicitur similis nisi actu habeat similitudinem etiamsi habeat fundamentum. R. Negando Consequentiam; Quia in hoc relationis realis et rationis disparitas consistit: Nam relationum rationis esse actuale, consistit in actualiter cognosci objectivè quod non provenit ex fundamento et termino, sed ex intellectu; Unde sine resultantia rationis multa poterunt dici de subjecto ratione fundamenti, quia Relatio rationis non ipsum fundamentum, et terminum, sed cognitionem sequitur: At vero è opposito se modo res habet in realibus rationibus: Siquidem relatio realis naturaliter resultat ex fundamento et termino: Idcirco nihil convenit ex vi fundamenti in ordine ad terminum nisi media relatione. Porrò denominatio hæc ante actum cognoscendi per comparationem ipsius relationis rationis, convenit ratione fundamenti proximi absolutè loquendo, Quia non sub illa formalitate qua denominatur à relatione, ut cognita et existente ista fit denominatio: Nam Deus ante relationem intellectus denominatur Dominus, sed non relatus: Id vero in relationibus realibus non contingit; Quia si non existat relatio non denominatur etiam absolutè ad terminum. CONCLUSIO 4ta. Ens rationis formatur cognitia directa quæ ipsum non Ens reale vel quia realiter relativum non est, denominat cognitum ad instar Entis vel relationis, non verò cognitione reflexa, quæ Ens rationis respiciat tanquam rem cognitam, ut Quod. Probatur Conclusio: Quia Doctor Angelicus opusc. 42. cap. 2. inquit: Quod tunc efficitur Ens rationis, quando intellectus nititur apprehendere quod non est et ideo fingit illud ac si Ens esset. Similiter in 1mo Sententiarum Distinc. 2. Q. 1. art. 3 dicit, Quod Intentiones consequuntur ex modo intelligendi rem extra animam. Ergo non cognitio reflexa, qua præcisè Ens rationis denominatur Cognitum, ut Quod: Sed cognitio directa qua denominatur cognitum ad instar Entis id quod non est, formaliter et per se format Ens rationis. Probatur ratione. Quia Cognitio qua Ens rationis denominatur cognitum reflexè et tanquam Quod supponit Ens rationis formatum. Ergo Cognitio reflexa non format Ens rationis. Consequentia patet; Quia Cognitio supponens Ens rationis formatum, et quæ quasi ipsum Ens rationis speculatur, non format Ens rationis. Antecedens constat esse verum, Quia

Cognitio

cognitio reflexa super Ens rationis, tanquam super terminum cognitum fertur. Pro uberiore consequentiæ declaratione, certum est ab Intentionibus sic reflexè cognitis non fieri denominationem incognoscentem: V. G. quando Angelus vel Deus intelligit hominem syllogizare aut propositionem formare, non sequitur quod Deus vel Angelus syllogizet vel enunciet. Et tamen Deus aut Angelus quasi in actu reflexo et signato, ipsum syllogismum tum propositionem et alias Intentiones Logicas intelligit. Hoc idem est, quando intellectus noster intelligit istas Intentiones speculando naturam earum; Non enim tunc formantur ipsæ Intentiones speculatæ, sed super illas fundantur aliæ, quatenus in Universali, vel per modum prædicationis et co- gnoscuntur. Ergo Ens rationis cognitione reflexa non formatur: Tunc enim (ut docuit D. Thomas) efficitur Ens rationis quando intellectus nititur apprehendere quod non est, et ideò fingit illud acsi Ens esset ut paulò ante dictum est. Ex his infertur, Intellectum nostrum cognitione directa formare et efficere Ens rationis.

Punctum 3tium
Objectiones resolvens.

Arguitur 1mò in contrarium: Multæ aliæ potentiæ præter intellectum versantur circa non Entia, attingendo illa et ordinando ad instar Entis realis. Ergo etiā formabunt Entia rationis. Antecedens patet in Voluntate et sensu interno; Voluntas enim tendit appetendo in bonum apparens, quod non est bonum in re; præterea ordinat unum ad aliud, ut medium in finem, quod aliquando verè non est medium, nec verè ordinatur. Ergo Voluntas comparat unum alteri, comparatione non existente in re, quod est formare Ens rationis: De sensu autem interno idem ostenditur; Siquidem sensus internus comparat unum alteri dum format propositiones et discursus circa singularia, Deinde format Ens fictum ex speciebus diversis V.G. dum ex monte et auro format montem aureum. Ergo sensus internus cognoscit Entia ficta. Ad hæc generaliter ex omni sensu consequitur denominatio extrinseca cogniti, quæ est Ens rationis. Ergo sensus cognoscit et format Ens rationis. Respondetur Negando Antecedens, Ad probationem Resp.: Quod Voluntas in Objectum cognitum tendit; Unde non cognoscit illud formaliter, nec illi dat Esse per rationem: Sed illud tantum quod resultat ex actu appetitus, est denominatio extrinseca, quæ quidem est Ens rationis fundamentaliter. Fit autem formaliter Ens rationis, quando actu cognoscitur ad instar formæ, seu relationis realis. Ergo Voluntas non fingit bonum apparens sed sibi propositum supponit: Atque sic Voluntas Entia rationis non format. Hoc idem dicendum de ordinatione mediorum in finem, quæ non sunt verè media scilicet ut cognita ab intellectu

sibi proponi; Unde Voluntas dicitur illa media ordinare, non cognoscendo sed appetendo. Hinc Voluntas non format Entia rationis formaliter; Ordinatio autem hujusmodi mediorum, in re ordinata volita, non nisi denominationem extrinsecam ponit. De sensu autem quod dicitur, Reo ad id & dico; Quod Sensus materialiter quidem id cognoscit ad cujus instar fingitur quod non est; sed formaliter non cognoscit Ens fictum: Namq; Sensus internus in formanda propositione & discursu, non cognoscit ipsam ordinationem Praedicati & Subjecti, & Antecedentis ad Consequens. Dicitur autem sensus internus cognoscere montem aureum, non quantum ad rationem fictionis ut distinguitur à realitate; Sed solum quantum ad id, quod sensibile est in illis partibus repraesentatis auri & montis, quod est materialiter Ens rationis. Ad 3tium probationis punctum Reo: Quod denominatio extrinseca consecuta ad cognitionem sensus in quantum denominatio extrinseca, non nisi fundamentaliter est relationis rationis: Formaliter autem tunc fit relatio rationis, quando ad instar relationis cognoscitur; Igitur nec Voluntas nec sensus interni cognoscunt formaliter Ens rationis: Neq; Denominatio extrinseca ut talis, est relatio rationis formaliter, sed tantum fundamentaliter. Arguitur 2do Potentia non comparans, neq; discernens rationem ficti à ratione Entis veri, non format Ens rationis formaliter loquendo: Ut de sensibus internis probatum est. Sed intellectus per primam Operationem, hoc est, secundum simplicem apprehensionem non comparat neq; discernit rationem ficti à ratione Entis veri. Ergo Intellectus per simplicem apprehensionem, quae est illius Prima Operatio, non format Ens rationis formaliter loquendo. Minor est perspicua: Si enim simplex apprehensio Intellectus compararet aut discerneret rationem ficti à ratione Entis veri, jam non esset simplex apprehensio sed comparativa seu composita cum altero. Ergo non comparat nec discernit rationem ficti à ratione Entis veri. Confirmatur Quia simplex apprehensio non est fictio siquidem fictio falsitati subjecta est, Unde sic probatur: Quod semper est verum non est fictio. Sed simplex apprehensio semper est vera & praecisè repraesentat rem ut est in se, seu ut proponitur sibi. Ergo Simplicis apprehensionis Objectum non est fictum, ac proinde neq; est Ens rationis. Reatur ad Minorem distinguendo eandem, nempe comparare Unum alteri dupliciter contingit; Aut affirmando vel negando, & sic Minor propositio conceditur, Quia per simplicem apprehensionem intellectus non comparat Unum alteri. Aut discernendo Unum ab alio & attingendo ordinem Unius ad alterum; Et sic negatur Minor propositio; Nam per primam Operationem cognoscit relativa & attingit Definitionem rei, & congruitatem terminorum, ac distinctionem praedicatorum. Unde in praedicamentis agitur de

simplici

Simplici apprehensione, ut docet Doctor Angelicus 1mò Perihermenias lectione 1ma. Igitur simplex apprehensio habet sufficientem comparationem ad formandum Ens rationis. Quod vero non concedamus Sensui interiori formationem Entis rationis, hoc provenit non ex defectu comparationis sed potius ex defectu Universalitatis cognoscendi; Ratio: Sensus internus non cognoscit Universaliores rationes, discernendo inter Ens verum et Ens fictum: Simplex autem apprehensio discernit inter Ens verum et fictum; Siquidem ea quae sunt in praedicamentis discernit ab illis quae non sunt in aliquo praedicamento. Ad confirmationem Rdetur; Fictionem dupliciter ad praesens considerari posse; Vel pro falsitate seu deceptione quae fit per Enuncitionem affirmando vel negando; Et ita simplex apprehensio non est fictiva per modum Enunciationis Affirmatae vel Negatae; Vel fit ista fictio per modum formationis, quando nimirum apprehenditur aliquid quod in re non est, quando res impossibilis ad modum Entis concipitur, et discernitur ab Ente vero et reali. Non semper autem intellectus apprehendit rem ut in se est, sed quandoque apprehendit rem ad instar alterius, videlicet dum aliquid apprehendimus non per proprios conceptus, sed per connotativos: Unde in primo sensu vera est Major propositio, in secundo falsa: Minor vero negatur: Quia simplex apprehensio non est formaliter vera nec falsa, quia formaliter non judicat neque enunciat, in quo solum consistit veritas formalis; Prima enim apprehensio apprehendit ut est in se, idest, sine additione compositionis, nam apprehendendo aliquid quod non est ad instar ejus quod est, facit hoc sine affirmatione et negatione. Arguitur 3tiò Ens rationis sine actu comparativo potest existere, Ergo et formari. Probatur Antecedens 1mò, Quia dum propositio vel Syllogismus in ipso exercitio formatur, statim resultat Secunda Intentio et denominatur propositio vel Syllogismus: Atqui tunc non cognoscitur comparativè relatio ad suum terminum vel ad instar relationis realis. Ergo Ens rationis seu Secunda Intentio existit sine comparativo actu. 2dò Probatur illud Antecedens, Quia quando Ens rationis dicitur reflexè cognitum, per istud cognosci habet esse, siquidem Objective terminat cognitionem. Ergo Ens rationis sine actu comparativo existit. Id autem ostenditur ex eo quod sicut natura realis in communi accepta et cognita, dicitur esse Objectivè; Ita Ens rationis cognitum in communi dicetur existere objectivè: Atqui Ens rationis in communi cognoscitur quando reflexè et in actu signato redditur cognitum. Ergo Ens rationis reflexè cognitum existit objectivè. 3tiò probatur autoritate Aristotelis in 5to Metaphys. lib. et D. Thomae ibidem lect. 9. Ubi dicitur; Quod Caecitas et quodlibet Ens rationis, dicitur esse ex hoc quod vera est propositio, quia dicimus; Caecitas est: Atqui dum formatur haec propositio, non consideratur privatio ad instar Entis, nec fit ille actus comparativus. Ergo Ens rationis formaliter existit sine tali actu comparativo. Rdetur ad 3tium argumentum Negando Antecedens: Atque Dico propositionem aut Syllogismum dupliciter considerari:

Vel funda

Vel fundamentaliter, vel Formaliter: Quando ita formatur Propositio nondum est formaliter secunda Intentio propositionis: Unde Major propositio negatur; Est enim tum fundamentaliter proxime, non formaliter secunda Intentio: Quemadmodum etiam dum à singularibus natura Universalis abstrahitur, nondum est Intentio Universalitatis, sed solum fundamentum illius. Denominatur nihilominus Propositio aut Syllogismus, eo ipso, quod formatur in exercitio; Quemadmodum etiam denominatur Universale Metaphysicum, hoc ipso, quod abstrahitur: Ratio, Denominatio enim formæ rationis potest etiam haberi ex ipso proximo fundamento, priusquam formaliter cognoscatur et existat forma rationis. Ad 2dam Probationem Rdetur Distinguendo Ens rationis, quod vel reflexè vel in communi cognoscitur: Quando itaque Ens rationis reflexè cognoscitur, existit Objectivè, ut denominatum extrinsecè in esse cogniti, non ut primo formatum: Terminare autem cognitionem quasi extrinsecè, non est formari in ratione Entis, sed formatum supponi, et sic præsuppositum denominari à cognitione reflexa, quæ cognitio est quasi secunda non Prima respectu Entis rationis. Dum verò Ens rationis in communi cognoscitur, non dicitur formari, quia jam formatum supponitur, sed ipsa formatur Universalitas seu communitas sub qua cognoscitur. Quod verò dicitur de natura reali, sciendum est cum Natura realis cognoscitur in Universali non ipsam formari, sed Universalitatem ejus. Si autem Quæres, Quando Universalitas ad instar relationis capitur? Dico tum primò Universalitatem ad relationis instar accipi, quando Objectum relativè ad inferiora cognoscitur. Ad 3tiam Probationem quæ est ab autoritate Rdetur; Dum formatur illa propositio Cæcitas est, in ipso Exercitio Consideratur Cæcitas ut existens, atque ad instar Entis realis, estque tunc formaliter Ens rationis: Ubi cognitio ejus qua cognoscitur, comparativa est, tum ratione sui prædicati, tum ratione Entis realis, ad cujus instar ut existens concipitur. Ergò per actum comparativum intellectus format Ens rationis formaliter. Difficultas illa; An Deus etiam formet Entia rationis, cum sit magna ex parte Theologica, Theologis examinanda relinquitur.

Quaestiones quaedam in
Libros Octo Physi-
corũ Aristo-
telis
Anno Salvatoris nostri Unici
M 6. 42
Scripta
Cracoviae die
28
Junij.

Σὺν τῷ θεῷ ἀγαθῷ.

Quæstio 1ma in Librum primum, Physicorum Aristotelis

Quænam sit adæquatum Genus, nec non objectum Physices?

Certum est 1mo apud omnes melioris notæ Philosophos objectum adæquatum Attributionis Physicæ esse Corpus Naturale quatenus est naturale. Ratio est tum quia omnes Proprietates quas Physica demonstrat immediatè & per se conveniunt corpori quatenus est naturale. Tum quia nihil tractat Physica quod non possit aliquo modo revocari ad corpus quatenus est naturale. Et quia naturale potest tripliciter sumi. 1. Pro eo quod est Essentiale. 2. Pro eo quod ab essentia seu natura alicujus promanat. 3. Pro eo quod constat natura, seu quod est compositum ex materia & forma. Cum corpus naturale dicitur esse Objectum Formale Physicæ, sumitur naturale non primo modo quia hoc potest applicari objecto cuivis alterius scientiæ, neque secundo modo quia sic significat proprietates, sed tertio modo. Per Objectum Formale ~~Quod~~ intelligendum est tam objectum Formale QUOD, quam objectum Formale PROPTER QUOD. Idem enim quatenus est definitum et Subjectum de quo Proprietates demonstrantur est objectum Formale QUOD Attributionis: quatenus autem definitivè cognoscitur est Objectum Formale Propter Quod. Neque obstat quod Naturale illo modo sumptum æquè latè pateat atque corpus, cum tamen objectum utpote determinatum materiale debeat minus latè patere. Non igitur obstat quia licet in genere Entis ~~objecti~~ æquè latè pateat, non tamen æquè latè patet in genere objecti seu respectu Scientiæ. Corpus enim secundum diversas rationes formales ad diversas pertinet Scientias, et per hoc additum determinatur ad Solam Physicam. Ex quo etiam patet Substantias Spirituales non pertinere per se ad Physicam. Licet enim juxta Axioma: Oppositorum sit eadem disciplina, hoc tamen intelligendum si nimirum conveniunt in una ratione objectiva. Certum est 2do Physicam esse Scientiam propriissime dictam & quidem Speculativam independentem ab omni alia Scientia, nec Subalternatam ulli. Quod sit Scientia constat, quia est ex necessariis simpliciter, et de necessariis. Quod Speculativa ratio est quia

Objectum Physicæ adæquatum est corpus naturale.

Naturale tripliciter accipitur.

Physica est Scientia propriissimè dicta speculativa.

est quia finis illius ultimatus et per se est veritas, non praxis. Quamvis non improbabiliter Hurtadus putat aliquos Physicæ actus posse esse practicos. Si enim aliquis calleat à priori, proprietates & dispositiones requisitas ad introducendam formam v. g. equi, simulque novit causas sufficientes ad tales dispositiones: quis dubitet talem Scientiam ex natura sua essentialiter esse Practicam utpote quod ab intrinseco esset directiva praxeos. Quod deinde nulli scientiæ Subalterna est. Ratio est quia habet sua prima Principia à priori indemonstrabilia per quod demonstret proprietates de suo Objecto. Ex quibus patet definitio Physicæ: Est enim Scientia Speculativa de corpore naturali quatenus naturale est. Iam verò si Divisionem huius Scientiæ inquiras, totam in quatuor partes seu controversias dividemus. In 1ma Agitur de corpore naturali ut sic de quo Aristoteles 8 octo Libros Physicorum. In 2da De corpore naturali ingenerabili de quo Aristoteles libris duobus ~~de generatione & corruptione~~ 4 de Cœlo. In 3tia De corpore naturali ut generabili, de quo Arist. lib. duobus de Generatione. In 4ta demum de corpore naturali animato, de quo Arist. lib. 2 de Anima.

Quæstio 2da quid sit Principium in Communi, et de quibus in frontispicio Libri Primi octo Physicorum agatur principiis.

Principii duplex acceptio.

Ad 1mum Supponitur Principium sumi posse 1° Latissimè et impropriè pro omni eo quod est aliquo modo altero prius et habet qualemcunque nexionem cum illo cuius dicitur Principium. 2 Sumitur Principium magis propriè & Philosophicè ratione alicuius Prioritatis & habitudinis intrinsecæ & per se, inter ipsum & cuius dicitur Principium. Et quidem si hæc habitudo fundetur in aliquo influxu positivo per quem unum communicet, alteri suum esse, erit modus Principii Perfectissimus. Si autem illa habitudo non fundetur in aliquo Positivo influxu; sed tantum in aliqua connexione intrinseca & prioritate, erit quædam ratio Principii media inter illam perfectissimam, et hanc impropriam, potestque etiam convenire Privationi. Aristot. igitur Principium ut sic 5 Metaphy. c. 3. dicit esse id unde fit aliquid, aut cognoscitur, aut est. Ubi Philosophus comprehendit Principia tam rei quam cognitionis, et quidem rei tam in fieri quam facto esse. Cum hac Definitione coincidit illa S. Thomæ prima parte. Q. 33. Artic. 1° Ubi Ait Principium esse omne id à quo aliquid procedit quocunque modo. Ex hac autem utraque Definitione colligitur 1° Ad rationem Principii ut sic esse aliter hæc duo requiri (1°) Ut Principium sit aliquomodo Prius, eo cuius dicitur Principium quæ conditio reperitur etiam in Divinis: Pater enim est prior origine quam filius cuius est proprissime & perfectissimè principium; quæ prioritas consistit in eo quod Pater sit origo filii, non è contra. (2) Ad rationem Principii requiritur esse taliter ut inter illa sit quædam habitudo intrinseca abstrahendo ab hoc quod fundetur in aliquo positivo influxu, vel certè in sola quapiam intrinseca connexione. Hanc autem conditionem requiri patet ex omnium communi sensu. Homo enim

hevi natus

heri natus non dicitur principium ejus qui hodiè nascitur, licet sit prior illo. Colligitur 2° Ad rationem Principii ut sic, non requiri 1mo Ut sit absolutè primum, ita ut non habeat aliud prius se, alioquin sola prima Persona Divina esset principium. Sufficit ergo quod sit primum respectu illius, cujus est principium. Non requiritur 2do Ad rationem principii ut habeat influxum positivum, multo minus Qualitatem seu Efficientiam. Ratio 1mi Quia Privatio juxta omnes est principium propriè dictum generationis sine ullo tamen influxu; sed propter solam intrinsecam habitudinem generationis ad se. Ratio 2di Quia una Persona quia una Persona Divina est propriissimè et perfectissimè Principium respectu alterius per verum et Positivum tantum influxum, absque ulla tantum efficientia et ratione causæ. Ex quo colligitur 3tiò hæc 4tuor Principium ut sic, principium propriissimè, causam & Elementum habere sicut superius et inferius ita ut unum addat aliquid supra aliud. Nam Principium ut sic dicit tantum esse id, ex quo aliud est quocunque modo, et propterea correlativum ejus non est principiatum quia hoc involvit dependentiam ab alio sed potius est id QUOD AB ALIO PROCEDIT. Principium autem propriissimè est id ex quo aliud est per positivum influxum. Porrò causa est id, ex quo aliud est per positivum influxum causalitatis et dependentiæ. Elementum denique addit supra hæc rationem Principii intrinseci. Adverte tamen aliquando causam et Principium pro eodem sumi, vel quando causa impropriè sumitur, sicut sumunt illam Patres Græci cum dicunt Patrem æternum causam esse Filii, vel certè quia Principium sumitur determinatè pro Principio causativo sicut illud Aristot. supsit cum dixit tot modis sumi Principium quot causam. Initium quoque est aliquid distinctum à Principio quia initium dicit inceptionem alicujus de novo, quod non dicit Principium ut patet in Divinis. Ad 2dum Animadverte 1mo Principia alia esse extrinseca quæ scil: sunt extra receptum et rationem Principiati: Alia intrinseca quia sunt de ratione Principi~~ati~~. ~~&~~ vel in recto quia scil: componunt illud et dicuntur Elementa illius permanentia vel saltem in obliquo quia propter intrinsecam habitudinem principiati ad illa, non potest sine illis concipi idem principiatum. Rursus principia sive Intrinseca sive Extrinseca alia sunt communitatis quæ nimirum sunt communia ad compositum tam substantiale quam accidentale. Alia causalitatis quæ sunt propria ipsius compositi Substantialis, quæ ideo dicuntur causalitatis quia sicut ipsa Substantia quomodo Principiati, ita et ipsa sunt causæ accidentium. Adverte 2do Res Naturales in duplici statu posse considerari. 1mus est quando actu generantur, 2dus est quando in facto esse sunt jam genitæ. His præmissis ad Secundam partem quæstionis dicendum 1) Hoc Libro agere Philosophum Primario et per se de Principiis Compositi ~~accidentalis~~ substantialis, Secundario autem & per accidens de Principiis compositi Accidentalis. Ratio 1mi Quia hic per se & primario agit Philosophus de Principiis objecti adæquati hujus Scientiæ quod est corpus seu compositum Substantiale

substantiale. Ratio 2di Quia Arist. t. 53 Dicit se Acturus de omnibus Principiis. Ergo Etiam de illis agit saltem per accidens tanquam de illis quæ conducunt ad investigandum Principia Objecti Physicæ Sunt enim magis nota et aliquo modo connexa cum illis. Dices 1 Omnia Principia in scientiis considerantur in ordinem ad aliud. Ergo Nulla considerantur per se. R. in ordinem ad objectum cujus sunt Principia concedo. In ordinem ad alia Principia investiganda, nego antecedens. Dices 2 Primo et per se in Scientiis agendum est de Principiis communioribus qualia sunt illa communitatis. R. Distinguendo Antecedens si ea pertineant tanquam finis ad eam Scientiam concedo. Si pertineant tanquam media Nego. Talia autem sunt principia communitatis, quatenus dicunt Principia compositi accidentalis, hæc enim Philosophus assumit ut per ea investiget principia objecti sui scil: compositi Substantialis. 2) Dico Philosophum agere hoc lib. 1 de Principiis intrinsecis tum generationis, tum etiam ipsius compositi Substantialis. Ratio est quia hic Aristot. agit de Materia, Forma et Privatione quæ sunt intrinseca Principia, omnia quidem generationis, duo autem priora ipsius compositi Substantialis in facto esse considerati.

Quæstio 3tia Utrum rectè definiverit Aristoteles prima Principia verum naturalium

Principiorum Definitio.

Aristot. lib. 1. t. 42 definit Principia esse Quæ neque ex sese, neque ex aliis; sed ex his omnia fiunt. Quia verò illa particula Ex ter posita in Definitione, varias potest significare habitudines. Potest enim 1 significare habitudinem causæ materialis, ut cum dicitur ex ære fieri statua. 2 Causæ efficientis, ut ex igne generatur ignis. 3 Partis componentis, ut ex lateribus fit domus. 4 Termini à quo ut ex ægro fit sanus. Ideo difficultas est in quo sensu eadem particula sit sumenda. Et quidem 1mo Aliqui ita illam sumunt ut in prioribus duobus locis tanquam scil: habitudinem partis componentis. Tertio autem loco præter habitudinem partis componentis significat præterea habitudinem terminum à quo, ita ut sit sensus: Principia sunt quæ neque ex aliis, neque ex alterutris tanquam partibus componentibus fiunt; sed ex illis omnia vel tanquam ex partibus componentibus, vel tanquam ex termino à quo, ita explicat inter alios Toletus et Alii. Hæc tamen explicatio communiter reiicitur; quia secundum illam una particula uteretur Philosophus æquivocè in eadem definitione quod est non parum inconveniens.

Particula (Ex) in Definitione Principiorum quatuor potest significare habitudines.

Alii igitur 2do Dicunt illam particulam Ex semper eodem sumi modo, non directè tamen habitudinem aut partis componentis aut termini à quo, neque conjunctim neque disjunctim; sed solum directè dependens ab alio in eo genere principii in quo ipsum alia principiat: ita ut sit sensus: Principia sunt quæ in eo genere Principii in quo ex illis sunt omnia, ipsa neque sunt ex aliis neque ex sese. Et ita materia non est ex alia materia, neque forma ex alia forma, neque Privatio ex alia Privatione. Hæc explicatio satis est facilis et sufficienter explicat naturam primorum Principiorum. Unicum tamen contra illam est quod videatur non esse juxta mentem Aristotelis. Hic enim reddens rationem quare

Definitionis Principiorum explicatio.

quare Principia non fiant ex sese, dicit quia sunt contraria, quae ratio nihil valeret si illa particula Ex non importaret habitudinem Elementi seu materiae. Si enim quis ulterius quaereret quare unum contrarium non possit fieri ex alio: Respondendum est: quia unum contrarium non potest componi ex alio. Et certum est in alio sensu unum contrarium fieri ex alio; ex Privatione enim fit forma. Tertia igitur Explicatio Egidii Conimbricensium et aliorum videtur esse optima quia volunt particulam Ex semper eodem modo sumi, et determinatè significare habitudinem Elementi seu materiae permanentis et transeuntis. Ad pleniorem explicationem adverte particulam Ex, licet ut paulo ad monuimus ante, varias possit significare habitudines, propriè tamen et Philosophicè dicit habitudinem solius causae materialis ut colligitur ex Aristot. 7 Met. t. 24. Porrò causa materialis est duplex: Alia est Permanens ex qua res aliqua componitur. Alia Transiens quae non remanet in compositione rei. Sic v. g. Panis Substantia in Sacram. Eucharistiae dicitur materia cum tamen non remaneat in eodem Sacramento; sed transeat, sicut etiam alimentum dicitur materia Aliti, cum tamen non maneat sed transeat in substantiam Aliti. Ad talem igitur materiam transeuntem potest privatio revocari, ut etiam satis clarè colligitur ex Aristotele, qui cum ubi supra particulam Ex propriam esse notam causae materialis dixisset, mox t. 25 subdit (<u>Fieri inquit contingit ex privatione et subjecto quod dicimus materia utputa</u>, et homo, et aegrotus fit sanus, magis tamen ex privatione dicitur fieri sanus veluti ex aegroto quam ex homine) ubi vides illam particulam Ex, quae juxta Aristotelem soli materiae propriè accommodatur, accommodari etiam propriè ab eodem privationi, et illam vocari materiam non permanentem qualis materia sunt partes componentes, sed transeuntem intrinsecam tantum quatenus est aliquo modo de conceptu generationis. Ratio verò propter quam privatio dici possit materia illa videtur esse, quia omne id, circa quod versatur aliquo modo agens dicitur materia. Agens autem versatur non solum circa partes componentes, sed etiam circa Privationem expellendo illam. Ergo potest dici materia, respectu quidem agentis circa <u>Quam</u>, respectu verò <u>generationis</u> materia Ex Qualis praemissis. <u>Dico I</u> <u>Particulam Ex</u> eodem modo sumendam esse ubique ita ut significet habitudinem materiae tam Permanentis, quam transeuntis. <u>Probatur Imo</u> ex rejectione aliarum explicationum. <u>2do</u> Quia eo modo Philosophus non vult prima Principia fieri ex aliis vel alterutris quomodo vult fieri ex illis omnia, sed ex iis fieri vult omnia tanquam ex materia permanenti vel transeunti. E. Eo modo ipsa non vult fieri ex aliis aut alterutris, putà tanquam ex partibus componentibus vel tanquam ex termino A QUO. <u>Minor</u> est clara. Suppono enim ex communi interpretum sententia Aristotelem hic agere de solis Principiis intrinsecis rerum naturalium, cum de extrinsecis non nisi 2 lib. agat. Principia autem intrinseca sunt tantum Tria: Materia, Forma et Privatio, ex quibus certum est res omnes naturales esse vel tanquam

ex partibus

ex partibus componentibus quæ sunt materia permanens vel tanquam ex termino A QUO qui
est materia transiens. DICO 2. Aristotelis definitionem esse bonam et adæquatam.
1mum patet quia optimè explicat naturam primorum Principiorum, eo enim ipso quod ex illis
sint omnia, satis clarè explicatur illa esse Principia: ex hoc autem quod ipsa non sint ex aliis,
neque ex alterutris, ita sicut alia sunt ex ipsis manifestè ostenduntur esse prima, esse autem
hanc definitionem bonam probatur, quia hæc definitio omnibus & solis principiis intrin-
secis convenit. Quod conveniat omnibus patet; quia et Materia, et Forma, et Priva-
tio est tale Principium ex quo sunt omnia, ipsum autem non est ex ullo alio ita sicut
ex ipso sunt omnia. Solis autem convenire probatur; quia (ut bene Conimbricens.) particu-
la Ex ponit discrimen inter Principia rerum naturalium et causas externas, ut est
Finis, Efficiens Exemplar. Neque enim ex his (quidquid dicat Hurtadus) si propriè &
Philosophicè loquamur ulla res dicitur constare: sed Efficiens est id, A QUO. Finis PROPTER
QUEM. Exemplar AD CUIUS IMITATIONEM res efficitur, ipsum autem Principium est
id ex quo res propriè constat vel oritur. Quare licet alicui Efficienti aut Fini possit illud con-
venire quod neque sit ex alio neque ex alterutro, nulli tamen convenit quod sint ex illo cæte-
ra. Contra hanc tamen Definitionem sic explicatam Obiici potest. 1mo Falsum
enim videtur prima principia non esse ex aliis cum tamen Materia quam Formæ componan-
tur ex partibus et metaphysicis genere videl. et Differentia et integrantibus. 2do Fal-
sum est illa non fieri ex sese cum constet Formam fieri ex materia tanquam subje-
cto, et Privatione tanquam termino. 3tio Falsum etiam videtur ex aliquibus Principi-
is omnia fieri; quia ex principiis aquæ v.g. sola aqua fieri potest, et ex principiis
ignis solus ignis etc. Ergo dantur aliqua principia ex quibus fiant omnia. Quare nullis in
particulari Principiis potest convenire hæc definitio, et consequitur neque in communi, quia
repugnat aliquod prædicatum convenire communi et repugnare particularibus sub eo contentis. Pro
Solutione horum argumentorum adverte: quando Aristot. dicit prima principia
rerum naturalium non fieri ex aliis neque ex alterutris hoc non ita intelligendum esse ut
velit Philosophus quodlibet horum Principium non habere ullum aliud suum Principium, hoc
enim falsum est, quia certum est v.g. formam fieri tum ex materia, tum ex Pri-
vatione. Solum igitur Aristot. hoc requirit ut nullum illorum fiat ex aliis aut ex alte-
rutris in eo genere Principii intrinseci in quo genere ipsum est principium aliorum
omnium, hoc enim sufficit ad rationem Primi Principii in certo genere. Quare licet
materia principietur à DEO quia tamen non principiatur ab illo in genere Subjecti, in
quo genere est ipsum Principium, ideo est ipsum Principium in certo genere Princi-
pii. Similiter Forma licet sit ex materia et Privatione, quia tamen non est ex illa tan-
quam ex

tanquam ex Forma, ideò nihil obstat quominus sit primum Principium in hoc certo genere Principii. Unde ad Objectiones R. Ad 1mam Distinguo. Sunt ex aliis [tanquam ex] partibus essentialibus Physicis, Nego. In hoc enim genere Principii Physici sunt ipsa prima; Sunt ex aliis tanquam partibus Metaphysicis aut integrantibus, Concedo. In hoc enim genere illa non sunt prima Principia. Ad 2dam Aliqui negant formam fieri ex materia aut Privatione. quia fieri aut generari solius est compositi juxta Aristot. lib. 1 Physi. t. 64. Haec tamen responsio non videtur solida: quia licet certum sit compositum principaliter in generatione intendi et esse ultimatum terminum generationis quod Aristot. ibi vult dicere, omninò tamen negari non potest formam propriè fieri; quia ad hoc non requiritur esse completum; sed sufficit quodvis esse cum tam creatio materiae, quam generatio formae sunt simpliciter effectiones sicut simpliciter sunt Actiones quas dependent à suis causis. Melius igitur dicendum est juxta datam sup. distinctionem quod licet forma fiat ex materia et Privatione, quia tamen non fit in eo genere Principii intrinseci seu materiae in quo ipsa est principium aliorum omnium adhuc est primum Principium illorum in tali genere Principii.

Dices: Privatio habet terminum A QUO. nam ex vidente fit caecus. sicut ex caeco videns. E. in eodem genere Principii in quo ipsa est principium potest principiari. R. imprimis Negando Privationem habere propriè A QUO, hic enim est à quo motus seu actio incipit. Cum igitur Privatio utpote non ens nullam Actionem terminet, ideò neque habet terminum A QUO. Si vero urgeas eam habere Actionem negativam, tunc Dico eam habere quidem terminum A QUO sed diversi non tamen generis sed tantum ordinis; Forma enim habet terminum A QUO Privativum, privatio vero Positivum. Ad 3tiam illam ultimam particulam terminationis quod nimirum omnia fiant ex ipsis secundum Distributionem accommodam esse intelligendam, ita ut sit sensus: Omnia fiunt ex Principiis in communi acceptis, et ex iisdem in particulari acceptis omnia etiam sui generis vel Speciei. Tandem ex dictis infertur quod Principium in Communi non sit aliquid univocum ad omnia Principia rei naturalis, Nihil enim potest esse commune Enti quale est materia & forma et Privationi quae est Negatio. Est igitur aliquid analogum analogia proportionis. Quia sicut materia & forma est ex quo sunt omnia, ita & proportionaliter privatio.

Quaestio 4ta Utrum Prima Principia sint Prima ~~Materia~~ contraria rerum naturalium?

Aristoteles quo commodius demonstret QUAE, et QUOT sint Principia rerum Naturalium prius statuit et ex Definitione eorundem Principiorum superiori capite explicata probat hanc esse illorum conditionem ut prima Principia rerum naturalium sint prima contraria, et e contra 1ma contraria sint prima Principia. in quo duo continentur 1mum Quod 1ma Principia sint contraria. 2dum Quod sint prima contraria. Utrumque autem videtur esse falsum.

1mum quidem

1mum quidem quia substantiae nihil habent contrarium, prima ut principium rerum na-
turalium sint substantiae sunt enim partes substantiales. Praeterea quia vera contra-
rietas non est nisi inter Entia positiva. Privatio quae sola deberet esse formae contraria est
negatio. 2dum autem quod nimirum sint 1ma Contraria quia vera contrarietas prima
in solis reperitur primis qualitatibus mutuo se ab eodem subjecto expellentibus. Falsum igitur est
quod asseritur à Philosopho 1ma contraria esse Prima principia rerum naturalium, et prima
principia rerum naturalium esse prima contraria. Adde prima contraria juxta mentem
Aristotelis ex se mutuo fieri quod tamen repugnat primis Principiis rerum Naturalium. Et
denique quia forma in communi et Privatio Formae in communi sunt quid prius quam forma
talis v. g. substantialis et Privatio ejus. Ergo haec contraria supponunt alia priora, et con-
sequenter non sunt ipsa Prima contraria. Pro meliori intelligentia Aristotelis et Solutione
difficultatum Notandum est 1mo Contraria prima bifariam dici. Uno modo accipiendo tantum
contrariorum stricte et proprie quo pacto primae illae qualitates 4tuor: Calor, Frigus, Siccitas
et Humiditas, prima contraria dicuntur quia quod praeterquam quod sub eo genere materiae
differunt et non habent alia priora ex quorum permistione oriantur sicuti habent Qualitates 2dae
Candor, v. g. nigredo. Altero modo dicuntur prima contraria minus proprie, ea scil: quae oppo-
nuntur privative quae etiam vocantur contraria quia more illorum se in eodem subjecto in-
terimunt. Notandum est 2do hanc contrarietatem dici 1mam proprie duo.
1mo Quia nullam habet priorem, ipsa vero includitur in quacunque contrarietate alia, eti-
am propriissima. Omnis enim ut inquit Aristot. 10 Met. c. 3. t. 15. Contrarietas habet
alterius contrariorum privationem. 2do Quia haec contrarietas et non alia reperitur
etiam in substantia quae est primum impedimentum. His igitur suppositis. Di-
co: 1mo Aliqua Principia generationis rerum naturalium esse contraria Privative. Tria
Dixi: 1 Quod sint contraria. 2 Quod tantum aliqua. 3 Quod sint contraria privative. 1mum
probatur (1) quia generatio rerum naturalium fit per actionem & passionem. Sed Actio et Passio
non est nisi inter contraria. Nam et agere, calidum agere v. g. non potest nisi in non ca-
lidum, et pati à calido, nihil aliud actum est nisi non calidum. Ergo Principia generationis
rerum naturalium sunt contraria. Probatur (2) Quia carentia formae in subjecto
apto et ipsum esse formae sunt contraria. Atqui ad omnem generationem Physicam haec duo
simpliciter requiruntur tanquam Principia illius sine quibus nec esse, nec intelligi potest. Ergo Prin-
cipia generationis rerum naturalium sunt contraria. 2dum Probatur quia certum est non
esse omnia contraria. Constat enim materiam & formam quae duo etiam sunt Principia
generationis et rerum genitarum, non esse sibi contraria ratione sui, sed ad summum
potest esse materia contraria formae ratione Privationis, quae contrarietas materiae est
per accidens. Praeterea Materia & Privatio non etiam sunt sibi contraria, illa enim
Privatio non est materiae privatio. Quod denique ad 3tium attinet illam scilic: contrarie-
tatem debere esse Privativam. Patet quia omnis alia contrarietas est per accidens ad
generationem, optime enim potest intelligi & subjectum mutari, et forma generari eti-
amsi non intelligatur in illo subjecto praefuisse aliquod positivum, & incompossibile
formae

forma, sed sola carentia ejusdem formæ genitæ in illo subjecto apto. Dico 2do Prima principia ēē prima contraria. Ratio est quia illa est prima contrarietas quæ non dependet ab aliis contrariis, et alia contraria pendent ab illa. Sed talis est contrarietas inter illa duo Principia generationis. Contrarietas enim privativa non pendet ab alia contrarietate. Positiva autem contrarietas pendet a privativa et includit eam ut notando 2do dixi. Ad illa igit. quæ in contrarium obiiciebantur R ad 1mum Concedo illud utrumq verum ēē de contrarietate proprie dicta illam scil: non habere locum in Prædicamento substantiæ nec nisi inter positiva reperiri, falsum tamen est de contrarietate improprie dicta. Ad 2dum idem sic contrarietatem primam proprie et stricte acceptam non ēē nisi inter Qualitates primas Positivas, improprie tamen & latiq sumptam posse ēē privativam. Neque repugnat principia 1ma fieri ex alterutris modo non in eodem genere Principii intrinseci, in quo genere ipsa sunt Principia omnium. Ad illud quod dicit. de Forma in communi et Privatione in communi: R tandem ēē oppositionem inter formam & Privationem in communi, et inter hanc Formam & Privationem. Quare utraq est prima Physice loquendo, quamvis si Logice loquamur illa est prior. Quod si adhuc contra conclusionem 1mam et contra illud 3tia Obiicias: 1 Per Accidens est ad generationem Formæ quæ illam præcedat Privatio ejusdem formæ in subjecto. Si enim eodem instantis creationis materiæ producat. in eadem materia forma, tunc erit vera generatio, cum tamen non præcesserit in illo subjecto Privatio. R Per accidens ad generationem consideratam sub ratione Actionis Concedo Antecedens. Sub ratione mutationis seu transmutationis Nego; Generatio enim est mutatio seu transitus de non ēē ad ēē in subjecto. Et ideo illa productio formæ non esset generatio seu transmutatio. Obiicies 2 Ad generationem requirit. positiva contrarietas. Ergo Non Privativa. Antecedens probat. authoritate Aristot. qui hic t. 43 ait Album fieri per Accidens, ex non musico, per se autem ex non albo, et non omni sed nigro. Vult igit. Philosophus fieri album ex contrario positivo scil: nigro. R Aristotelem ibi velle ostendere ad generationem etiam accidentalem albedinis v. g. requiri privationem ut satis clare dicit Com. Ut autem doceret non sufficere Privationem alicuius alterius Formæ; sed solius albedinis quæ sola est opposita albedini, et ad ejus adventum recedit, ideo explicat illam Privationem per formam Positivam contrariam nigredinem albedini, commodius enim sic explicat. quomodo per non album. Hoc enim nimis late patet, cum etiam musicum sit non album. Obiicies 3 Generatio Accidentium debet ēē successiva. Atqui nisi esset ex contrario termino positivo resistente nullo modo ēē successiva. Erg. semper requirit. contrarietas positiva ad generationem. R Distinguendo Consequens requirit. ut sit successiva ut sit generatio seu transmutatio Nego. Obiicies 4 Si principia essent tantum privative opposita posset ex quolibet ēē quodlibet, hoc autem est contra Aristot. R Posset fieri immediate Concedo, neq hoc est contra Aristot. sed illud prius.

Quæstio 5ta An Prima
Principia rerum
naturalium
sint tantum
Tria?

Prima Principia sunt Prima contraria.

Debeo

De hoc fuse disputat Aristot. à cap. 2 usque ad 8vum contra Antiquos Philosophos qui variè de hac re senserunt. 1mo enim fuerunt aliqui qui tantum unum et idem ponebant Principium intrinsecum rerum omnium naturalium. Et hoc Aliqui dicebant esse omnis motus expers, quos etiam ideò vocat Aristoteles non naturales: quia scil: negato motu cujus est principium natura non juxta Principia Scientiæ Naturalis loquebantur. Aliqui autem dicebant illud unicum principium esse mobile seu mutabile saltim motu Accidentali v. g. alterationis. Et hoc ponebant esse aliquod Elementum, quidam volebant esse ignem, alii aquam, aerem alii. Sed hi omnes apertè Erraverunt 1mo Quia licet voce concedebant, re tamen ipsa negabant Principia quia non assignabant ullum aliud Ens distinctum ab illo Principio quod esset Principiatum ab hoc Principio. Præterea de ratione Principii est ut ex illo omnia fiant et consequenter ut sit capax mutationis non tantum Accidentalis, illi autem ponebant esse immutabile. Erraverunt 2do Quia ponendo unicum Principium intrinsecum rerum omnium in quo tota earundem rerum omnium Substantia consistat, tollunt discrimen omnium rerum. Erraverunt 3tio Quia Generationem verum tollunt quam impossibile est esse sine pluralitate Principiorum & compositione eorundem ut melius infra patebit. Erraverunt 4to Qui aliquod ex quatuor Elementis ponebant quia Elementa cum sint corpora completa, supponunt priora principia sui constitutiva scil: materiam & formam, et consequenter non sunt ipsa prima. 2do Fuerunt aliqui qui Principia rerum Naturalium intrinseca ponebant infinita Atomos scil: quasdam aut Corpuscula quæ secundum aliquos fuerunt diversæ speciei. Secundum autem aliquos ejusdem prorsus speciei. Sed et horum opinio non minus est erronea. 1mo Quia infinitudo Principiorum repugnat naturæ finitæ. 2do Non essent cognoscibiles res naturales, infinitus enim numerus cognosci non potest. 3tio Quia tollit generationem rerum Substantialem, et loco illius ponit quandam permixtionem & coordinationem. 4to Quia infert in quolibet esse quodlibet, et ex quolibet posse quodlibet extrahi atque adeò omnes res esse inter se mixtas in eoque solum differentes quod quædam habeant quasdam Atomos magis patentes seu in partibus exterioribus alias verò magis latentes quæ postea eductæ faciant novam rem non simpliciter sed ad apparentiam. 3tio denique Fuerunt Alii qui plura ponebant Principia rerum naturalium non tamen infinita, sed aliqui tantum Duo, aliqui autem plura quam Tria. Hi autem omnes erraverunt. Priores quidem quia pauciora. Posteriores autem quia Plura quam esset opus assignabant ut mox patebit. His igitur omnibus confutatis et rejectis 1ma est Aristotelis et omnium Peripateticorum Propositio duo esse tantum principia rerum Naturalium in facto esse constituta materiam videl: & formam. Probatur hæc conclusio: quia Principia rerum naturalium in facto esse sunt illa quæ tanquam partes essentiales permanentes res naturales componunt. Sed omnia corpora naturalia componuntur, et quidem tantum ex materia & forma. Ergo hæc tantum duo sunt Principia illorum in facto esse. Major est certa. minor Probatur quia in quavis re naturali progenita ex alia certum est et aliquid prioris rei ex qua hæc nata est remansisse. 1mum Probatur quia si tota illa Prior res et secundum totum suum esse annihilaretur, hæc nova ex nihilo fieret et independenter ab omni subjecto crearetur quod est supervires naturæ. 2dum etiam patet quia impossibile est esse et productionem absque alio quod noviter producatur et distinctionem absque principio distinctivo. Ergo hæc tantùm duo sunt.

Principia intrinseca quæ omnes res Naturales constituunt. Illud quidem prius commune est materia 1ma, hoc autem posterius proprium novum & distinctivum est Forma. Dices: in quolibet corpore naturali præter hæc duo datur unio per quam illa uniuntur. Ergo in quavis re naturali Principia permanentia sunt plura quam duo. Rx Distinguo Antecedens datur unio tanquam Principium seu pars rei naturalis. Nego Antecedens tanquam modus quo mediante partes uniuntur, concedo Antecedens. 2da Propositio est: Tria tantum esse Principia Interna Generationis, vel ut alii loquuntur rerum Naturalium in fieri, materiam scil. Formam & Privationem. Probatur hæc conclus. unicâ ratione: quia omnis generatio creata necessario est connexa cum his tribus tantum et ea supponit ita ut nec intelligi possit sine illis. E. Hæc tantum sunt Principia Tria intrinseca generationis creatæ. Sequela patet: Hoc enim sensu volumus esse Principia hæc intrinseca generationi; quia scil: ad definitivum ejus conceptum simpliciter exiguntur & sufficiunt. Antecedens igitur probatur quia omnis generatio est progressio à privatione formæ in materiam & eandem formam quæ noviter acquiritur. Seu ut clarius dicam: quia omnis generatio creata ^{rea}generaliter est mutatio. Sed quævis mutatio requirit esse aliter. 1mo id quod dicatur mutari, et hoc est subjectum seu materia 1ma. 2do Requiritur id per quod intelligatur mutari, et hoc est forma. 3tio Denique ad mutationem esse aliter requiritur illam formam esse noviter acquisitam qua scil: antea caruit subjectum & fuit aptum illam habere, et hoc est Privatio. Ergo Hæc tantum principia Tria necessariò requiruntur ad generationem rei Naturalis. Privatio quidem et Forma tanquam duo termini, illa ut terminus A QUO: Forma vero ut terminus AD QUEM. Transmutatio enim fit ab uno ad aliud, materia autem prima tanquam subjectum manens sub utroque termino, prius sub uno, puta Privatione: Postea abjecto hoc transiens ad alium puta ad Formam. Ex quo Infero 1º Generationem naturalem per hoc distingui à creatione, quod cum hæc sit ex nihilo, non supponit subjectum nec Privationem, sed tantum purum non esse seu nihilum. Non sic autem generatio quæ cum non sit ex nihilo, sed ex aliquo tanquam subjecto, necessario supponit subjectum & quidem cum Privatione ejus quod generatur. Porro Dixi tanquam ex subjecto; quia si sit ex alio non tanquam ex subjecto; sed tanquam ex termino A QUO ita ut tota res quæ præfuit in termino A QUO, convertatur in aliam denuo productam, illa actio enim non erit naturalis; sed supernaturalis, neque generatio; sed transmutatio quia una substantia consubstantiatur in aliam denuo productam, qualis est illa miraculosa Actio quâ in S.S. Eucharistiæ, tota substantia panis solis accidentibus remanentibus convertitur in corpus Christi. Requiritur igitur ad generationem naturalem creatio ut sit ex aliquo et quidem tanquam ex subjecto quod scil: excipiat & sustentet tum ipsam, tum effectum illius. Infero 2do, in quavis etiam mutatione accidentali ista tria Principia necessario requiri cum hoc tamen discrimine quod in mutatione substantiali quod est generatio terminus ad quem sit substantialis, in mutatione vero accidentali est accidens. Præterea quia in substantiali subjectum est substantia incompleta

incompleta materia vid. 1ma, in accidentali autem est completa corpus aliquod. Et
ideo etiam Principia mutationis accidentalis non dicuntur simpliciter prima sicut
dicuntur mutationis Substantialis. Advertendum etiam est hic illud, nos hic dicere
Tria esse Principia in genere cum certum sit in Specie plures esse Formas & Priva-
tiones. Contra hanc Conclusionem duplicia esse possunt argumenta: Aliqua quibus
plura quam tria esse probentur Principia Generationis. Aliqua quibus pauciora. 1mi
generis argumentum primum est ex authoritate Aristot. qui 12 metap. t. 23. docet
4 esse causas et principia rerum. R. Locutum ibi Aristotelem de Principiis non solum
intrinsecis, sed etiam extrinsecis. 2dum argumentum De conceptu Actionis est agens. Sed
generatio est Actio. E. de conceptu illius praeter illa tria Principia 1ma est etiam agens. R.
Distingendo minorem est actio materialiter seu identice Concedo, Formaliter Nego mino-
rem, illa enim unus idemque modus realis habet 1mo Rationem. 2 Passionis 3 Generationis
seu Mutationis. Sub ratione igitur Actionis includit in suo conceptu definitivo Agens: Sub ra-
tione Passionis includit Patiens: Sub ratione autem Generationis seu Mutationis illa
tantum Tria non vero Agens. 3tium Argumentum: Sine quantitate non potest ma-
terialiter mutari Substantia. Ergo etiam Quantitas est Principium intrinsecum Genera-
tionis. R. Concedo Antecedens: Nego Consequentiam. Solum igitur ex illo Antecedente
sequitur Quantitatem esse conditionem seu dispositionem Subjecti ad mutationem, interim
tamen optime potest intelligi mutatio sine quantitate concepta. Dices Inde sequitur e-
tiam Privationem esse tantum conditionem quatenus videl., nisi materia esset priva-
ta, mutari non posse. R. Nego Sequelam & Paritatem. Privatio enim non tam
ex parte materiae quam ex parte ipsius mutationis requiritur quod sine illa concipi non
potest & ideo est Principium ejus & quidem distinctum a materia. 2di Generis argu-
menta sunt & quidem contra Privationem: 1mo est, quia terminus A QUO est ex-
trinsecus. Ergo Privatio non est intrinsecum Principium mutationis. 2do Quia Creatio
non dicit ullum ordinem ad suum terminum A QUO puta non Ens neque generatio di-
cet. 3tio Quia Privatio est negatio, et jam tunc non est, quando est generatio. Ergo non
est Principium illius. 4to Quia si esset Principium, specificaret mutationem, non potest
autem id praestare cum sit non Ens; et mutationes specificentur a termino AD QUEM.
5to Denique Quia Aristot. docet rem fieri ex Privatione per accidens. Sed R. Ad 1mum
Distinguendo Antecedens: Est extrinsecus quia in recto non ingreditur illius consti-
tutionem Concedo. Est extrinsecus quia est extra conceptum definitivum ejus, Nego.
Ad 2dum. Imprimis Nego Paritatem & consequentiam. Creatio enim non est pro-
prie mutatio. Praeterea Nego Anteced. quia etiam creatio cum sit productio rei
ex nihilo dicit ordinem ad terminum A QUO. Ad 3tium Distinguendo Consequens.
Non est Principium illius per modum termini A QUO quem essentialiter praesupponit gene-
ratio et a quo incipit Nego consequentiam. Ad 4tum Concedo Sequelam majoris spe-
cificari videl

Specificari videlicet generationem sub generatione generationis seu mutationis non solum a termino AD QUEM; sed etiam a termino A QUO, neque est insolitum Ens positivum specificari extrinsecè à non Ente ut videre est in actibus vitalibus habentibus pro objecto aliquam negationem. Ad authoritatem Aristotelis Respondetur: ibi sumpsit Aristotel. particulam EX prout determinatè significat dependentiam formae à subjecto, ad quam dependentiam per accidens se habet omnis Privatio. Iam vero contra Formam est: quia Principium debet esse prius principiato. At vero Forma cum sit terminus generationis non potest esse prior generatione. Ergo nec Principium illius. 2. Principium Extrinsecum est id ex quo aliquid est. Sed Forma non est id ex quo generatio est. Ergo. 3 Quia si Forma ideo esset Principium Generationis quia est terminus illius, etiam unio et ipsum compositum esset Principium ejusdem generationis, cum et haec sit terminus AD QUEM generationis. R. Ad 1mum Negando minorem. Licet enim sub ratione effectus producti per illam sit posterior, sub ratione tamen Principii formalis saltem extrinsecè specificantis eandem generationem, est prior illâ. Praeterea quia Forma est id quod mutat substantiam, generatio vero est ipsa mutatio, prius autem debet esse saltem ratione id quod mutat, quemadmodum ipsa mutatio. Ad 2dum R. Etiam Forma est id ex quo generatio habet esse generationis tanquam ex termino specifico extrinsecè. Ad 3tium Nego sequelam majoris et Parietatem, Forma enim est id quod mutat, et consequitur est Principium mutationis prius illâ. At vero compositum licet sit terminus completus et ultimatus generationis, quia tamen non est id quod mutat substantiam et est quid posterius mutatione. Prius enim saltem Materia et Forma in subjecto, et consequitur mutatio ejusdem subjecti quemadmodum compositum, et ideo non potest esse Principium mutationis seu generationis. De unione vero R. 3llam tantum esse rationem aut conditionem principiandi non autem ipsum Principium quia non est id quod mutat subjectum, neque id quod componit Ens naturale. Dices saltem de generatione hominis hoc dici non potest, per hanc enim generationem non producitur anima naturalis; sed sola unio. Ergo haec sola est terminus AD QUEM generationis et consequenter Principium. R. Licet anima rationalis non sit terminus formalis generationis quatenus haec est productio, est tantum terminus illius formalis quatenus est unitio seu communicatio quod nimirum unit eandem formam mediante unione quam producit. Et consequitur hujus etiam generationis potius dicenda est anima esse Principium non unio, quia non hujus sed illius beneficio habet esse generationis seu mutationis

De Materia Prima

Multipliciter dicitur materia. 1mo Materia alia est EX QUA; alia IN QUA: Alia circa quam. Rursus materia EX QUA alia est alterationis seu transiens, ex qua videlicet alterata vel mutata fit res, ut: ex alimento sanguis, ex ligno ignis. Alia est Materia Permanens seu Compositionis ex qua permanente fit, ut est lignum in Pariete, pannus in veste. 2do Materia alia est Prima: Alia Secunda. Materia 1ma est quaedam substantia materialis incompleta omni compositione Physica carens, primum est subjectum omnium formarum

formarum ingenerabile et corruptibile. Dicitur autem 1ma vel per negationem Prioris vel per respectum ad Ideam ad quam ipsam supponitur, materia autem secunda est eadem materia 1ma prout est jam disposita per certas dispositiones ad aliquam certam formam & compositionem. Hac ergo Disputatione de materia 1ma agemus, quam ut Philosophi è latebris naturæ in conspectum educerent variis appellarunt nominibus. Imprimis enim Ægyptii fæcem eam primæ vitæ dixerunt quia scil: omnium substantiarum quæ ex illo Fonte esse perfluxerunt est imperfectissima. Iidem per Lunæ imaginem eam adumbrabant; quia sicut Luna alieno fulgore conspicua, modo hanc, modo illam speciem exhibet, ita et materia. Plato verò vocat illam 1mo Non Ens; sic enim ait in Timæo: QUID EST quod semper est, generationem autem non habet? Et Quid est quod gignitur quidem, nunquam autem est? Ubi per illud (SEMPER EST) intelligit Ideam; per hoc autem (quod non est) materiam primam. 2do Vocat illam MAGNUM ET PARVUM, parvum quidem quod ex se nihil habet, magnum autem quod est capax omnium et ideo vocat eam alibi omnia habentem sinum, gremium, conceptaculum. Porrò Aristot. dicit materiam primam esse Elementum puta respectu Entium naturalium, Subjectum puta respectu Accidentium quæ propriè sunt in subjecto. Deinde ad imitationem Platonis vocat illam Matrem videl: Formarum quas gremio suo quasi excipit et fovet.

Quæstio 6ta Utrum detur materia 1ma in rerum natura?

Omissis variis hac de re Veterum Philosophorum opinionibus Primus & Solus Aristot. cognita rerum naturalium generatione hanc etiam varietatem est assecutus. Cum illo igitur Dico: Dari in rerum natura materiam primam, ita omnes Philosophi. Probatur 1o Quia evidens est res omnes naturales ita transmutari ut aliæ vicissim ex aliis generentur, immediatè aut saltem mediatè. Ex ligno enim v. g. fit ignis, ex igne aër, ex aëre aqua ex aqua terra, ex terra herba, ex herba sanguis, ex sanguine tandem homo. Ergo Necessariò debent habere omnes aliquod commune subjectum quod sit capax generationis & formarum earundem in rerum naturalium omnium. Erg. Datur in rerum natura materia 1ma. Consequentia Prima Probatur Quia cum ex ligno v. g. ignis producitur, si tunc nihil prorsus ex substantia ligni manet in igne commune utrique, sequetur ad productionem ignis et totam prorsus substantiam ligni perire cum omnibus accidentibus quæ illi inerant, et totam substantiam ignis de novo incipere, hoc autem utrumque est absurdum. 1mum quidem dum nihil potest annihilari viribus agentis naturalis, sicut annihilaretur illud lignum, tum quia etiam oculis cernimus pereunte priori substantia v. g. animantis alicujus adhuc multa illius accidentia remanere. Ergo etiam remanet illud cui antea inerant; accidens enim naturaliter neque transire de uno subjecto in aliud, neque etiam sine ullo subjecto esse potest. Hoc autem cum non possit esse Forma, anima v. g. hæc enim iam supponitur non esse, necessariò debet esse materia in qua existebat Forma corrupti modo autem forma geniti. 2dum

geniti. 2dum autem etiam est absurdum. Probatur quia ex nihilo virtute agentis naturalis, nihil fit ut est commune omnium Philosophorum Axioma et suo loco probabitur. Atqui tota illa Substantia ignis tunc virtute agentis produceretur naturaliter ex nihilo. Ergo Hoc est absurdum. Dices totam illam Substantiam ignis non produci ex nihilo quia producitur ex ligno. Sed contra est quia ille ignis tunc produceretur ex ligno. Sed contra est quia ille ignis tunc produceretur ex ligno solum tanquam ex termino A Quo, non autem tanquam ex Subjecto quod illum excipiat & consequenter produceretur adhuc ex nihilo eo nimirum Sensu quia produceretur ex non Subjecto, cum tamen cujslibet agentis naturalis ea sint vires ut nihil agere Seu producere possit nisi in Subjecto præsupposito quod Sustentet actionem & effectum illius. Debet igitur cum ex ligno v. g. (et idem est de omnibus aliis) generatur ignis aliquid Substantiæ manere in igne ex Substantia ligni, quod videl. in Se idem manens, Sicut formam ligni ante Sustentabat, ita etiam formam ignis ab agente naturali productam excipiat atque Sustentet. Hoc autem est Subjectum primum seu materiam primam. Probatur: quia vel aliud Subjectum Supponit aliud, vel non Supponit. Si non Supponit Ergo. Aliud est primum, et consequenter materia prima. Si Supponit, de illo quæram. Est autem evidens non posse procedi in infinitum cum in omnibus causis ut lib. 2 Aristot. demonstrat, tum longè evidentius in causa materiali qua est fundamentum totius compositi. Cum enim omne naturale compositum ita sit per se ut non habeat ullum aliud Subjectum extra se cui totum incumbat, necesse est ut intra se habeat aliquod Subjectum quod sit primum respectu omnium aliarum Entitatum ex quibus constat quod Sunt in Subjecto. Probatur 2do Conclusio: Quia si nihil prioris Substantiæ manet quod sit Subjectum commune Formæ corruptæ & producendæ impertinens, prorsus erit illa actio quam quodlibet Agens naturale ante productionem Formæ Substantialis prius certas dispositiones producit, ut cum v. g. ignis (& sic de aliis omnibus) intendit producere ex ligno alium ignem, videmus quod prius illud lignum antequam illud igniat, calefaciat & exsiccet. Sequela patet: quia pereunte tota priori Substantia v. g. ligni necesse est illas etiam omnes dispositiones perire, Sublatæ vero quid conferent ad productionem ignis. Dices: Conferre illas ad corrumpendam Substantiam v. g. ligni ut deinde generetur ignis. Sed Contra est. Nam si Forma ignis non introducitur in materiam ligni, nulla apparet ratio ob quam lignum corrumpi debeat ut fiat ignis. Ideò non corrumpitur quia Forma ignis adveniens in materiam ejus, expellit formam illius. Natura n. non intendit corruptionem per se Sed propter generationem alterius rei. Ergo ideo est ut in materia rei corrumpendæ introducatur Forma geniti. Datur igitur Subjectum primum & commune omnium Formarum Substantialium. Primum quidem non potest fieri processus in infinitum. Commune autem quia debet esse aptum ut possit Supponi Successivè omnium inferiorum transmutationibus & Formis. Probatur 3tio Conclusio. Cum animal v. g. alitur ex cibo vel aliquid cibi in viventis remanet vel prorsus nihil? Si nihil frustra Sumetur à vivente nihilque ex cibo juvari poterit ut inde crescat aut confortetur quia ex eo quod periit in cibo nihil confortatur vel crescit. Si autem aliquid cibi Substantiæ manet, illud non potest esse nisi materia prima Seu Subjectum commune tam cibi corrupti quam viventis

viventis. Ex his enim colligitur 1º Probari materiæ existentiam per mutationem non qualemcunque, non enim omnis mutatio Accidentalis necessario supponit materiam, sed p mutationem substantialem quæ necessario supponit subjectum. Colligitur 2º hanc materiam primam esse ingenerabilem et incorruptibilem. Ingenerabilem quidem, quia quicquid generatur, supponit subjectum. Materia autem 1ma nullum aliud supponit subjectum prius. Incorruptibilem vero quia nec per actionem positivam agentis naturalis ~~supponit~~ corrumpi potest, hæc enim quamvis cum dependeat à materia tanquam à sua causa, potius illius existentiam supponit et ea indiget, nec etiam per subtractionem conservationis cum sicut fieri, ita multominus in conservari dependeat materia ab ullo agente naturali. Colligitur 3º Materiam 1mam esse communem omnium rerum saltem sublunarium. Ratio est quia, ut patet ex mutua harum rerum transmutatione una eademque numero materia hominis v. g. potest esse successive sub Forma terræ, aquæ, aëris ignis &c.

Quæstio 7tima Quid sit Materia?

Quemadmodum Deus ter opt. maximus ob infinitam naturæ suæ perfectionem bifariam à nobis cognoscitur: Uno modo removendo ab eo quæcunque non sunt perfectiones simpliciter, ut cum dicimus Deum non esse discursivum, non esse corporea mole præditum. Altero modo affirmando ea quæ important perfectionem simpliciter ut cum dicimus Deum summe bonum, summe sapientem, æternum etc. Ita et materia 1ma propter ejus rei tenuitatem et defectum duplicite etiam à nobis potest cognosci 1mo Abnegatione cum ei omnem actum perfectionemque denegamus. 2do Affirmatione cum de ea affirmamus talia quæ naturæ illius tenuitatem significant. Juxta hunc igitur duplicem modum cognoscendi duplicem Philosophus materiæ dedit definitionem. 1mam 7 met. t. 8 Dico autem (inquit) materiam quæ per se ipsam, neque est quid, neque quantum, neque aliud quicquam dicitur quo Ens determinatur, neque enim negationes, etenim hæ quoque secundum Accidens erunt. Per quam descriptionem Aristot. ostendit potius quid non sit materia, quam quid sit. Et quamvis hic modus definiendi res, non sit absolute probandus, admittitur tamen quænam res est definienda aut in summo gradu perfectionis ut Deus præpotens aut in infimo ut est materia 1ma. Dicitur igitur hac descriptione materia 1ma 1mo non est Quid vel quia non habet Formam quod ab Aristot. dicitur Quod quid erat esse ei, vel quia non est hoc aliquid Ens videl. completum. Dicitur 2do Nec quantum, vel quia materia non est Quantitas, vel quia non habet Quantitatem determinatam. Dicitur 3tio Neque aliquid aliud quippiam quia non est Ens quippiam quia non est Ens alterius prædicamenti cum sit substantia imperfecta. Dicitur 4to Etiam Negationes, quia hæ ut ipse ibidem subdit cum sint aliquid secundum accidens indigens subjecto, materia autem non item. Alteram Definitionem dat capit. ultimo hujus Libri t. 82. Materia est primum cuiusque subjectum ex quo fit aliquid cum sit aliquid secundum accidens indigens ~~subjecto~~ et si corrumpitur res, in hoc ultimum abit seu resolvitur. Per hanc definitionem explicatur iam quid sit positive materia 1ma. Dicitur igitur subjectum ut explicetur quomodo sit Principium omnium rerum naturalium. Dicitur 1mum puta respectu Formæ substantialis quæ est 1ma Forma primusque actus.

Est

Et per hoc distinguitur ab omnibus aliis substantiis quia non sunt 1ma ut est v. g. Quantitas respectu aliorum accidentium. Dicitur cuiusque ut significet materiam 1mam esse subjectum omnium generabilium et corruptibilium. Dicitur ex quo aliquid fit, ut significet materiam esse principium intrinsecum, et excludantur principia intrinseca generationis, ut est Efficiens et Finis ex quibus non proprie dicuntur res fieri. Dicitur cum insit ut excludatur privatio ex qua licet fiat res naturalis non tamen tantum ex parte componente quae illi insit. Dicitur non secundum Accidens ad excludendas dispositiones quae tanquam accidentia insunt rei naturali. Dicitur denique Si quid corrumpitur, in hoc abit ultimum, tum ut excludatur Forma quae corrumpitur, tum ut ostendatur incorruptibilitas materiae. Ex hac Definitione colligitur 1mo Materiam Primam esse Ens reale. Ratio est quia est ~~pars realis~~ pars realis compositi Physici. E. Debet habere aliquam Entitatem realem. Totum enim esse habet a partibus suis realibus. Colligitur 2do Materiam 1mam esse Substantiam incompletam realiter natura sua ordinatam ad componendam corpus naturale. Quod sit Substantia patet: quia est Subjectum primum quod non potest competere Accidenti, hoc enim supponit Subjectum. Quod sit Substantia in completa et ordinata patet quia componit substantiam completam tanquam unum Ens per se quod praestare non potest si esset completa et per se non ordinaretur ad compositionem. Colligitur 3tio Materiam 1mam esse partem essentialem corporis naturalis ita quod sit pars essentiae illius. Ratio est quia intrinsece tanquam Principium intrinsecum constituit illud. Et praeterea quia in sola forma consisteret tota essentia v. g. homo ex sua essentia esset incorruptibilis et omnino Spiritualis cum tamen sit contrarium. Quaeres cur homo quamvis habeat animam Spiritualem, dicatur tamen potius corporeus quam incorporeus. R. Quia incorporeum dicit omnimodam negationem corporis, et ita quod aliqua ratione habet corpus, corporeum absolute est. Ex hoc autem sequitur quod sicut materia ut sic, est de essentia corporis ut sic, ita materia haec numero est de essentia corporis huius numero: quia sicut se habet materia ad corpus ut sic, ita se habet haec numero materia ad hoc numero corpus. Nec refert quod Aristot. 5 Met. c. 2 et alibi dicat quod Forma sit ratio et quod quid erat esse rei, per hoc enim non excludit materiam a quidditate rei; sed dicit in Forma tanquam in ultimo complemento et Principio distinctivo praecipue consistere eandem rei quidditatem. Colligitur 4to Entitatem materiae primae esse realiter et essentialiter distinctam a Forma. Ratio 1mi Quia potest separari realiter ab illa. Ratio 2di Quia materia 1ma est pura Potentia, forma autem est actus et nulla illarum est primum Subjectum omnesque excepta sola anima rationali sunt generabiles et corruptibiles. Sed haec omnia et tota materiae natura ex sequentibus melius intelligetur.

Quaestio 8tava. Utrum materia 1ma sit ex se pura potentia esse aliter, nullum includens actum essentialem?

Adverte cum Potentia sit, et dicatur per ordinem ad Actum pro varietate Actus, varia est Potentia. Potentia intrinsece constituitur per negationem Actus et habitudinem ad illum. Actus autem est

forma

Forma vel quasi Forma potentiam perficiens seu actuans. Multipliciter igitur natura Actus
sumi potest. Aliquando enim sumitur absolutè, aliquando respectivè. Actus absolutè dicitur, quia
licet nihil actu et neque ullam potentiam supponat, actuabilem à se, sed tantum aliquod actuale
seu determinatum in se, et non prorsus potentiale. Qui rursus Actus absolutus Alius est purus sim-
pliciter omni prorsus etiam metaphysica potentialitate carens neque ulli mutationi subjectus, ut est
Deus immortalis. Alius non est simpliciter purus quia in eo reperitur aliquid potentialitatis qua-
liscunque, ut sunt creaturae. Porrò Actus respectivè est ille qui ideo dicitur Actus quia aliud actuat seu
determinat feliciter, et ideò necessariò supponit potentiam à se determinabilem. Sicut igitur Actus
hic alius est Physicus, Alius metaphysicus: ita etiam Potentia huic Actui respondens, alia est Physica,
alia metaphysica. Potentia Physica est duplex. Alia Activa, alia Passiva. Potentia Activa
est quae sua virtute aliquem effectum producere potest. Quare huic potentiae Physicae respondet
Actus Physicus, ipse nimirum Effectus seu Actio. Potentia autem Passiva est quae patitur ab Agente
et recipit in se tum Actionem agentis, tum formam productam. Cui Potentiae respondet Actus
Physicus, forma scil. Physica realis informans. Actus metaphysicus est Triplex. Alius Essentialis
ut est differentia v. g. cui per modum potentiae respondet genus determinabile ab illa. Alius Enti-
tativus seu existentia qui terminando ipsam essentiam actuat eandem & constituit actu extra
causas. Unde isti actui per modum Potentiae respondet ipsa essentia, sive tunc quando iam de facto
est actuata per illam, sive etiam cum est in statu possibilitatis seu potentia objectiva & non repug-
nantia ad essendum à parte rei. Tertius denique Actus metaphysicus est Subsistentia quae est termi-
nus naturae substantialis existentis quae proinde est potentia respectu illius utpote per quem est actua-
bilis, non quidem informativè, sed terminativè. Quando igitur dicitur materiam primam esse
puram potentiam, hoc potest intelligi 1. De potentia Physica vel Activa, respectu ~~Actus Formalis~~
alicuius operationis et Efficientiae. vel Passiva respectu Actus Formalis. Sed de hac potentialitate
Physica agemus alibi. 2. Potest intelligi de Potentia metaphysica et hoc vel respectu Actus Essentialis,
vel respectu Actus Subsistentiae Substantialis. Et quidem de hac posteriori duplici etiam materia
alibi agetur. Hoc igitur capite solum agimus de Potentia materiae respectu Actus essentialis: ita ut
sit sensus istius Quaestionis: Utrum materia prima ita sit pura potentia ut ex se intrin-
secè nullam habeat actualitatem essentiae; sed totum esse essentiae habeat intrinse-
cè à Forma tanquam ab Actu informante? Circa quod est gravis dissensio inter Thomistas di-
quos et ex alia parte Scotistas: illi enim affirmant materiam primam esse ita puram potentiam
quos etiam sequuntur Ruvius, Conimb. Fonseca. Hi autem negant materiam primam ita esse
puram potentiam ut nullum ex se extrinseca habeat actum essentiae, quos etiam sequitur Soarez,
Toletus, Pererius, Murcia & fermè omnes recentiores. Cum illis igitur Dico materiam primam
ex se et non intrinsecè à Forma habere suam Entitatem Actualem Essentiae quamvis illam
non habeat nisi cum intrinseca habitudine ad formam. Tria hic dicuntur 1. quod materia habe-
at aliquam actualitatem essentiae. 2. Quod illam habeat ex se et intrinsecè à forma. 3. Quod
illam habeat cum intrinseca habitudine ad Formam. Primum igitur probatur (1) Quia omne Ens
Reale habet aliquam suam terminatam essentiam per quam constituitur in se, et essentialiter
distinguitur ab omni alio quod non est ipsum; sed materia prima ut apud omnes certum est esse quoddam
Ens reale distinctum essentialiter ab omnibus aliis quae non sunt materia. Ergo necessariò de-
bet habere

debet habere aliquam actualitatem essentiae per quam se constituat & distinguat ab aliis. Probatur
(2) Quia materia habet aliquam naturam suam perfectionem & bonitatem transcendentalem ut
ipse D. Thomas testatur 3 contra Gentes c. 20. Certum enim est compositum ex materia & for-
ma perfectius quid esse quam sit sola forma. Ergo aliquid perfectionis habet materia ex se quam
addit composito. Probatur (3) Quia materia prima optime potest intelligi in suo conceptu essen-
tiali ex Genere & Differentia composita. Certum enim est possibilem esse aliam materiam
primam diversae speciei ab hac sublunari, imo non improbabile est de facto talem esse coelestem
materiam, tunc haec materia sublunaris conveniet cum illa in aliquo tanquam in Genere
per aliud autem distinguetur et in certa specie constituetur, id est per differentiam tanquam per actum.
Dices cum Arriaga Distinguetur quidem; sed specie incompleta neque per actum; sed per ordinem ad
actum. Verum neque nos volumus materiam esse speciem completam absolute sed incom-
pletam: quam cum ultimate constituat, illa talis habitudo non video quare non possit
vocari actus; non quidem physicus sed metaphysicus, seu differentia desumpta ab una parte
compositi substantialis, cum ut in Logica diximus, possint esse duplicia Genera & Differentiae
aliqua desumpta a toto individuo completo substantiali, quae scilicet per se ponuntur in praedicamento
substantiae, aliqua quae tantum a partibus physicis essentialibus. 2dum. Probatur Quia Forma
non constituit intrinsece aliquam naturam in esse essentiae nisi componendo illam per modum
actus; Forma autem non componit essentiam materiae cum ea sit simplex entitas non minus
quam Forma. Omnis autem entitas simplex habet essentiam per seipsam intrinsece. et
non per aliam entitatem distinctam a se! Ergo materia prima ex se intrinsece, et non
per Formam habet aliquam actualitatem essentiae. Probatur Deinde Quia licet sub diversis
Formis ponatur materia, semper tamen eandem suam retinet essentiam. Ergo Non per
Formam constituitur intrinsece in suo esse essentiae. Et alioquin si includeret Formam in
sua essentia intrinsece et non solum tanquam terminum extrinsecum suae habitudinis,
nihil illi deesset ad rationem completae essentiae, neque esset ratio ob quam deberet dici pura potentia.
Praeterea non potest praesupponi Formae et corrupta Forma consistere, quae tamen sunt absurda.
3tium Probatur ~~duo~~ Quia materia prima essentialiter est potentia. Omnis autem poten-
tia dicitur intrinsecam habitudinem ad suum actum. Proprius autem materiae actus est Forma
respectu cuius materia est potentia proprie passiva. Ergo habet habitudinem essentialem
ad illam. Obiicies 1 Quia Aristot. cum variis in locis, tum potissimum lib. 1 De Generatione
t. 17. clare dicit materiam non esse Ens. Respondeo Disting. Non est Ens completum Concedo. Non
est absolute Ens Nego. Certum enim est illam esse subjectum primum juxta Aristot. quomodo
autem posset esse subjectum, nisi esset Ens. Obiicies 2 Materia prima non est ex se in ulla spe-
cie entis determinata. Ergo Non habet ullam actualitatem essentiae. Consequentia patet. Antecedens
Probatur quia nullum Ens naturale potest constitui in aliqua certa & determinata specie, nisi per for-
mam physicam. Cum igitur materia prima nullam ex se habeat Formam Physicam non erit etiam
ex se in ulla specie determinata. Respondeo Disting. Antecedens. Non est in ulla specie completa Concedo.
In ulla specie incompleta Nego Antecedens. Neque opus est Forma physica ut aliquid constituatur in
tali specie incompleta. Sed sufficit differentia quae est quidem actus, nec physicus essentialis. Ob-
iicies: 3 Materia prima est pura potentia. Ergo Nullum etiam actum essentialem includit. Con

sequentia

Consequentia patet. Postea enim opponitur actui, et pura potentia opponitur actui, et pura potentia omni actui, et consequenter nullum includit. R. Disting. Antec. Est pura potentia in ordine ad omnem Actum etiam metaphysicum Neg. Ante. ad omnem actum se[illegible] Physicum Conced. Antecd. et simplicit. Distinguo consequentis Probationem, opponitur omni actui respectu cujus est potentia Concedo, respectu cujus non est potentia Nego. Certum enim est omnem potentiam opponi omni actui; sed solum illi respectu cujus dicitur potentia. Cum igitur materia prima sit pura potentia tantum respectu actus Physici formalis; non autem respectu omnis naturalis essentialis cum sit Ens quoddam reale in suo esse Essentiae determinatum. Hinc est, quod licet repugnet illam esse actum Physicum, non tamen repugnet esse actum absolutum metaphysicum. Obiicies 4 Si materia non esset pura potentia in ordine ad omnem simpliciter Actum, sequeretur illam esse aut aliquod compositum, aut certè aliquem Actum, tertium enim cogitari non potest. Sed neutrum dici potest. Non primum: quia si esset compositum daretur aliqua potentia prior quam ipsa sit materia. Non etiam Secundum: quia vel esset Actus informans: et hoc enim, quia nullum supponit subjectum informabile, vel certè absolutus ~~vel certè~~ seu subsistens, et hoc etiam non; quia iam esset materia perfectior quam sit Forma, quod tamen nemo dicet. R. Materiam primam esse et Compositum et Actum. Compositum quidem Metaphysicum: quia componitur ex Genere et Differentia. Neque est absurdum quod potentia Physica supponat Potentiam Metaphysicam tanquam se priorem. Actum verò quidem non informantem propter rationem datam; sed subsistentem seu Absolutum, incompletum tantum et non consumatum. Neque verum est talem Actum esse perfectionem simpliciter Actu informante, quamvis enim in ratione subsistendi et consequenter secundum quid possit dici perfectior formis materialibus: quia tamen omnes hae plus participent de ratione Actus, ideo simpliciter perfectiones dicendae sunt. Instabis: Inde sequetur materiam primam esse totam potentiam et totum Actum, hoc autem dici non potest 1mo Quia materia prima non est causa distinctionis. 2do Quia non est Principium ullius operationis quod tantum proprium est Actui. 3tio Omnia composita materialia essent purissimi actus utpote et ratione materiae, et ratione Formae. R. Concedo sequelam, non quidem per compositionem Actus cum Potentia; sed per intimam et essentialem inclusionem, ita ut ratione potentiae Physicae passivae essentialiter includat rationem Actus Metaphysici, non actuantis; sed absoluti. Ad 1mam Concedo. Materia enim potius habet rationem potentiae quam actus Actuantis respectu compositi. Unde non est mirum quod per eam non distinguatur; hoc enim proprium munus est actus actuantis sive Physici, sive Metaphysici Essentialis. Ad 2dam Ex hoc solum sequitur materiam non esse Actum Formalem qui est principium operationis; nihil autem obstat quominus à natura potuerit institui aliquod Ens incompletum determinatum tantum in sua Essentia, et consequenter Actus absolute solum ad recipiendum, non autem ad agendum. Quanquam neque omninò materiae denegandа est Activitas, cum certum sit quod promanet ex se suas proprietates. Ad 3tiam Nego illam sequelam. Non enim dicimus materiam esse purum Actum; nam hoc nec ipsi Formae concedendum, cum et ipsa sit obnoxia potentionalitati, multo verò minus materiae. Obiicies 5 Datur Actus ita purus, ut nullam prorsus dicat Potentiam Passivam ut est DEUS. Ergo etiam dabitur

potentia

potentia ita pura quæ nullum prorsus includat Actum essentiæ. R. Nego consequentiam
& Paritatem. Nam non repugnat dari perfectionem sine ulla imperfectione. Repugnat
autem dari imperfectionem realem puram sine ulla imperfectione, potius enim est ni-
hil et pura negatio omnis perfectionis.

Quæstio 9na Utrum materia Prima habeat propriam existentiam; vel certè sit pura potentia respectu illius?

87
Sicut Essentia rei quoque dicitur conceptus quem de re aliqua efformamus; ita existentia est ra-
tio per quam res, quæ absolutè non fuit nisi in potentia objectiva et in virtute causæ
iam extra causas actu in rerum natura existit. Et quamvis certum sit apud omnes
materiam primam de facto non esse in potentia objectiva; sed aliquid iam actu extra
causas existens. Illud tantum controversum est: Utrum sit Actu existens per ali-
quam existentiam propriam sibi, vel certè solam existentiam Formæ. Thomi-
stæ igitur communiter asserunt materiam primam non habere ullam suam propriam
existentiam; sed existere Formæ existentia, et consequenter etiam tunc quando
Actu existit, esse puram potentiam realiter sicut ad Formam; ita et ad existentiam.
Nec ullum inconveniens hoc illis videtur. Supponunt enim existentiam esse aliquid reali-
ter distinctum ab Essentia. Alia Fundamenta illorum in objectionibus videbuntur. Con-
trarium sensit Scotus cum Suis: Gabriel, Gregorius et cæteri. Ex Patribus Iesuitis autem
ut Molina, Vasquez, Soarez, Pererius, Fonseca, Toletus, Conimb. Ruvius, Hurtadus
aliique quam plurimi qui omnes docent materiam primam existere Actu per existentiam
propriam & distinctam ab existentia Formæ. Et quia iidem insuper docent existentiam
non nisi ratione distingui ab essentia, consequitur iuxta illos Materia prima Actu existens
non est pura potentia realis ad Actum existentiæ; quia realiter Actu illam in sua En-
titate includit, quamvis supposita rationis præcisione essentiæ illius ab existentia, certum
est eandem materiam sumptam præcisè secundum esse Essentiæ posse iuxta eosdem
dici potentiam Metaphysicam respectu existentiæ cum scilicet illam non includat & dicat
non repugnantiam ad illam. Cum his igitur Dicimus Materiam primam ha-
bere existentiam propriam distinctam ab existentia Formæ. Pro hac Con-
clusione prima Ratio est: quia existentia non distinguitur ab essentia sed ad summum
ratione. Ergo sicut essentia materiæ primæ est distincta realiter ab essentia Formæ;
ita existentia materiæ erit distincta realiter ab existentia Formæ. Consequentia
patet. Antecedens infra demonstrabitur. 2da Ratio est: quia si Essentia materiæ existeret
per existentiam Formæ, eadem Actione produceretur existentia Formæ v. g. materi-
alis qua producitur essentia materiæ; sed hoc dici non potest. Ergo Nec illud ex quo se-
quitur. Minor est certa: omnes enim fatentur materiam creari; formas autem ma-
teriales et existentias illarum dependenter fieri à subjecto. Major autem probatur
quia eadem indivisibili Actione qua producitur essentia, producitur etiam existentia eius
per quam existit eadem indivisibili actione producetur cum illa, et consequenter sicut ma-
teriæ creatur essentia, ita & illa. Consequentia patet. Antecedens illud probatur
1. Ex authoritate S. Thomæ qui Quæst. 1. de Potent. Arti. 2 corpore hæc dicit: Om-
nis Actio Activæ potentiæ terminatur ad esse nimirum existentiæ. Probatur 2.
Ratione

Actione: Quia supponamus in productione materiae primae duas intervenire Actiones. Unam quā producatur essentia, alteram quā existentia. Actio igitur terminata ad essentiam seclusa omni alia actione vel producit essentiam ut sit Actu extra causas, vel non producit. Secundum est etiam impossibile concipere. Quomodo enim est productio, si nihil per eam producatur? Si autem producit. Ergo seclusa omni alia Actione producit simul ejus existentiam. Nam impossibile est ut aliquid fiat seu ponatur actu contra causas, quin eo ipso producatur ejus existentia, per quid enim erit Actu extra causas, si non producetur ejus existentia.

DICES eadem Actione producit essentiam & existentiam si existentia sit propria illius essentiae. Si verò non sit propria, eadem produci Actione essentiam ac Unionem illius cum existentia aliena. Sed contra est: quia illa unio vel producitur eadem indivisibili Actione quā producitur ipsa essentia v. g. vel diversa. Si dicatur hoc secundum, tum de illa Actione terminata ad essentiam. Quaero vel enim illa Actio omni alia seclusa Actione est productio essentiae materiae actū extra causas vel non? hoc secundum est impossibile cum sit Actio et sequenter necessario per illam aliquid fiat. Si autem dicatur primum. Ergo per illam indivisibilem Actionem producitur essentia materiae & existentia illius per quā nimirum Actu existat extra causas. Quod si eadem indivisibili Actione producitur essentia materiae et unio illius tunc imprimis sequitur sicut illa unio fit dependenter à subjecto, cum certum sit illam non creari; ita et materiam fieri dependenter ab aliquo subjecto. Quaero videl. illa unio non habet propriam suam existentiam distinctam ab existentia ejus cujus est unio vel habet. Si dicatur primum, tunc eadem rursus difficultas redit de illa Actione terminata ad essentiam hujus unionis et materiae utrum nimirum per illam seclusa omni alia actione producatur aliquid vel nihil. Si autem habet propriam suam existentiam. Ergo per illam existet et materiae essentia & unio cum utroque formaliter dicatur produci per Actionem terminatam ad illam existentiam. Hoc autem multa absurda involvit. Quomodo enim imprimis materia potest existere per existentiam cui tanquam subjectum debet praesupponi. Praeterea materia est independens ab omni subjecto; illa autem existentia unionis & productio ejus essentialiter dependet à subjecto. Ratio 3tia Quia si materia existeret per existentiam Formae v. g. materialis, sequeretur materiam produci & conservari ab Agente naturali creato: sed hoc est absurdum etiam apud adversarios. Ergo et illud ex quo sequitur. Sequela Majoris probatur. Quia ab eo res producitur à quo efficitur existentia per quam existit. Cum igitur existentia Formarum naturalium producatur ab agente naturali creato, si materia existit per existentiam illarum, sequitur clare materiam produci ab agente naturali. Hoc argumentum non est alia via evadendi nisi forte quis dicat in productione materiae haec tria reperiri: Productionem Essentiae, Productionem Existentiae et Productionem Unionis inter utramque et Agens producens materiam simul etiam producere unionem materiae cum existentia Formae. Sed hoc jam impugnatum est, et amplius requiritur quia vel unaquaeque illa Actio constituit suum terminum Actu extra causas. Si autem unaquaeque producet existentiam: vel aliqua ex illis non constituet terminum Actu extra causas, sic verò concipi non potest quo pacto sit productio. Praeterea certum est rem existere per existentiam. Ergo ab eo sufficienter existit à quo efficitur & unitur existentia. Sed ab agente naturali efficitur existentia Formae materialis in mater.

in materia et consequenter etiam unit. Ergo ab eodem & materia 1ma producet. Probat 1to Quia nullus effectus formalis potest praesupponi suae causae formali. Sed si materia existeret per existentiam Formae v. g. materialis, effectus formalis praesupponeret formam. E. Major est certa cum in omni genere causarum, semper enim effectus supponit causam à qua dependet. & sumum accipit esse, tum praecipuè in genere causae formalis hoc est evidentissimum. Effectus enim formalis est ipsa Forma communicata subjecto. Minor igitur probat: Quia materia 1ma et existens praesupponens Formae & Existentiae illius utpote subjectum & causa ejus. E. Si materia non est existens nisi per existentiam Formae antequam sit existentia Formae, materia per illam est existens, et consequenter effectus Formalis praesupponit Formam. R. Spondent Aliqui 1mam esse quidem priorem ipsa Forma in genere causae materialis, et tamen posteriorem in genere causae formalis quatenus ipsa materia pendet à causa Formali; sentiunt enim non esse absurdum idem esse prius et posterius respectu ejusdem in diverso genere Causae. Sed contra est: Quia esto, possit esse prius et posterius in diverso Genere causae, nemo tamen sanae mentis dicet effectum Formalem posse esse priorem Formâ, quod necessario sequitur in sententia adversariorum. Ex quo deinde potest inferri in illo priori in quo supponitur materia existens Formae, materiam & existere & non existere, existere ut supponitur, non existere quia nondum est existentia per quam existat. R. Alii dicunt Formam à materia non causari per existentiam, et secundum hanc esse priorem materia Formâ. Sed contra est: quia materia non potest causare formam & sustentare eandem nisi prius ipsa existat. Existentia enim est conditio simpliciter necessaria ad rationem causandi realiter. Et alioquin si Forma produceretur nondum existente subjecto, produceretur ex nihilo, cum materia antequam existat non sit Ens Actu. R. denique Alii Existentiam materiae esse conditionem necessario praerequisitam ad hoc ut materia sit causa Formae, sed illam habere tum à Forma praecedente, tum à succedente. Eodem enim instanti quo una decedit alia, succedit in materia, et ita antequam haec nova Forma producatur, intelligitur materia praeexistere per existentiam non quidem hujus novae Formae sed prioris. Sed contra est quia etiam hoc multa inconvenientia involvit. 1mo enim sequitur toties variari materiae existentias & pro diversitate Formarum illam esse diversum existens atque adeo non esse commune subjectum. 2do sequitur toties materiam 1mam corrumpi quoties admittit aliquam Formam, et toties produci, quoties novam acquirit. Sequela haec probatur: Quia non aliter res componitur nisi admittendo existentiam, neque aliter producitur nisi acquirendo existentiam, quam ante non habuit. Quod ipsum confirmatur amplius de corruptione materiae: quia per adversarios magis dependet materia à Forma quam Accidentia ab eadem Forma. Sed pereunte Formâ, pereunt juxta adversarios etiam Accidentia. Ergo multo magis pereunte eadem Forma, debebit perire materia. Major probatur quia major est dependentia ab existentia quam à subjecto qualis dependentia est accidentium à Forma. Praeterea possunt à DEO conservari accidentia sine Forma, secundum adversarios non item materia. Sequitur denique 3tio Quod Forma noviter succedens in materiam illo instanti generationis non inveniat materiam existentem. Atqui hoc est absurdum. E. Et illud ex quo sequitur. Minor certa est. A quo enim ipsius generatio et ipsa excipietur materia. Major Probatur quia non potest excogitari existentia per quam existens inveniatur. Non per prioris Formae, quia haec in illo instanti iam non est; non etiam per

existentiam

existentiam Formæ noviter productæ quia hanc non nisi eadem forma producta secum affert. Quomodo igitur per hanc existentiam potest forma invenire materiam sibi præexistentem in illo priori materia, quo se et existentiam suam antecedit materia utpote causa non solum essentiæ sed etiam existentiæ suæ. 4ta Ratio Quia subsistentia materiæ est modus existentiæ illius qua materia existit. Sed non potest esse modus existentiæ Formæ materialis. Ergo Debet esse modus alterius existentiæ quæ sit propria materiæ distincta ab existentia Formæ. Obiicies contra Authoritatem Aristot. 4 met. c. 4 t. 15. Qui sic dicit: materia est potentia quia potest progredi ad Formam, cum verò Actus sit, tunc in Forma est. Ubi Aristot. intelligit materiam esse Actu in rerum natura per Formam & consequenter per existentiam illius. R. Secundum Aristotelem materiam esse per Formam in certa specie completa physica, non autem simpliciter & prorsus esse. Obiicies 2 Materia prima est pura potentia. Ergo Nullum includit Actum. R. Hoc iam supra resolutum est. Obiicies 3 Ex duobus Entibus in Actu non potest unum Ens fieri per se ideo nec ex accidente & substantia non fit unum Ens per se quia utrumque habet suam existentiam. Sed si materia haberet propriam existentiam, esset Ens in Actu? Ergo R. Disting. Major. Ex duobus Entibus in Actu quorum unum sit completum, concedo majorem quorum neutrum sit completum, nego majorem. Nec verò ideo ex Accidente et Substantia fit Ens per Accidens, sed potius ideo quia sunt diversi generis seu prædicamenti. Adverte hic obiter aliud in rigore significari cum dicitur materia pura potentia, aliud cum dicitur esse in pura potentia. Illud enim primum prorsus est verum, posterius autem saltim ambiguum est. In rigore enim significat Privationem Actualis existentiæ, unde solum dicitur de eo quod Actu nihil est, esse tamen potest, quod tamen dici non potest de materia postquam creata est. Simili ratione aliud significat cum dicitur materiam esse in Actu quod simpliciter verum est quia nihil aliud significat quam materiam Actu existere. Aliud autem significari cum dicitur esse Actus, quia hoc nimirum est ambiguum, et quidem falsum erit si significet Actus respective seu Actuans, verum autem si sumatur absolute.

Quæstio Decima Utrum materia prima habeat propriam Subsistentiam.

Demonstrato iam duplici Actu Metaphysico respectu cuius poterat cogitari materia pura potentia puta Essentiali Entitativo seu Existentiæ, restat Actus Substantialis metaphysicus seu Subsistentiæ, qui iuxta omnium modum concipiendi est modus quidam seu ratio per se existendi. Ad intelligendam autem hanc Quæstionem Notandum est 3 Tres Subsistentiæ acceptiones in usu esse. Prima minus Propria quæ significat aliquid existere cum seu cum negatione inhærentiæ alteri qui modus subsistendi seu essendi per se convenit omnibus Substantiis etiam formis materialibus, quæ licet dicantur in esse subiecto, non tamen inhærere, hoc enim proprium est accidentibus. 2da Acceptio est Propria: quia dicitur aliquid per se esse sine dependentia ab alio tanquam à sustentante, quo pacto non solum substantiæ completæ; sed etiam aliquæ incompletæ sunt per se, talis est anima rationalis quæ extra corpus verè subsistere dicitur; quia non solum non inhæret alteri tanquam subiecto; sed etiam neque inest seu non dependet ab ullo alio tanquam sustentante. 3tia Acceptio Subsistentiæ est quæ significat sub aliis omnibus sistere seu sub esse in qua acceptione certum videtur subsistentiam etiam

Tres Subsistentiæ acceptiones in usu esse.

Complere

complere subsistentiis, cum etiam aliquæ harum sint ejusmodi ut non sustententur ab aliis tanquam subjectis, et praeterea ipsæ sint subjecta variorum accidentium. Et quidem hic neq̀ de 1mo modo subsistendi, neq̀ de hoc 3tio agimus; sed tandum de secundo. Notandum est 2 subsistere secundo modo posse aliquam naturam non solum totalem v. g. humanitatem sed etiam partialem v. g. animam rationalem aut materiam 1mam absq̀ ulla entitate modali, aut absoluta sibi superaddita per solam essentiam & existentiam suam. Quis enim dubitet animam v. g. rationalem absolutam omni alia entitate ab ipsa distincta, adhuc fore independentem ab omni alio tanquam subjecto sustentante. Ex quo patet non hunc esse effectum formalem proprium subsistentiæ de quo hic loquimur; sed aliquem alium. Notandum est 3 De subsistentia per quam materia redditur positive subsistens hæc aut certa aut ferè certa in sententia communiori. 1mo Non ēē illam aliquid distinctum in re à materia. Certum enim est ex fide humanitatem Christi fuisse separatam à propria subsistentia. 2do ēē illam aliquid positivum, et non meram negationem. 3tio esse ultimum terminum et complementum materiæ substantialis et existentiæ illius. Circa hanc quæstionem duplex est sententia. 1ma quæ negat materiam habere partialem subsistentiam. Ita sensit Molina, Fonseca, Vasquez & aliqui alii ex recentioribus quanquam inter illos est diversitas quoniam aliqui asserant partiales subsistentias ēē absolutè incapaces subsistentiarum partialium etiam tunc cum extra compositum existit. Aliqui autem concedunt partiales subsistentias aliquibus naturis incompletis substantialibus saltem tunc cum sunt extra compositionem actualem. 2da Opinio concedit materiæ 1mæ subsistentiam partialem, non solum tunc quando extendit compositionem; sed etiam cum est in actuali compositione. Ita Soarez, Ruvius, Hurtadus. Cum his igitur Dicimus materiam 1mam habere suam propriam subsistentiam etiam partialem, etiam tunc, cum est de facto in composito. Probatur hæc Conclusio 1 Quia materia 1ma verè creatur et connaturaliter. E. Habet subsistentiam suam propriam. Antecedens est certum apud omnes; Fit enim ex nihilo. Consequentia probatur 1 Ex D. Thoma et communi Philosophorum sensu qui omnes docent creationem non ēē connaturaliter nisi subsistentium. 2 Ex ipsa ratione creationis quæ cum sit productio ex nihilo, supponit terminum non indigentem subjecto à quo sustentetur, & consequenter existentem per se seu subsistentem. Probatur 2 Quia materia 1ma habet suam existentiam propriam, non inhærentem alteri neq̀ dependentem ab alio tanquam à subjecto sustentante. E. Habet suam propriam partialem subsistentiam. Antecedens est certum. Consequentia probatur; quia licet certum videatur ēē quod hæc independentia ab alio tanquam à subjecto sustentante non sit effectus formalis subsistentiæ ut supposui. Notandum 2do tantum ut aliquid sit capax subsistentiæ tanquam ultimi termini sui ēē, hæc tamen duo requiruntur à D. Thoma 1 Part. Q. 75. Art. 2 ut natura alteri non inhæreat sicut accidens. Secundo ut non dependeat ab alio tanquam à sustentante. Atqui hoc utrumq̀ habet naturam suam materiam 1mam. E. Etiam habet suam propriam partialem subsistentiam. Probatur 3 Quia quælibet pars integrans compositi alicujus materialis homogenii aut etiam heterogenei aquæ v. g. aut cujusvis alterius rei habet propriam subsistentiam partialem distinctam à subsistentia alterius partis. E. Etiam materia 1ma etiamsi sit pars essentialis, poterit habere subsistentiam propriam partialem et distinctam

distinctam à subsistentia alterius partis essentialis. Consequentia videtur clara: quid enim magis re-
pugnat subsistentiæ in partibus essentialibus quam in partibus integrantibus, cum magis dissimiles
sint partes essentiales quam integrantes totius materiæ homogeneæ, ac proinde difficilius illæ quam
istæ compleri indivisibili aliquâ subsistentiâ queunt, et si in illis ratio partis subsistentiam non
impedit, cur in istis debeat impedire. Antecedens autem imprimis quoad partes Heterogeneas
est S. Thomæ, qui capiti, brachio et aliis similibus partibus suas partiales concedit subsistentias.
Deinde quoad partes totius Homogenei probatur: quia qualibet pars aquæ v.g. est Substantia
completa essentialiter in ratione Substantiæ, et quælibet est independens ab alia. E. Quælibet
debet habere connaturalem sibi et debitum modum existendi. Hic porro modus est existere per se
independenter ab alio ut sustentante, existere autem sic saltem consequenter est subsistere.
E. Quælibet pars habet distinctum subsistendi modum. Adde totam aquæ substantiam esse ma-
terialem et divisibilem. E. Et subsistentia quæ est modus ejus debet esse materialis & divisibilis.
E. In diversis partibus aquæ diversæ erunt subsistentiæ. Quod si dicas: Eadem subsistentia indivi-
sibili totam terminari aquam, et totam esse in toto, ac totam in qualibet parte. Contra
est 1. Quia hoc est contra rationem rei materialis, cujus cum una pars debeat esse extra aliam,
nequit esse tota in toto, et tota in qualibet parte. 2. Quia hinc sequerentur multa absurda.
1mo Enim sequeretur eundem materialem modum, qualis est subsistentia juxta probabilem
modum esse simul in locis maxime dissitis, et in toto interjecto intervallo. Eadem enim v.g.
subsistentia aquæ esse deberet in extremis Oceani, & simul in toto Oceano. 2do Sequeretur totum
Oceanum mutare subsistentiam, si unica guttula aquæ affundatur vel effundatur, sicque pateret
perpetuas vicissitudines subsistentiæ aquis continuus in illum affluentibus et effluentibus. 3tio
Sequeretur ad Divisionem aquæ in duas partes corrumpi præcedentem subsistentiam & pro-
duci duas subsistentias in duabus disjunctis; quod si iterum uniantur corrumpi illas duas priores &
aliam novam produci, quod sine gravi necessitate concedi non debet. Inferes hinc: Si partes
aquæ habent suas partiales subsistentias. E. Dantur in aqua partialia supposita. R. Cum Hur-
tado Negando Consequentiam. Sicut enim cum anima v.g. rationalis separata propriâ
subsistentiam subsistit, non dicitur partiale suppositum, nec partialis persona. Ita multo minus
cum partes aquæ illæ unitæ adhuc existunt dici possunt partialia supposita. Ratio est quia
suppositum non qualemcunque subsistentiam invenit; sed eam solum quæ sit terminus ulti-
mus alicujus totius completi et quidem ut totum est, seu in quantum habet privationem unionis
ad aliud, non vero quatenus habet rationem partis seu ut intelligitur esse unitum alteri. Cum
igitur in aqua unum sit totum integrale ex omnibus unitis partibus conflatum, unum etiam
erit ibi suppositum. Quod si ex illo uno toto multa fiant composita, multa fient &
supposita, non tamen partialia quia nec ipsa composita subsistentia facta ex illo u-
no amplius erunt partes, sed tota. Probatur 4to Quia unus itemque modus non potest esse
duorum realiter distinctorum sed subsistentia in sententia communiori est modus, materia
vero 1ma et Forma distinguuntur realiter. E. Non potest una eademque indivisibilis utriusque esse
subsistentia, sed debet esse distincta realiter. Confirmatur hoc ipsum in homine, in quo si
simplex modus subsistentiæ esset, sequeretur esse spiritualem simul utpote identificatum ani-
mæ, et materialem utpote identificatum corpori. Probatur denique 5to Quia non est ullum fun-
damentum propter quod negari debeat hæc partialis subsistentia materiæ 1mæ ut patebit
ex solutione Objectionum. Obiicies 1mo Authoritatem S. Thomæ qui 3 P. Q. 4. Art. 2
ad 3 Dicit unionem naturæ humanæ ex verbo non esse destructam, sed impedictam propri-
am subsistentiam, quod dicere non posset si præfuisset subsistentia propria in [illegible]
materia

materiae; iam enim potius esset dicenda haec ēē destructa quam impedita. Sed hoc est potius pro nobis. Si enim impedita est propria subsistentia materiae 1mae. E. illi fuit debita. Quod autem dicat S. Doctor potius impeditam quam destructam, hoc dixit ratione potentiae quam materia 1ma habet ad fundendam hanc subsistentiam ex se. Certum enim est hanc potentiam materiae naturalem non fuisse destructam per unionem ad verbum sed tantum impeditam. Obiicies 2do Quia subsistentia est idem quod Suppositum seu Hypostasis vel Personalitas. Atqui non dantur Hypostases seu personalitates partiales. Anima enim v.g. vel materia 1ma non est persona partialis neque semi suppositum. E. etiam non dantur partiales subsistentiae. Sed contra est: Quia subsistentia latius pateat quam Hypostasis aut Personalitas. Haec enim duo solis conveniunt entibus completis. At vero subsistentia est convertibilis cum omni substantia independente a subiecto sustentante. Dices cum Vasquio subsistentiam dicere partialem est abuti vocibus cum tam Graeci quam Latini S. Patres hoc nomen hypostasis vel personalitas et subsistentia pro eodem sumpserint, neque aliud unquam subsistentia apud illos significaverit quam personalitatem. Sed contra est quia S. Patres eo ipso quod dicant creationem non ēē nisi subsistentium, creari autem asserant non tantum totales substantias; sed etiam aliquas partiales eo ipso concedunt etiam partiales subsistentias. Quod amplius confirmatur contra eundem Vasquium qui concedit animam rationalem subsistentem ēē personam, potest ergo etiam ipsum dari subsistentiam quae tamen non est Personalitas seu hypostasis. Obiicies 3tio Quia subsistentia est ultimus terminus complementumque naturae per quod redditur incommunicabilis. Sed materia 1ma et anima rationalis mutua communicantur unione. E. cum tali unione repugnat subsistentia propria. R. subsistentiam etiam partialem ēē ultimum terminum naturae quo in suo ēē partiali compleatur ultimo et constituatur perfecta in eodem suo ēē; quod complementum ex natura sua praesupponitur ad unionem quia materia 1ma praesupponitur ante unionem ēē cum sua existentia et modo existendi. Quod vel ex hoc patet quia ut Theologi ex S. Thoma communiter docent prius unitum est corpus Christi Domini et anima verbo, quoniam ēēnt inter se unita. Ex quo etiam sequitur unionem ad aliud non repugnare cum subsistentia; quia ecce anima Christi est materia 1ma ut subsistentes per verbi Divini subsistentiam sunt secum unitae. Quare ad illud de incommunicabilitate negandum est hunc ēē effectum formalem cuiuis subsistentiae. Neque ista sunt sibi opposita ēē per se, et ēē in toto, neque tamen unum dependere ab alio tanquam a subiecto sustentante, et consequitur utrumque per se existere seu per suam partialem subsistentiam subsistere. Dices: Quomodo igitur est ultimo aliquid terminatum si ultra est complebile et alteri communicabile. Sed. R. Quod sicut actualis communicatio non repugnat subsistentiae partiali, ita multo minus communicabilitas seu complebilitas. Quia certum est ex Fide corpus et animam Christi Domini in illo triduo mortis fuisse quidem a se separata, interim tamen subsistisse subsistentia verbi, tunc autem illas fuisse quis neget communicabiles et unibiles sibi etiam ut subsistentes.

Quaestio Undecima. An materia 1ma habeat aliquam Formam substantialem sibi coaevam.

Avicenna

Avicenna docet materiam 1mam habere quandam Formam corporeitatis sibi coævam
& ab initio congenitam. Hunc, ex parte sequitur Scotus cum suis qui in solis hominibus viventibus putat
omnino necessariam Formam corporeitatis seu mistionis. R. Contra S. Thomas cum suis et
omnes alii negant ullam talem Formam corporeitatis substantialem, aut aliam aliquam
coævam. Et cum his Dicimus materiam 1mam nec Formam corporeitatis, nec ullam
aliam sublunarem substantialem habere sibi coævam & inseparabilem. Probatur 1mo Quia
nullum est in natura indicium talis Formæ perpetuo coævæ & inseparabilis a materia, neque
ullus apparet effectus propter quem sit necessaria. R. Sine Fundamento et absque ulla necessi-
tate fingitur. Antecedens probatur ex abjectione eorum quæ deberet concedi 1 Propter exi-
stentiam materiæ. Sed hanc habet et materia a se, non a Forma. 2 Ut habeat Quantitatem
quæ est necessaria ad omnes alias Formas suscipiendas. Sed hanc quoque materia habet ex se
ipsa et sibi proxime inhærentem. 3 Ut materia appetat Formas. Sed hoc etiam nihil va-
let quia materia appetit omnes Formas et inclinatur ad illas eo ipso quod sit aliquid complebile per illas.
4 Ut Formæ non producantur ex nihilo; Sed hoc etiam non valet: quia absque tali forma producen-
tur ex subjecto et consequenter non ex nihilo. 5 Ut disponatur materia ad Formas. Sed suffici-
enter disponitur materia per Formas accidentales. Probatur 2do Quia impossibilis est talis For-
ma quæ tantum det esse genericum v. g. esse corporis, et non simul det esse aliquod certum specifi-
cum! Atqui secundum adversarios illa Forma corporeitatis est talis quæ tantum dat esse gene-
ricum videl. corporis. R. Est impossibilis. Major probatur Quia omnis Forma habet suam
propriam Entitatem distinctam ab entitate materiæ & ab aliis Formis. R. Necesse est in-
telligere in illa Entitate ultimam differentiam, seu rationem per quam essentialiter distingui-
tur ab omnibus aliis. Dices: Materia habet suam propriam Entitatem et tamen secundum
se non est constituta in aliqua ultima specie, ~~materia~~ sed tamen reducitur ad genus substantiæ
materialis. Sed hoc falsum est, iam enim ostendimus materiam esse constitutam in certa &
ultima specie materiæ; quia tamen ~~ea~~ est incompleta, ideo non est species substantiæ com-
pletæ sed tantum reducitur ad illam tanquam pars eius essentialis. Urgebis: Licet materia
sit in ultima specie, adhuc tamen est communis multis substantiis essentialiter distinctis. R.
Similiter illa Forma corporeitatis. R. Negando paritatem, quia hoc non repugnat materiæ
cuius essentia est esse fundamentum integræ naturæ substantialis per modum potentiæ seu sub-
jecti et quasi inchoatæ essentiæ. At vero Forma essentialiter est ultimum complementum
naturæ et essentiæ substantialis, ~~per modum potentiæ seu subjecti et quasi inchoatæ essentiæ~~
et ideo hoc ipso quod habeat determinatam rationem specificam Forma, adjunctam materiæ
constituit cum illa integram substantialem naturam, et in aliqua ultima specie substan-
tiali constitutam. Probatur 3tio Quia impossibile est dari Formam substantialem dantem
specificum gradum quæ simul non det illum genericum gradum & effectum formalem quem
fingitur dare Forma corporeitatis. Ergo superflua et impossibilis est talis Forma. Conse-
quentia patet quia idem rationale ~~fundamentum~~ [præter] seu effectus formalis non potest uni rei
convenire per duas ~~causas~~ formas realiter distinctas. Antecedens Probatur Nam ex hoc præ-
cise quod aliqua substantia intelligatur composita ex materia & forma substantiali, intelligitur
corpus de prædicamento substantiæ; quia eo ipso essentialiter est distincta a substantia incorpo-
rea et est capax Quantitatis seu trinæ dimensionis in quo consistit ratio substantiæ corporeæ.
Unde sicuti non potest intelligi Forma substantialis quæ non includat communem rationem
Formæ substantialis informantis materiam, ita non potest dari ulla specifica Forma quæ
non sit Forma corporeitatis: Illa enim præcise ratio sufficit ad constituendam Formam cor-
poreitatis

corporeitatis, neq requirit quod ipsa sit corporea aut extensa, sed solum quod informet materiam. Probatur 4to Quia si non sufficeret Forma specifica ad dandum illum gradum corporis requireretur nec sufficeret ad dandos alios gradus superiores v. g. viventis animalis. Consequens est falsum. Ergo et Antecedens. Sequela majoris patet: quia non est major ratio de uno gradu quam altero. Minor probatur inductione quia homo v. g. non per aliam animam habet esse hominis, per aliam esse animalis, per aliam esse viventis. Similiter in Accidentibus eo ipso quod aliqua Qualitas det subjecto esse albi dat etiam esse colorati, sicut e contra quae dat esse colorati concipi non potest quod simul non det esse albi aut nigri. Patet hoc etiam in Substantiis Spiritualibus quae non per diversam Entitatem constituuntur in esse Spiritus, et in esse talis Spiritus. Adverte aliud esse Materiale, aliud Corporeum. Materiale enim significat omne id quod non est Spirituale. Corporeum autem significat solum id est capax Quantitatis per modum subjecti inhaesionis, qualis sola est materia prima; ideo etiam sola haec dicitur Corporea ut Quod. Forma vero ad summum potest dici corporea ut Quo quia scilicet per illam constituitur Corpus.

Quaestio 12 decima Utrum materia prima habeat Quantitatem sibi coaevam.

Duplex est hac de re sententia prima S. Thomae et Thomistarum docentium Quantitatem nequaquam esse materiae coaevam quam sententiam explicantes, haec Tria statuunt primum materiam nullius Accidentis, et consequenter neque Qualitatis posse esse subjectum absque forma substantiali. 2dum Quantitatem non soli materiae; sed toti composito naturali inesse. 3tium (quod ex praecedentibus necessario sequitur) in corruptione perire non solam formam substantialem; sed etiam Quantitatem et omnia alia Accidentia atque adeo fieri resolutionem usque ad materiam primam. 2da sententia opposita priori est communis omnium aliorum. Pro hac solutione hujus Difficultatis Notandum est (1) Quantitatem cum sit Accidens, habere subjectum, et quidem duplex: Unum inhaesionis in quo nimirum sustentatur Denominationis alterum quod videlicet ad illa denominetur Quantum. Notandum est (2) Quantitatem esse quoddam Accidens necessario connexum cum omnibus corporibus, ita ut nullum dari naturaliter possit absque Quantitate, et consequenter illum esse propidum Accidens corporis, atque adeo esse in corporibus aliquod principium ex quo manet haec proprietas. Non potest autem esse Forma, tum quia haec praesupponit materiam Quantam seu extensam, tum quia potest esse aliquando Spiritualis quae proinde non potest esse radix Quantitativae extensionis, neque etiam ullum agens extrinsecum naturale; quia et hoc sicut ipsum est corporeum & quantitative extensum, ita etiam praerequirit subjectum quantitative extensum ut scilicet ad illud possit habere applicationem localem et quantitativam. Notandum est (3) Quantitatem aliam esse terminatam quae videlicet habet certos terminos, certam Figuram & certam habitudinem. Aliam interminatam quatenus ex se petit nullo certo termino claudi, aut certa figura terminari, ut v. g. in Quantitate cerae, quae ex se non postulat esse sphaerica, aut spiralis, aut alterius illius Figurae. Quaestio igitur procedit non de Quantitate secundum se nuda et sumpta. Dico igitur Quantitatem esse ipsi materiae coaevam. Probatur 1o Quia Quantitas non corrumpitur, sed semper eadem manet. Ergo est coaeva materiae. Sequela patet. Antecedens Probatur: Quia quicquid corrumpitur, aut corrumpitur per se a contrario nimirum, aut corrumpitur per Accidens ad corruptionem videlicet dispositionum vel subjecti. Sed nullo modo horum

Quantitas corrum-

Quantitas corrumpit. Ergo est incorruptibilis atq adeo coæva materiæ. Major est certa.
Minor Probat: imprimis enim certum est quod non corrumpat per se quia quantitati nihil
est contrarium ut clare docet Aristot. in suis cathegoriis cap. de Quantitate. 2 Corrum-
pitur etiam ob defectum aliquarum dispositionum quia nullas tales supponit, quinimo ipsa est
prima et naturalis quadam materiæ dispositio ad omnes Formas tam substantiales, quam
Accidentales. Quod autem non corrumpatur 3tio modo ad corruptionem nimirum sub-
jecti probat: Quia adæquatum Quantitatis Subjectum est sola materia 1ma. Atqui hæc
non corrumpit. E. Neq Quantitas illi inhærens. Minor est certa. Major Probat quia
Quantitas non recipit in anima rationali. E. Neq in aliis Formis. Consequentia Probat:
Tum quia omnes rationes quæ contra materiam in aliis compositis afferunt propter quas
non possent esse subjectum adæquatum naturale Quantitatis, vim eandem habent in homine.
Tum quia si semel in homine v. g. admittat sufficiens vis in materia ad sustentandam
adequatè quantitatem, frustra in aliis compositis multiplicabant substantia eidem. An-
tecedens autem probat: Quia Substantia Spiritualis non potest esse connaturale Subjectum
accidentis materialis v. g. quantitatis quia non est capax illius effectus formalis. Non enim
potest substantia Spiritualis reddi quanta & extensa utpote quæ nullas habet partes, natura
autem dat substantiis Formas ut constituantur per illas in Actu 2do quem ex natura
sua petunt, & Formæ huc habent Finem. Sed ut iam dixi ex anima rationali et ma-
teria non potest resultare effectus formalis Quantitatis. Dices 1 Licet anima Rati-
onalis non extendat, totum tamen compositum extendit. Sed contra est: quia totus homo
extendit ratione solius materiæ 1mæ. Dices 2 Actio non inest ei quod denominat.
R. Licet Actio non det denominationem extrinsecam puta agentis illi Subjecto cui in-
hæret, dat tamen denominationem intrinsecam patientis. Probat 2 Conclusio, et
eadem major confirmat: quia illud quod materia requirit ex ratione subjecti, non
accipit a Forma; Forma enim non dat materiæ ut sit subjectum receptivum. Sed quan-
titatem requirit materia necessario ex ratione subjecti ut iam ostendimus notando se-
cundo. E. illam habet independenter a Forma, et consequenter hac pereunte, non
perit illa. Probat 3 Quia per se Quantitatem causat materia ut causa materialis. E. In
illa sola recipit et non in Forma: quia materia est causa sufficiens ad illum effectum, sicut
est Efficiens ad causandam Formam Substantialem. Dices Quamvis Quantitas non depen-
deat a Forma tanquam a subjecto sustentante, adhuc tamen potest dependere ab eadem ut
a causa conservante. Sed contra est: quia sicut sufficientem habet vim materia ut
absq Forma et independenter ex se manet a Forma, ita independenter ab illa potest illam
conservare. Probatur 4 Quia Qualitates 1mæ inhærent materiæ 1mæ et præcedunt
Formas Substantiales ut patet ex lib. 2 de Generatione t. 6. E. Etiam quantitas præcedit
Formas Substantiales in materia. Consequentia patet: Quia illæ qualitates sensibiles non
possunt recipi nisi in subjecto Quanto ut apertè docet Arist. 6. Physicorum, et in libro de sensu &
sensili. Probat 5 Quia Arist. 1 de Generat. t. 24. et 2 de Generat. 27 docet apertè Acciden-
tia quæ sunt communia generato et corrupto, eadem manere in utroq, ut cum aer v. g.
convertit in ignem, tunc humor quidem aeris utpote repugnans naturæ ignis, idem re-
manet. Sed Quantitas est communis rebus omnibus naturalibus. E. eadem manet in omnibus,

nec est

nec est ulla causa cur debeat generari et corrumpi a singulis agentibus. Obiicies 1. Quia materia
prima respicit Formas substantiales prius quam accidentales. E. etiam prius illas recipit quam has. Et
consequenter sicut nulla Forma substantialis est materiæ coæva, ita neque Quantitas. R. Distin-
guendo Antecedens. Prius recipit ordine intentionis, Concedo. Ordine executionis Nego, et ideo etiam
ordine intentionis prius Formæ substantiali unitur tanquam suo fini quamvis ordine executi-
onis prius natura uniatur Quantitati et aliis dispositionibus tanquam mediis. Hic enim ordo na-
turæ consentaneus est, ut quæ priora sunt in intentione, posteriora sint in executione.
Obiicies 2. Omnia Accidentia subjectantur in toto composito. E. et Quantitas. E. sublato co-
posito pereunt Accidentia omnia, et consequenter Quantitas. Antecedens probatur: Tum quia
Accidentia dicuntur advenire Enti in Actu existenti quod ipsum est compositum, tum quia supra Ari-
stot. in prædicamentis sublatis primis substantiis quæ sunt ipsa composita nihil aliorum re-
manet. Tum denique quia si aliquod Accidens v. g. Quantitas subjectaretur in sola materia,
sequeretur subjectum generationis fore sensibile quod, et contra Aristot. 1. de Generat. t. 23.
R. Nego Antec. Ut iam probavimus ex Arist. Probatione 5ta quod etiam patet ipsa sensuum
experientia. Videmus enim eadem accidentia manere in homine mortuo quæ fuerunt
in vivo; manet igitur idem illorum subjectum. R. Ad 1mam Probationem: Etiam materia
prima secundum se est Ens actu existens. Ad 2dam Aristot. ibi comparat 2das substantias cum
primis et illas perire dicit sublatis his utpote cum quibus sunt idem realiter. Ad 3tiam per
subjectum sensibile intelligit compositum substantiale seu subjectum denominationis ut suo
loco demonstrabimus. Obiicies 3. Materia prima non est Activa. E. Non habet ullam pro-
prietatem sibi congenitam. Concedunt Aliqui Antec. et Negant Consequent. putantes ad
hoc ut Quantitas dicatur proprietas materiæ, sufficere quod habeat ad illam potentiam Pass.
et a DEO stilli concreata. Distinguendum tamen potius est Antecedens. Non est Activa per
Actionem qua aliquid extra se agat, Concedo. Non est Activa per emanationem Nego; sic
enim etiam subsistentiam suam partialem ex se emanat. Obiicies 4. Aristoteles dicit
7 Met. t. 8. materiam nec esse quid, nec quantam. R. Intelligit essentialiter non esse quan-
tam. Obiicies 5. Idem Aristot. ibidem docet substantiam esse priorem omni alio Ente:
Ratione, Cognitione, Natura, tempore. Adverte non comparari hic ab Arist. quan-
cunque substantiam cum quocunque accidente. Certum enim est priorem esse v. g. Quantitatem
cæli, anima hodie creata. Comparat igitur particularem animam cum suis Accidentibus vel
substantiam indefinite cum accidentibus. Hunc igitur locum Aristot. satis difficilem varii va-
rie explicant. Probabiliter Fonseca dicit comparari illo loco substantiam non ad omnia
sed ad quædam. Probabilius autem Alii qui dicunt illic comparari substantiam indefinite.
Certum enim est aliquam substantiam esse priorem omni accidente et posse esse sine
omni Accidente ut patet in DEO O. Op. maximo. non est contra. Obiicies 6. In ge-
neratione producitur nova Quantitas. E. Non est coæva. R. Distinguendo Antec. Pro-
ducitur secundum suam Entitatem Nego, secundum variam terminationem et figuras, concedo
Antecedens. Certum enim est quod talem terminationem, figuram & magnitudinem habeat
materia ratione Formæ. Obiicies 7. Si Quantitas esset coæva materiæ, esset prior tempore
multis formis substantialibus quæ tamen sunt priores natura omnibus Accidentibus. R. Conce-
do sequelam majoris. Neque obstat aliquid esse prius tempore, posterius autem natura utpote
hoc in effectibus causæ Finalis qui possunt esse posteriores tempore sua causa quamvis natura
sint posteri

sint posteriores. Obiicies 8. Non est arctior nexus Formæ cum materia quam sit Formæ substantialis, neque potest esse Ens prius per Accidens quam sit Ens per se. R. Arctior nexus potest esse, vel quia est ad essentialem compositionem, vel quia est magis indissolubilis. Priori modo nexus Formæ substantialis cum materia est arctior quam Quantitatis, non autem Posteriori modo. Neque est inconveniens prius esse ordine exquisitionis ens per Accidens, quam sit Ens per se. Obiicies Ultimo: Si Quantitas esset coæva materiæ, sequeretur Formam substantialem media Quantitate univi materiæ. R. Distinguendo: media quantitate tanquam partiali subjecto, Nego. Tanquam Dispositione subjecti adæquati Concedo.

Quæstio Decima tertia.

Utrum materia possit existere absque omni Forma, et quomodo?

Duo hic quæruntur 1mo An possit absolute existere. 2do Anita absque omni Forma existens, indigeret aliquo uberiori concursu conservativo Dei quam est illi quo conservatur in composito. Ad 1mum igitur certum est naturaliter non posse materiam omni formâ privari, quia ex uno capite materia naturâ suâ appetit aliquam Formam. Ex alio verò agens naturale non potest corrumpere unam Formam quin aliam inducat. Ideo enim unam corrumpit quia introducit aliam juxta Arist. lib. 1 de Gen. t. 17 dicentem quod unius corruptio alterius sit generatio. Solum igitur difficultas est An saltem per omnipotentiam Divinam possit existere sine omni Forma. Negat S. Thomas cum suis, quanquam alii explicant S. Thomam loqui de potentia ordinaria, non autem de Potentia absoluta. Fundamentum Thomistarum est, quia materia non existit, nisi per existentiam Formæ. Affirmat Scotus, cum omnibus aliis! Cum quibus Dicimus posse Divina virtute materiam existere sine omni forma. Probatur 1mo Conclusio. Quia hoc nullam involvit contradictionem. E. Potest fieri à DEO. Consequentia patet. Antecedens probatur Quià iam ostendimus materiam habere suam essentiam et existentiam distinctam realiter ab existentia Formæ. Undè illud Fundamentum Thomistarum ruit, per existentiam scil. Formæ materiam existere. Probatur 2do Quia licet concedamus materiam non habere existentiam propriam sed ordinarie existere per existentiam Formæ, nihil tamen implicat quominus possit existere absque omni Formâ, non quidem per existentiam Formæ; sed per aliam aliquam supernaturalem. 3mo de facto juxta Thomistas materia Christi Domini non existit per existentiam animæ illius; sed tota humanitas ejus existit per existentiam increatam Verbi. E. Etiam ex hoc iam capite nihil implicabit materiam posse existere absque. Quid enim implicat quominus materia Christi in illo triduo v.g mortis potuerit existere absque omni formâ soli verbo unita et per existentiam ejus. Dices in verbo materiam existere per formam quia simul cum illa existit. Sed Contra est 1. Quia etiam Forma per materiam poterit dici existere quia neutrius est illa existentia. Contra est 2. Quia Forma nihil ibidem confert materiæ, quia per se effectus formalis existendi in verbo non provenit à Formâ; sed à Verbo. Obiicies (1) Implicat esse Ens Actû sine Actû; sed materia existens sine Formâ esset Ens Actû sine Actû. E. R. Distinguendo majorem, Esse Ens Actû, sine Actû Physico formali, Nego majorem. Esse Ens Actû sine Actû existens

existentia Concedo majorem. Materia autem existens sine Forma eet quidem Ens Actû sine Actû Physico formali, non eet tamen sine Actû existentiæ, vel propriæ, vel salten alienæ, vel non propriæ. Obiicies (2) Quantitas etiam + Dei potentiam non potest etiam ēē sine omni figura. E. Neq materia sine Forma. R Nego consequentiam & parita= tem: quia Figura est terminq intrinsecq Quantitatis, materia verò à Forma solum extrin- secè terminatr. Obiicies (3) Posita materia absq omni Forma, daretr aliquod individuum à parte rei sub aliquo genere, quod tamen non eet sub ulla Specie. Sequela Probatr Quia illa materia eet sub genere Substantiæ, Et tamen quia non haberet ullam formam Physicam non eet etiam ulla Specie infima reductive. R Negando sequelam Ma- joris. Ad Probationem Dico illam materiam exutam omni Forma fore directè qui= dem sub genere Substantiæ completæ, sub materia verò rerum corruptibilium, tan- quam sub Specie infima, reductivè autem pertineret ad Substantiam completam corpore- am quam sicut pars ejq essentialis componere potest, quia tamen Actû illam non com- poneret, ideò ad nullam Speciem infimam ejsdem Substantiæ completæ ptineret. Jam verò quod attinet Ad 2dum Utrum videl. illa materia existens absq omni for- ma indigeret extraordinario Dei concursu conservativo? Dico Eadem Actione conservandam materiam* sub Forma, sive dependentia à Forma. E. Etiam est sufficiens ad conservationem ejsdem materiæ sine omni Forma. Patet consequentia: quia recedente omni Forma, nihil materia amittit à quo dependeat ipsa et illa actio conser- vativa ejq. Materia enim ut alibi probatum quoad suum illud ēē incompletum reale, non dependet à Forma à priori quomodo solet dependere effectq à causa sua reali ut salten à conditione requisita ex parte causæ ut possit causare. Sed ad summû, dependet etiam quasi à posteriori ~~quomodo solet dependere effectq à causa sua reali aut salten à con- ditione requisita~~ seu concomitante sequatenq videl. naturaliter non potest ēē sine il- lis, sicut etiam sol dicitr dependere à luce, anima à potentiis, quæ dependentia est in- propria et posterior natura ipsâ re. Ac proindè potest res existere absq eo quod illa dependen= tia suppleatr + concursum uberiorem. Quis enim dicat solem v. g. eadem Actione non sufficienter conservandum sine luce, quia nunc conservatr quia habet lucem. Et de facto certum videtr illa eadem Actione à Deo creatam animam Christi sine propria subsistentia quâ creata fuisset cum propria subsistentia. Ex quo patet materiam absq omni forma existente, fore miraculum et rem supnaturalem quoad modum tantum, non autem quo ad substantiam. Ratio est quia et Actio illa, et illa existentia materiæ in se intrin- secè spectata esset tunc prorsq eadem quæ nunc est, et consequenter eet sicut nunc in= trinsecè naturalis, solum igitr illud eet supnaturale quod Deus vellet materiam illam conservare in illo statu, in quo illi non deberetr ēē, et sine illis conditionibq quæ ad natura- lem illiq statum existentiæ requirunt, quod duntaxat vendicat dependentiam à posteriori, à rebq concomitantibq. Neq verò est eadem ratio de Accidentibq aut Formis materialibq. Hæ enim cum vere dependeant à priori à materia tanquam à causa sua propria, nihil mirû quod sine illa debeant conservari + uberiorem concursum.

*Separatam ab omni forma qua conservatr sub forma in composito. Ita Hurtadq et alii. Probatr quia Actio illa est suf= ficiens ad conservandam mate= riam sub Forma etc.

Quæstio Decima Quarta

Quæstio Decima quarta.
Utrum materia appetat Formas, et Quas?

Adverte 1mo Potentiam vitalem affectivam vocari appetitum cujus Actus circa objectum bonum dicitur appetitus elicitus. Per Tropum igitur ab appetitu elicito dicitur appetitus innatus qui nihil est aliud quam potentia, sive ea sit Activa, sive tantum Passiva cum inclinatione et propensione ad suam perfectionem connaturalem. Sicut enim animalia id quod apprehendunt sibi utile appetunt appetitu elicito; sic quælibet res dicitur per se ipsam appetere quod spectat ad suam perfectionem. Ex quo colligitur quod sicut non quis actus potentiæ affectivæ est appetitus elicitus; sed solum qui est circa bonum, ita etiam non quis potentia v.g. Passiva potest dici appetitus innatus sed solum illa quæ est cum inclinatione, seu quæ respicit Actum naturæ suæ debitum. Ac proinde potentia passiva obedientialis et neutra, non potest dici appetitus innatus materiæ: quia nulla res appetit quod naturaliter assequi non potest; ut nullus prudens conatur quod judicat sibi esse aut impossibile, aut prorsus non necessarium neque utile. Adverte 2do Non convenire inter se Authores, cujusnam videlicet boni dicatur appetitus. Utrum boni præsentis quod actu possidetur, an verò solum absentis vel utriusque probabilius. Videntur illi loqui qui dicunt appetitum ut sic, respicere per se bonum abstrahendo ab hoc quod sit præsens aut absens et posse esse circa utrumque appetitum complacentiæ. Si verò absens appetitum desiderii. Ita Arriaga, Hurtadus et alii. His præmissis Dico 1mo Materiam habere appetitum tum ad Formas absentes et quidem contra Avicennam. Ratio est quia Forma absens considerata secundum se, est quoddam bonum connaturale materiæ per quod potest perfici in suo esse. Ergo Materia prima habet ad illam potentiam passivam cum inclinatione atque adeò appetitum. Obiicies: Si materia appeteret Formam absentem, appeteret malum suum; quia appeteret corruptionem formæ præsentis quæ necessariò consequitur ad productionem alterius. Respondeo Distinguendo Antecedens: Appeteret malum suum per se et directè, Nego. Indirectè et per Accidens, Concedo. Alii dicunt quod sicut nos dum habemus aliquam perfectionem, non appetimus aliam incompossibilem illi appetitu absoluto; sed sub conditione si nimirum priorem perfectionem amitteremus. Sic etiam materia appetit quidem semper Formas etiam absentes; sed non pro semper, sed pro eo tempore quo amitteret præsentem. Dico 2 Materiam appetere omnem Formam præsentem. Ratio est eadem quia hæc est etiam objectum appetibile astillæ, ut pote bonum ejus. Dices: Non appetimus hoc quod Actu possidemus. Respondeo Non appetimus appetitu desiderii, Concedo. Complacentiæ, Nego. Dico 3 In materia est appetitum quasi desiderii ad formas corruptas. Ita Arriaga, Hurtadus. Ratio eadem quæ et de potentia Passiva naturali ejusdem materiæ: quia nimirum Forma deposita adhuc habet rationem Actus perfectivi materiam et possibilis naturaliter per se et absolutè, solum autem per accidens et ab intrinseco impossibilis. Ergo materia habet ad illam potentiam passivam cum inclinatione tanquam ad objectum suum connaturale. Obiicies: Voluntas nostra non appetit rem judicatam impossibilem etiam ab extrinseco. Ergo Neque materia appeteret Formam quam habere non potest etiam

per

per Accidens. R. Negando Consequentiam et paritatem quia voluntas appetit finem ut consequendum media, et ideo ut non appetat finem ut sic consequendum; sufficit media esse quomodocunque impossibilia in apprehensione. At vero appetitus naturalis respicit bonum secundum proportionem quam secum habet et ideo circa illud versatur etiamsi ab extrinseco impediatur consecutio ejus. Et haec est ratio propter quam materia aequaliter appetit omnes Formas tam has, quas habebit aliquando, quam illas, quas nunquam habitura est.

Quaestio Decima quinta.

De Reliquis quae spectant ad materiam.

Quaeri potest 1° Quomodo sit materia facta? Ad quod R. Esse creatam. Patet hoc ex dictis: quia materia natura sua petit fieri cum sit Ens per se subsistens independens a subjecto. Nec obstat quod sit Ens incompletum quia et anima rationalis est aliquid incompletum quam tamen nemo negat creari. Ex quo etiam infertur materiam esse ingenerabilem et incorruptibilem: Quia quicquid generatur aut corrumpitur, supponit subjectum ex quo generetur vel in quod desinat. Dices 1mo Si materia esset incorruptibilis, non posset facere unum Ens cum Forma utpote quae differret genere a Forma. Corruptibile enim qualis est omnis Forma materialis, et incorruptibile differunt genere. R. Negando Sequelam majoris. Corruptibile autem et incorruptibile differre genere Physico seu subjecto, non autem praedicamentali asseruit Physicus. Dices 2do Esset perfectior materia quam Forma. R. Secundum quid, concedo, simpliciter Nego. Dices 3tio Quando corrumpitur compositum totum, corrumpitur et materia. R. Negando conseq. Ad corruptionem enim totius, non est opus corrumpi omnes partes, sed sufficit quod separetur a Forma. Dices 4to Materia est subjectum generationis et corruptionis. E. corrumpitur et generatur. Nego consequent. non enim est subjectum denominationis; sed inhaesionis. Dices 5to Aristoteles hic dicit materiam aliquo modo corrumpi. R. Secundum suum entitatem Nego. Ratione privationis Concedo. Quaeri potest 2 Quando materia sit creata. R. Certum est non creatam esse ab aeterno; sed in tempore. Ita omnes catholici illa verba Genes. explicantes. In Principio creavit Deus coelum et terram. Ubi per Principium intelligunt initium Temporis. Quod si petas: An saltem prius tempore creata sit materia omnibus Formis. R. Negative. Materia enim creata est juxta exigentiam naturae suae, natura autem illius utpote entis essentialiter incompleti petit semper esse unita Formae. Dices 5to Sapientiae 11 Dicitur: omnipotens manus tua creavit coelum et terram ex materia invisa. Ubi particula Ex significat privationem materiae, quae antecedit Formas. R. Significat prioritatem temporis Nego, prioritatem naturae, Concedo. Quaeri potest 3tio Utrum materia rerum sublunarium sit una? Dicitur hic (rerum sublunarium) quia de materia coelorum alibi dicitur. Certum igitur est non esse unam numero, qui constat dari multitudinem corporum realiter a se separatorum. De unitate ergo specifica hic quaeritur. Ad quod Dico esse ejusdem rationis in omnibus. Ratio est 1° Quia nullum est indicium distinctionis specificae cum quaevis numero materia sit capax omnium Formarum. 2 Quia ex quacunque re sublunari fiat v.g. ignis, semper est ejusdem speciei Physicae. E. semper habebit non solum eandem Formam; sed etiam eandem materiam. Quaeri potest 4

Utrum

Utrum materia dependeat verè à Forma? Sed ad hoc in tractatu de causis respondetur. Quæri deniq. 5to Potest. Quas habeat Proprietates Materia? R. Duas communiter statui proprietates materiæ in re ab illa distinctas. Quantitatem scilicet et Subsistentiam. Ratio est quia hæ solæ duæ debentur naturæ illius ut iam ante probatum. Quod si petas utrum materia prima has passiones efficiat per emanationem. Negat Vasquez tom. 2. part. 1. D. 196. n. 13. Affirmat Soarez 1. met. D. 13. S. 4. n. 57 et hoc est probabilius. 1mo Quia omnis materia habet aliquas suas proprietates quas ex se emanat. 2do Si materia non esset principium productivum Quantitatis, non daretur ullum aliud Principium creatum illius productivum, quod sine fundamento diceretur. 3tio Quia quantitas est satis proportionata Entitati materiæ ut possit illam producere. Quando communiter negatur omnis Activitas materiæ, intelligendum est de Actione distincta ab emanatione quæ communiter non vocatur Actio: quia licet emanatio immediatè profluit ab essentia generationis, tamen adscribitur illi proverbio: Qui dat Formam, dat consequentia ad Formam.

Quæstio Decima sexta in qua multivaria Formæ Acceptio denudatur.

Nomine Formæ intelligitur Substantia quædam incompleta quæ est Principium alterum rerum naturalium quas intrinsecè tanquam pars essentialis Physica illarum componit simul cum materia. Variis autem appellatur nominibus. Dicitur 1. FORMA quod formet et poliat materiæ informitatem. 2. SPECIES quia est pulchritudo et decor quidam materiæ. 3 RATIO seu quod quid erat esse Rei; quia est pars præcipua et ultima essentiæ rei. 4 ACTUS quia actuat potentiam materiæ. 5 TERMINUS quia ultimo terminat materiam ad certum esse specificum. Deniq. 6 EXEMPLAR quia sicut Artifex facit opus ad similitudinem exemplaris quod sibi proponit, ita quodlibet agens naturale producit effectum ad similitudinem Formæ suæ quasi exemplaris cuiusdam.

Quæstio Decima septima Utrum Anima Rationalis habeat Subsistentiam propriam et quomodo ex duabus partialibus subsistentiis consurgat Suppositum.

Quod attinet ad 1mum. Duplicem statum habet anima nostra. Unum cum est Actu unita corpori. Alterum extra corpus post mortem. De utroq. igitur statu est quæstio. Et quidem aliqui concedunt animam rationalem, tunc solum cum est unita corpori habere subsistentiam suam partialem, vel saltem modum quendam substantialem qui cum alio materiæ primæ substantiali termino constituat totum hominis compositum. Aliqui negant illam habere subsistentiam in corpore, extra corpus concedunt. Alii negant et in corpore et extra corpus. Alii deniq. concedunt in corpore, et extra corpus habere illam subsistentiam propriè dictam. Ita Soarez, Ruvis, Hurtad. et alii communiter. Dico 1mo Animam rationalem habere subsistentiam propriam partialem cum est Actu unita corpori. Probatur 1. Quia licet anima nostra informet corpus, non tamen dependet ab illo, sed et etiam tunc independenter existit. E. Etiam tunc debetur illi subsistentia partialis. Neq. enim Obstat quod sit communicabilis

communicabilis per modum partis sicut pro adhuc unia(n)t. Et amplius ex misterio incarnationis ostē
ditur quia anima Christi D. unita fuit corpori, et tamen illa unio nihil impediebat quominus uniri
potuerit Hypostaticè verbo per unionem propriam et independentem ab illa unione naturali ad cor-
pus. E. Sicut unio illa naturalis animæ ad corpus nullam dicebat repugnantiam cum illa alia
unione supernaturali Hypostatica, ita similiter nec propria subsistentia animæ nullam
habet habet repugnantiam cum Actuali informatione seu incommunicatione. Sequela patet.
Nam unio Hypostatica supplet vices propriæ subsistentiæ. Probatur 2do Conclusio. Quia anima hu-
mana verè et propriè creatur per se et formaliter. Atqui creatio non est nisi rerum subsistentium ut
fert commune Axioma. E. Probatur 3tio Quia anima rationalis unita corpori non haberet sub-
sistentiam suam partialem, sequeretur totam naturam hominis unica et indivisibili terminari subsisten
tiam. Atqui hoc dici non potest. 1. Quia subsistentia illa deberet esse simul & materialis ratione materiæ
et immaterialis ratione animæ. Repugnat enim aut immateriale affici intrinsecè et modificari per
modum immaterialem, aut immateriale per materialem. 2 Quia subsistentia non est Ens absolu-
tum, sed modus intime et seipso unitus atque affixus naturæ cujus est modus, repugnat autem modum
unicum simplicem identificari rebus distinctis realiter, sicut sunt anima & corpus. Dico 2do
Animam rationalem in statu etiam separationis habere subsistentiam propriè dictam et
quidem eandem quam habuit cum esset unita corpori. Probatur 1) Quia non est ratio ob quam
deberet privari extra corpus illa subsistentia quam habuit dum esset unita corpori, cum ea-
dem in illo statu separationis existat independenter à subjecto. Probatur 2) Quia anima
Christi D. in triduo mortis fuit unita personalitate verbi & subsistebat per illam. E. Etiam
pro hoc statu sue separationis debebatur illi propria subsistentia. Personalitas enim verbi supplebat
vices propriæ subsistentiæ. Nec Obstat quod tum anima Christi etiam ut subsistens ha-
buerit rationem communicabilis et potuerit uniri alteri comparti. Dices 1. Quia illa sub-
sistentia verbi fuit aliena respectu animæ rationalis, solum autem subsistentiæ propriæ est, face-
re naturam incommunicabilem omni alteri. Sed contra est: quia ut iam ostendimus, ideo pro
illo statu materia terminabatur aliena subsistentia, quia pro illo statu debebatur illi propria. Præ-
terea quia subsistentia propria juxta sententiam communiorem hoc solum addit supra alienam
quod aliquo modo reddat naturam incommunicabilem extraneo supposito, non autem quod
illam reddat incommunicabilem alteri comparti. Dices 2. Inde sequitur animam rationalem
separatam fore personam. Substantia enim animæ rationalis est persona. Adde etiam in
statu separationis operari, intelligi enim vult Actiones autem sunt suppositorum. R. Ne-
gando sequelam Majoris. Quamvis enim Anima sit rationalis, non tamen materia
rationalis quia hoc significat naturam totalem composita ex materia et ~~forma~~ anima
Ad illud: Actiones sunt suppositorum & distinguendo formaliter seu efficienter Nego. Denomina-
tive Concedo. Quare non sequitur animam tunc fore suppositum licet aliquas eliciat Actiones.
Quod attinet ad 2dum Quomodo ex duabus partialibus subsistentiis resultet suppositum. So-
arez censet illas uniri inter se tanquam Actum et Potentiam ita ut subsistentia materiæ
sit per modum potentiæ. Subsistentia vero formæ, aut ille terminus substantialis sit per modum
Actus. Sed iste modus unionis illarum duarum subsistentiarum non placet Hurtado et meritò
1. Quia modus Formæ non communicat effectum formalem subsistentiæ materiæ, sed tantum
ipsi Formæ. Per illam enim subsistentiam formæ non est subsistens subsistentia mate-
riæ, sed sola Forma. Atqui si uniretur per modum Actus illi ut potentiæ, deberet illi communi-
care

communicare suum effectum formalem, per hoc enim distinguitur unio formæ aut actus ab aliis unionibus, quia unio formæ est ratio formalis per quam forma communicat suum effectum formalem et denominationem potentiæ seu subjecti. 2. Quia subsistentia formæ non habet duo subjecta sed unum ipsam scil. formam. 3. Non respicit subsistentiam materiæ tanquam subjectum suum, seu tanquam potentiam passivam. Dicendum igitur est illas subsistentias uniri per unionem quasi continuativam et quidem in re a se distinctam. 1mum Probatur: Quia licet certum sit hanc unionem non esse proprie continuativam, quia per unionem proprie continuativam illud compositum redditur ~~valde~~ majus ut v. g. fit aqua major ex duabus guttis quam ex una, et major calor ex 1mo et 2do gradu quam ex solo primo proxime tamen accedit ad unionem continuativam quia per illam uniuntur partes, quarum una non dat effectum formalem alteri quod est proprium unionis continuativæ. Per hanc enim quia tales partes uniuntur quæ habent similem conceptum et denominationem, ideo una non communicat alteri suum effectum formalem, quod est ut una non habeat per se denominationem alterius partis. Et hinc est quod una pars quantitatis uniatur unione continuationis. Hinc etiam est quod subsistentiæ tam illæ quæ sunt realiter partiales, quam illæ quæ accidentaliter seu integraliter sunt partiales, non uniantur tanquam actus & potentia, quia nimirum utraque saltem una per suum conceptum est ratio formalis subsistendi, et consequenter non potest communicare hunc effectum formalem ab alia, et quidem tamen magis si hæc non sit subsistentia proprie dicta. Ratio 2di Quia licet quivis modus illi rei cujus est modus se ipso, et non per unionem a se distinctam uniatur, modus enim per suam essentiam est communicatio effectus formalis rei cujus est modus quando tantum modus debet uniri alicui rei cujus non est modus, id non potest fieri, nisi beneficio unionis distinctæ ab illo modo. Quod patet in suppositis materialibus quorum partes integrantes invicem uniuntur per continuationem ab illis distinctas, et idem etiam est de ejusmodi duabus essentialiter partialibus subsistentiis; una enim non est modus alterius.

Quæstio Decima octava de Privatione.

Quid sit, et quotuplex Privatio.

Circa 1mum Dico 1mo. Privatio est negatio formæ in subjecto apto. Per hoc quod SIT NEGATIO convenit cum pura negatione et cum nihilo. Per hoc quod sit IN SUBIECTO distinguitur a nihilo, hoc enim est negatio rei absolute, non autem in subjecto, ut v. g. Negatio Angeli. Per hoc denique quod sit in subjecto apto, distinguitur a pura negatione quæ etiam est rei in subjecto sed inepto ut v. g. carentia visus hominis in lapide. Ex qua definitione constat privationem non esse purum nihil, sed esse quasi etiam connativum, significat enim carentiam formæ et connotat aptitudinem in subjecto. Dico 2do Privationem secundum id quod dicit intrinsece et in recto non esse ens reale, nec positivum, nec negativum. 1mum patet quod negatio entis non potest esse ens reale. privatio autem intrinsece est carentia seu negatio. 2. Ratio 2di In ipsis terminis involvitur repugnantia dicere ens privativum eo enim ipso quod nihil sit positivum; sed mere privativum non est ens. Obiicies 1. Privationes sunt in rebus independenter ab intellectu et de ente reali prædicantur. 2. Sunt aliquid reale; et consequenter ens

Ens saltem privativum esse, non reale converti cum ente reali. R. Hoc verbum EST adjunctum privationi v.g. caecitati nullam significare existentiam, sicut cum dicimus (nihil hic est) certum est (nihil) nullum habere esse, ita tamen loquimur quia Privationes apprehendimus per modum Entis. Unde ad objectionem Concedo Antecd. et Nego Consequent. Privationem enim esse, idem est ac non esse Formam, et solum convenit rebus negative: tantum hujus proprior. v.g. Socrates realiter est caecus. Sit sensus: Socrates non habet formam realem visus quod tamen abest ab ente reali ut essentialiter sit non Ens. Et ideo merito Aristot. dixit ipsum non Ens esse dicimus. Et S. Augustinus explicans quo pacto res dicatur (Est futura) ait nos pauca proprie dicere, plura vero improprie. Obiicies 2 Privatio independenter ab intellectu est Fundamentum reale unitatis quae est impropriè aliqua. E. Est ens reale saltem privativum. R. Est Fundamentum per aliquod sui non esse. Nego. Per ipsum non esse realis formae in subjecto apto, Concedo Antec. et Nego Consequent. Neque vero ad propriam realem veritatem requiritur Ens Reale. Obiicies 3 Privationem Aristot vocat Accidens materiae. Praeterea vocat illam materiam & formam. R. Ibi locutum Aristot. de Privatione prout a nobis concipitur, vel certe sumpsit privationem pro ipsa Forma opposita. Obiicies 4 Privatio percipitur sensibus. tenebrae enim noctu v.g. videntur. R. Percipiuntur positive, Nego, Negative, Concedo. Ita tenebrae dicuntur videri ex eo praecise quia Lux non videtur, et ex non visione Lucis apprehendit aerem talibus tenebrescere. Obiicies 5 Privatio non est nihil. E. Est Ens. R. Nego consequentiam, licet enim privatio non convertatur cum nihilo cum illud latè pateat, continetur tamen sub illo. Obiicies 6 Privatio exigit subjectum in quo sit. Praeterea dicit ordinem essentialem ad subjectum aptum. R. Negando Antecd. Privatio enim secundum id quod dicit in recto, non exigit proprie esse in subjecto neque terminat sibi ullum subjectum nisi ratione Formae cujus est privatio, et ita privatio visus est in oculo, privatio auditus in aure. Neque illud verum est quod illa negatio essentialiter dicat aliquem ordinem. Non Ens enim non potest dicere positivam realitatem ad Ens. Et ex his colligitur Imo Quamvis privatio sit de genere connotativorum quatenus debet in recto carentiam et connotat aptitudinem subjecti, non est tamen connotativum reale et proprium per aliquam exigentiam aut relationem ad ipsum subjectum. Colligitur 2do Privationem tolli posse vel positive per formam oppositam, vel per negationem. Cum enim Privatio sit certa Forma in subjecto apto, eo ipso quod vel introducatur Forma, vel destruitur aptitudo subjecti, destruitur consequenter Privatio. Colligitur 3tio. Illam Divisionem Entis Realis in positivum & negativum usitatam quidem non tamen probandam esse. quia non ens non potest poni sub Ente neque meretur Entis nomen nisi forte abusive loqui velis. Circa 2dam Quaestionis partem Dico Variam esse ~~unic~~ Divisionem Privationis Imo Enim sumitur privatio impropriè pro carentia Formae in subjecto non apto ut quando planta dicitur privata visu. 2do pro carentia formae in subjecto quod habet aptitudinem quamvis non secundum speciem, ut si dicatur Talpa caeca. 3tio Sumitur pro carentia Formae in subjecto apto tam secundum genus quam speciem non tamen secundum terminatam corporis partem Sic homo dicitur habere privationem visus in pedibus. 4to Sumitur pro carentia formae in subjecto apto tam secundum genus quam secundum speciem et terminatam partem corporis non tamen secundum tempus, sic catulus recenter natus dicitur caecus. Denique 5to Sumitur Privatio propriè pro carentia Formae in subjecto apto secundum genus, secundum speciem, secundum terminatam partem corporis et secundum omnes circumstantias quas requirit talis aptitudo.

Quaestio

Quæstio Decima nona
An et quomodo
Privatio sit multiplicet numero et Specie.
Principium.

Certum est Privationes non posse multiplicari proprie. Illa enim sola proprie multiplicantur quæ habent esse. Cum igitur Privationes non habeant proprie esse. Non possunt etiam proprie multiplicari. Prima igitur Sententia negat ullo modo multiplicari privationes, quia alioquin sicut Formæ sunt possibiles infinitæ, ita Actu privationes illarum essent infinitæ. Secunda Sententia est quæ distinguit Privationem in potentiam quæ scil. connotat aptitudinem proximam subjecti puta iam dispositi proxime ad aliquam certam Formam et in Remotam quæ connotat materiæ aptitudinem remotam illam scil. universalem. Proximam tamen igitur privationem dicit unam esse numero et Specie neq posse esse simul plures diversas formas sed tantum ad unam. Ita Ruvio. Tertia deniq Sententia docet multiplicari privationes tam Specie quam numero ad multiplicationem formarum oppositarum. Cum qua Dico 1mo multiplicari privationes tam numero quam Specie in eodem subjecto. Ratio est quia si una tantum esset privatio omnium aut saltem plurium formarum, sequeretur posse aliquando stare simul cum privatione Formam in eodem subjecto quod est absurdum. Sequela probatur: Quia quando est Forma ligni in aliqua materia, tunc in illa materia est privatio ignis, quæ simul esset privatio ligni, cum supponatur esse una eademq privatio utriusq. Ergo simul esset Forma ligni et privatio ejusdem. Ad illud de infinito R. sicut privationes non sunt absolute, ita nec faciunt infinitum simpliciter, quin imo tollunt potius et negant infinitum. Dico 2do Privationes multiplicari secundum Speciem pro multiplicatione Formarum specificarum. Ratio est quia ut jam ostendimus privationes multiplicantur et quidem non a subjecto, hoc enim potest esse unum. Ergo per Formas ex eo enim quod plures vel pauciores possint esse Formæ in subjecto est ut non sint plures vel pauciores in eodem subjecto privationes. Dico 3tio Privationes multiplicari numero ad multiplicationem numericam tum subjectorum, tum formarum. Ratio 1mi Quia diversa subjecta diversas habent privationes ejusdem numero Formæ. Ratio 2di Quia diversarum numero formarum sunt diversæ numero, privationes numero in eodem subjecto. Ad illam distinctionem in Proximam et Remotam. R. Concedendo totum, sed nihil est contra nos; agimus enim de Privatione rn. privationis pro carentia Formæ in subjecto apto abstrahendo ab hoc quod sit proxima vel remota aptitudo. Obiicies 1. Non possunt esse plura Accidentia simul numero in eodem subjecto. Ergo Neq plures privationes. R. Negando imprimis Antecedens. Sunt enim in eadem potentia v. g. cognoscitiva plures numero species impressæ et expressæ. Præterea Nego Consequentiam et Paritatem. Multiplicatio enim Accidentium non desumitur ab aliquo extrinseco, sicut sumitur privatum. Obiicies 2. Aristot. hic t. 66. dicit privationem unam numero cum materia. Ergo Ubi est una numero materia, erit etiam una numero privatio R. Aristotelem loqui de uno numero simpliciter quod sit hoc aliquid, vel loquitur de eo quod est unum subjecto sicut alibi dicit multa accidentia esse unum subjecto.

Quæstio 20

Quæstio Vigesima
An et quomodo privatio sit Principium.

Adverte generationem variis modis posse considerari, minus vero duobus. 1. Quatenus est acquisitio seu pura Formæ productio. 2. Quatenus est mutatio seu transitus quidam de non esse ad esse Formæ. Dico igitur 1. Privationem esse Principium per se generationis quatenus est transitus de non esse ad esse; præter Authoritatem Aristotelis supra propositam ratio est: quia Principium generationis per se est unde generatio per se oritur à privatione. Ergo. Major est certa ex Definitione Principii. Minor probatur quia non potest intelligi multo vero minus esse transitus quin sit à termino A Quo ad terminum ad quem. Confirmatur. Quia privatio est principium et non per accidens: quia principium per accidens illud est quod accidit principio per se, et sic musica per Accidens est Principium ædificationis quia accidit ædificatori. At vero nulli alteri convenit esse terminum à Quo sed soli privationi. Ergo illi per se convenit, et non ratione alterius. Dico 2. Privationem non esse Principium generationis quatenus hæc productio est seu acquisitio. Ratio est: Quia optime concipi et dari generatio sub ratione productionis absque privatione ut quando simul cum materia producta est aliqua Forma materialis et dispositiones ad illam, tunc enim certum est non præcessisse privationem in illa materia, et tunc fuisse generationem sub ratione productionis. Neque bene ab aliquibus arguitur materiam etiam tunc prior est naturam forma. Ergo habet privationem formæ. Concesso enim Antecedente, negatur Consequentia quia à priore naturæ, male arguitur prioritas realis durationis. Et quamvis in illo priori possimus concipere materiam sine Forma præcisivè seu non concepta Forma, non tamen possumus concipere sine Forma negativè seu cum privatione Formæ, nunquam est illa materia cum privatione formæ. Ergo etiam non potest concipi esse cum tali privatione, nisi fortè velis componere simul eodem instanti reali indivisibili privationem cum forma. Neque vero illa prioritas naturæ dicitur realis quia unum sit prius realiter altero; sed potius ideo quia unum realiter dependet ab altero. Ad Secundam Quæstionis partem. Quomodo scil. Privatio sit principium generationis. R. Et Dico Esse Principium generationis eodem instanti quo primum est generatio. Ratio est: quia tunc principiat actu privatio cum est ipsius principiatio. Dices: illo instanti quo est generatio v. g. ignis, iam non est privatio eiusdem formæ ignis. Ergo Non potest tunc principiare. Sequela probatur quia principium tunc debet esse quando principiat, et quando est ipsius principiatum. R. Concedo Antecedens. Nego Consequentiam. Ad Probationem R. Quando aliquid Principiat per influxum positivum, concedo. Quando principiat solum terminative ut terminus A Quo, nego, sic enim non aliter principiat quam per desitionem, ita ut destructio illius sit eius ratio principiandi. Unde eo ipso quod desinat cum immediatè ante præfuerit, censetur principiare hoc non est esse terminum à quo id est à quo destructo. Porro Dixi in conclusione: Privationem principiare quando primo non est; quia non semper principiat quando non est; sed solum pro eo tempore pro quo est ipsius principiatio quæ tunc solum est, quando primo non est. Et hinc etiam est quod privatio sit Principium rerum naturalium, non in facto esse, sed tantum in fieri, seu potius generationis earum. Adverte quod in formis illis quæ producuntur successivè ut est v. g. successiva productio ignis in diversis partibus ligni tripalmaris: sicut privatio non tota recedit, ita non tota simul est principium; sed successivè.

FINIS QUÆSTIONUM LIBRI
primi Physicorum Aristot.

Quæstiones quædam in Librum 2dum et 3tium Physicorũ Aristot.

In secundo Libro Physicorum Agit Aristot. tum de ipso Ente naturali ex illis principiis progenito, seu de Composito, tum de illius Causis.

Quid sit

Quid sit de Essentia corporis Physici seu Compositi.

Advarte 1mo Corporeum ut prout idem est materiale quod opponitur Spirituali esse omne illud quod vel constat partibus Actu extensis aut saltem potentialibus extendi in ordinem ad locum, vel saltem postulat necessario ejusmodi partes aliquomodo sibi intrinsecas à quibus dependet in existendo saltem mediatè. Et sic omnes Substantiæ tam completæ quam incompletæ eo ipso sunt materiales quia habent partes quarum una petit esse extra locum alterius minimum mediatè, quis enim aliquomodo petit extensionem quantitativam quia omnis aut est subjectum quantitatis, aut saltem sustentatur in subjecto quanto. Et ideo etiam corpus Christi in Eucharistia quia habet Actu partes quarum una petit esse extra locum alterius licet per miraculum non sit, non amittit rationem substantiæ materialis. Similiter alia omnia Accidentia tam Absoluta quam modalia. Absoluta quidem quia Qualitas v.g. habet partes non solum intensionis; sed etiam extensionis et dependent connaturaliter à subjecto quanto, et consequenter saltem mediatè petit habere partes extensas in ordinem ad Locum. Modalia verò v.g. Ubi Unio, Actio semper etiam sunt materialia quandocunque dependent à subjectis materialibus quibus coextenduntur etiam in ordinem ad Locum. Porrò indivisibilia seu puncta quantitatis ad aliarum rerum materialium seu corporearum, licet non habeant in se partes, necessariò tamen petunt ejusmodi partes quas intrinsecè modificant et à quibus intrinsecè creantur in genere causæ materialis. Adverte 2do: Nos hic agere de corpore, non in omni latitudine; sed solum de corpore quod sit compositum ex Principiis Physicis. An autem possit aliquod corpus simplex alius erit tradendi Locus. Dico 1mo: materiam primam esse de Essentia corporis Physici seu Compositi. Probatur hæc Conclusio porrò iam supra probata, tum Autoritate Aristot. qui hoc expresse docet 2 Phys. t. 27. docet. tum Ratione 1 quia non potest concipi compositum sine materia. 2 quia Essentialiter compositum definit per illam ut cum dicit homo esse compositum ex materia et Anima Rationali. 3 quia forma est aliquid incompletum neque sola prædicari potest in recto de Composito. Quis enim dicit homo est Anima. Objicies: 1) Autoritatem Aristot. qui Formam vocat quod quid erat esse rei. Sed iam sup. Philosophum explicuimus. Objicies 2) Solæ Formæ distinguunt composita. E. etiam solæ constituunt. Idem enim est principium constitutivum et distinctivum. R. 1 Neg. Ante. quia etiam per materiam distinguitur corpus à Substantiis Spiritualibus. R. 2 Transeat Ante. Neg. Consequentiam Ad Probationem Idem est Principium distinctivum et constitutivum. Distingo: quod est constitutivum per modum Actus Concedo, quod est constitutivum per modum Potentiæ Neg. quia non solum id quod est ratio differentiæ; sed etiam id quod est ratio convenientiæ debet esse de essentia totius. Objicies 3) Admisso quod materia sit de Essentia composito. Sequitur 1mo etiam quamlibet materiæ partem esse de essentia compositi, et sic abscissa minima parte digiti, tota essentia v.g. hominis tolleretur. Sequitur 2do. Quod sicut materia ut sic est de Essentia corporis ut sic, ita haec numero materia, est de Essentia hujus numero compositi v.g. hominis hujus. Hoc autem non potest dici quia manente eodem numero homine, potest non manere eadem numero materia, cum illius partes in eodem homine continuò aliquæ quidem vi caloris exhalantur aliquæ verò continuò per nutritionem accrescunt. Præterea idem homo numero qui est, et qui resurget, et tamen non est opus ut eandem numero habeat materiam. Imprimis enim potest contingere ut eandem numero materiam habeant duo successivè ut patet in Antropophagis quorum uterque idem numero erit post Resurrectionem qui nunc

Materia prima est de Essentia corporis Physici, seu compositi.

qui nunc fuit, et tamen non uterq habebit eandem numero materiam. Similiter quia in parvo corpore moriuntur cum
resurgere debeant in virili ætate et statura justa juxta communem Doctorum sententiam debet illis superaddi
materiæ quam antea habuerint. R. Neg. 1mam sequelam, quia sola illa materia est essentialis pars compositi
necessaria est ut Forma cum illa constituat totum, ad hoc autem non quævis pars integralis est necessaria, alioquin hoc etiam idem de Formis materialibus posset obtici quæ licet habeant partes, et tamen non quacunq ablata
illarum parte, tollitur essentia totius, pro quo Adverte: materiam (et idem de formis materialibus) posse considerari et quatenus sunt partes, et quatenus sunt quædam integralia tota. Priori igitur modo consideratæ sunt de
Essentia Compositi non posteriori. Ad 2dam sequelam R. Conced. illam et Neg. minorem. Ad primam probationem R. Semper manere in corporibus aliquas partes primigenias et solidas easdem omninò, ratione quarum illud
compositum censetur idem numero manere. Et idem Dico ad secundam et Tertiam probationem. Inprimis
enim qui in parvo corpore obiit et in majori resurget habebit aliquas primigeneas partes materiæ easdem
omninò quas antea habuit. Pari ratione Antropophagis et aliis qui eandem numero materiam viventes successivè habuerunt, in resurrectione juxta Communem Theologorum sententiam, materia prima quæ illorum fuit propria, eadem
omninò illis restituetur, illa vero quæ fuit communis, aut illi soli dabitur cuius prius fuit, alteri verò alia dabitur, aut
etiam dividetur inter illos, et si quid defuerit ad debitam hominis magnitudinem, aliam materiam à DEO supplebitur. Dico 2do: Formam Substantialem esse de Essentia compositi. Ratio est: quia hæc est quæ ultimatè complet
materiam et in certa ac distincta specie Atoma constituit compositum ut proinde meritò Aristot. dixerit Formam per Antonomasiam esse quidditatem seu quod quid erat esse rei. Dico 3tio: Unionem quoque esse de

Unio est de Essentia compositi.

Essentia compositi. Probatur quia compositum non magis potest concipi aut esse sine sine Unione quam Album
sine Albedine, aut animatum sine Anima. E. Sicut albedo est de Essentia huius compositi quod est album, et Anima de Essentia Animati, ita & Unio erit de Essentia compositi Physici. Antecedens Probatur: Quia sicut album
est effectus Formalis albedinis et Animatum Animæ; ita compositum est Effectus Formalis compositionis sive Unionis.
Confirmatur 1mo: quia unitum et compositum sunt formaliter idem. Sed unio est de Essentia Uniti.
Ergo est de Essentia Compositi. Confir. 2do: quia de Essentia Compositi v.g. hominis sunt duæ partes, et
quidem non ut sunt distractæ. E. Ut Unitæ. Antecedens quoad primam partem constat ex dictis immediatè
Quoad secundam partem probatur: quia alioquin posset existere tota essentia hominis, et homo vivere etiamsi Anima illius separetur à corpore. Dices 1. Non posset quia Unio est necessario requisita conditio. Sed contra
est quia jam ostendimus Unitum seu compositum esse effectum formalem Unionis. Ergo Non Comp adhoc
tanquam conditio; sed potius tanquam Ratio Formalis. Dices 2: Modus non potest esse de Essentia Substantiæ
Sed Unio est modus. E. R. Non potest esse de Essentia illius tanquam pars eius, Concedo Majorem, tanquam nexus et
vinculum partium Neg. majorem.

De unione.

Dissertatio 3tia

Ad meliorem compositi notitiam omninò requiritur nosse naturam Unionis cum hæc sit ultima Ratio Formalis per quam constituitur totum in ratione totius. Et quidem hic non agimus de Unione quatenus hæc sumitur pro qualicunq conjunctione et quarumcunq sicut dicuntur unirilignа ad unam domum componendam et quomodò amor amicitiæ dicunt voluntatum Unio. Sed de Unione pressè & propriè sumpta quatenus est conjunctio duarum Entium absolutarum v.g. materiæ et Formæ ex quibus unum propriè et in rigore resultat. Cum autem plura sint de hac unione examinanda ideo sit

Sectio

Sectio Prima.

Utrum Unio Duarum Entitatum absolutarum materiæ scilicet Formæ sit aliquid in re distinctum ab illis.

Dixi, ABSOLUTARUM, quia hic non quærimus de illa Unione quâ aliquis modus unitur rei cuius est modus. Cum enim quivis modus eius sit naturæ ut ipse se solo communicet se subjecto et faciat cum illo compositionem, certum est quemvis modum habere rationem Essentialem Unionis sui ipsius. Et consequenter non indigere unione à se distincta. Circa hanc igitur quæstionem est duplex Sententia satis celebris. 1ma est quæ docet: Unionem non esse aliquid distinctum in re ab ipsis extremis unitis. Hæc Sententia est illorum qui qui Realistæ vocari volunt; sed melius Nominalistæ ab aliis dicuntur. Fundamenta illorum ponentur in objectionibus. 2da Sententia est communior longè quæ docet Unionem esse aliquid in re distinctum ab extremis tanquam modo. Cum his igitur Dico 1. Unionem non distingui realiter absolutè ab extremis Unitis. Probatur 1. Quià de Potentia absoluta non potest existere Unio absque extremis Unitis. Ergo. Non distinguitur realiter absolutè ab illis. Conseq. patet: quandò enim aliquod positivum ita est alteri seipso affixum ut nec per Dei potentiam possit ab illo separatum existere, signum evidens est illud esse modum, constat enim distinctionem realem solum duplicem hucusque à Philosophis esse cognitam. Unam quæ vocatur realis absolutè quæ scil. reperitur inter duas Entitates ita perfectas ut utraque possit esse Divinitus sine alia. Aliam distinctionem Realem quæ dicitur MODALIS sive ex natura rei quandò nimirum alterum ex duobus extremis nec divinitus potest esse sine altero. Anteced. illud probatur: Unio est Actualis conjunctio duorum extremorum quæ Actu denominat unita, impossibile vero est conjunctionem esse unitam absque illis quæ conjungantur. Confirm. Quia Unio non indiget alia Unione ad Uniendum, sicut albedo non indiget aliam albedinem ut reddat album, alioquin abiretur in infinitum. Erg. Essentia Unionis est Actu unire et consequenter non potest Actu manere quin Actu uniat. Sed non potest Actu Unire quin sint extrema quæ uniat. Erg. non potest existere unio, non existentibus extremis. Dico 2do: Unionem distingui realiter modaliter ab extremis Unitis. Probatur 1. Quià possunt extrema Actu existere sine Actuali Unione. Ergo. Extrema habent distinctionem Realem ab Unione. Anteced. Probatur: Tum quià potest DEUS virtute sua conservare Formam v.g. equi distinctam à materia sicut conservat Accidentia in Eucharistia. Tum quia Anima Rationalis et materia existit Actu, non existente Actu Unione. Conseq. Probatur: quia illud est signum evidens distinctionis Realis quandò duæ res ita comparantur ut corrupta unâ, permaneat altera. Si enim essent eadem indivisibilis entitas, implicaret omninò unam corrumpi & non alteram. Dices 1mo materiam et Formam absolutè existere sine Unione, Forma tamen existens in materia tanquam Actus in potentia non potest existere sine Unione. Atque ita Unione non est aliquid distinctum ab utroque extremo; sed est ipsa Forma existens in materia tanquam Actus in potentia. Sed contra est: quia esse Formam in materia ut Actu in Potentia est aliquid distinctum in re ab utriusque extremi Entitate, potest enim existere realiter tam Entitas materiæ quam Entitas Formæ et tamen non existere Formam in materia, tanquam Actus in potentia. Neque dici potest 1) Formam tanquam Actum in Potentia addere super utrumque solas materiæ dispositiones. 1mo quia de potentia absoluta possunt esse sufficientes dispositiones in materia ad aliquam Formam Actu existentem, nec tamen esse Forma in materia. In eo igitur casu si uniretur Forma materiæ, non uniretur per dispositiones quia his existentibus non fuit unio. Ergo Uniretur per aliquam Entitatem distinctam realiter à materia Forma et Dispositionibus. 2do quia potest Divinitus univi Forma materiæ sine ullis dispositionibus, erit igitur tunc Unio, non erunt autem dispositiones.

Unionis Definitio.

3tio Quia Dispositiones sunt Accidentia praecedentia ipsam unionem. 4to Quia Dispositiones fiūt per alteratioē
unio verò per Generationem seù Actionem Substantialem. Non potest dici 2) Unionem addere sup materiam
formam et Dispositiones propinquitatem Localem (1) Quia potest Anima Rationalis habere propinquitatem
localem ad corpg sufficienter dispositum neq tamen ēē Unio illig. (2) Quiā mūtato composito ex uno loco in ali-
um, non fit mūtatio Unionis. E. Haec est aliquid distinctum ab ipsa Ubicatione (3) quiā Ubicatio Accidens quod
non potest facere unum per se. Unio vero est aliquid Substantiale. (4) Quia Generatio Substantialis hominis
v. g. non terminatur ad Ubicationem; sed ad Essentiam hominis, quis enim dicat ubicationem ēē Essen-
tia hominis. Probatur 2 Conclusio: Quia implicat dari Actionem seu productionem et non dari terminum
qui per illam Actionem producatur. Sed si unio non ēēt aliquid in re distinctum ab ipsis extremis v. g. à ma-
teria et Anima rationali daretur productio per quam nihil producatur. Circa Solutionem hujus argumenti il-
li Realistae planè Nominalizant multa enim adferunt verba; sed rebg prorsg vacua. Dicunt 1mo: Per
illam Generationem non produci nihil, sed habere terminum ipsum compositum v. g. hominem. Sed contra
est quia illud compositum quiā illud compositum v. g. homo vel dicit aliquam Entitatem p materiam et formā
simul sumptas, vel nullam dicit. Si dicit aliquam, illa non potest ēē alia nisi Unio. Si verò nullam dicit. E. Ni-
hil est quod p illam Actionem producatur. Dicunt 2do Producitur conjunctio Formae cum materia. Sed contra est quia
secundum se haec conjunctio non est aliqua Entitas distincta ab Entitate materiae et Formae. Sed illa generatio nō
terminatur ad illam Entitatem materiae et formae. E. Ad nihil terminatur. Probatur 3 Conclusio: quia impossibile
est advenire novam intrinsecam aut etiam extrinsecam denominationem realem non adveniente ulla no-
va Entitate intrinseca aut extrinseca subjecto quod sic denominatur. Atque si unio non ēēt aliquid distinctum
in re ab Entitate extremorum, adveniret nova aliqua realis, et quidem intrinseca saltem uni extremo denomi-
natio non adveniente ulla nova Entitate reali. E. Hoc est impossibile. Major videtur ēē certa. Si enim res
eodem prorsg modo habent se et intrinsecè et extrinsecè sicut se antea habuit, non est prorsg ulla ratio ob quā
nunc sortiatur talem denominationem novam realem quam antea non habuit neq habere potuit. Et propterea
in Logica docetur nec Relativas quidem denominationes posse novas advenire rebg sine aliqua earundem mu-
tatione reali intrinseca aut saltem extrinseca. Minor Probatur: quia nihil hujgmodi Adversarii assignare
possunt etiam si mille connotationes afferant propter quod nunc materia cum Forma v. g. Anima rationali, dicatur unita
cum antea non fuerit unita, quamvis ēēt illi intimè praesens et sufficientissimè disposita. Confirmatur ex
mysterio Incarnationis ubi certum est aliquid novi productum fuisse quod intrinsecè fuit supernaturale
Atqui illud non potuit ipsa v. g. verbi personalitas multo verò minus natura humana ut clarum. Erg. Debuit ēē Unio
Hypostatica quā scil: natura humana unita est verbo, et consequenter illa Unio debuit ēē aliquid distin-
ctum tam à materia quam à verbo. Sed non est communior Ratio quam concedendi Unionem hyposta-
ticam quam Unionem Animae rationalis v. g. cum corpore, sicut enim natura se ipsa non unitur Verbo,
ita neque Anima v. g. Rationalis se ipsā unitur materiae, alioquin non ēēt ab illa naturaliter separabilis,
sicut nullus modg etiam Divinus separari potest à re cuig est modg. Respondent aliqui apud Hurtadum Unionē
habere aliquam distinctionem à materia, Forma, Ubicatione et Dispositionibus, sed eam ēē Actualem
formalem, non vero actualem realem. Sed Contra est: quiā ista distinctio quae intercedit inter extrema
Unionis et Unionem, est Actualis Realis, est enim independenter ab intellectu nostro cum possint Actū re-
aliter ēē extrema non tamen Unio et per diversam Realiter Actionem producatur Unio ab ipsis extremis.

Obiicies

Obiicies 1mo: Per se et immediatè Forma cum materia secundum suam Entitatem unitur ut apertè docet Aristot. 8 met. t. 15. Ubi dicit Actum et Potentiam immediatè univi. Ergo Frustra fingitur unio tanquam aliquid distinctum in re ab ipsis extremis quæ uniuntur. R. Distinguendo Antec. Immediatè et per se uniuntur ut quod, neque censenda sunt illa inter se univi mediatè absolutè quæ uniuntur mediante aliquo solum tanquam ratione formali uniendi. Sic enim dicitur immediatè videri ab oculo color quia licet mediat Visio mediat tamen solum tanquam Ratio videndi, seu id quo videtur color. Et ita intellexit Aristo. immediatè univi potentiam cum materia non ut excludat rationem formalem uniendi, sed ut ostendat non mediare inter illa duo aliquid tertium quod uniat ut QUOD. Obiicies 2do: Iste modus non potest ista inter se extrema unire, nisi prius illis uniatur, vel igitur se ipsum unit, vel non unit nisi mediante alia unione à se distincta. Si 1mum. Ergo Æquè bene poterit etiam Forma seipsa Univi absque ullo superaddito. Si 2dum, ibitur in infinitum. R. Hunc modum seipsum unire Subjecto. Nego autem paritatem de Forma et materia non sunt ex seipsis ratio Formalis uniendi et sunt indifferentes ut Actu Uniantur, indigent ergo aliquo à suis Entitatibus distincto per quod determinentur et Actu uniantur. At verò unio cum sit ipsa Ratio formalis uniendi aliam, seu cum sit id quo alia uniuntur, non est indifferens sed essentialiter determinata ad uniendum et non indiget alia unione. Quemadmodum ut albedo sit alba ut quo, non indiget alia albedine quia ipsa est id quo aliud redditur album ut QUOD. Ita igitur illa Unio et se ipsam et extrema inter se unit sicut gluten et duos asseres glutinat et seipsum. Obiicies 3tio: Anima v.g. ex se ipsa et absque ullo superaddito est sufficiens principium quo corpus animetur et vivificetur. Si enim quæras quid sit illud quo corpus vivit? optimè respondebis esse Animam ipsam, non autem aliquid distinctum ab Anima. Ergo Frustra ille modus unionis fingitur. R. Distinguo Ante. Est quo ut unito, Concedo Ante. Quo absolutè, Nego Ante. Possunt enim esse corpus et Anima intimè sibi præsentia, nec tamen Anima informabit corpus. Dices: Ergo Ipsa Anima non est sufficiens principium quo corpus animetur et vivificetur. R. Non est sufficiens principium in Actu primo, Neg. Non est sufficiens principium in Actu 2do, Conced. Ante. Instabis: Ergo Unio erit id quo corpus animatur et vivificatur. R. Est id quo tanquam principio animante Nego; tanquam ipsa ratione principiandi et animandi, ~~Neg.~~ Conced. Obiicies 4to: Quia unio quoad suum esse positivum est realiter et Formaliter ipsa Causalitas materiæ erga Formam materialem. Sed ista causalitas non est modus distinctus ex natura rei à materia et Forma. Ergo Neque est Unio. R. Nego hujus Argumenti tam majorem quam minorem. Et quidem majoris falsitas ostendetur Sectione sequenti.

SECTIO SECUNDA
Quid sit hæc Unio & quæ illius Essentia.

Certum est 1mo Unionem esse aliquid Positivum. Ratio est quia est terminus Unitionis, seu Actionis realis Unitivæ quæ necessariò debet habere aliquem terminum positivum. Certum est 2do Unionem non esse Substantiam neque Accidens Physicum. Ratio 1mi quia nec est Forma nec materia, neque compositum aut aliqua alia Substantia completa. Ratio 2di; quia Unio non constituit compositum Accidentale sed

× Concedo Antecedens; ut QUO, Nego Antecedens. Hoc enim proprium est ipsi Unioni ut immediatè uniatur ut QUO. materiæ verò et Formæ ut immediatè uniantur ut QUOD neque cens. &c.

sed Substantiale. Ergo Non est Accidens nisi forte Logicum. Dices: Quicquid est, aut est Substantia aut Accidens.
Ergo Si ista Unio est aliquid, Debet esse aut Substantia aut Accidens. Distinguo Antecedens. Quicquid est per modum ab-
soluti vel rei cuiuspiam Concedo Ante. Si autem sit aliquid tantum modus rei, non autem ipsa res, Neg. Ante.
Certum est 3tio Eandem Unionem esse modum Substantialem. Ratio est quia constituit compositum Sub-
stantiale. Ergo debet esse aliquid pertinens ad prædicamentum Substantiæ; sicut punctum est aliquid pertinens
ad Prædicamentum Quantitatis. Dubitari autem potest, Utrum hæc Unio sit aliquid in re distinctum
ab Actione qua producitur forma et à causalitate materiæ erga eandem Formam atque adeò à de-
pendentia Formæ à materia. Et quidem de Unione Animæ rationalis dubitari non potest quin sit ex natu-
ra rei distincta ab ipsius Animæ productione. 1. Enim Animæ productio est independens à materia, secus
illa. 2. Unio Animæ Rationalis procedit ab agente creato naturali. Anima verò ab ipso Deo. Solum igitur
de Formæ materialis Unione est controversia Loco, pro quo Adverte: Unionem Tria significare posse
1mo Actionem Unitivam seu ipsam productionem Unionis quæ ad distinctionem termini sui unitio voca-
ri solet. 2do Relationem Accidentalem consurgentem inter partes unitas Actu ut Unitas. 3tio Ipsam
Unionem formalem seu nexum partium, quæ Unio est terminus illius Unionis. Dico igitur 1mo: Unio-
nem Formalem hoc tertio scil. modo acceptam non esse illam Actionem qua mediante producitur Forma
materialis. Ita Hurt. Probatur 1. quia Ratio dependentiæ seu productionis Formæ ex materia non est ratio u-
niendi Formam materiæ. Ergo Productio Formæ distinguitur ab Unione ejusdem. Ante. Probatur: Quia in
Anima rationali certum est Unionem esse aliquid distinctum in re à productione ejusdem Animæ,
potest enim esse productio Animæ, et tamen non Unio. Quod Amplius Confir. quia in Generatione ho-
minis Actionis illius necessariò debet assignari aliquis terminus in re distinctus ab ipsa Actione qui per illam
producatur. Sed hic non est Entitas materiæ, neque Entitas formæ. Erg. Superest Unio quæ proinde est ali-
quid in re distinctum ab ipsa Actione. Probatur 2) Conclusio: quia si productio Formæ materialis esset for-
maliter Unio, sequeretur eandem Actionem terminari ad se ipsam tanquam ad terminum a se productum
Hoc autem implicat. Ergo. Major probatur: quia productio v. g. Formæ equi, esset ipsa Generatio ipsi-
us compositi. Non enim potest assignari aliqua Actio per quam fiat Compositum. Ergo Illa productio
Formæ est simul productio compositi et consequenter terminatur ad unionem tanquam ad Formalem
terminum per quem scil: compositum constituitur Formaliter inesse Compositi. Sed per se Unio For-
mæ et materiæ est ipsa productio Formæ. E. Illa Actio terminatur ad seipsam producendam. Obiicies
1mo Quia Univi Formæ materiæ est esse Formam in materia, fit enim illa dependenter à materia ut
sustentante. Ergo per illam formaliter unitur. R. Distinguo majorem. Esse in materia per informationem
Concedo majorem. Esse in materia per dependentiam et subsistentiam, Nego majorem. Instabis non potest Forma
dependere & Sustentari à materia quin eo ipso simul sit unita materiæ et informet eandem. R. Negando.
Ad hoc enim ut aliquid sit unitum alteri tanquam Actus potentiæ non sufficit quod dependeat ab illo seu
sit in illo per dependentiam; sed requirit ut sit in illo per informationem et communicationem effectus
sui formalis. Obiicies 2do: quia Unio est essentialiter informatio materiæ et receptio Formæ. Sed
illa Actio quâ producitur connaturaliter Forma materialis, est essentialiter receptio formæ. Est enim
passio et consequenter est etiam simul essentialiter informatio quia informatio sola ratione distinguitur à
receptione. Ergo Illa Actio est Unio. R. Distinguendo majorem. Unio est receptio Formæ ut dependentis
Nego

Nego, ut informantis, Concedo. Illa verò Actio eductiva Formæ materialis est essentialiter receptio For-
mæ materialis in materia tantum ut dependentis ab eadem materia, non autem ut informantis eandem
materiam. Aliud enim est dependere ab alio ut sustentante, aliud informare illud seu communicare illi suum
effectum Formalem, et potest unum sine alio esse ut patet in Anima Rationali quæ informat materiam
et communicat illi suum effectum formalem, et tamen secundum suam Entitatem non dependet ab illa.

Dico 2do: Unionem esse in re dis[t]inct[am] à causalitate materiæ in Formam. Sta Hurtad. et ple-
rique alii. Probatur 1mo Conclusio: Quia Unio Animæ rationalis causatur ut QUOD à materia per aliquid ab ipsa
distinctum. Ergo Unio non est Causalitas materiæ. Sequela patet: quia causalitas materiæ non est id
quod dependet à materia ut QUOD, hoc enim est potius ipse effectus illius, sed est ipsa dependentia alicuius
effectus ab eadem materia. Atqui supposito quod Unio creatur à materia per aliquid ab ipsa distinctum, ip-
sa non est dependentia. Sed potius est id quod dependentia; sed potius est id quod dependet per dependentiam
à se distinctam et consequenter sed potius terminus causalitatis. Antece. autem illud Probatur quia Unio Ani-
mæ rationalis (et idem est de Unione omnium aliarum Formarum) causatur à materia per generationem qua-
tenus generatio est passio ut certum est apud omnes. Atqui generatio est aliquid in re distinctum ab ipsa Unione
ut superiore Conclusione probavimus et nunc amplius probatur: Quia manet eadem numero licet corrumpatur illa instanta-
nea generatio et succedit alia Actio conservativa ut patet v. g. in igne cuius generatio, postquam genitus est, ces-
savit, et per aliam distinctam Actionem à generatione conservatur, et tamen prorsus eadem manet unio sem-
per. Ergo Unio Animæ rationalis et omnium aliarum Formarum est aliquid in re distinctum ab ipsa Genera-
tione, et consequenter licet per seipsam uniatur materiæ, non tamen per seipsam dependet ab illa sed per modum
à se distinctum, atque adeò non est ipsa causalitas materiæ. Hæc enim seipsa dependet à materia et est ratio
formalis per quam aliud ab eadem materia dependeat. Quod enim per seipsum est formaliter tale ut QUO, be-
nè potest aliud per illud reddi tale ut QUOD. At verò quod per seipsum non est tale formaliter ut QUO, per illud non
potest aliud reddi tale ut QUOD. Probatur 2do: Quia modus ille Actionis per quem producitur Forma materialis depen-
denter à materia est causalitas materiæ in Formam materialem. Sed illa Actio non est ipsa unio. Ergo Causalitas
materiæ in Formam materialem. Sed illa Actio non est ipsa Unio. Ergo Causalitas materiæ in Formam materialem
non est Unio. Minor iam est probata. maior patet idem non est realiter actio quæ est causalitas agentis cum passione
quæ est causalitas materiæ ut alibi probabitur. Ergo Si unio Formarum materialium est aliquid in re distinctum ab
Actione, erit etiam distinctum à passione atque adeò in causalitate materiæ in Formam materialem.

Dico 3tio: Unionem non esse ipsam existentiam seu dependentiam Formæ materialis in Facto esse à materia.
Sta Hurtad. Contra Soarez. Arriagam et alios plerosque qui licet negent Unionem esse Causalitatem materiæ in
Formam in fieri seu illam passionem Actioni identificatam, dicunt tamen Unionem Formarum materi-
alium nihil aliud esse quam ipsam inexistentiam seu dependentiam earundem formarum in facto esse ab ipsa ma-
teria, atque ita consequenter dicunt Formam materialem duplicem habere dependentiam à materia: Unam
esse ipsam passionem identificatam Actioni per quam Forma dependenter à materia producitur. Aliam quæ est
distincta ab Actione et passione et quæ quæ est quidam Terminus Substantialis Formarum materialium, sicut
subsistentia partialis est terminus Animæ Rationalis. Sed probatur Conclusio 1) Quia frustra fingitur duplex hæc
dependentia Formæ à materia et causalitas ejusdem materiæ in Formam cum ipsa sufficienter dependeat et causetur

tam

tam in fieri quam in facto esse per Unam. Licet enim una Actio per quam primum res producebatur cesset, mox tamen alia succedit per quam sufficienter conservatur dependenter à materia, frustra igitur fingitur illa secunda dependentia. Probatur 2) Conclusio: quia absurdum est duplicem concedere totalem causalitatem agentis in effectum. Ergo etiam absurdum est duplicem concedere dependentiam seu causalitatem & influxum materiæ in Formam. Antecedens est certum apud omnes. Consequentia patet quia non est ulla ratio disparitatis. Adde quod omnis causalitas materiæ in Formam realiter identificetur causalitati agentis. Ergo eo ipso quod concedas duplicem dependentiam simul et semel unius Formæ à materia, concedere debes duplicem dependentiam ab agente seu causalitatem agentis. Probatur 3) Conclusio quia ~~omnino~~ jam ostendimus supra unionem non dependere per seipsam à materia; sed per dependentiam à se distinctam, fit enim dependenter à materia per Actionem à se distinctam. Ergo non potest esse ipsa unio dependentia alterius cum hoc quod ipso Actu dependet habeat beneficio alterius, quod autem non nisi per aliud est tale. Illud enim potest esse alteri ratio essendi tale ut QUOD. Obiicies 1MO: In Accidentibus unio non distinguitur ab inhærentia. E. Nec in Forma substantiali unio distinguitur à dependentia ejusdem à materia. R. Neg. Antec. quia inhærentia Accidentis est productio ejusdem Accidentis dependenter à subjecto quæ realiter distinguitur ab unione illius. Obiicies 2DO: quia dependentia à Causa materiali intrinsecè et essentialiter includit unionem. E. R. Ne. Ante. tota enim causalitas materiæ in Formam consistit in generatione Formæ et non in unione, quia ut censet Hurt. non est impossibile quod sicut possit Forma uniri materiæ et tamen non dependere ab illa ita est contra saltem de potentia absoluta possit dependere ut à sustentante et tamen non uniri illi quia Forma etiam materialis producitur per Actionem distinctam ab Actione qua producitur unio, cur autem Deus non possit producere unam sine alia. Et ex his Colligi potest 1MO: In omni generatione intervenire duplicem Actionem realiter distinctam per quarum unam producitur ipsa Forma dependenter à materia, per alteram verò producitur unio, cum enim hi termini sint in re distincti, non possunt produci nisi per Actiones in re distinctas. Et licet per utramque illam Actionem Forma materialis ponatur in materia, diverso tamen modo per primam, diverso per secundam. Per illam enim priorem ponitur Forma in materia tanquam sustentante, per posteriorem verò ponitur ut in recipiente seu ut Actus in potentia, non autem ut effectus in causa materiali. Colligi potest 2DO: quæ sit Essentia Unionis Substantialis, est enim quidam nexus substantialis quo partes essentiales sibi unitæ unum per se constituunt, et quia hic nexus est quoddam exercitium partium materiæ scil. et Formæ, includit essentialiter in suo conceptu materialisationem et informationem, et præter hæc duo materialisatio est exercitium materiæ in composito, informatio verò est exercitium Formæ. Dixi in Composito, quia alia est materialisatio et exercitium ejusdem materiæ in ea quæ sustentat faciendo ea illa in se ut sunt Formæ Substantiales & Accidentia.

SECTIO TERTIA

Quod non Subjectum sit Unionis.

Tres possunt esse circa hoc Sententiæ. 1ma est eorum qui dicunt Unionem Subjectari adæquatè in sola Forma. Ita Soarez et aliqui alii. Fundamentum Soaris est quia tota efficientia agentis terminatur ad Formam educendam de potentia materiæ. Ergo quicquid efficitur per illam efficientiam, tenet se ex parte Formæ. Vasquii autem fundamentum est quia Forma est indifferens ut sit in materia vel ut sit per se separata à materia. Unde oportet ut ipsa in se habeat illos duos modos existendi in alio et existendi in se. 2da Sententia est quæ docet Unionem

esse tam

esse tam in materia quam in Forma ut Subjecto sustentante. Ita Hurtad. Fundamentum illis praecipuè est quia Unio aequaliter utrumque perficit cum utrumque aequaliter sit Ens incompletum atque adeò perfectibile. 3tia Sententia est quae docet hunc modum Unionis in sola materia recipi tanquam in Subjecto sustentante seu inhaesionis, formam verò recipere et attingere solum tanquam terminum intrinsecum: Ita Arrig., Murcia et alii communiter. Cum his DICO: 1mo: Unionem Formae cum materia esse intrinsecè et immediatè coniunctam utrique parti. Probatur 1) Quia materia & Forma uniuntur inter se non nisi mediante Unione quasi mutuo vinculo et ratione Formali unien di. Ergo Necessariò prius ipsa debet esse unita cum illis. Probatur 2) Quia nihil potest denominari intrinsecè ab alio nisi illud habeat sibi intrinsecè conjunctum atqui tam Forma quam materia denominatur intrinsecè Unita. E. Utraque debet habere intrinsecè sibi conjunctam Unionem. Probatur 3) Quia punctum v. g. seu unio illa continuativa partium integrantium non aliter ipsas partes unit, nisi quia prius ipsa est intrinsecè illis unita. Neque enim est major ratio ob quam uni tantum & non alteri debeat esse intrinsecè conjuncta. DICO 2do: Solam Formam non esse Subjectum inhaesionis Unionis. Ita Hurtad. Arrig. et alii. Probatur Quia in homine v. g. est Unica Unio Animae cum corpore. Atqui haec non potest esse in sola Anima tanquam in subjecto inhaesionis. Ergo Forma non est sola Subjectum inhaesionis Unionis. Minor probatur: quia unio Animae rationalis et consequenter in illa sola subjectari tanquam in Subjecto inhaesionis. Consequentia patet. Immateriale enim non est proportionatum Subjectum rei aut modo materiali. Antece. illud probatur: 1mo quia Anima Rationalis per unam partem unionis uni parti corporis v. g. capitis Unitur, per alteram verò unitur alteri v. g. manui, et ideò quando abscinditur manus, destruitur illa pars unionis qua Anima uniebatur manui manente eadem numero unione cum aliis partibus, alioquin deberet ad unam partem digiti abscissam tota perire hominis Unio, atqui adeo totus corrumpi homo, et rursus nova fieri unio et homo noviter reproduci, quod est absurdum. Probatur 2do Antecedens: Quia illa unio Animae rationalis cum corpore producitur per generationem ab agente naturali materiali. Atqui certum est generationem esse Actionem materialem per quam impossibile est produci aliquid spirituale seu immateriale & ab agente materiali non posse ad extra prodire nisi effectum materialem. Dices: Non est major Ratio ob quam illa Unio Animae rationalis cum corpore debeat potius esse magis materialis quam spiritualis. E. Antec. Probatur: quia utrique debet proportionari cum utrique intrinsecè uniatur et utrumque intrinsecè uniat. R. Ne. Ante. quia ut mox ostendemus Unio Animae rationalis sicut est omnium aliarum Formarum à sola materia prima verè dependet tanquam à Subjecto sustentante de cujus potentia educitur non item ab Anima. Ad Probationem & Distinguendo debet proportionari utrique Arithmeticè seu in Entitate absolutè in se spectata quo ad materialitatem scil: seu immaterialitatem Nego. Debet proportionari Geometricè seu sub ratione modificantis ut nimirum modificet materiam juxta illius exigentiam Concedo, et sic potest proportionari et spirituale materiali ut patet in Anima respectu corporis et divisibile indivisibili, ut patet in Ubi Angelico quod in communi sententia est divisibile licet ipsius Angeli substantia sit indivisibilis. Ad illud: quod utrique extremo unio uniatur. Adeo Utrique quidem intrinsecè univi, non tamen eodem modo, materiae enim unitur tanquam Subjecto sustentanti seu inhaesionis, formae autem intrinsecè unitur tanquam termino intrinseco seu ut alii loquuntur subjecto purae modificationis. Pro quo adverte: Longè diversum esse univi alicui intrinsecè tanquam alicui subjecto inhaesionis, et univi alicui intrinsecè tanquam termino intrinseco seu subjecto purae modificationis. Univi enim alicui intrinsecè tanquam Subjecto inhaesionis et afficere aliquid intrinsecè tanquam suum subjectum est cujus potentia et à quo tanquam à vera causa materiali à priori dependet. At verò univi alicui tanquam intrinseco interno est illud afficere & denominare intrinsecè, non tamen tanquam id est cujus potentia educatur & à priori tanquam à vera causa materiali dependet. Sed ad quod essentialiter terminat et à quo saltem à posteriori tamen dependet quam

dependet. Ut hoc totum clarè patet in Generatione seu Actione eductiva alicujus Formæ de Subjecto. Hac enim certum est
quod sit conjuncta intrinsecè et immediatè cum Subjecto è cujus potentia educit, ~~et à posteriori tanquam à vera causa~~
per illam Forma quam ipsi Formæ quæ ipsa illam educit, et sine aliquo illorum impossibile est illam esse. Hoc tamen discri-
minem quia à materia dependet à priori ut à Subjecto sustentante, à Forma verò à posteriori tanquam à termino
interim autem intrinsecè utramque denominat, et eam ob causam à quibusdam utraque vocat Subjectum illius. Ma-
teria quidem vocatur Subjectum inhæsionis; Forma verò seu terminus dicit Subjectum puræ modificationis. In-
stabis 1mo Actio quamvis non unitur Formæ tanquam Subjecto inhæsionis, sed solum tanquam termino proportiona-
tur tamen illi quo ad hoc, quia si terminus est materialis et Actio necessario est materialis, et sic ille est immaterialis
hæc etiam est immaterialis. E. Similiter unio Animæ rationalis quamvis illi conjungat solum ut termino etc.
R. Conced. Ante. Neg. Consequentiam. Disparitas est quia Actio conjungit suo termino tanquam ipsius fieri seu
via quâ mediante accipit suum esse à causis. At verò unio non ita conjungit suo termino puta Animæ. In-
stabis 2do: Etiam unio Animæ rationalis licet non sit causalitas qua mediante sum accipit esse Spirituale Anima
est tamen causalitas per quam idem suum esse Spirituale dat composito. Ergo debet esse Spiritualis. R. Concedo Ante.
Neg. Consequentiam, quo ad hoc enim debet potius proportionari Subjecto inhæsionis quam termino. Et ex hoc
argumento colligitur, nec Unionem formarum materialium recipi tanquam in Subjecto inhæsionis in ipsis Formis,
non enim est communior ratio de his quam de Anima rationali. Porrò ad Fundamentum Soarii & Cum Hur-
tado illo potius probari nostram rationem, seu Conclusionem tum hanc immediate ante positam tum mox ponendam
non Formam videl. sed solam Materiam esse adæquatam subjectum Unionis; Tota enim illa efficientia agentis ter-
minata ad educendam formam ex potentia Subjecti licet terminet immediate ad ipsam Formam, non tamen re-
cipit in Forma tanquam subjecto sustentante; sed in sola materia, quia sicut forma ita et fieri Formæ in eo-
dem recipit Subjecto. Ad illud quod Vasquetius dicit de indifferentia Formæ ut uniat aut non uniat materiæ &
hoc idem posse dici de materia quæ similiter est indifferens ut sit Actu unita huic Formæ vel non unita. Quare
si propter hujus indifferentiæ determinationem concedit unio esse in Forma tanquam in Subjecto inhæsionis, debe-
bit etiam concedi esse in materia. Dico 3tio: Unionem Substantialem compositi non Subjectari simul in materia
& in Forma. Est contra Hurtad. Probatur quia unius idemque effectus non potest produci naturaliter à duabus causis to-
talibus simul concurrentibus. E. Nec illa Unio una numero potest dependere à duabus Subjectis inhæsionis. Probat
Consequentia quia iam illa duo Subjecta essent duæ causæ totales passiones respondentes illis duobus diversis
Subjectis, ita essent duæ totales Actiones identificatæ passionibus. Passio enim hæc numero essentialiter est
ratio dependendi solum huic numero effectui ab hoc numero Subjecto, et Actio similiter hæc numero essen-
tialiter est ratio dependendi huic numero effectui, ab hac numero causa effectiva. Si essent ergo ibi duo nu-
mero Subjecta, essent omninò duæ numero totales passiones & consequenter duæ totales Actiones. Dico 4
Unionem Formarum tam materialium quam immaterialium in sola materia tanquam in Subjecto
sustentante recipi. Probatur Conclusio 1mo Ex rejectione aliorum quæ possent dici esse Subjecta illius,
iam enim ostendimus neque ipsam Formam neque etiam simul Formam cum materia esse Subjectum Unionis
E. Restat solam esse materiam. Probatur 2do Conclusio: Quia adæquatum Subjectum totius genera-
tionis in quo tanquam in Sustentante recipit est sola materia prima. Ergo Etiam Unionis adæquatum
subjectum inhæsionis est materia sola prima. Consequentia patet. In eodem enim Subjecto res ali-
qua recipitur seu modus in quo est ipsum fieri seu productio illius. Non enim est alia ratio ob quam de
facto hic numero effectus dependeat ut QUOD à Subjecto et quidem hoc numero, nisi quia productio illius est ab
eodem numero Subjecto dependens ut QUO. Anteced. illud Probat tum Authoritate Aristot. qui solam
materiam primam assignat Subjectum Generationis Substantialis ut patet lib. 1. de Gen. sub finem
capitis

capitis 5ti ubi ita dicit. Est autem materia maximè quidem et propriè Subjectum Generationis & corrupti-
onis susceptibile, tum ratione quia sola materia prima disponit ad generationem sola substantialiter mutat.
Ergo illa sola est Subjectum generationis seu mutationis cum expressè Aristot 5 lib. Phys. t. 12 dicat: Cui inest
Generatio illud mutat. Probatur 3tio Conclusio quia in eo subjecto est unio in quo est ipsa Forma unita. Sed
qualibet Forma est in materia tanquam in subjecto suo aut sustentativo, aut saltem receptivo. E. Et unio illius.
Minor est certa. Major probatur: Et quidem certa est si unio nihil sit aliud quam Actio productiva Formæ in
materiam seu ipsa causalitas materiæ. Unde non consequenter loqui videntur illi qui subjectum adæquatum
Unionis asserunt esse Formam et simul docent unionem esse ipsam productionem Formæ ex materia, cum pro-
ductio Formæ in materia etiam secundum ipsos necessariò debeat esse in materia tanquam in subjecto. Sed
verò iuxta nostram sententiam illa major probatur: quia eo modo unio extremis se unit quo modo illa deno-
minat unita ut QUOD: Ad esse enim sequitur denominari, et ad modum essendi resultat modus denominandi.
Sed Unio quæ est inter materiam & Formam solam materiam denominat unitam ut QUOD tanquam sub-
jectum & potentiam passivam. Ergo soli materiæ unitur tanquam subjecto sustentanti. Dices: Sola quidem
materia denominatur unita tanquam subjectum Formæ, non tamen sola est unita tanquam subjectum Uni-
onis. Sed contra est quia sicut non aliter unio denominat aliquid alteri absolutè unitum, nisi quia prius
se ipsam illi univit, ita non prius illud denominat unitum alteri hoc modo v. g. tanquam subjecto, nisi quia
prius ipsa est illi eo modo unita. Si igitur per unionem sola materia denominatur unita ut subjectum, illa sola
est subjectum non solum Formæ sed etiam Unionis. Confirmatur hoc argumentum ex unione continua-
tiva duarum partium v. g. Quantitatis quarum una quia non unitur alteri tanquam Forma subjecto ideo et
ipsa Unio illarum licet utrique intrinsecè uniatur neutri tamen unitur tanquam subjecto inhæsionis. Probatur
4to Conclusio: quia juxta communem Doctorum sententiam Anima rationalis quamvis non pendeat
à materia quoad suam Entitatem, pendet tamen ab illa quoad informationem. Ergo modus infor-
mationis seu unionis Animæ rationalis et consequenter aliarum Formarum materialium educitur ex po-
tentia materiæ et in illa sola sustentatur, in eo enim tanquam subjecto est informatio quod tanquam subjectum
informatur à Forma. Ad Fundamentum Hurtadi Rx Æqualiter quidem unio respicit utrumque extremum, non
tamen eodem modo, quia unum respicit tanquam subjectum, aliud tanquam terminum intrinsecum.
Ad illud quod dicebat: Utrumque esse incompletum & complebile. Rx Utrumque quidem esse complebile per aliud
mediante Unione non tamen eodem modo quia materia prima cum sit quasi inchoatio quædam substantiæ completæ
ideò est complebilis per Formam & consequenter per unionem Formæ tanquam potentia passiva per Actum. At verò ipsa
Forma cum sit ultimum per quod substantia constituitur in esse substantiæ completæ non est complebilis per aliquem ul-
teriorem Actum substantialem sed tantum est complebilis quasi inchoativè per materiam mediante Unione. Si-
cut ergo materia non comparatur ad Formam tanquam Actus ad Potentiam, ita neque unio substantialis quâ mediante
eadem materia complet Formam; et sicut materia non est propriè perfectio Formæ (ut ipse fatetur Hurtad.) ita
neque unio illius quia illud solum propriè est perfectio propriè dicta alterius quod est unitum illi tanquam Actus poten-
tiæ passivæ. Obiicies 1mo: Si unio quæ est in substantialis composito uniret Formæ solum tanquam termino in-
trinseco, non magis perficeret et compleret Formam per illam seu potius per materiam mediante illa quam comple-
tur subsistentia verbi per unionem Hypostaticam quæ etiam verbo unitur tanquam termino intrinseco et tamen
nullo modo perficit aut complet Verbum. Rx Negando sequelam majoris. Licet enim Verbo Divino uniatur tan-
quam termino intrinseco illa Unio Hypostatica, quia tamen non unitur illi ex aliqua indigentia VERBI neque per illam
unitur aliqua compars VERBO, ideò merito per illam non perficitur ullo modo VERBUM; secus autem est de unione
Formæ cum materia. Ex quo patet quod Forma sit perfectibilis et aliquo modo complebilis per materiam mediante
unione

unione, hoc non convenire Formæ quod sit quomodocunque terminus Unionis intrinsecus. Sed quia terminus est talis qui simul est compars et Actus Substantialis materiæ unitæ. Obiicies 2do: Forma intrinsecè denominatur unita materiæ. Sed non potest intrinsecè denominari aliquid nisi à Forma in se recepta. Ergo Forma habet in se tanquam in Subjecto Unionem. R. Concedo majorem, Nego minorem quia res denominatur intrinsecè non solum à Forma in se tanquam Subjecto recepta; sed etiam à Forma quocunque modo sibi intrinsecè unita; sic terminus Actionis intrinsecè denominatur productus ab Actione quamvis non sit Subjectum illius, sed solum habeat illam sibi tanquam termino coniunctam. Obiicies 3tio: Quia nihil potest mutari nisi recipiendo in se aliquam Formam. Sed Anima rationalis v.g. in resurrectione quando reunietur, dicetur verè mutata. Ergo Aliquid in se recipiet, hoc autem non potest esse aliud quam Unio. R. Negando majorem: Nihil enim verè & Philosophicè mutatur nisi quod est Subjectum alicuius mutationis sive Actionis per quam aliquid novi producitur tanquam in Subjecto. Dices: Habebit tunc Anima novam realem denominationem intrinsecam quam antea non habuit. E. Verè mutabitur. R. Conc. Ante. Neg. Conseq. quia illa nova Denominatio intrinseca non consurget ex aliqua Forma recepta in Anima tanquam in Subjecto, sicut si idem numero effectus denominaretur non ab hac numero causa conservari qui ab alia antea conservabatur, erit nova denominatio realis intrinseca absque ulla immutatione reali intrinseca ejusdem effectus. Obiicies 4to: Unio fundat relationem mutuam in Forma & in materia tanquam in Subjecto. R. Distinguo Ante. Fundat tanquam fundamentum seu immediatum Subjectum illius relationis prædicamentalis Nego. Tanquam ratio fundandi: Concedo, et Nego Consequentiam. Non enim est opus rationem fundandi relationem esse in eodem Subjecto cum relatione ut patet in actione quæ est ratio fundandi relationem in agente tanquam in Subjecto, in quo tamen ipsa non est. Dices: Ergo Similiter Unio Hypostatica fundabit relationem prædicamentalem in Verbo Divino ad naturam. R. Negando Conseq. quia personalitas Divina non est capax illius relationis Accidentalis qualis est relatio omnis prædicamentalis.

Sectio Quarta

Utrum Unica numero Unio sit inter Formam et materiam.

Hurtadus contendit esse duplicem realiter distinctam, Unam quæ se teneat ex parte Formæ et sit ipsa informatio; alteram quæ se teneat ex parte materiæ et sit materializatio in compositum. Fundamenta ejus sunt 1mum quod censeat unionem tam materiæ quam materiæ esse perfectionem et utramque per illam immutari quod esse non potest nisi tam materia quam Forma sit Subjectum unionis, quia verò non possunt esse duo Substantia realiter distincta unius Formæ seu modi, consequens est duplicem esse partialem unionem in quovis composito Substantiali imò etiam accidentali; Unam quæ sit in materia tanquam in Subjecto, aliam quæ in Forma. Fundamentum 2dum illius est quia censet informationem Animæ rationalis esse immaterialem quæ proinde non potest subjectari nisi in Anima ipsa, atque adeò materializatio seu unio tenens se ex parte materiæ erit aliquid in re distinctum ab informatione utpote quæ est aliquid materiale & receptum in materia ut in Subjecto. Communis tamen Sententia est aliorum qui docent in composito Unicam numero esse unionem Substantialem. Ita Ruvius, Murcia, Soarez. quanquam hic de Unione Animæ quid sentiat non clarè ostendit. Cum his igitur Dico Unicam esse numero Unionem Substantialem in composito. Probatur 1mo: Quia sufficienter per unicam simplicem Unionem illæ duæ partes invicem sibi uniuntur. E. Frustra

duplex

duplex numero unio. Consequent. patet. Ante. Probatur: quia posita unica numero Unione in materia v. g. tan-
quam in subjecto per illam unietur tam materia Formæ quam Forma materiæ, implicat enim aliquid uni-
ri alteri quin et hoc sit illi physicè unitum quia unio ex conceptu essentiali unionis est nexus quidam duorum
implicat autem unam rem habere nexum cum alia quin ille nexus nectat utramque. Confirmatur: Quia unio
est indivisio quadam duarum rerum sicut carentia Unionis est formaliter divisio illarum. Ergo per quod materia red-
ditur indivisa à Forma per idem etiam Forma redditur indivisa à materia quia una res non potest esse indivi-
sa ab alia si alia ab illa est divisa. Sed per unicam numero Unionem existentem in materia, materia evadit
indivisa à Forma. Ergo etiam et Forma per illam et reddetur indivisa ab eadem materia. Et quia cum aliquid fa-
cit materia cum Forma, illud eo ipso necessario etiam Forma cum materia facit, ideo per illam unicam
numero ~~materiam~~ unionem sicut materia cum Forma, ita et forma cum materia facient unum com-
positum. Ad hoc totum respondet Hurtadus quod posita unica numero unione in materia cum Anima
v. g. rationali verum quidem intelligatur utrumque extremum unitum & factum compositum, nondum ta-
men intelligitur esse tota ratio Unionis et compositum perfectè quia Unio adæquatè consistit in perfectio-
ne tam materiæ quam Formæ. Illa verò tunc esset perfectio materiæ non formæ & ideò desideraretur a-
lia partialis quæ se teneat ex parte Animæ non ut præcisè uniat Animam materiæ iam enim intelligitur esse
priorem unita sed ut uniat perficiendo illam tanquam subjectum. Sed contra est quia non alio fine à na-
tura conceditur partibus v. g. Essentialibus unio nisi ut per illam Unitæ invicem se communicent sibi et mutuo
se perficiant non enim aliter id præstare possunt nisi per mutuam suarum entitatum communicationem.
Si igitur per unicam numero unionem existentem in materia sufficienter intelligeretur tam materia
Formæ quam Forma materiæ unita, sufficienter etiam intelliguntur se mutuo communicare sibi & in-
vicem se perficere & consequenter frustra alia numero Unio fingitur in Anima v. g. Rationali. Nec re-
fert quod per illam Unionem non uniatur Anima ut Subjectum illius sicut materia unitur quia hoc modo non
debet Anima univi quia Forma in Genere Substantiæ non est perfectibilis ut Subjectum cum in illo genere
sit actus non potentia passiva: neque alio modo per Unionem perficitur una pars quam eo quo est perfectibi-
lis per aliam compartem quæ sibi communicatur mediante unione quæ solum est perfectio ut QUO et comple-
mentum. Probatur 2do Conclusio: Quia posito unico illo modo reali quo agens agit in materiam et ablato
omni alio distincto censetur materia pati. E. Similiter posito illo unico modo quo materia censetur unita formæ
et recipere illam atque effectum Formalem ejus censetur etiam forma recipi in materia ut Actus in potentia &
communicare illi suum effectum formalem. Non enim minus implicat informari et non informare, communi-
care & non communicari quam pati et non agere. Respondet Hurtadus: Posito Unico illo modo Unionis in ma-
teria intelligitur quidem materia recipere Formam et forma recipi; nondum tamen censetur materia in-
formari nec forma infor mare enim est recipere in se Unionem, informari verò est illam terminare. Sed contra
est quia informari nihil est aliud quam intrinsecè participare ~~Subjectum~~ Effectum formalem alicuius Formæ.
Atqui eo ipso quod aliqua Forma per Unionem recipiatur in Subjecto communicatur eidem Subjecto et conse-
quenter participat Subjectum illius effectum formalem ut evidenter constat ex mysterio incarnationis in
quo licet unio hypostatica sit in sola materia tanquam in Subjecto & verbo solum uniatur ut termino, suffi-
cienter tamen intelligitur per illam unionem VERBUM DIVINUM intrinsecè naturæ univi et illam
complere

complere supplendo effectum formalem subsistentiæ propriæ absentis. Et similiter quid ampliùs requiritur ut v. g. albedo aliquod Subjectum reddat album nisi ut intrinsecè illi uniatur quamvis illa Unio non sit in ipsa albedine tam quam in subjecto. Adde si informare sit nihil aliud quam recipere in se unionem, informari verò, illam terminari. C. Posita unica numero unione in forma & eo ipso Forma informabit illa materiam, et hæc informabitur ab illa, atque adeò unica numero unio sufficiet ut quæpiam Forma det effectum formalem Subjecto. Ad Fundamenta Hurtadi superiori Sectione jam est responsum Unionem videl: non esse perfectionem Formæ propriè sicut neque ipsa materia unita, potest dicere propriè perfectio illius, cum non comparetur etiam ut sic ad illam tanquam Actus ad potentiam. Non autem aliter unio est perfectio unius partis quam sit altera ejus compars per unionem illi unita. Ad secundum etiam negandum est informationem Animæ rationalis esse immaterialem utpote quæ recipitur in materia cuius est informatio tanquam Subjecti, informatio enim solum informat ut QUO, non autem ut QUOD.

SUMMA Dictorum de Unione.

Diximus 1mo Unionem esse aliquid in re distinctum tanquam modum à partibus quia productio per Actionem distinctam realiter ab ea qua producuntur partes v. g. hominis & potest corrumpi Unio manentibus partibus. 2do Unionem formalem non esse Actionem qua producitur Forma materialis in materia, quia potest cessare illa Actio variari eadem manente numero unione. 3tio Unionem esse aliquid in re distinctum à causalitate materiæ in Formam quia hæc causalitas non est aliud quam Passio identificata realiter Actioni à qua distinguitur realiter unio. 4to Unionem esse aliquid in re distinctum à dependentia Formæ materialis à materia seu illa inexistentia quia non datur ulla dependentia Formæ materialis à materia propter illam. Et præterea quia etiam in illis quæ dependent à Subjecto aliud est univi, aliud dependere, modi enim Ubi v. g. dependent à suis subjectis per aliquid à se distinctum in re scil: per Actionem et passionem ut certum est apud omnes, et tamen juxta omnes seipsis immediatè uniuntur rebus quarum sunt modi. 5to Esse modum substantialem quia est aliquid constitutivum Substantiæ. 6to Esse productum per Actionem distinctam tum à se quia certum est quod sit aliquid productum et non ut Actio. C. Ut terminus Actionis, Actio autem semper distinguitur à termino tum à productione Formæ quia termini distincti realiter, necessariò debent produci per Actiones distinctas realiter. 7timo est modum substantialem quo mediante partes essentiales inter se uniuntur et mutuo se complent. 8tavo. Univi intrinsecè tam materiæ quam Formæ seipso immediate quia est ratio formalis uniendi partes. 9no Non Subjectari in Forma sive ea sit Spiritualis ut Anima nostra quia unio illius est materialis, sive etiam sit Forma materialis quia Forma non est propriè perfectibilis in Genere Substantiæ neque venit in compositum ut Subjectum seu potentia passiva; sed ut Actus. 10mo Non Subjectari etiam simul in materia & in Forma quia impossibile est naturaliter unum numero effectum à duplici causa totali dependere. 11mo: Subjectari in sola materia quia illa sola est quæ per modum potentiæ passivæ constituit compositum & propriè est perfectibilis, et ideò sola etiam est adæquatum Subjectum generationis. 12mo Unicam esse numero Unionem in composito, quia duæ sunt superfluæ.

DISCEPTATIO De NATURA.

Caput 1mum

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Natura, et quomodo Definitio illius sit intelligenda.

Adverte Naturam variis modis sumi 1mo Sumitur pro DEO et sic dicitur mundus opus naturæ et intelligentiæ. 2do sumitur pro universitate rerum et hoc modo dicitur aliquid esse in rerum natura. 3tio Sumitur pro causis creatis ita dicitur Deus et natura nihil frustra operari. 4to Sumitur pro Essentia sive Substantia cuiusque rei, hoc sensu dicimus in tribus personis Divinis esse unam numero materiam. 5to Pro cuiusque rei temperatura seu complexione. Sic phlegmata et Choleram vocamus naturam cholericam. 6to Et maxime proprie pro cuiusque rei generatione, natura enim derivatur à nascentia et est quasi nascitura. 7timo Pro eo quod est principium motus et quietis in quo est etc. Aristot naturam definit: Natura est Principium aliquod et causa movendi et quiescendi in quo est primum & non secundum Accidens. Seu ut alii clarius: Natura est Principium et causa motus & quietis in eo in quo est 1mo per se et non per accidens. Ut hæc Definitio et naturæ quidditas intelligatur illa 4tuor hic sunt examinanda quæ in hac Definitione de natura dicuntur. Dicitur enim 1 quod sit Principium et Causa. 2 motus et quietis. 3 In eo in quo est. 4 Primo per se et non per Accidens. § 1 Circa 1mum igitur Dico (1) Naturam debere esse principium, non qualecunque sed quod simul sit proprie causa. Ratio est: quia alioquin etiam privatio deberet esse natura cum tamen Aristot. dividens naturam non numeraverit privationem. Dices: Aristot. lib. 3. t. 1. Definiens naturam omisit hoc nomen Causa. R. quia sufficienter iam ostenderat hoc libro quale velit esse principium naturam. Dico (2) non esse de ratione naturæ in communi ut sit Principium determinatè Activum aut Passivum, vel etiam Activum simul et Passivum. Ratio est quia de essentia naturæ tantum est ut sit Principium. Atqui principium abstrahit ab activo et passivo sicut Animal à rationali et irrationali. C. Dico (3) Posse esse propriè naturam Principium tam activum quam passivum. Ratio est quia utrique optime convenire potest naturæ Definitio. Obiicies 1: Aristot. quoties distinguit artificialia à naturalibus, per hoc illa distinguit quod naturalia habent principium motus in se; artificialia verò non habent. Ubi certum est per principium motus non intelligi ab Aristotele passivum quia hoc etiam in artificialibus. C. Solum activum et consequenter hoc ipsum juxta Aristotelem pertinet ad rationem naturæ. R. Ibi Aristot. solum distinguit artificialia à naturalibus per materiam Activam, interim tamen non negat Principium passivum esse naturam cum hoc alibi concedat ut infra videbimus. Obiicies 2: Quia si etiam Principium Passivum esset natura, nullus motus esset violentus, quicunque enim daretur, posset dici naturalis ratione materiæ. R. Posse dici naturalem secundum Quid, simpliciter autem et respectu totius compositi erit violentus si sit contra Inclinationem Formæ à qua denominationem suam sumpsit totum. Obiicies 3: Hoc tantum Principium est natura quod est principium ut id in quo est moveatur[F] quod solum voluit ibi Aristot. ut reiiceret à ratione principium motus transeuntis. § 2 Circa 2dum Duæ sunt Difficultates 1ma est quid nomine motus & quietis intelligatur, et ad hanc R. Dico 1 Nomine Motus et Quietis intelligi hic non solum motum Localem; sed omnem & solam Actionem physicam immanen-

F Ergo solum Principium passivum est natura.
R. Neg. Consequentiam quia etiam Principium Activum per actionem immanentem est principium ut id quo est moveatur quod solum etc.

immanentem quæ scil. procedit à materia viribus illius propriis. Unde hic non tantum comprehenduntur motus naturales
aut successivi; sed etiam instantanei et immateriales, unde est intellectio volitio, non tamen Actus virtutum su-
pernaturalium quia horum non est principium natura nisi per potentiam obedientialem. Excluditur etiam
motus Angeli cum ille non est Physicus cum non procedat à natura propriè & Aristotelicè sumpta. R. 2
Quietem hic non sumi privativè pro sola carentia motus sed positivè pro permanentia in termino in ter-
mino aquisito per motum. Ratio est quia Aristot. t. 10 quam hic vocat quietem, ibi dicit Statum. 2da Dif-
ficultas est quomodo illa particula (ET) sit sumenda? Aliqui enim illam sumunt copulativè, rationem porrò
dant quia ita solum propriè sumi potest. Alii autem disiunctivè. Fundamentum verò habent quia alioquin cælum
non haberet naturam quia non habet in se principium utriusque, vel enim continuum quiescit ut Empyreum
vel continuo movetur ut alii inferiores quorum motus in sententia Aristotelis æternum est duraturus. Alii verò
ut S. Thomas, Ruvius, Pererius, Toletus illam particulam ET sumendam censent copulativè secundum
propriam & usitatam eius significationem non tamen respectu naturæ particularis; sed respectu naturæ in
communi ita ut sit sensus. Natura est principium motus in illis quæ moventur et quietis in illis quæ quiescunt &
simul motus et quietis in illis quæ moventur & quiescunt, quo etiam sensu dicimus Natura est Principium as-
census et descensus Elementorum. Ubi enim intelligitur esse principium ascensus et descensus in quovis Elemen-
to. Sed in iis quæ ascendunt natura est Principium ascensus. Et in illis quæ descendunt, natura pariter est cau-
sa descensus. Ratio vero aliquorum subjectorum particularium in quo est ipsa natura, non est necesse ut
hæc particula sumatur copulativè. Et hæc explicatio videtur cæteris anteferenda tum quia sumit parti-
culam ET in propria significatione, tum quia benè explicat quomodo natura sit Principium motus &
Quietis. §3 Circa 3tium Eius in quo est. Difficultas est quorum hæc particula sit referenda. Aliqui
enim illam referunt ad motum & quietem ita ut sit sensus: Natura est Principium motus et quietis in
eo subjecto aut in illa natura in qua est ipse motus & quies ita Ruvius et Murcia. Sed contra est tum quia
hic sensus videtur ineptus ut patet consideranti, tum quia Definitio naturæ conveniret cum Deo et
Angelis qui possunt esse causa motus et quietis in eo subjecto aut natura in qua est motus & quies. Melius igitur
alii referunt illas particulas IN QUO EST ad Principium & causam ut nimirum sit particularior differentia
qua Principium et causa motus restringatur ut scil: natura quatenus est natura sit causa non qualiscunque sed
intrinseca rei quæ movetur sitque sensus illius Definitionis: Natura est Principium & causa motus &
Quietis eius rei in qua intrinsecè est ipsa causalitas motus & quietis. Porrò dixi (quatenus est na-
tura) Quia licet illud quod est natura v.g. Forma aliqua substantialis possit etiam esse Principium motus et
non solum intrinseci seu immanentis; sed etiam transeuntis non exercet tamen munus proprium
naturæ nisi tunc quandò est causa motus immanentis quia natura debet perficere et formaliter & causati-
vè illud cuius est natura. Dices 1mo: Etiam Actio transiens est naturalis, non minus est naturale
igni calescere quam sursum ferri. R. Actionem transeuntem v.g. calefactionem esse naturalem eo
sensu quia procedit à natura specificativè non tamen ut est natura. Unde longè potiori ratione Actio
immanens est naturalis. Dices 2do: Sequitur inde generationem non esse naturalem utpote quæ
est Actio Transiens. R. Generationem quatenus esse præcipuè naturalem quia est à principio intrinseco re-
cipiente. Quatenus verò respicit causam efficientem dicitur naturalis ideo tantum quia est iuxta exigentiam
causarum

causarum naturalium. 4. § Circa 4tum in quo primum per se et non secundum Accidens inest, Observanda sunt duo. 1mo Naturam debere esse causam ita intrinsecam rei quæ movetur ut sit de Quidditativo conceptu ejus hoc enim significat illa particula Primum & ideo rejiciuntur à ratione naturæ omnia accidentia, quià licet possint esse aliqua, principium per se motus & quietis in eo in quo est, non tamen possunt esse ita intrinseca illi rei. 2do Observandum est Naturam debere esse conceptum quidditativum partialem quod indicant illa verba In quo inest tanquam in aliquo tertio à se distincto, nihil enim sibi ipsi potest inesse. Et hoc clarè expressit Aristot. Natura aut est Subjectum, aut Subjecto inest id est aut est materia aut Forma. Quare per hoc excluditur à ratione naturæ 1mo Ipsum compositum ut ibidem Aristot. Lib. 2. c. 1. t. 12 ait (Id autem quod ex his) id est materia & Forma est compositum, natura quidem non est sed est et constat natura ut Homo. 2do Excluduntur Angeli quorum Essentia non constat ex duobus conceptibus partialibus realiter à se distinctis ac proinde nihil illis inest per se primo; natura enim Angelica non est de Essentia Angeli sed potius tota Essentia ejus. 3tio Excluditur corpus simplex (si est possibile) propter eandem rationem. Neque refert quod posset esse Principium alicujus motus v. g. Localis quia ille motus non esset formaliter naturalis non enim procederet ab aliquo quod sit Aristotelicè natura; sed tantum esset naturalis materialiter quià esset similis aliis motibus propè formaliter naturalibus, vel certè esset naturalis quatenus naturale opponitur supernaturali. Et ex Dictis colligitur ista quatuor esse de ratione Naturæ Aristotelicè sumptæ. 1mo Ut sit vera causa motus. 2do Ut sit causa intrinseca illi rei quæ movetur per talem motum. 3tio Ut sit de conceptu quidditativo illi rei. 4to Ut sit de compositione essentiali ejusdem rei tanquam pars illius essentialis. Dixi (naturæ Aristotelicè sumptæ) quià ut nunc est in communi usu vox ista, significat essentiam simpliciter integram uniuscujusque rei sive sit simplex sive composita prout per modum Formæ totalis significatur et est radix proprietatum seu attributorum illius rei.

CAPUT SECUNDUM.

Quibus conveniat Ratio Naturæ.

Cùm rejecerimus Capite præcedenti à ratione naturæ omnes Substantias completas, restat ut quæramus de partibus essentialibus earundem puta materia et Forma. Et quidem loquendo de materia non defuerunt qui dicerent materiam non esse naturam nisi dependenter à Forma saltem tanquam à conditione terminante. Communis tamen sententia est contraria; quare Dico: Materiam esse verè et propriè secundum se naturam. Ita expressè Arist. t. 5. Natura est aut Subjectum, aut Subjecto inest. Et t. 10. Natura sic dicitur 1. Substantia cujusque materies eorum quæ motus in se mutationisque habent Principium, alio verò modo ipsa Forma seu Species. Et ratione Probatur quià independenter à Forma tota naturæ Definitio convenit materiæ. Nam Inprimis est per se primo in composito. Item est Principium & vera causa ut compositum moveatur quià est propria causa materialis imo impartibilis sententia etiam Activa respectu illius est emanationis qua ex se emanat Quantitatem & suam partialem Subsistentiam. Obiicies 1mo: Aristot. 5. met. c. 4 dicit materiam esse naturam eo

quod Formæ

Formæ sit susceptiva. Præterea lib. 2. Phys. c. 1. t. 2 dicit Formam esse magis naturam. R. Ex prima Aristotelis Autoritate solum colligi quod sit materia natura passiva. Ex Secunda verò potius contrarium colligitur. Ubi enim dicit Formam esse magis naturam quàm materiam, admittit materiam esse Simpliciter naturam licet minus præcipuam quià videl. Forma est principaliter pars compositi utpote Actus. Obiicies 2do: Materia secundum se est indifferens ad omnem motum v. g. materia prima lapidis secundum se considerata non magis inclinat ad motum deorsum quam sursum. Ergo Non est natura secundum se neque principium motus naturalis; sed prout est in tali composito et determinata à tali Forma. R. Con. Ante. Neg. Conseq. Illa enim indifferentia materiæ nihil obstat quo minus secundum se sit natura cum sit natura Universalis seu communis omnium Entium naturalium, et ideo est natura non solum quandò recipit motum aliquem connaturalem illi composito in quo est de facto; sed etiam quandò recipit oppositum & violentum illi composito sicut certum est quod non amittat rationem naturæ quandò amittit ipsam Formam Substantialem incompossibilem priori. Obiicies 3tio: Materia quandò est principium motus qui non convenit composito in quo ~~est~~ inest quia talis motus non est illius compositi cui de facto inest; sed alterius. Ergo Non est natura secundum se. R. Disting. Conseq. Non est natura secundum se particularis huius nimirum compositi solius. Conc. Consequentiam. Non est natura communis & universalis omnium Entium naturalium successivè, Nego Conseq. Hæc enim non est opus ut sit principium motus eius tantum in quo est actu quia hoc ad summum spectat ad naturam particularem; sed sufficit quod sit Principium motus illius compositi in quo est actu aut potentiâ. Iam verò loquendo de Forma Dico: Omnem Formam substantialem esse naturam. Patet hoc ex Authoritate Aristotelis ibi supra. Et ratio est eadem quia videl. tota Naturæ definitio convenit optimè Formæ cuivis Substantiali. Obiicies 1. Corpora naturalia distinguuntur communiter à viventibus. E. Hæc non sunt naturalia et consequenter non habent naturam. R. Quando corpora naturalia accipiuntur ut QUID contradistinctum à viventibus, non sumitur naturale pro eo quod constat naturâ; sed pro eo quod contradistinguitur à spontaneo à Spontaneo. Spontaneum enim dicitur quod est ab Anima et non est determinatum ad Unum ut est motus animalium spontaneus. Obiicies 2: Animantia fatigantur in motu progressivo. Ergo Non est illis naturalis et consequenter non habent principium in se motus. Consequentia patet quia motus qui est naturalis non fatigat ut constat in descensu lapidis aut ascensu aeris vel ignis. R. Concedo Ante. Neg. Conseq. Ad Probationem R. Motus gravium & levium qui nimirum perficitur absque instrumentis eiusmodi quæ consumantur in ipso exercitio motus Concedo per talem motum non fatigari corpus. Motus qui perfici non potest nisi ope instrumentorum spirituum videlicet vitalium quorum vi corpus natura suâ grave et tendens deorsum impellatur, et qui consequenter in tali exercitio motus consumuntur Nego quod nimirum talis motus naturalis non fatiget. Obiicies 3 Natura est determinata ad Unum. Ergo Anima non est natura utpote quæ est indifferens ad omnem positionum differentiam. Maximè vero Anima rationalis quæ est libera & realiter separabilis à corpore, cum tamen Aristot. hic. t. 12. asserat Formam non esse separabilem nisi Ratione. R. Distinguendo Ante. Natura ut sit Neg. natura enim abstrahit ab hoc quod sit Principium liberum vel non liberum natura talis quæ videl. opponitur libero et spontaneo concedo Ante, et Neg. Consequentiam. Ex quo patet etiam Animam rationalem ut rationalis est

rationalis est seu secundum ultimam suam differentiam esse naturam quia etiam secundum hanc constituit essentialiter Ens naturale et est principium motus et quietis in eo in quo est, puta risus v.g. fletus, admirationis, discursus dependentis à phantasmatibus. Neque est separabilis realiter à corpore citra corruptionem realem ejusdem corporis quod solum voluit Aristot. illo loco ut videl. daret differentiam inter Formam assistentem & informantem. Dices: Arist. 1 de partibus animalium c. 1. docet Animam intellectivam ut est intellectiva ad Physicum. R. Ut est intellectiva non est natura cum haec pertineat ad Physicum. R. Ibi Aristot. non negat absolutè Animam ut Intellectivam esse Objectum Physicæ sed tantum quatenus in statu separationis est intellectiva independenter à phantasmatibus alioquin quatenus intelligit cum dependentia à phantasmatibus est considerationis Physicæ utpote essentialis pars Objecti illius. Et ex his patet quomodo sit definiendum corpus naturale: Est enim Substantia constans naturâ. Substantia ponitur loco Generis, Constans natura loco Differentiæ.

Caput Tertium.

Quomodo se Natura habeat ad Artem.

Ars est Habitus intellectivus cum recta ratione factivus. In comparatione Naturæ cum Arte communiter quaeruntur Duo. 1mo Convenientia & Differentia inter utramque 2do Utrum Ars possit aliqua opera naturæ perficere. Ad 1mum R. Conveniunt 1 in hoc quod sicut natura supponit Subjectum in quod introducat Formam, ita & Ars. 2 quod sicut agens naturale efformat sibi simile in esse naturæ v.g. homo hominem, ignis ignem ita et agens artificiale quantum potest opera sua elaborat similia exemplari reddere. 3 Quod sicut natura ab imperfectioribus sensim progreditur ad perfectiora ut patet in fœtus afformatione, ita etiam Ars ut videre est in arte pingendi. Differunt verò 1mo Quia agens naturale supponit Subjectum incompletum puta materiam primam; agens verò artificiosum supponit aliquod corpus completum. 2do Differunt quod ad Formam agens naturale introductam materia prima habet potentiam passivam naturalem, ad artificialem verò non nisi neutram seu obedientialem ordinis naturalis. 3tio Quod Formæ Substantiales sint Principium motus quoad Substantiam, at verò artificiales non nisi possunt modificare eundem reddendo v.g. celeriorem aut tardiorem. 4to Quod Ars perficiat aliquo modo naturam ut testatur Arist. 2 Phys. c. 8. non tamen è contra. Dupliciter autem potest perfici natura ab Arte 1) Tanquam Subjectum illius, sic homo perficitur per illam, utpote Subjectum illius. 2) Tanquam Objectum seu materia circa quam versatur recipiendo videl. aliquam Figuram ab illa ut Ars v.g. statuaria dicitur perficere lignum. Ad 2dum R. Posse aliqua naturæ opera fieri per Artem applicantem Activa passivis. Ratio est quia nulla videtur in hoc repugnantia, et experientiâ constat quod medicina applicando virtutem naturalem herbarum, lapidum & similium, reparet sanitatem naturalem animalis. Ex quo etiam colligitur & verum Aurum produci posse per Artem Chymicam, modo sit perfecta, dantur enim in natura causæ naturales quæ possint producere talem Formam. E. si illæ à sciente applicentur materiæ idoneæ poterint producere. An verò illa Ars Chymica quæ de facto datur sit vera & infallibilis, valdè dubium est, imò probabilius esse erroneam cum vix aliquando attingat effectum. Vide plura apud Conimb.

Quid sit causa.

Quid sit causa Efficiens.

Suppono dari Causam Efficientem, hoc enim evidenter ostendunt tot Transmutationes, Generationes & Corruptiones rerum, et quidem hoc Genus causæ competere non soli DEO; sed etiam rebus creatis, et his tam Substantiis quam accidentibus patebit ex infra dicendis, nunc ad propositam Quæstionem. Arist. lib. 2. t. 29. Causam efficientem definit: Causa efficiens est id unde principium mutationis primum et quietis. Hæc Definitio communiter ab omnibus recipitur quare Dico illam Definitionem causæ efficientis esse bonam. Probatur: quia est adæquata Definitio & bene explicat naturam illius per Genus & Differentiam ut patebit ex Declaratione omnium illius particularum. Dicitur 1mo Principium quod non ita late sumendum est ut etiam conveniat privationi; sed ita quatenus convertatur cum Causa. Dicitur 2do Primum ad significandam prioritatem hujus causæ quia sicut finis est aliquid primum in Intentione movens, ita Efficiens est Primum in executione. Nam licet realiter eadem est causalitas materiæ cum causalitate Efficientis & consequenter secundum rem simul sit influxus utriusque, tamen secundum rationem prior est influxus causæ efficientis quam materiæ. Unde loquendo secundum præcisas rationes formales passio est ab Actione, non e contra, et ideo vera est et hæc propria causalis locutio, quia agens agit materia recipit, e contrario vero non proprie dicitur ideo Agens agere quia materia recipit. Porro eadem particula non significat primum Principium simpliciter seu omnino independens et quod nullam habet priorem se causam, alioquin illa Definitio soli primo motori et soli Efficienti conveniret. Significat igitur Primum ordine causandi causarum scil: secundarum Physice causantium quo sensu etiam instrumentali causæ convenit. Nam et hæc licet non agat nisi mota, in suo tamen ordine seu genere est aliquid Primum a quo tanquam instrumento procedit mutatio & quies. Aliqui has duas particulas Primum Principium referunt non ad Causam; sed ad mutationem & Quietem ita ut sit sensus: Causa Efficiens est id unde mutatio suum sumit Principium Primum seu initium. Probabilius tamen ab aliis communiter referuntur ad Causam tum quia alioquin causa Efficiens non esset totius mutationis & partium ejus; sed tantum incoationis illius, Tum quia prædicta Definitio non conveniret Causæ Efficienti motum Coeli qui juxta Aristotelem cum sit ab Æterno, nullam habet initium. Dicitur 3tio: UNDE) quæ particula proprie & in rigore est sumenda quatenus videl. opponitur illis aliis particulis EX QUO, IN QUO, PROPTER QUOD et æquivalet particulæ A QUO quæ proprie significat habitudinem & principium omnino extrinsecum Physice influens ac proinde soli efficienti tribui potest. Dicitur 4to: Mutationis) non motus ut comprehendantur solum Successivæ sed ~~tantum~~ etiam instantaneæ v. g. Generationes Substantiales & aliæ similes. Et quidem per mutationem aptius intelligerem Actionem ut hæc Definitio conveniat etiam primæ causæ creanti. Nam Creatio est quidem proprie Actio, non tamen est proprie mutatio. Dicitur denique 5to Quietis vel status) quo significatur terminus Actionis qui per illam a causa Efficiente producitur. Et ex his patet 1mo sensus illius Definitionis quod videl. Causa Efficiens sit Principium Primum seu causa a qua primo est oriturque mutatio & Quies. Principium Generis partes tenet reliqua Differentiæ. Patet 2do Hanc Definitionem esse adæquatam quia convenit omni Efficienti & Soli, excluduntur autem ab illa 1. Privatio quæ non est Principium Causativum. 2. Excluduntur Materia, Forma et Finis a quibus non fit proprie mutatio; sed in materia recipitur ad Formam terminatur propter finem peragitur. Denique hæc Definitio causæ Efficientis non coincidit cum Definitione Naturæ quia licet utraque data sit per motum & Quietem, diverso tamen modo. Natura enim est principium motus & Quietis ejus in quo est. Seu: est Principium intrinsecum sive Activum, sive Passivum, non ita vero efficiens. Patet denique quomodo sint solvendæ Objectiones si aliquæ occurrant contra dictam Definitionem. p.

De ~~materia~~ causa pri-

De causa prima

Suppono 1. Nomine causæ 1mæ intelligibic illam causam quæ imprimis nullam aliam suppo-
nat causam priorem se, seu quæ sit Ens a se. 2. quæ a se habent dependentes effectus, alioquin
non esset causa. Suppono 2. Lumine naturæ constare talem causam dari, quia impossibile
est totam collectionem Entium vel causarum esse dependentem in suo esse et operari. Et necesse
est aliquid esse in illis independens, et consequenter sistendum est in Ente aliquo improducto quod om-
nino sit independens et est in esse et consequenter inopinari. Antecedens illud patet ex illo Princi-
pio: Omne quod producitur, ab alio producitur. Seu quod idem est: Omne quod dependet, ab alio
dependet. Si igitur tota collectio rerum est dependens, deberet necessario dependere ab alio. Id
autem est impossibile: Quia extra illam collectionem non est aliud. Quod si tota collectio de-
penderet ab aliquo Ente, intra ipsam comprehenso; Etiam illud penderet a seipso quod im-
plicat. Impossibile igitur est totam collectionem entium esse factam, aut totam collectio-
nem causarum dependere in agendo propria dependentia, qua posterior causa pendet a pri-
ori. Suppono 3. Triplicem huius causæ esse Actionem seu Causalitatem, Creationem, Con-
servationem, et Cooperationem, ut igitur distincte procedamus, sit:

Sectio Prima

De Creatione

Adverte nomine Creationis intelligi proprie effectionem alicuius rei Ex Nihilo. Ubi per il-
lam particulam Ex Nihilo excluditur omnis cursus causæ materialis et dependentia rei quæ
creatur ab aliquo subjecto; et per hoc distinguitur creatio ab eductione, quæ duplex Actio adæ-
quate dividit Actionem ut sic, hoc supposito de creatione est:

Difficultas 1ma
Utrum naturæ Lumine pos-
sit ostendi possibilitas
et actualis exi-
stentia talis
Actionis?

Dico quod sic. Probatur: Quia Lumine Naturæ notum est esse aliquas res producibiles, imo et
de facto productas quæ ex natura sua non supponunt ullum subjectum se prius, a quo depen-
deant. Ergo Naturæ Lumine constare potest possibilem esse talem productionem, imo et de
facto dari. Consequentia patet: Quia tales res non possunt produci aliter nisi independenter ab
omni subjecto. Antecedens etiam illud constat: Quia imprimis lumine naturæ notum est dari ma-
teriam 1mam et hanc productam esse independenter ab omni subjecto. Et idem est de anima
rationali et Angelicis mentibus. Deinde talis possibilitas actionis potest demonstrari: quia nulla
est implicantia in tali modo productionis. Cur enim sicut aliquid fit in Actu quod prius fit possibi-
le, per potentiam Activam et passivam simul; ita non poterit etiam fieri aliquid in Actu
per solam potentiam Activam eminentiorem magisque efficacem. Dices:
Repugnat aliquem esse in sola potentia patiente sine agente. Ergo pari ratione repugnat aliquid esse a
sola potentia agente sine patiente. R. Conced. Antec. Nego Conseq. et paritatem: quia Actio
ut actio dicit ordinem essentialem ad agens, et ideo implicat esse Actionem sine agente. Actio vero

sumpta

sumpta ut sic, non dicit ordinem essentialem ad passum, neq ad passionem, sed tantum ad agens et terminum; et ideo non implicat esse aliquam Actionem sine patiente. Et ideo etiam potentia passiva quatenus talis, dicit habitudinem ad potentiam Activam, quia non potest recipere aliquid nisi ab aliquo illud recipiat. At vero potentia Activa ut sic, non dicit habitudinem ad passivam cum non sit de ratione potentiae Activae ut possit agere in aliquo, sed tantum ut possit agere aliquid. Probatur porro Conclusio: Quia hic modus agendi sine dependentia ab aliqua causa extra se sive Efficiente sive materiali est valde consentaneus essentiali perfectioni primi agentis. 1mo Quidem quia modus operandi proportionatur ad modum essendi. Sed modus essendi primi Entis est absque omni dependentia. Ergo et modus operandi. 2do Quia consentaneum est ut in DEO sit potentia altioris rationis quam in alio agente creato. Sed omnia alia indigent subiecto ad agendum. Ergo Divina potentia non debet esse ita indigens; sed quo perfectior est, eo debet esse liberalior ad agendum, et maxime cum ille excessus sit in gradu et omni perfectioni possibili. Unde illud, quod Aristoteles et praecedentium inde Philosophantium secula dixerunt: Ex nihilo fit nihil, exponendum est de agentibus creatis. Vel certe ut putat Hurtadus: Omnipotentiam Divinam non cognoverat.

Difficultas 2da
Quid sit Creatio.

De hoc variorum variae sunt opiniones. Aliqui enim Creationem dicunt esse ipsam Divinam volitionem, ita probat Valentia. Aliqui ipsum Terminum, ita Durandus. Aliqui AGGREGATUM ex voluntate Dei et Termino, ita Ferrara. Alii denique creationem esse Aliquid in re creatam ex materia rei ab illa distinctum tanquam modus illius. Ita Sovarez, Hurtadus et est nunc communis. DICO 1MO Creationem non esse formaliter Volitionem Dei. Probatur 1 Quia volitio Divina est principium creationis. Ergo Non est ipsa creatio. Probatur 2 Quia voluntas divina qua vult creare animam v.g. rationalem pro tali tempore, est ab aeterno, ipsa autem creatio non est, nisi in tempore. Ergo Volitio Divina non est creatio formalis. DICES: Ab aeterno esse creationem quae tamen non creat animam ab aeterno est voluntas creandi, et tamen non creat usque ad tempus pro quo vult illum terminum creare. Contra est: Quia si creatio esset ab aeterno, DEUS quoque ab aeterno creat. Creatio enim Actu existens communicat effectum suum formalem. Ergo Et anima illa ab aeterno est creata, et consequenter etiam ab aeterno existit, quia implicat producere, et tunc nihil produci dum producens producit. Sicut impossibile est ut DEUS ab aeterno v.g. cognoscat aut velit aliquid, et tamen nihil sit, quod ab aeterno sit cognitum aut volitum. Aliud quoque affert de voluntate creandi ab aeterno existente quin existat effectus, non valet quia voluntas Divina comparata respectu creaturae est principium et Actus primus illius. Actus vero primus potest existere non existente Actu 2do. Et creatio cum sit ipsa ratio formalis qua constituitur creans, impossibile est ut existat quin constituat actu creantem. Probatur 3 Conclusio: Quia dependentia qua effectus dependet à DEO, non à volitione Divina; sed aliquid intrinsecum ipsi effectui. Effectum enim dependere non est denominatio extrinseca in effectu; sed potius in DEO. Atqui creatio nihil est aliud quam dependentia quaedam effectus. DICO 2DO Creationem non esse idem realiter cum ipso termino creato, neque solam realitatem resultantem ex termino

Creationis

creationis, sed est modus aliquis ex natura rei distinctus à termino illius intrinsecus. Quod non sit idem rea-
liter cum termino probatur 1mo à paritate rationis de omni alia Actione. 2do quia hæc dependentia
est variabilis in creatura manente eadem re quæ fit. E. distinguitur à parte rei à termino. Consequentia
patet. Anteced. Probatur: quia Actio illa quâ Deus conservat quantitatem in Eucharistia independenter
à Substantia panis longè est diversa ab illa quâ eandem quantitatem conservat dependenter à subjecto
Ergo Dependentia Creationis separabilis est à termino. Quod non sit Relatio probatur 1. Relatio crea-
turæ ad Deum fundatur in dependentia tanquam ratione fundandi, ideò enim creatura refertur ad Deum quia
ab illo dependet. E. non est ipsa dependentia. 2. Relatio est posterior natura quàm res creata, cum ta-
men creatio non sit posterior re creata. Quod non sit absolutum sed tantum modus, patet quia est
Actio seipsa ut quo dependens à causa et intime conjuncta termino ita ut explicet illam existere
sine termino. Præterea si esset aliquid absolutum, deberet dari aliqua Actio ad illam, et sic iretur in infi-
nitum. QUOD DENIQUE SIT MODUS INTRINSECUS constat: Tum quia dat denominationem intrinse-
cam dependentis, tum quia est modus quidam existendi independenter à subjecto qui non potest esse intrin-
secus existentiæ. Dico 3tio: Creationem non habere veram rationem mutationis propriè
sumptæ. Probatur: Quia ad mutationem requiritur subjectum quod mutetur seu transeat de non esse ad esse
Formæ. Creatio verò ut infra dicetur non supponit aliud subjectum. Dixi propriè sumptæ, quia si latius
mutatio sumatur pro omni scil. Actione quatenus infert aliquam novitatem in effectu, sic poterit etiam
creatio dici mutatio sed impropriè quia res quæ creatur non dicitur propriè aliter se habere quàm antea quia
antea nihil erat, sed dicenda est habere esse simpliciter quod antea non habebat. Obiicies 1. Quæ non possunt
à se separari, illa sunt idem à parte rei. Sed creatio sine dependentia creaturæ à Deo et creatura non
potest separari. Ergo sunt idem. R. Distinguo minorem: Dependentia à Deo omnis collectivè non potest
separari à creatura, Concedo, non potest enim existere creatura quin per aliquam dependentiam à
Deo dependeat, non potest separari omnis divisivè Nego. Potest enim creatura dependere à Deo sine de-
pendentia B in particulari et sine dependentia C, et sic de singulis in particulari, non tamen potest
dependere sine aliqua sicut non homo potest existere nisi in aliquo loco, potest tamen non existere
hic et ibi, et ita de singulis locis in particulari. Obiicies 2: Quia quæ pendent à Deo essentia-
liter et immediatè, non pendent per Actionem à se distinctam. Sed creaturæ pendent à Deo
essentialiter et immediatè. Erg. pendent seipsis non per Actionem à se distinctam. R. Disting.
majorem: quod pendet realiter actualiter et formaliter Concedo majorem. Quod dependet à Deo
essentialiter radicaliter, Neg. majorem. Hoc autem modo dependent essentialiter creaturæ quia
ex ratione Entis participati habent essentialem sibi conditionem et imperfectionem ut indigeant de-
pendentiâ à Deo, nec possint existere sine aliqua Actuali dependentia ab illo. Interim tamen ipsa Actu-
alis dependentia non est de essentia illius et quælibet in particulari est separabilis ab illa. Neque inde infer-
ri potest Creaturam à Deo mediatè dependere, immediatè enim afficiuntur ipsâ dependentiâ sicut
dicitur immediatè aliquid album aut unitum quia immediatè afficitur albedine seu unione. Ex quo etiam
patet quo sensu illud sit verum quandò dicitur creaturam per suam essentiam esse terminum qui à Deo
petit dependere et dependet, ut quod quamdiu existit, et ita verum est. 2do ipsam Actualem dependen-
tiam esse creaturis essentialem, et hoc falsum est. 3tio Repugnare essentiæ creaturarum Actu existe-
re, quin Actu immediatè pendeant à Deo, quod est verum. Obiicies 3tio: Nulla Actio Potentiæ
Divinæ potest esse transiens, neque potest dari media Actio inter Potentiam Divinam et effectum illius
quæ sit distincta à Potentia eius. Ergo neque creatio etc. Antec. Probatur 1 quia Divina Virtus est intime
præsens

p. dependere à Deo 1mo Non potest esse sensus creatu-ram per suam essen-tiam esse terminum etc.

præsens effectui suo. C. Producit per se et non media Actione. 2 quia alias potentia Divina esset principium non solum effectus sui sed etiam Actionis suæ quod tamen negat S. Thomas. 3 Quia illa Actio transiens esset complementum Divinæ Potentiæ quod est absurdum. 4 quia deberet habere aliquod Subjectum cum esset Accidens. R. Neg. Antecd. Omnis enim Actio creaturæ sive sit transiens respectu illius sive immanens, est transiens Actio Dei, et idem dicendum est de omnibus aliis Actionibus Dei ad extra quas se ipso adæquate producit. Ad 1mam Probationem Conced. Antec. Neg. Consequentiam. Ex illa enim intima præsentia solum sequitur posse Deum immediate agere immediatione suppositi et virtutis; non autem posse illum agere sine Actione. Ad 2dam concedo illam Sequelam S. Thomas loquitur de Actu Divino immanente. Adverte tamen illam creationem licet producatur à Deo non produci per aliam productionem sed se ipsa immediate dependere. Neque tamen sequitur illam esse proprie productionem sui, productio enim est alterius productio. Inferes: Ergo Aliquid est productum sine productione sui. R. Sicut aliquid potest esse album etiamsi non informetur albedine quando scil. est album ut QUO, seu quando est ipsa Formalis albedo, ita potest aliquid esse productum etiamsi non terminet ullam productionem sui quando scil est productum ut QUO seu quando est ipsa productio formalis. Ad 3tiam Neg. illam Sequelam. Actio enim non complet sed potius supponit integram potentiam et virtutem Activam.

Difficultas 3tia
Utrum Creatio habeat Subjectum.

Creatio nullum habet proprie subjectum inhæsionis.

Dico Creationem non habere ullum proprie Subjectum inhæsionis. ita Soarez 1 metaph. D. 20. S. 5. Hurtad. D. 12. S. 4. Probatur 1mo Conclusio: quia si quid haberet pro Subjecto, haberet ipsum terminum ad quem terminatur tanquam via ad illum. Sed hic non potest esse Subjectum illius. C. Major patet quia nihil aliud excogitari potest. Minor etiam Probatur 1: quia Terminus non potest esse materialis sui ipsius, esset autem si productio sui dependeret à se tanquam à Subjecto. Probatur 2 quia terminus non potest concipi ut prior natura productione sui quia debet concipi ut existens cum dependentia à Deo, ut autem esset Subjectum, opus erat ut conciperetur prius existens. Probatur 2do Conclusio: quia si creatio esset dependens à Subjecto, etiam ipse terminus illius dependeret ab eodem subjecto. Atqui hoc dici non potest. C. Et illud ex quo sequitur. Minor constat quia iam ille terminus esset eductus, non creatus. Sequela verò majoris probatur quia impossibile est ut productio alicuius dependeat ab aliqua causa, et non constituat terminum productum seu dependentem ab eadem causa, implicat enim habere dependentiam ab aliquo et non dependere ab illo. Neque alio modo terminus generationis pendet à subjecto nisi quia Actio qua producitur pendet ab eodem Subjecto. Unde non valet si dicas creationem esse dependentem ut quo à Subjecto, termini enim verò ab ipso termino, quia jam ille terminus haberet dependentiam à se ipso et consequenter dependeret à seipso ut Subjecto. Ad Probationem ergo illam in qua dicebatur Creationem supposito quod sit aliquid extra Creatorem et distinctum ab ipso termino, debere habere aliquod Subjectum utpote accidens quoddam. R. Cum Hurtado falsum est omnem creationem esse Accidens. Creatio enim Substantiæ est modus substantialis. Præterea non sequitur ex eo quod aliquid sit accidens quod debeat esse in alio tanquam in subjecto inhæsionis, sed sufficit quod sit in alio vel tanquam in subjecto inhæsionis ut sunt omnia Accidentia absoluta, vel quod sit in alio tanquam in Subjecto intrinsecæ denominationis seu intime adhæsionis, et ita est creatio in termino creato unio in forma, substantia in materia. Et hoc modo intelligendum est illud cum dicitur ESSE est inesse. Neque etiam Accidens per hoc constituitur inesse Accidentis quod dependens sit à Subjecto alioquin etiam formæ materiales essent Accidentia, sed per hoc quod sit extra Essentiam Entis per se et accidat illi.

Difficultas

Difficultas 4ta.
Quæ res possint naturaliter et Divinitus creari.

Dico 1mo Animam Rationalem materiam primam et omnem Substantiam immaterialem creari connaturaliter. Ratio est quia hæc ex natura sua non dependent ab illo subjecto. Dico 2do Formas substantiales materiales et omnia Accidentia absoluta sive sint materialia, sive immaterialia connaturaliter non creari posse tantum Supernaturaliter. Ratio 1mi: quia ex natura sua verè dependent à Subjectis. Ratio 2di: Tum quia quantitas in Eucharistia creatur, tum quia tales Formæ non dependent immediatè seipsis sed per dependentias à se distinctas quæ proinde possunt à Deo per alias perfectiores suppleri. Dico 3tio: Probabilius est etiam modos posse Divinitus creari. Ita Hurtad. Ratio est eadem quia et hi si solam accipias eductionem, non dependent seipsis propriè à Subjectis sed per passionem à se distinctam, et idem est de aliis quoque modis de Subsistentia. Dixi autem (non dependent propriè) quia si dependentiam sumo latius prout significat illam connexionem seu intimam adhæsionem quâ una res non potest esse sine altera seu separari ab illa, sic modi seipsis dependent et non possunt etiam esse Divinitus sine rebus quarum sunt modi, sed hoc non impedit quominus possint creari cum possint esse affixi rebus, nec tamen propriè dependere ab illis ut certum est de omni Actione respectu sui termini. Sed quæri hic potest: Utrum Divinitus generari possit res quæ naturaliter est terminus Creationis. Resp. De Angelis et materia prima certa videtur pars negativa quia generatur res ex subjecto quod afficit ut Forma, repugnat autem materiam primam aut Angelum esse Formam. De Anima quoque Rationali censeo absolutè non posse etiam Divinitus illam generari, ita Hurtad. Ratio est: quia quando Res producitur modo non connaturali, requirit modum productionis qui eminenter contineat productionem connaturalem et sic generabile potest creari, quia creatio generationem continet eminenter. At verò nulla generatio quantumvis sit supernaturalis eminenter continet creationem quia semper est modus imperfectior producendi et existendi quam creatio.

Difficultas quinta.
Utrum Creatura possit Creare?

Potest hoc intelligi vel ut Causa Principalis, vel ut Instrumentalis, et hæc vel naturalis vel certè per Potentiam obedientialem. Circa 1mum Durandus et quidam alii pauci qui dicunt creaturam posse viribus propriis attingere creationem. Communis tamen omnium Theologorum sententia est negativa à quâ ut meritò censet Hurtadus non est tutum recedere. Quare Dico nullam creaturam posse propriis viribus seu ut causam Principalem creare. Hujus conclusionis præcipuum Fundamentum et Authoritas et consensus omnium Doctorum. Ita S. Athanasius ser. 3. contra Arianos. Administrare, inquit, creaturarum ac Servorum est, condere autem atque creare Solius Dei ac verbi ejus et Sapientiæ. Similiter S. Cyrillus lib. 2 Contra Julianum. Efficaciter posse operari ut Creatorem et producere res quæ aliquando non erant, esse unum ex iis quæ sunt quæ propria sunt Solius et Summæ Substantiæ. Rationes hæ videntur potissimæ. 1ma Quia illa independentia ab omni potentia creata seu concausa, soli videtur posse convenire potentiæ increatæ, quæ cum extra se nullam aliam potentiam creatam supponat ad agendum, tantum requirit potentiam objectivam seu possibile per non repugnantiam. 2da Quia Creatio est prima omnium Actionum quam potest communicari esse participatum. Et. Verisimile est hanc Actionem talem ex natura sua esse ut essentialiter postulet manare ab ipso esse per essentiam seu ab ipso Ente primo.

3tia.

3tia. Quià juxta commune Axioma: Modus operandi imitur modum essendi. Atqui omnis creatura in suo esse est mutabilis et aliquando involvit Actum et Potentiam. Est enim composita vel ex materia et forma, vel ex natura et accidente, vel ex natura et supposito. Ergo etiam modus ille connaturalis operandi non est alius nisi per motum vel mutationem et inducendo Actum in potentia atque adeo dependens à Potentia Passiva. Circa 2dum Dico 1. Non posse ullam creaturam esse connaturale instrumentum creationis. Probatur: Quià vel illud esset Accidens, vel substantia. Non Accidens quià hoc cum habeat modum essendi dependenter à materia, non alium etiam habet modum operandi, sive operetur ut principalis causa sive ut instrumentalis quia utroque modo Actio consequitur esse connaturale Formæ. Non etiam substantia tum quià etiam illius modus essendi est improportionalis huic modo operandi, tum quia solis accidentibus ut patet inductione, convenit esse instrumentum. Substantia enim cum sit Ens per se, non potest illius finis connaturalis esse quod sit instrumentum tum ad aliquam Actionem, nisi talis Substantia sit aliquo modo partialis et comparetur ad eam cujus est instrumentum ut pars ad totum, et tunc etiam habet se potius ut deferat virtutem instrumentariam quam ut instrumentum per propriam substantiam. Tum denique quià non potest respectu cujus causæ principalis posset esse instrumentum. Deus enim non indiget ullo instrumento ad creationem. Dico 2 Supernaturaliter posse assumi aliquam creaturam ut instrumentum ad creandum, illa sententia est communis contra Thomistas. Ratio est quià virtus Dei infinita potest supplere omnem illam in proportionem creaturæ ad Creatorem sicut supplet cum elevat cursu suo Actuali aliquas res creatas ad producendos effectus supernaturales v.g. cum elevat aquam ad producendam generationem, ignem ad urendos spiritus. Neque in hoc videtur ulla disparitas. Utrobique enim Actio huius instrumenti non attenditur ex perfectione ejus; sed ex perfectione primi agentis et in subjectione instrumenti respectu primæ causæ. Obiicies 1mo: quia si creatura possit creare supernaturaliter, posset producere Ens in quantum Ens. Ergo posset producere seipsam quià continetur intra latitudinem Entis. R. Quandò dicitur Creatio producit Ens in quantum Ens, dupliciter posse intelligi illud in quantum. 1 Specificativè ita ut faciat sensum: Creatio producit totam hanc Entitatem determinatam ita quod nihil illius præfuerit antea, et sic est vera propositio; sed est neganda illa consequentia secunda. 2 Reduplicativè ita ut reduplicet totam rationem Entis non solum quæ est in hac determinata creatura; sed in omni alia, et sic illa propositio est falsa, quià quandò Deus creat, non producit suam Entitatem, et hoc sensu neganda est prima sequela. Obiicies 2do: Inter Ens et nihil est infinita distantia eo quod non sit imaginabilis alia major. Ergo Requiritur virtus infinita ad producendum aliquid ex nihilo etiam supernaturaliter. R. Distinguo Antecedens. inter Ens infinitum et nihil Ante. Concedo. inter Ens finitum et nihil, nego Ante. Quodlibet enim distat à nihilo per gradus Entis quos habet. Obiicies 3tio: De ratione instrumenti est quod habeat aliquam præviam Actionem. Sed etc. Ergo etc. R. Ne. majorem, licet enim aliqua instrumenta prævie operentur, hoc tamen per accidens est ad rationem instrumenti ut supra vidimus. Et de tali instrumento nimirum propriè operante locutus est S. Thomas quando negavit posse assumi instrumentum ad creationem.

Sectio Secunda
De
Secunda Actio,
ne quæ est Con
servatio.

Tria hic decienda sunt. 1mum est. Utrum omne Ens creatum dependeat à Deo in conversari. 2dum quænam sit ista Actio conservativa et quomodo à productione differat. 3tium utrum à solo Deo res creatæ dependeant

dependeant in conservari. Quoad attinet ad 1mum. Ratio dubitandi est. 1mo quia postquam res semel
accepit ēē, non est cur debeat ampliq dependere actualiter ab aliqua causa conservante cum posit reti-
nere suum ēē semel sibi datum dum modo non auferatur per aliquam Actionem contrariam, et ideo dicuntur aliqua
entia corruptibilia. 2do quia spectat hoc ad Divinam Omnipotentiam ut tales ponat effectq qui postquam se-
mel sunt positi perseverent in suo ēē etiamsi esset Actio Agentis. 3tio quia neq ex parte creatura-
rum potest ostendi illa radix talis indigenæ et perfectionis quod enim non participent à Deo ēē cum
æqualitate illiq ēē id non valet, quia etiam aurum productum à Sole non participat æqualem perfecti-
onem Solis, et tamen non dependet in conservari ab illo. Dicendum tamen est omnia Entia extra
Deum pendere in suo ēē ex Divina conservatione. Hæc conclusio certa imprimis est ex fide: sæ-
pè enim id S. Scriptura docet ut Act. 17. In ipso vivimus, movemur et sumus. Sapient. 7 Attingit à fine
usq ad finem fortiter et disponit omnia suaviter, et 11 quomodo aliquid permanere potuisset nisi tu vo-
luisses aut quod à te vocatum non ēēt conservaretur. Ion. 5. Pater meus usq modo operatur. Hæb. 1. Por-
tans omnia verbo virtutis suæ. Et denique naturali lumine id demonstrari potest 1) A Priori quia quan-
do aliquid ex natura et essentia sua postulat et indiget alio non solum ut fiat tali vel tali Actione"
sed ut absolutè sit, hoc dependet ab illo non solum in fieri; sed etiam in conservari. Sed omnia Entia
creata ex intrinseca et reali ratione sua postulant primam causam et indigent illa ut sint absolutè. E.
Dependent ab illa non solum in fieri; sed etiam in conservari. Major est certa. Quia quicquid illud ēē
ab intrinseca et absoluta necessitate postulat ut sit, semp postulat quamdiu est: quia semper est idē
& quod per se primo illi convenit, semper illi convenit. Minor Probatur: quia omne Ens p participatio-
nem ut sit essentialiter, postulat Ens per Essentiam à quo habet ēē participatum. Sed omnes cre-
aturæ sunt entia per participationem. Ergo ut sint absolutè, ex sua intrinseca et essentiali
ratione postulant Ens p Essentiam et indigent illo, utpote à quo ēē illud suum ēē participant. 2) Ea-
dem Conclusio à posteriori demonstrari potest quia alioquin sequeretur quod Deus nihil posset annihilare. Nā
cum annihilatio nihil sit aliud quam suspensio influxq quo Deus rem in suo ēē detinebat, supposito quod
nullq talis sit influxq, nullq etiam restat modq quo Deus posset rem aliquam annihilare. Et sic
posset aliquid contra Dei voluntatem in suo ēē pmanere quod est absurdum et repugnat absoluto
Dei dominio in creaturas. Et ex his patet longè diverso modo effectum pendere à causa secunda
et à Deo quia causa creata indiget solum quoad tale fieri seu ut fiat tali Actione, non vero
absolutè ut fiat et sit; prima vero causa indiget absolutè ut, & licet aliquando pendeant etiam in con-
servari aliqui effectq à causis creatis ut v. g. Lux à Sole, hoc tamen non est ex absoluta neces-
sitate sed tantum secundam quandam participationem & juxta ordinem naturæ. Ad rationes
dubitandi R. Ad 1mam Patet ex dictis Responsio. Nam eadem indigentia quæ est in ēē creaturæ
in primo instanti quo fit ut sine alterius Actione ēē non possit, est in illa quamdiu permanet in ēē
quia etiam tunc est Ens essentialiter ab alio. Unde deficiente illo influxu, statim in nihilum re-
digeretur. Et quoad hoc est eadem ratio etiam de Entibq incorruptibilibq quia illa dicuntur talia so-
lum p ordinem ad agentia naturalia seu creata. Ad 2dam R. Potiq contrarium exigit ipsiq
plena potestas & dominium in creaturas. Ad 3tiam. Ostensum est hoc provenire ex conditione
Entis essentialiter ab alio participati, alioquin si vel per minimum momentum posset permanere sine
Actuali in.

Actuali influxu causæ Primæ, semper posset esse sine tali influxu neque ex intrinseca ratione sua postularet dependere ab alio quod est proprium esse infinite perfecti. Non quælibet inæqualitas infert illam independentiam in conservari, hæc tamen infert quæ est inter esse per Essentiam et esse participationem seu inter esse essentialiter dependens et esse independens. Et propter hanc etiam dependentiam essentialem creaturæ possunt dici tendere in non esse, non quidem eo sensu quod habeant ingenitam propensionem ut sint; sed quia cum essentialiter sint ab alio, non sufficiunt sibi ipsis sed egent auxilio Entis a se retinentis illas ut sint. Quoad attinet ad 2dum. Dico 1mo Quando terminus ab iisdem prorsus omnibus causis conservatur a quibus est productus, conservatur non distinguitur realiter a productione sed tantum sed tantum ratione. Est Sententia S. Thomæ, Suarii et aliorum communis contra paucos. Probatur Prima pars Conclusionis; Quia nullum est tunc sufficiens fundamentum ad distinguendas has Actiones. E. sine causa asseruntur distinctæ. Quid enim causæ esset ut illa Actio prior interrumperetur vel cessaret ut deinde alia inchoaretur supposito quod sit idem simpliciter terminus et ab iisdem omnibus causis sit conservandus a quibus est productus. Confirmatur: quia non apparet quomodo in agente libero possit Actio multiplicari absque novo usu libertatis. Obiicies 1mo: Si Deus annihilaret Angelum et postea eundem crearet, Actio posterior esset diversa realiter ab illa prima quamvis idem prorsus esset terminus et eadem prorsus causa. E. Similiter etc. Resp. Transeat Antec. Nam posset etiam per eandem Actionem secundo reproductam illum Angelum secundo creare, hoc tamen argumento non probatur nisi quod manentibus iisdem causis et termino possit variari realiter productio a conservatione imo et ipsa conservatio prout fit in diversis partibus nostri temporis, quod non Nego; sed Dico id esse superfluum et non connaturale supposita identitate termini et Principii. Obiicies 2do: Privatio est Actio indivisibilis præteriens et carens duratione. At vero conservatio est permanens. Præterea si eadem Actione res conservaretur qua fit semper quamdiu est, esset in quodam continuo fieri, quia primum ejus fieri continuo duraret. Resp. Disting. Productio caret duratione secundum rem loquendo Nego. durat enim quamdiu conservatio permanet. Secundum nomen concedo quia illi hoc nomen non convenit nisi pro illo primo instanti pro quo connotat negationem prioris existentiæ. Ad Confir: Esset in continuo fieri id est in continuo transitu seu fluxu Nego id est quamdiu semper esset dependeret et acciperet esse per illum actualem influxum quo producta est, Concedo Sequelam majoris. hoc tamen modo posteriori illa vox in fieri improprie sumitur quia in rigore connotat quandam novitatem essendi. 2da Pars Conclusionis Probatur: Quia productio sub hac voce connotat negationem esse prius habiti seu connotat rem prius non extitisse. Conservatio vero connotat possessionem ejusdem esse prius habiti seu rem jam existentem, quæ distinctio est solum rationis, nam et ipse terminus ut existens primo instanti et ut existens toto tempore sequenti a seipso distinguitur solum ratione illa. Ergo diversa nomina significant eandem Actionem secundum diversos respectus seu connotationes. Dico 2do: Quando effectus non ab iisdem omnibus Causis conservatur a quibus est productus tunc necessario distinguitur realiter productio a conservatione. Ratio est clara quia per illam Actionem per quam effectus dependet ab his causis, non potest dependere ab aliis, causalitas enim terminative respicit hunc effectum et hanc causam. Adverte tamen hanc diversitatem esse per Accidens et materialem productioni et conservationi quia non est ex eo quod una sit productio, altera conservatio. sic enim consideratæ, non habent talem diversitatem, sed potius identitatem.

identitatem. Solum igitur oritur illa diversitas ex eo quia una est ab una causa, alia ab alia, quae etiam distinctio potest ēē inter duas productiones supposita diversitate Causarum. Quod attinet ad 3tium Adverte sumendo nomen Conservationis magis propriè dupliciter aliquid ab alio posse considerari 1mo Per Accidens 2do Per se. Per Accidens conservatur ab illo quod se protegit à contrariis vel eis resistendo vel ea removendo, et de tali conservatione certum est posse unam creaturam conservari ab alia. Angelus enim v.g. potest conservare hominem removendo ab illo lapidem aut ignem, et sic ignis in aqua calorem. Conservatio per se potest subdistingui, nam una est remota et media quae consistit in influxu aliquarum dispositionum vel Formarum necessariarum ut res in suo ēē permaneat, et de tali etiam conservatione non est dubium potest enim una creatura agere in Qualitates consentaneas naturae alterius quibus immediate conservet. Alia est Directa et immediata quae consistit in perseverante influxu ipsiusmet ēē quod per productionem fuit communicatum et de hac solum conservatione procedit quaestio. Dico igitur 1mo Nullam causam univocam effectum suum directè et immediatè conservare, quod constat experientia tam in Substantiis quam accidentibus, quae ubi acceperint ēē à causis suis Univocis, non amplius dependent ab illis in conservari. Ratio verò est 1mo Quia recipiunt perfectè agentium Formas secundum speciem. 2do Quia alias unum individuum unius Speciei secundum suum ēē diceret essentialem vel saltem connaturalem habitudinem dependentiae in ipso ēē ab alio individuo ejusdem speciei, ideo enim dependeret ab illa causa non solum in fieri sed etiam in conservari, et sic vel procedendum ēēt vel in infinitum, vel necessario sistendum esset in aliquo, vel aliquibus quae non connaturali modo conservent, utrumque autem est prorsus falsum. Dico 2do Non omnes qui pendent à Causis secundis aequivocis in fieri pendere etiam ab iisdem in conservari; sed aliquos tantum. Utraque patet Conclusionis experientia. 1a Quidem quia aurum v.g. dependet in fieri à Sole et similiter Calor à lumine, et tamen neque aurum dependet in conservari à Sole, neque calor à lumine. 2da verò Pars quia Lumen dependet à Sole non solum in fieri; sed etiam in conservari, et Actus vitales à Potentia & species intentionales sensuum externorum ab objectis. Porro ratio hujus discriminis inter effectus, illa datur à Sorario quia sunt aliqui effectus qui ita producuntur à causa aequivoca ut possint idem in specie produci à causa univoca qualis v.g. effectus est calor qui ita procedit à luce ut possit etiam procedere ab alio calore, et tunc ejusmodi effectus Qualitas v.g. licet interdum fiat à Superiori Qualitate, non pendet tamen ab illa in conservari quia cum ex natura sua non petat dimanationem ab illa superiori causa ut sit, non est cur ab illa pendeat in conservari licet fiat ab illa. Quandò verò effectus sunt ejusmodi qui nunquam possunt produci nisi à causa aequivoca quale est v.g. Lumen quod semper à corpore luminoso produci debet, tum signum est ejusmodi effectum dependere ab agente etiam in conservari quia sicut absolutè indiget illa dimanatione ut sit, ita similem influxum requirit ejusdem causae ut in esse permaneat. Sunt et aliqua alia hujus indigentiae quam effectus habet in conservari à suis causis signa. 1mum est Emanatio ob quam Potentiae & proprietates aliquae pendent in fieri & conservari à Formis quarum sunt v.g. ~~secundum speciem. 2dum quia alias~~ Lux in corpore luminoso à quo emanat. 2dum Diminutio Entis sive imperfectio in entitate qua de causa modi pendent in conservari à rebus à

quibus re

quibus re à quibus resultant. 3tium Connexio peculiaris cum principio vitali, ideò enim actus vitales visio v.g. intellectio pendent in conservari ~~à rebus à quibus resultant~~ ab Anima quià peculiarem cum illa habent connexionem. 4tum Ordinatio peculiaris naturæ quia nimirum natura ordinavit aliquid ad peculiarem effectum sic. v. g. Species intentionales pendent in conservari ab objectis quià natura suâ ordinatæ sunt à natura ad perceptionem eorundem objectorum in præsentia existentium. Et ex his patet 1mo Cur Deus in quibusdam effectibus ita se habeat ut cessantibus illorum caussis secundis proximis ipse continet conservationem illorum, in aliis verò non item, hoc enim ideo est quià interdum effectus petit ex natura sua et ratione sui esse absolutè & præcisè considerati talem caussam ut sic aliquandò verò solum ratione talis Actionis, quando ergo effectus manat priori modo ab aliqua caussa, tunc non postulat à Deo conservari in absentia suæ caussæ, et si conservaretur, non connaturaliter conservaretur cum ex natura sua petat determinatè conservari ab alia caussa. Quando verò manat posteriori modo debetur illi conservatio ratione ipsius esse iam accepti et cum ex se non determinet sibi ullam caussam. Connaturaliter postulat conservari à quacunque etiam prima ad quam spectat conservare quicquid factum est iuxta modum connaturalem. Patet 2do: Non minori virtute & concursu indigere omnes effectus creatos ad conservationem sui quam ad productionem. Nam ut ostensum est: Actio conservativa per se non est distincta à productiva, et quamdiu effectus aliquis illud suum esse retinet, tamdiu illud recipit ab aliqua caussa per se sufficiente ad dandum tale esse. Undè etiam colligitur quod Creaturæ cum à solo Deo conservantur uberiore concursu ab illo conservantur quanquam sit ille universalis quo cooperabatur ut caussa prima caussis secundis ad tales effectus.

Quæstio de Idea seu causa Exemplari.

Quod Græcis Idea hoc apud Latinos est Forma seu imago sive exemplar quod proponit sibi aliquis ad imitandum. Hoc autem duplex est: Aliud internum in mente agentis, aliud externum. Exemplar internum est illud, ad quod respiciens Artifex intendit assimilare opus faciendum v.g. Domus lignea ad quam respicit artifex ut faciat aliam similem. Dicitur externum quià est extra Animam. Exemplar internum est illa Forma quam artifex habet in mente et quam vult exequi in opere ut domificator domum mente concipit cui similem vult parare. His præmissis quæri potest 1mo An detur idea seu causa exemplaris? Dico quod sic: Ita Exodi 20. Inspice & fac secundum exemplar quod tibi in mente sit monstratum. Testatur hoc ipsum Böetius lib. de consolatione:

> Tu cuncta superno
> Ducis ab exemplo pulchrum, pulcherrimus ipse
> Mundum mente gerens.

Et Ratione probatur quià si agentia intellectualia non haberent Ideas, agent temerè et imprudenter. Consequentia. Antecedens patet: quià illud agens quod non cogitat quæ illi facienda sunt, agit imprudenter & temerè; sed quià caret ideis, non cogitat ea quæ illi facienda sunt. Ergo qui caret ideis agit imprudenter &

et temerè. Unde S. Augustinus ait eos qui negant ideas in Deo debere etiam fateri Deum irrationabiliter fecisse quæ fecit. Confirmatur Conclusio. Quia omne agens operatur per aliquam Formam quæ illi sit virtus operandi et cui assimilet effectum ut patet in agentibus naturalibus seu determinatis. Sed in agentibus intellectualibus nulla alia est Forma per quam sibi assimilent effectus quam Ideæ. Ergo Agens intellectuale habet Ideas. Quæri potest 2do: Quid sit Idea? Dico Idea est Forma quam effectus imitatur ex intentione Agentis. Est Sententia S. Thomæ desumpta ex S. Augustin. Lib. 12 De Civitate c. 15. Dicitur Forma loco generis quia est communis omnibus agentibus naturalibus & intellectualibus. Dicitur (quam effectus imitatur) ad differentiam Ideæ speculativæ, quæ sicut non est Activa, ita nec eam imitatur effectus. Dicitur (ex intentione agentis) ad differentiam eorum effectuum qui casu repræsentant aliquam Formam cujusmodi est imago cæsaris si quis pictor de cæsare nil cogitans, ipsius tamen imaginem depingeret. Dicitur denique (Determinantis sibi finem) ad differentiam aliorum agentium quæ non agunt per intellectum quæ licet agant propter finem, non tamen ex cognitione finis quem sibi possint determinare cum jam sint determinata ad suos fines ab authore naturæ. Dices: Bruta Animantia determinantur ad opera facienda propter aliquem finem à speciebus repræsentativis ipsa opera et à cognitione sensitiva. Ergo Bruta animantia agunt per ideas. Antec. patet. Nam hirundo in ædificatione nidi et Araneus in textura telæ terminantur ad opera illa à cognitione sensitiva propter suos fines. R. Licet bruta animantia agant propter finem ex ductu naturæ, et licet habeant species repræsentativas quæ inserviant cognitioni sensitivæ antecedenti motum appetitus. Eæ tamen species et cognitio sensitiva non est Idea quia bruta cum operentur sine ratione et sine comparatione unius cum alio, non possunt ita operari ut assimilent opera facienda ipsis speciebus et cognitioni sensitivæ quod requiritur ad rationem Ideæ ut benè significant illa verba Definitionis (ex intentione agentis determinantis sibi finem. Quæri potest 3tio: Utrum Idea sit conceptus Formalis vel Objectivus? In hoc non conveniunt. Aliqui enim dicunt solum Conceptivum esse Ideam: Aliqui solum conceptum Formalem: Aliqui utrumque ita ut duplicem concedant Ideam; In mente unam operantis Formalem quæ sit subjectivè in mente agentis ipsam scil: cognitionem exemplaris, Alteram Objectivam ipsum nimirum exemplar objectivè existens in mente Artificis ad cujus similitudinem opus est faciendum. Cum his igitur R. et Dico tam ipsum conceptum Formalem quam objectivum spectare ad rationem causæ Idealis seu exemplaris. De conceptu Formali Probatur quia illud est Idea quod dirigit opificem ut ad ejus similitudinem producat opus. Sed conceptus Formalis dirigit Artificem et ad similitudinem intentionalem ejus, seu juxta dictamen illius

dictamen illius producit opus. E. minor Probatur: quia conceptus Formalis dictat opus modum quo opus sit faciendum, ipse enim conceptus Objectivus non est sufficiens seipso dirigere immediatè operantem nisi media cogitatione ipsius. Confirmatur: Quia Idea est Forma intellectualis constituens in Actu primo agens intellectuale ad operandum, ut est imago operis faciendi sed hujusmodi est conceptus Formalis. E. Minor est certa. Sicut enim se habet Forma naturalis ad constituendum agens naturale in Actu primo ad effectum naturalem: ita se habet Forma intellectualis ad constituendum agens intellectuale. Minor Etiam videtur clara cum ut iam dixi Formalis conceptus dirigat operantem sitque propriè Forma Intellectualis et imago Formalis intentionalis operis faciendi. Quod verò etiam exemplar objectivum pertineat ad rationem causæ Idealis Probatur: quia illud est propriè causa exemplaris ad quod respiciens Artifex cum operatur ex intentione assimilat effectum. Atqui conceptus objectivus est hujusmodi ad quem respiciens artifex de facto operatur, ut cum v.g. vult efformare Pontificem, respicit ad Pontificem quem habet in mente. Idea enim interna proportionalis se habet ad externam. Sed cum Artifex operatur dependenter ab exemplari externo, respicit illud ut simile efformet opus. Ergo Non solum Formalis conceptus; sed etiam Objectivus pertinet ad rationem et integritatem Ideæ. Objectivus tanquam id ad quod respiciat Artifex. Formalis autem tanquam id quo recipiat & immediatè dirigatur. Contra hanc secundam conclusionis partem Obiici potest 1mo: Si Idea esset aliquod objectum in mente vel esset illud idem opus quod per Ideam faciendum est vel aliquod aliud. Non primum. Quia cum Idea sit causa operis faciendi, sequeretur quod idem esset causa sui ipsius. Non secundum: Sæpè enim contigit quod artifex dum facturus est aliquod opus externum iam factum ad cujus similitudinem velit operari cum possit ex ingenio novum invenire. R. Aliquandò Artificem requirere exemplar aliquod externum cum v.g. non habet ita fortem imaginativam ad cujus similitudinem vult facere opus ut pictor ad pingendam imaginem proponit sibi aliquam similem pingendæ; aliquandò verò nullum recipit exemplar externum sed ad opus tantum faciendum ut sunt multa quæ ex ingenio operantis de novo fiunt sine ullo exemplo proposito, tunc ergo ille conceptus objectivus ad quem respicit agens dum operatur est exemplar objectivum operis faciendi. Neque tamen ex hoc sequitur idem prorsus esse causam exemplarem sui ipsius. Imprimis enim diversam habet existentiam ut est causa Exemplaris, diversam ut est effectus realis à parte rei productus. Præterea non cognoscitur tunc expressè opus illud in individuo faciendo. Non enim habet intellectus artificis Speciem differentiæ individualis operis faciendi per quam determinetur ad cognitionem illius, solum igitur cognoscitur tunc opus tale in specie seu indeterminatum quoad rationem individualem realem. Obiicies 2do: Idea Objectiva tantùm remotè concurrit mediante scil. cognitione &

conseq.

consequenter per Accidens. R. Transeat quod non ita proxime et immediate concurrat sicut Formalis sufficit tamen quod concurrat immediate in suo genere atque adeo per se, nam ipsius etiam Formalis Ideae tota rectitudo & virtus illius regulans ac dirigens pendet ab Idea objectiva, quam sibi artifex imitandam proponit, et ita ipsa Idea Formalis regulatur quodammodo et mensuratur prius ab objectiva et post regulat et mensurat opus. Obiicies 3tio: Idea est id quod determinat opus ad operandum. Sed sola hoc praestat cognitio. E. R. Neg. majorem. Tunc enim Artifex sufficienter determinatur quando habet sufficientem directricem ad faciendum, hanc autem non habet a sola cognitione; sed etiam ab objecto cui assimilat effectum. Obiicies 4to: DEUS cum sit opifex rerum omnium, habet suas Ideas quae consistunt in solo conceptu Formali. E. Idem dicendum est de quovis creato agente intellectuali. Antec. patet: quia illae sunt aliquid reale in DEO, hoc autem nihil aliud esse potest nisi conceptus Formalis. E. R. Nego Antecedens quoad secundam partem illius. Nam et in DEO praeter Ideam Formalem creaturarum datur Idea Objectiva ipsa scilicet essentia Divina cognita ut participabilis & aliquomodo imitabilis a creaturis, quatenus nimirum DEUS ex cognitione suae Essentiae aliquomodo dirigitur ad unam quamcunque rem creatam faciendam, sicuti illa potest & postulat fieri. Idea enim objectiva est quaedam imago sive Forma in quam Agens intellectuale intuetur ut aliquomodo assimilet effectum, hoc autem convenit Essentiae Divinae ut cognitae ab ipso DEO. Unde Differentia est inter Ideas Divinas & nostras, quod nostrae consistant in aliquo conceptu Objectivo qui potest realiter existere extra nos. Ideae vero Divinae objectivae consistunt in aliquo quod est in ipso DEO puta Essentia Divina quae repraesentat objective singulas creaturas ut Archetypus earundem. Et licet sit una simplicissima, quia tamen est infinita, et infinitae res ex ipsius Objectiva repraesentatione produci possunt, habet quandam pluralitatem virtualem seu per connotata extrinseca. Quaeri potest 4to. Ad quod Genus causae sit revocanda Idea? Supponitur Ideam esse aliquam causam ex communi Philosophorum & Theologorum consensu. In iis enim quae operantur per Intellectum per se necessarium est exemplar ut rationabili modo possint Actionem suam indefinitam ad effectum dirigere, nam cum natura sua non sint limitata ad determinatas Formas effectibus tribuendas sicut naturalia agentia oportet ut suo proprio & intellectuali modo determinentur. Quamvis autem quoad exercitium Actionis suae possint determinari per voluntatem, tamen quoad Specificationem & directionem ejusdem per intellectum indigent propriis exemplaribus talium effectuum ut artificioso & intellectuali modo possint illos operari. Neque per solam Artem possunt determinari, quantumvis enim Agens artem habeat perfectissimam, adhuc tamen sine Idea est indifferens ad inducendam hanc potius Formam quam aliam. Hoc supposito DICO 1mo Exemplar ut est exemplar non habere causalitatem finis neque materiae. Probatur, et quidem de Causalitate materiae certum est, de causalitate autem Finis Probatur, tum quia finis determinat Artificem ad volendum opus, non autem ad faciendum tali vel tali modo, tum quia Finis praecedit agens quod movet et per consequens Ideam, tum quia Effectus non assimilatur Fini ut finis est. Dices: Propter Ideam Agens operatur ut illam imitetur. Ergo Idea est Finis. R. Dupliciter aliquid potest operari propter

propter aliud. Vel propter aliud quod se moveat et determinat extrinsecè ad hanc operationem, et ita operantur propriè finem. Vel propter aliud quod se moveat et determinet intrinsecè ad talem vel talem actionem, et sic propter Formam naturalem agentia naturalia, propter Ideam verò agentia intellectualia operant. Unde diverso etiam modo determinat operantem, diverso autem Idea, quia Finis determinat extrinsecè non complendo videlic. Actum primum agentis, idea verò determinat intrinsecè complendo aliquomodo virtutem illius Activam. Dico 2do: Idea respectu Agentis pertinet ad causam Formalem; et quidem si sermo sit de Idea formali, certum est illam exercere veram causalitatem Formalem quia verè informat intellectum Agentis. Si autem sermo sit de objectiva, illa etiam cum det speciem cognitioni seu Ideae Formali, potest reductivè causam Formalem revocari et esse Forma extrinseca. Dico 3tio Ideam respectu effectus seu operationis externi reductivè pertinere ad genus causae efficientis. Probatur: quia ita se habet Idea in artifice in ordinem ad opus externum sicut se habet Forma naturalis in causa naturali in ordinem ad effectum naturalem. Sed Forma naturalis est causa efficiens eorum quae fiunt naturaliter. E. Major probat: quia sicut Agens naturale complet et determinat ad tales effectus per Formam, ita etiam agens intellectuale complet aliquomodo et determinat in Actu primo ad faciendum talem vel talem effectum. Dixi autem in Conclusione (Reductivè) quia Idea non habet ullum influxum rigorosum in effectum: et quidem si sermo sit de objectiva, certum videtur quia objectum solum potest concurrere Physicè efficienter mediatè per speciem suam intentionalem ad cognitionem sui. De Formali etiam Probabilius est quod non habeat ullam Efficientiam in opus; sed tantum concurrit ad illud dirigendo seu dictando modum illud faciendi. Quare Adverte dupliciter aliquam causam posse intrinsecè determinari ab aliquo ad aliquem effectum. 1° Per aliquam causalitatem veram in eundem effectum, sicut v.g. species intentionalis determinat potentiam ad talem Actum cognoscitivum. 2° Sine ulla propria causalitate quod tunc fit quando aliquod agens potest simpliciter operari et sufficiens est ex se sine alio causante; sed tantum indiget aliquo quasi applicante se, et ita se habet potentia naturalis et Idea quae determinat operantem solum repraesentando vel Formaliter si sit Formalis Idea, vel objectivè, si objectiva. E.

De Motu in communi.

Caput Primum.

An et quid sit motus.

Dari motum ita clarum est ut non aliquo opus sit Argumento ad illum probandum quam de Ambulatione: ita Aristoteles Zenonem convicit. Cum enim deambulare coepisset, dixisse fert: Stulte nonne iste est motus. Argumenta contra motus existentiam sunt haec: 1mum Motus nec produci potest, alioquin iret in infinitum cum deberet per alium produci motum, neque corrumpi quia nec tunc corrumpitur cum est; quod enim est, dum est corrumpi non potest neque etiam cum non est, quia non Ens, corrumpi non potest. Ad hoc R. motum produci mediatè sicut diximus de Actionibus; corrumpitur autem in instanti extrinseco, in quo verum est dicere, nunc primo motus non est immediatè, ante fuit, et ideò corrumpitur quod immediatè ante fuit Ens. 2dum Quia nihil potest

nihil potest moveri. E[rgo] Non datur motus. Antecedens Probatur 1mo quia nihil potest moveri in spatio sibi æquali, sed non nisi in majori, nihil autem potest esse in majori se spatio. 2do Quia vel movetur in loco illo ubi est, vel ubi non est: Non primo in primo quia in illo quiescit, non In Secundo quia nihil ibi movetur ubi non est. 3tio in quolibet instanti illud mobile quiescit. Ergo Nunquam movetur. R[espondeo] Neg. Antec. Ad 1mam Probationem Dico non posse quidquam moveri existens in Spatio æquali permanente potest tamen existens in transeunte et successive transeundo Scil: ex uno adæquato ad alium adæquatum. Et similiter nihil potest esse in Spatio majori se simul et permanenter potest tamen successivè. Ad 2dam Dico moveri in loco in quo est successivè unum continuum deserendo et alium acquirendo. Ad 3tiam Licet in quolibet instanti uno quiescat negative id est seu non moveatur, movetur tamen in tempore. Quod attinet ad 2dum Aristot. Libro 3tio Physicorum Tex 6. motum sic definit: Motus est Actus Entis in potentia prout in potentia. Hæc Definitio ab omnibus recipitur. Pro cujus explicatione Adverte Actum non solum primum sed etiam Secundum dividi in Perfectum et Imperfectum. Actus Secundus Perfectus est per quem Potentia sive Subjectum ita Perficitur ut per illum non tendat ad ulteriorem perfectionem ut sunt omnes Formæ tam Substantiales quam Accidentales, et hæ quidem possunt dici Actus imperfectus ut si Qualitas sit remissa; sed per Accidens, non per se sicut est motus imperfectus. Actus Secundus imperfectus dicitur illa per quem potentia seu Subjectum ita perficitur ut per illum realiter tendat ad ulteriorem perfectionem, & hic propriè dicitur Actus imperfectus quia est talis naturæ ut constituat Subjectum in via ad ulteriorem terminum seu perfectionem, et est aliquod medium inter Actum primum & Secundum perfectum quia ducit quodammodo Subjectum ab Actu primo ad Actum Secundum perfectum. Dicitur 1mo in Definitione (motus esse Actus) quia videlicet aliquo modo actuat Subjectum imperfectus tamen utpote qui simul est via quædam Subjecti ad ulteriorem terminum. Dicitur 2do (Entis) quæ particula non est sumenda nominaliter prout significat rem quomodocunque existentem; sed Participialiter ut significet idem quod existens ut sensus sit: motus est Actus existentis; quia cum motus sit quoddam Accidens, definiendus est per ordinem ad Subjectum. Dicitur 3tio (in potentia) Per hanc particulam et sequentem dicit Hurtadus nihil aliud significari nisi quod motus sit Actus seu ratio Formalis per quam potentia tam motiva quam mobilis exercetur seu reducitur ad Actum, ita ut illius Definitionis sit sensus. Motus est Actus Entis in potentia id est: Entis in Actu primo potentis, in quantum in Potentia, id est, quatenus potens est movere aut moveri. Sicut visio est Actus Entis in potentia, id est prout videre potest. Seu visio est Actus potentiæ visivæ in quantum visiva est: Ita motus est Actus potentiæ moventis & mobilis in quantum motiva & mobilis est. Hæc explicatio expedita & satis probabilis est. Alia tamen communior melius declarat naturam motus quæ dicit illud (in potentia) additum pro Differentia ut nimirum Actus qui Loco generis fuit positus contrahatur et motus ostendatur non qualiscunque esse Actus; sed esse aliter imperfectus qui scil ex ratione sua positivè ordinat & ducit Subjectum tanquam via ipsius ad ulteriorem terminum seu Actum simpliciter perfectum. Et ideo etiam additur 4to (Prout in Potentia) ne scil: præcedens particula sumatur specificativè ut sit sensus: Motus est actus illius quod est in potentia

potentia; sed potius ut significet mobile sive subjectum esse formaliter in potentia seu magis propriè in via per ipsum motum. Adverte autem hic: quando dicitur constitui subjectum in potentia ad ulteriorem actum, illud in potentia non est sumendum privativè ut connotat privationem ulterioris actus, motus enim in nullo instanti est sine actu seu termino ad quem est motus; sed simul est cum illo, sumendum ergo est illud (in potentia) positivè seu relative. Præterea non sumendum est in actu primo alioquin etiam dispositiones sic constituunt suum subjectum in potentia proxima, motus autem non constituit potentiam in actu primo sed in actu secundo seu in actuali tendentia. Obiicies 1mo: In data definitione nulla fit mentio termini A QUO quem tamen motus essentialiter respicit. Ergo hæc definitio non est bona. Respondeo Neg. Antec. Eo enim ipso quod motus dicatur actus talis qui simul essentialiter sit via, significatur simul habere terminum A QUO et terminum AD QUEM. Obiicies 2do: Tota hæc definitio convenit formæ quæ acquiritur per motum v. g. calori remisso quia tamen non est motus. Ergo. Antecedens probatur: quia calor remissus qui producitur in ligno est actus entis, et convenit illi in quantum est potentia, relinquit enim illud in potentia ad alios gradus intensiores. Respondeo Neg. Antec. Ad probationem Respondeo Calor remissus licet relinquat subjectum negativè in potentia quia non plenè illud actuat, non tamen constituit illud positive in potentia quia ordinat illud positive essentialiter ad ulteriorem actum, unde non potest dici actus entis in potentia prout in potentia est quia verbum hoc, positivam et formalem ordinationem potentiæ ad actum denotat quam essentialiter habet subjectum per motum. Dices: Qualibet forma dicit vel respicit suum subjectum quatenus hoc dicit habitudinem et potentiam positivam formalem ad se. Ergo quævis forma est actus entis in potentia prout est in potentia, sumendo illud: in potentia positivè, non privativè. Ergo quævis forma erit motus. Respondeo Distinguo primum consequens: est actus entis in potentia prout est in potentia per formam constitutum Nego Conseq. Constitutum in potentia per suam entitatem Concedo Conseq. primam et Nego 2dam. Hoc enim solum convenit motui ut essentialiter suum subjectum constituat in potentia proximo et actu 2do seu in actuali via non quidem à se, motus enim non est ad seipsum; sed ad ulteriorem terminum. Et ex his colligi potest motum partim esse actum partim aliquo modo potentiam, quatenus enim respicit actum primum ipsius potentiæ dicitur actus. Quatenus vero respicit actum perfectum dicitur potentia quia est via et tendentia ad illum. Et ideo etiam hoc ipsum utrumque in definitione explicatum est cum hoc tamen discrimine quia actus ponitur in recto utpote loco generis quod semper ponitur in recto potentia vero in obliquo quia ponitur loco differentiæ, quæ etiam in obliquo poni potest.

CAPUT SECUNDUM

An data Definitio conveniat mutationibus solum successivis vel etiam instantaneis?

Adverte motum dupliciter sumi. 1mo pro quacunque sive sit successiva sive instantanea, in qua acceptione etiam generatio substantialis, illuminatio et similes instantaneæ mutationes dicuntur motus. 2do motus sumitur magis propriè pro mutatione non qualicunque sed temporanea seu successiva cujus nimirum terminus seu

forma

Forma totalis non simul et unico instanti attingitur et in subjectum introducitur, sed in tempore seu successive ita ut una pars post aliam introducatur. Unde terminus ad quem talis motus necessario habet aliquas partes vel secundum extensionem vel secundum intensionem. Et hunc solum motum secundo modo acceptum non pauci asserunt illa definitione definiri. Fundamentum illorum est quia per motum instantaneum totus simul acquiritur terminus. Ergo illa mutatio non constituit subjectum partim in actu partim in potentia. Alii tamen probabilius docent ad omnem mutationem physicam illam definitionem extendi ita S. Thomas, Suarez D. 44. met. S. 2 Tol., Rubius, Hurtadus. Cum his igitur, Dico: motum illic definiri prout abstrahit a successivo et instantaneo. Probatur 1° Authoritate Aristotelis qui data illa definitione exemplificat illam in mutationibus non solum successivis; sed etiam instantaneis. Praeterea quia illum hic definit Aristot. motum cujus supra dixerat naturam esse principium. Atqui natura est principium motus non solum successivi sed etiam instantanei. Probatur 2 ratione quia tota illa definitio motus convenit etiam mutationi instantaneae quia et illa est actus et ita imperfectus ut essentialiter constituat subjectum in via ad ulteriorem actum. Fundamentum adversariorum est leve quia licet simul tota forma accipiatur et non per partes, sufficit tamen quod illa mutatio et forma sint duo actus, forma quidem perfectus, mutatio imperfectus ad formam ordinatus et aliquo modo illa prior, hoc enim ipso constituit subjectum in actu imperfecto per quem scil: est simul in via ad perfectum quod est esse actum entis in potentia prout in potentia est. Quaeri hic potest 1mo Utrum motus qui est definitum illius definitionis sit aliquid univocum vel analogum. Ad quod R. et Dico esse analogum. Ratio est 1mo Quia substantiae et accidenti nihil potest esse commune univoce. Ergo et motus ut sic non est aliquid univocum ad substantialem et accidentalem. 2do Quia motus habent terminos a quibus suas accipiunt unitates primo diversos, nam unus terminatur ad substantiam, alter ad accidens. Quaeri potest 2do Utrum motus sit idem quod mutatio. R. et Dico motum primo modo acceptum non distingui a mutatione distingui tamen secundo modo. Ratio 1mi est quia motus quando latius sumitur, significat quemcunque transitum ab uno termino ad alium, quod formaliter est esse mutationem. Ratio 2di quia motus praecisus acceptus dicit per se successionem, at vero mutatio illam non; sed tantum quod aliter nunc habeat se illud subjectum quam antea.

CAPUT TERTIUM
De subjecto motus breviter.

De hoc quaeri potest 1mo Utrum omnis motus sit realiter in mobili? De solo motu locali est controversia; nam de aliis motibus certum est apud omnes eos recipi in mobili quia et termini illorum recipiuntur in eodem; repugnat autem fieri rei esse in alio subjecto ab ipsa re. De motu igitur locali aliqui dixerunt illum non recipi in mobili; sed in loco ipsum circumstante. Fundamentum illorum fuit 1mo Quia Arist. 8 Physicorum t. 59. asserit motum localem esse omnium perfectissimum quia per illum non acquirit mobile aliquid intrinsecum. 2do Quia motus localis ideo dicitur localis quia terminatur ad locum extrinsecum. 3tio Quia si deberet aliquid intrinseci acquirere mobile per motum localem, esset maxime ubi. Sed hoc non quia ad relationem non est motus; ubi vero nihil est aliud quam relatio praesentiae ad spatium, vel distantiae ad polos mundi

mundi. Communis tamen sententia est omnino certa, sicut omnem alium motum, ita et localem recipi in mobili.
Probatur 1mo Authoritate Aristotelis qui 3 Physicorum c. 2 asserit eundem motum esse Actum motivi & mobilis, motivi ut A QUO, mobilis ut in QUO. Item 5 Physi. c. 2 docet ad tria tantum prædicamenta terminari motum Ad Quantitatem, Qualitatem et Ubi quod intrinsecè est in mobili. Ergo et fieri illius seu motus qui terminatur ad illud. 2do Probatur Ratione quia in communi sententia potest esse motus Localis in vacuo ubi non est ullus Locus extrinsecus, in quo igitur tunc motus ille recipietur, et quid per illum acquiretur? Præterea etiam nunc motus non potest habere aliud Subjectum nisi quod per illum movetur et intrinsecè denominatur moveri. Deinde nihil potest esse subjectum fieri suiipsius. Ergo. Dato etiam quod motus localis terminetur per se ad aliquid extrinsecum mobili, adhuc ille terminus non potest esse Subjectum motus. Ad illud testimonium Aristot. Respondeo motum intrinsecè non terminari ad Formam absolutam sicut alii motus terminantur; sed solum ad Ubi quod est modus quidam intrinsecus, et ideo motus Localis dicitur perfectior cæteris ex ordinatione ad Subjectum minus imperfectum utpote quod habet minorem potentialitatem passivam videl. tantum ad modalem perfectionem. Ad 2dum Respondeo motum Localem dici Localem quia intrinsecè et per accidens terminatur ad Locum extrinsecum. Ad 3tium Ubi non est relatio prædicamentalis quæ sola non potest terminare motum. Quæri potest 2do. Utrum indivisibile possit esse Subjectum motus? Supponit quæstio hæc indivisibile positivum dari quod saltim per Divinam potentiam possit separari à Quantitate. Pro hoc enim statu quando existit in Quantitate seu in toto continuo non est dubium ad motum totius, indivisibilia quoque illius (si dantur) moveri. Dico ergo 1mo Indivisibile Divinâ virtute separatum posse naturaliter moveri localiter. Ita Scotus, Tholetus et alii. Ratio est quia in hoc nulla major videtur repugnantia quam cum Angelus aut alia Substantia immaterialis movetur. Obiicies 1 Aristoteles variis in locis et maximè 8 Physic. c. 10 expresse negat. Respondeo Merito quia naturaliter indivisibile non potest potest separari. Adde loqui Aristotelem de motu terminato ad Ubi habente partes ratione Subjecti. Obiicies 2: Quod movetur debet esse partim in termino à QUO, partim in termino AD QUEM; sed indivisibile cum totum sit ubique, non potest esse partim in termino A QUO, partim in termino AD QUEM. Respondeo Majorem esse falsam, si illius sit sensus quod mobile debeat esse secundum unam partem sui in termino à quo, secundum alteram in termino AD QUEM, alioquin Angeli non possent moveri. Si verò sensus illius sit quod mobile cum movetur debeat partim recedere à termino A QUO, partim accedere ad terminum AD QUEM, vera est, et hoc modò etiam indivisibile moveri potest. Obiicies 3. Motus Localis est indivisibilis. Ergo. Debet Subjectari in Subjecto divisibili. Respondeo Distinguo Conseq. Si sit divisibilis tam ratione subjecti quam ratione termini. Si verò solum sit divisibilis ratione termini, Nego Conseq. Obiicies 4 Mobile in motu prius debet transire spatium se minus. Atqui indivisibili nihil datur minus. Ergo. Respondeo Majorem non esse veram absolutè de omni mobili ut patet in Angelis et Animabus nostris. Obiicies 5: Illud Ubi esset materiale. Ergo Haberet partes extensionis et consequenter non posset recipi in indivisibili. Respondeo Conced. Ante, nego Conseq. Quia et ipsum ubicatum licet sit materiale, nullas tamen haberet partes, ita. Ergo et illa præsentia ejus Localis intrinseca permanens quamvis esset materialis, non tamen esset necesse illam esse divisibilem. Porrò motus ad illam terminatus esset divisibilis & successivus non tamen ratione partium ipsius sed tantum ratione partium spatii. Dico 2do Probabilius videtur motu motu alterationis illud indivisibile separatum

Separatum posse moveri naturaliter ita inter alios de Raconis. Probatur quia si illud indivisibile iniciatur
in ignem non est cum non debeat aliquomodo alterari, imprimis enim ipsum indivisibile quamvis non sit
capax qualitatis extensæ est tamen capax ejus indivisibilis, et de facto supposito quod dentur talia indivisibi-
lia absoluta in continuo permanenti, in omni alteratione totius continui, indivisibilibus Subjecti re-
spondent indivisibilia alterationis et Formæ quæ adæquate recipiuntur & sustentantur in illis. Neque dici po-
test id Subjecti indivisibile per separationem dependere hanc capacitatem passivam cum hæc sit
ipsa entitas illius: Rursus ex parte etiam agentis naturalis non videtur deesse virtus Activa per quam
alteretur illud indivisibile sicut de facto non deest cum illud coniunctum partibus ejusdem Subjecti in-
trinsecè aliquomodo alterat. Dixi (aliquo modo) quia certum est alterationem propriè dictam
termini ad Qualitatem habentem partis extensionis. Dices 1º Agens quantum non potest agere
nisi in Subjectum quantum. E. Neque alterare potest nisi Subjectum quantum. R. Distinguo Ante.
Non potest agere Actione terminata ad Formam habentem partes extensionis Concedo Ante. Ter-
minata ad indivisibile seu minimum Formæ, Nego Ante. Dices 2º Inde sequitur per vires agentis
naturalis posse separari hoc minimum seu indivisibile à continuo. R. Absolute Nego. ex Suppositi-
one indivisibilis subjecti quod non sit capax Formæ alicuius; sed tantum indivisibilis ejus concedo. De-
nique quod attinet ad motum augmentationis R. et Dico: Indivisibile seu minimum materiæ sepa-
ratum posse quidem ex se emanare et recipere indivisibile Quantitatis, non posse tamen propriè
augmentari. Ratio 1mi: quia et de facto indivisibilia materiæ supposito quod Actu dentur, ema-
nant ex se indivisibilia quantitatis et illa in se recipiunt. Ratio 2di: Quia sicut nutritio ita
& augmentatio solis propriè convenit viventibus. Quæri potest 3tio: Utrum sola Substantia
sit capax motus localis, accidentia verò non moveantur proprio motu; sed tantum motu Substan-
tiæ. Dico Accidentia moveri distincto motu à Substantia. Ratio est quia accidentia sunt alicu-
bi per intrinsecam præsentiam suam distinctam à præsentia substantiæ, unde annihilata Sub-
stantia et consequenter præsentia illius accidentia adhuc retineat præsentiam suam. E. Alibi
fusius &c.

Disputatio Brevis De Quantitate

Sicut nihil ferè sensibus nostris magis obvium et expositum est quàm Quantitas, ita nihil magis ingenia humana etiam acutissima fatigat sicut Quantitas et omnis continui compositio, ut proinde quisque non immeritò mallet hac in materia aliorum refutare opiniones quàm suam proponere Sententiam. Revera enim hic aliquid dici potest quod difficultates ferè insolubiles non patiatur.

Caput Primum

Quænam sit Ratio et Esse, atque Formalis Quantitatis.

Acriter pugnatur inter Nominales & Thomistas de Definitione Quantitatis à re Quanta: et quamvis neutrius factionis Sententia satis demonstrari possit, suppono tamen ut probabilius: Quantitatem esse Accidens reale absolutum distinctum realiter à re quanta. Quod Probari potest 1mo Ex Definitione materiæ in qua dicit Aristo. neque esse quid neque Quantum, quod tamen non esset verum si Quantitas materiæ esset realiter idem cum illa. 2do Ex mysterio Eucharistiæ in quo sublata substantia panis manet quantitas illius. Neque Placet quod dicunt Nominales non manere ibi Quantitatem panis sed accidentium v.g. albedinis & similium. Contra enim est quià illa quantitas non est propria Accidentium. Hæc enim cum sua propria extensione penetrabiles sunt tam inter se quàm cum Quantitate Substantiæ, simul enim erant cum illa in eodem situ, et tamen nunc de facto dictæ hostiæ consecratæ non possunt neque secum invicem neque cum alia Substantia se penetrare. Fatendum igitur est manere in illis speciebus consecratis rem aliquam ex natura sua repugnantem & loco impenetrabilem cum aliis Substantiis quod nihil aliud esse potest quàm Substantiæ Quantitas, nisi fortè dicas duas hostias consecratas esse impenetrabiles non naturaliter sed supernaturaliter Deo non permittente præter naturam illarum quod est frivolum. Neque à Nominalibus afferuntur in contrarium tam urgentia argumenta ut propter illa communis & trita via deseri debeat. Ergo Quantitatem Definit Aristot. Lib. 5. metaph. c. 13. Quantum est divisibile in ea quæ insunt, quorum utrumque vel unumquodque unum quid, et hoc aliquid aptum est esse. Hæc Definitio vel potius Descriptio utpote data per proprietatem quantitatis, ab omnibus recipitur. Sensus autem illius est: Quantum est divisibile in partes quas in se habet, quarum partium quælibet est apta ut post divisionem sit unum totum quoddam. Per illam particulam (DIVISIBILE) differt imprimis quantitas à puncto quod est omninò indivisibile. Præterea à quovis alio toto integrali quod licet entitativè sit divisibile, tamen exclusa Quantitate non est divisibile quantitativè quia divisibilitas quantitativa oritur ex impenetrabilitate tanquam proprietas quantitatis ex ratione illius formali. Sic enim lapis v.g (& idem est de aliis Quantis) ferro secatur quia illo ideo cogitur loco cedere quià ferrum suo impetu tendit in locum lapidis occupandum cuius virtuti cum resistere nequeat in frustra secatur eius locum ferro occupante. Per illam particulam (IN EA QUÆ INSUNT)

excludunt

excluduntur mixta quæ dicuntur dividi in Elementa quæ non sunt in illis Actû formaliter, sed tantum emi-
nenter: at verò quantum est divisibile in partes quas actu & formaliter habet. Per illam verò Particulam
Quorum utrumque et unumquodque aptum est esse, excluditur compositum essentiale Physicum, hoc enim
quamvis sit divisibile in suas partes essentiales videl. materiam et formam, non tamen quælibet pars ex
his apta est ut sit quoddam totum ejusdem rationis cum illo cujus antea fuit pars sicut quævis pars quantitatis p[er]
divisionem cessat esse et fit quoddam totum. Obiicies: Sunt aliqua quanta quæ non possunt dividi ut v. g. [e]st
coelum. Similiter corpus Heterogeneum animalium perfectorum quamvis sit quantum, non tamen potest di-
vidi quin pars illius desinat esse hoc aliquid quod antea fuit. R. Aliud esse loqui præcisè ex vi quantitatis, aliud
autem ratione subjecti vel materiæ in qua est quantitas, priori igitur modo esse quantum est divisibile etiam
coelum, quantum est videl. ex vi quantitatis quamvis posteriori modo possit non esse divisibile ratione subjecti
quod impedit ne divisibilitas quantitativa ad actum reduci possit. Totum Heterogeneum dividi potest & partes di-
visæ illius licet in ratione Substantiæ non maneant ejusdem rationis, in ratione tamen quanti manent. Et ex his fa-
cilè colligi potest effectus Formalis quantitatis cùm primarius tum secundarius. § 2 Loquendo enim imprimis de ef-
fectû Formali primario Quantitatis. Communis ferè omnium sententia est rationem Formalem quantita-
tis seu effectum Formalem illius primarium esse Extensionem partium extra partes. Sed de hac ipsa Extensione s[eu]
Extraneitate partium est diversitas inter Authores. Notandum enim dupliciter posse aliquid esse extensum & habere
partes extra partes 1mo Entitativè quatenus scil. aliquid habet partes quarum una non sit alia et quæ possunt realiter
à se separari absolutè. 2do Potest esse aliquid extensum et habere partes extra partes in ordine ad locum quaten[us]
videl. aliquod totum ita est extensum in loco ut una pars illius sit extra locum alterius, ut proinde talis extraneita[s]
partium situalis dici possit. Rursus tripliciter aliquid potest esse extensum & habere partes extra partes in or-
dinem ad locum 1) Ita ut quamvis Actû una pars illius sit extra locum alterius et non se intra eundem penetrent,
nullam tamen habeant proximam et formalem repugnantiam propter quam positivè repugnet illas se invicem
aut cum alio corpore Actû penetrare & in eodem loco esse. 2) Potest aliquid esse extensum et habere partes extra
partes in ordinem ad locum ita ut quamvis una pars de facto non sit extra locum alterius sed actû se in eodem
loco mutuo penetrent: dicunt tamen quantum est ex se formalem proximam et positivam repugnantiam
hoc modo essendi in loco eo quod quantum est ex se exigant naturaliter et sui ipsius mutuam et omnis alterius
corporis actualem exclusionem ab eodem loco quamvis per Accidens et contra exigentiam illarum de potentia
absoluta aliter fieri possit. 3) Denique potest aliquid esse extensum et habere partes extra partes in ordinem ad lo-
cum hoc modo, ut illæ partes et Actû tam se mutuo quam quodvis aliud corpus à loco excludant, et prætereà dic[antur]
Actû repugnantiam Formalem proximam positivam essendi simul in eodem loco. His præmissis Dico 1mo Ratio-
nem Formalem seu Effectum quantitatis Formalem primarium non esse extensionem partium seu extraneita-
tem entitativam. Est communis sententia contra plerosque vetustiores Thomistas. Probatur quia Substantia quævis ma-
terialis ex se ipsa indepenter à quantitate habet partes extra partes entitativè quarum scil. una non sit altera
et realiter ab altera est separabilis. C. Talis extraneitas seu extensio Entitativa non est effectus Formalis quantita-
tis. Anteced. Probatur: 1mo Quando enim detrahimus aliquam partem ab aqua, simul cum parte Quantitatis di-
vidimus etiam partem Substantiæ, alioquin præcisa manu ab homine nihil Substantiale illi detraheret; sed sola
pars quantitatis sine Substantia atque adeo sine Subjecto ab illo auferetur quod est absurdum. C. Ante divisionem
erant

erant partes Substantiales integrantes in illa Substantia materiali. Neq valet si dicas illas partes fuisse in Substantia aquæ v. g. solum ratione Quantitatis, hoc enim est inconceptibile in quo videl. genere causæ illa substantialis ablata portio materiæ secundum suam Entitatem fuerit ratione Quantitatis, quia Quantitas non est Principium Activum materiæ primæ utpote quæ à solo DEO creatur, neq est Principium passivum illius quia materia prima non recipitur in Subjectum neq est principium Formale illius quia materia prima non est composita ex Actu et potentia. Neq cogitari potest qua ratione Forma accidentalis qualis est quantitas tribuat tanquam effectum Formalem aliquam Substantialem entitatem cum effectus formalis primarius sit ipsa Entitas rei seu essentia unita. Probatur 2do: Quia per DEi potentiam ablata quantitate à materia prima quæ est in homine, certum est illam portionem materiæ quæ est in capite, non esse illam quæ est in manu v.g. E. Hanc extensionem seu extraitatem partium entitativam habet materia à seipsa, non autem à Quantitate. Antecedens probatur: Quia potest DEus annihilare illam portionem materiæ capitis, conservando aliam quæ est in manibus. Dices illam materiam, tam quæ est in capite tam quæ est in manibus esse quidem quoad Entitatem suam independenter à Quantitate, non tamen quoad distinctionem. Contra est, quia duo conceptus semel identificati realiter non possunt etiam Divinitus invicem realiter distingui, ut in homine: Animal, & Rationale, sicut duo realiter distincta impossibile est ita identificari ut fiant una simplex et indivisibilis Entitas. Præterea unaquæque res distinguitur ab alia per eam rationem per quam constituitur quoad suam entitatem; sed partes materiæ Substantiales non constituuntur per Quantitatem. E. Neq distingui possunt per Quantitatem. Probatur 3tio Quia Entitas materiæ naturæ ordine prior est quam quodcunque accidens sibi inhærens. E. Etiam prior est quantitate, vel igitur materia ut prior natura quantitate est ita simplex et indivisibilis ut nullas simpliciter habeat partes ratione quarum dividi possit ab Angelo v.g. aut DEO vel certè non est ita simplex et indivisibilis. 1mum dici non potest quia alias non posset extendi entitativè per Quantitatem supervenientem. quomodo enim Quantitas multiplicare posset partes in re quæ secundum se entitativè est simpliciter indivisibilis, alioquin etiam Anima rationalis poterit esse entitativè indivisibilis cum et illa secundum Thomistas sit quantitatis subjectum non minus quam materia prima et consequenter æquè erit divisibilis atq illa. Dicendum igitur necessariò est 2dum materiam videl. primam et quamlibet aliam Substantiam materialem independenter à quantitate esse indivisibilem entitativè in partes integrantes Substantiales. DICO 2do Actualem extensionem in ordine ad locum et illam exclusionem à loco per quam Actu una pars est extra locum alterius & totum corpus est extra locum alterius corporis non esse rationem Formalem seu effectum primarium formalem Quantitatis. Probatur 1º Quia ablata quantitate per DEi potentiam ab homine stante, potest homo eodem spatio quod antea occupaverat coextendi actu, ita ut actu una pars illius sit extra locum alterius caput v.g. extra locum colli, collum extra locum brachii & pectoris. E. Talis extensio non est ratio Formalis Quantitatis neq effectus illius primarius. Anteced. Probatur 1º Quia nulla est repugnantia propter quam diversæ partes corporis in illis diversis spatii partibus atq adeò in eodem situ in quo antea totum fuit corpus non possit conservari. 2º Quia si deberent confluere in unum locum aut punctum loci hoc fieret per novam mutationem realem in illis factam, quæ Actio cum fieret dependenter à DEO, posset DEus liberè illam impedire, et consequenter partes illius corporis esse in iisdem suis locis. Probatur 2a Conclusio: Quia quantitas potest manere corpori unita, et consequenter effectus illius primarius formalis sine actuali extensione ad locum et cum actuali penetratione. E. Actualis exclusio à loco et extensio in illo non est ratio Formalis quantitatis seu effectus illius primarius. Anteced. Probatur ex variis miraculis 1mo Enim

corpus

corpus Christi Domini in Eucharistia habere suam naturalem Quantitatem ita certum est apud omnes Theologos ut oppositum putet Suarez minimum temerarium esse. Et tamen in Eucharistia una pars corporis Christi et quantitatis illius non est extra locum alterius; sed omnes mutuo se penetrant. Ideo Christus Dominus retinens suam Quantitatem et extensionem Actualem in ordinem ad locum variis vicibus varia corpora etiam quanta et actu extensa penetravit, hac enim ratione cum nasceretur illaesum conservavit claustrum virginale matris suae sanctissimae, hoc modo ad discipulos clausis ingressus januis ex sepulchro resurgens prodiit, coelos ascendens penetravit quae cum sint apud Eruditos certa, evidenter demonstrant Actualem penetrationem et extensionem in ordinem ad locum non esse rationem formalem seu effectum primarium Quantitatis sed aliquid realiter a Quantitate distinctum et ab illa separabile. Probatur 3tio Quia quod una pars quantitatis aut corporis sit actu in certo loco extra locum alterius partis aut cuiusvis corporis licet fundetur in Quantitate quae positive et essentialiter exigit talem modum essendi in locum, et tamen effectus Formalis primarius diversae praesentiae localis quam habent illae partes ad diversa spatia. E. Sicut ipsa praesentia localis est aliquid in re distinctum et separabile a Quantitate, ita et iste effectus illius Formalis primarius. DICO 3tio: Rationem Formalem seu effectum formalem primarium Quantitatis esse extensionem et ordinem ad locum secundi generis Formalem scil: aptitudinalem per quam corpus ita afficitur ut cum altero naturaliter reddatur impenetrabile neque duae illius partes possint ex natura rei esse simul in eodem loco. Ita Suarez, Hurt. Ariaga quanquam est inter illos aliquod discrimen ut patebit. Probatur Conclusio Quia nobis non innotescit Quantitas aliter nisi ex impenetratione quam in corporibus experimur, videmus enim duas Quantitates nunquam posse esse naturaliter in uno loco cum tamen possint esse simul in eodem loco caetera omnia alia Entia dummodo non afficiantur Quantitatibus diversis. Quandoquidem vero non possumus ponere essentiam illius et effectum primarium formalem in actuali impenetratione et extensione locali propter rationes conclusionis secundae. Ergo Debet consistere in formali aptitudinali impenetratione et extensione locali ut proinde effectus illius formalis primarius sit reddere corpus impenetrabile naturaliter. Dixi (FORMALI APTITUDINALI) quia Suarez et aliqui alii essentiam Quantitatis dicunt consistere in eo quod sit proxima radix formalis aptitudinis expellendi actu aliud corpus ab eodem loco vel resistendi illi ne in idem spatium ingrediatur quam aptitudinem dicunt esse proprietatem Quantitatis in re distinctam et ab illa pullulantem. Immerito tamen ut optime Hurt. D. 13. met. S. 6. § 38. Ariaga et alii recentiores dicunt, fingitur haec aptitudo Formalis tanquam modus aliquis in re distinctus a quantitate et Essentia illius, actualis enim impenetratio nihil est aliud quam negatio quaedam diversarum partium vel corporum in eodem loco, quae negatio oritur immediate ex ipsa Quantitate ut proinde alius modus distinctus ab ipsorum entitate qui tolli deberet si ponerentur simul in eodem subjecto; sed est ipsorum contrariorum entitas quae exigit naturaliter illam Actualem quasi impenetrationem subjectivam cum alio contrario, seu ut unum non sit simul cum alio in eodem subjecto, ita plane repugnantia duorum quantorum in ordinem ad eundem locum simul occupandum et illa Formalis aptitudo qua unum quantum aptum est naturaliter excludere aliud ab eodem loco non est aliquis modus in re distinctus a quantitate; sed est ipsa entitas quantitatis ad quam necessario naturaliter consequitur immediate actualis impenetratio seu negatio plurium corporum in eodem loco quae sola negatio tollitur cum plura corpora ponuntur in eodem loco et se mutuo penetrant. Eundem effectum Formalem alii vocant impenetrabilitatem non quia Quantitas tribuat effectum Formalem primarium negativum; sed quia extensio recte explicatur per negationem ex illa fluentem. Ab aliis etiam vocatur extensio in ordinem ad se, non quia non sit etiam in ordinem ad locum; sed quia per illam partes extenduntur

Et

et quantitate extra se et locum suum connaturaliter pellunt. Contra hanc conclusionem Obiici potest 1mo Circa quantitatem possunt aliqua duo Entia non solum corporea; sed etiam spiritualia v. g. duo Angeli ẽẽ impenetrabiles per solas duas præsentias locales. Angeli enim in locis existentes distantibus per suas præsentias impossibile est ut se penetrent. Similiter partes ejusdem corporis retinendo suas præsentias ratione quarum à se distant etiamsi tolleretur Quantitas ab illis, non possent se mutuo penetrare. E. Non est iste effectus Formalis primarius Quantitatis. R. Illam repugnantiam seu impenetrabilitatem oriri solum quasi ex consequenti ob immobilitatem scil: illarum ubicationum per quas scil: illa entia alligata & affixa ad certa spatia ex quibus impossibile est illa transire retinendo easdem ubicationes. At verò illa impenetrabilitas quantitativa non est ex consequenti; sed est Formalis directè & per se. Et ita illi duo Angeli et plures partes ejusdem corporis essent impenetrabiles non Formaliter & per se; sed solum ex consequenti, per præsentiam enim localem non redditur corpus formaliter impenetrabile. Et ideò etiam illæ partes spoliatæ quantitate quamvis se ipsas per Accidens et ex suppositione illarum præsentiarum ad diversa spatia non possent penetrare, possent tamen se penetrare citra novum miraculum cum quovis alio corpore & compati illud in eodem loco secum. Obiicies 2do: Quantitas est Actualis Forma dans Actu suum effectum Formalem et non potentia tantum vel aptitudine. E. Illa extensio aptitudinalis non est ratio seu effectus primarius Formalis quantitatis; sed potius est quædam illius proprietas. R. Conc. Ante. Neg. Conseq. Licet enim Quantitas unita suo Subjecto det illi Actu suum effectum formalem primarium, non autem potentiā vel aptitudine, illum tamen effectum non possumus melius concipere & declarare quam per Formalem positivam aptitudinem per illam extensionem et exclusionem Actualem localem tanquam ad effectus illius secundarium nobis notissimum, sicut si diceremus hominis essentiam ẽẽ aptitudinem ad ratiocinandum. Ex Forma enim actuali per se primo et absoluta necessitate solum sequitur in Actu proprius et primarius ejus effectus, alii verò effectus sequi possunt tantum in aptitudine. Obiicies 3tio: Omne corpus eo ipso quod habeat partes entitativas etiamsi non habeat quantitatem, aptum est extendi localiter ita ut pars una illius sit extra locum alterius, et consequenter aptum est Formaliter ut se partes illius Actu non penetrent. R. Corpus et quodlibet Ens materiale aptum est ex sua entitate Actu extendi localiter solum per non repugnantiam, non autem per Formalem positivam aptitudinem et exigentiam talis extensionis, hoc enim soli Quantitati est proprium quæ sola positivè repugnat ut una pars illius sit intra locum alterius. § 3. Jam verò loquendo de effectu secundario Quantitatis. Advertendum est effectum secundarium alicuius Formæ non ẽẽ proprium effectum Formalem illius cujus dicitur secundarius quia non præstatur ab illa formaliter; sed alia Forma positivè aut negativè distincta, quæ quia est per naturalem saltem repugnantiam à priori Forma et unita suo Subjecto, ideò etiam effectus illius Formalis primarius dicitur Formæ prioris ẽẽ effectus formalis secundarius. Sic v. g. effectus primarius formalis caloris est reddere formaliter calidum, Effectus autem secundarius est expulsio frigiditatis quæ consistit in privatione frigoris, unde de potentia absoluta potest ẽẽ Effectus Formalis primarius sine secundario. Et è contra ut v. g. Calor potest ẽẽ sine Privatione frigoris et è contra secundarius sine primario, privatio v. g. Frigoris sine calore. His præmissis

Dico

Dico 4to: Effectum Formalem Secundarium Quantitatis esse Actualem impenetrationem et extensionem localem divisibilitatem mensurabilitatem. Patet ex dictis. Constat enim extensionem & impenetrabilitatem esse rationem et effectum Formalem primarium Quantitatis. Ergo Actualis extensio & impenetratio seu illa negatio existentiæ duarum partium aut corporum Quantorum in eodem loco formaliter immediatè et necessariò oritur ex ipsa quantitate tanquam illius secundarius effectus. Et ex his colligitur 1mo Actualem impenetrationem seu negationem partium corporis in eodem loco & illam extensionem actualem oriri formaliter et immediatè tum à Quantitate, tum etiam ab ipsa præsentia locali circumscriptiva; à quantitate quidem quià hæc ex seipsa et ex natura sua est determinativa ad diversas partes spatii expellendo, nimirum formaliter sua entitate unam partem extra aliam. A præsentia verò circumscriptiva quià hæc est actualis terminatio sui Ubicati ad certum numero spatium. Unde hæc præsentia non est supervacanea quià licet quantitas sit nata ex seipsa formaliter Actu corpus absolutè constituere extensum in loco quod tamen reddat illud extensum in hoc numero loco et non in alio, habet hoc non à se præcisè; sed ratione præsentiæ localis. Colligitur 2do: Extensionem actualem localem circumscriptivam et impenetrationem si hæc referatur ad partes corporis ejusdem non esse distinctas neque posse invicem à se separari, eo enim ipso quod partes alicujus Quanti ita sunt extensæ Actu ut una sit extra locum alterius, necessariò se Actu non penetrant et è contra eo ipso quod illæ partes se non penetrent absolutè necessariò, sequitur illas esse extensas in ordinem ad locum. Si tamen Actualis impenetratio unius corporis referatur ad aliud corpus, tunc illa duo sunt distincta, quià potest unum aliquod quantum in se esse extensum ita ut partes illius se non penetrent, et interim se penetrent Actu cum alio corpore Quanto. Colligitur 3tio: Haud Actualem impenetrationem partium unius corporis inter se tolli præcisè non per Sublationem Quantitatis aut alicujus alterius aptitudinis positivè; sed per solam productionem præsentiæ localis duorum quantorum in eodem spatio.

CAPUT SECUNDUM.

Utrum Quantitas et omne continuum habeat partes Actu inter se realiter distinctas et Unitas.

Circa hoc duæ sunt satis celebres Sententiæ. 1ma est quæ docet Quantum et idem est de quovis alio continuo tam permanenti quam successivo nullas habere partes Actu inter se distinctas; sed esse Ens simplex non quidem indivisibiliter sicut sunt res immateriales, sed simplex divisibiliter. Pro hac Sententia citantur antiquiores Interpretes: Simplicius, Averroes, Alexander Themistius, et eam sequuntur non pauci recentiores præsertim in Scriptis. Fundamentum & motivum illorum præcipuum esse videtur quià hac via putant se posse gravissimas difficultates evitare. 2da Sententia est quæ docet quodvis continuum habere partes Actu inter se realiter distinctas & Unitas ita Scotus, Gabriel, Durandus, Soarez, Conimb. Ruvius, Toletus, Hurtadus & alii, cum his

Dico: Quantitatem et omne continuum habere partes actu distinctas realiter ex quibus unitis componitur. Probatur 1° Authoritate Aristotelis qui definit Continuum esse id cujus

partes

partes communi termino copulant. E. Continuum Actu erit cujus partes actu copulant termino communi sed Actu copulari non possunt nisi quæ inter se Actu realiter sunt distincta; unio enim non est nisi distinctorum realiter. Dices illa descriptione Aristotelem voluisse significare continuum constare ex partibus fundamentalibus et assignabilibus quæ in tantum habent terminum proprium quem si haberent actu eent distincta. Sed contra est quia nulla ratione potest aliquid dici habere terminum communem ex eo præcisè quia non habet proprium, neq eo ipso quod non habet per quod ab alio distinguat potest dici habere per quod uniatur. Præterea 5 Met. c. 13. hoc idem clarè docet Aristot. data illa Definitione quantitatis quod sit videl. aliquid divisibile in ea quæ insunt quorum utrumq aut singulum unum quid et hoc aliquid aptum est ee. Probatur 2do Conclusio ratione quia unica esset sufficiens pro hac sententia. Quia quæ ita se habent ut possint realiter à se separari, illa semp Actu inter se realiter distinguunt. Sed partes quantitatis et cujusvis alterius continui ita se habent etiam tunc cum sunt in continuo ut possint à se realiter separari et sic separatæ existere in rerum natura. E. Etiam tunc cum sunt in continuo actu realiter inter se distinguunt. Minor et consequentia est certa. Major probat 1mo Quia nullum aliud judicio omnium philosophorum habetur certius signum distinctionis realis inter aliqua quam separabilitas realis eorundem. Probatur 2do: quia quæ sunt à separata vel separabilia per hoc quod secum uniant non amittunt Principium distinctionis realis per quod distinguebantur cum eent actu realiter separata seu divisa. E. quæ ita se habent ut possint realiter à se separari, illa semp actu realiter inter se distinguunt. Conseq. est clara. Ante. quia Principium distinctionis per quod realiter formaliter res à se distinguunt est Entitas earundem rerum; sed hanc per unionem res quæ antea erant separatæ non amittunt. E. Etiam tunc cum uniuntur retinent Principium formaliter per quod realiter Actu inter se distinguantur. Dices: Partes continui divisas distingui à se realiter non per suam entitatem sed per aliquid realiter à se distinctum puta terminos quos amittunt cum sunt in toto continuo emanant verò illos divisè. Sed Contra est 1mo quia impossibile est aliquid distingui formaliter realiter et adæquatè ab alio secundum suam entitatem per aliquid distinctum realiter ab eadem entitate quia unaquæq res formaliter distinguitur ab alia per hoc ipsum per quod constituit. Item enim juxta commune Philosophorum Axioma est Principium constitutivum et distinctivum rei. Contra est 2do: quia illi termini per quos formaliter dicis distingui realiter inter se partes continui, pullulant per naturalem resultantiam ex ipsa entitate partium jam divisarum ut divisarum. E. Prius natura quam pullulent hi termini intelligunt illæ partes eë divisæ realiter adeò distinctæ Actu realiter. Ergo Non per illas formaliter distinguunt à se Actu realiter. Probatur 3tio Conclusio: Quia quæ componunt verè realiter illa Actu realiter distinguunt. Sed partes in continuo verè realiter inter se componuntur seu uniunt. Ergo Partes in continuo Actu realiter distinguunt. Major est certa quia

compositio

compositio seu unio realis non tollit sed potius supponit distinctionem actualem realem illorum quorum est realis unio, et omne compositum reale actuale involvit partes actu realiter distinctas secus esse tantum compositum per rationem. Minor Probatur: quia cum ex duabus v.g. guttis aquæ fit unum totum, hoc non aliter fieri potest nisi per veram compositionem seu unionem realem positivam de novo productam inter duas illas guttas aquæ. E. Inter illas intercedit vera realis unio cuius beneficio constituunt unum actu realiter compositum. Consequentia est clara. Antec. Probatur: quia quando duæ illæ guttæ aquæ inter se conjunguntur, quæro: Vel producitur aliquid reale vel nihil? Si nihil, Ergo illæ guttæ prorsus eodem numero modo se habent nunc ut antea, quod tamen falsum est cum nunc verè et realiter sint conjunctæ secum et constituant unum quoddam totum quod tamen antea non præstabant. Si autem dicatur primum, habeo intentum scil: inter illas duas aquæ guttas productam esse unionem realem positivam per quam manent unitæ realiter, et consequenter supponuntur actu realiter distinctæ etiam tunc cum sunt in continuo. DICES: quando guttæ illæ duæ uniuntur non produci aliquam unionem realem inter illas qua mediante inter se unitæ maneant, si enim ipsis immediatè uniuntur per hoc ipsum quod deperdant illos terminos suos per quos antea cum essent divisæ terminabantur. Sed contra est 1mo: quia hi non consequenter loquuntur, supposito quod asserant materiam et formam seipsis non uniri immediatè; sed per unionem à se distinctam tanquam per rationem formalem uniendi cum omninò eadem sit ratio de partibus continui integrantibus quæ de illis et argumenta pro unione illarum facta eandem omninò vim habent etiam pro unione partium continui. Contra est 2do: Quia non eo ipso quod illæ guttæ aquæ sint privatæ suis terminis positivis intelliguntur constituere unum totum quia negatio non potest præstare effectum formalem positivum qualis ille est cum ex duobus constituitur unum totum. Adde illas guttas si privantur suis terminis quos habent divisè, ideò illis privantur quia secum uniuntur, non enim alia potest ratio reddi cur illas tunc ex se non pullulent. E. Prius natura est illas guttas secum conjungi quam illis terminis privari, cum hoc supponat illud et consequenter non per illam privationem suorum terminorum intelliguntur unitæ. Probatur 4to Conclusio quia ante omnem designationem in Quantitate v.g. bipalmari unus palmus realiter et intrinsecè non est alter palmus. Ergo realiter actu inter se distinguuntur. Conseq. est clara. Ante. Probatur: quia illa designatio mea non distinguit partes sed potius illas iam distinctas cognoscit ut distinctas. Præterea illud quia illa entitas unius palmi quam distinguo antequam illam designarem fuit actu formaliter palmaris non minus quam si esset actu realiter divisa et separata ab aliis. E. Ante. hoc probatur quia independenter à mea designatione illa entitas modo designata fuit antea intrinsecè tanta quanta nunc est, per meam enim designationem nihil novi intrinseci acquisivit neque deperdidit. E. Independenter à mea designatione per suam entitatem actu formaliter fuit intrinsecè palmaris sicut fuisset per eandem suam enti-

entitatem si divisa ab aliis fuisset. Obiiciunt 1mo Authoritatem Aristot. qui lib. 8 Phys. t. 68. & alibi sæpe
docet continuum habere infinitas partes aut infinita dimidia in potentia. Simil. lib. 2 metaphy. t. 49.
Duplum inquit est ex duobus dimidiis potentia. R. Aristotelem eo modo intelligendum quando docet par-
tes non esse actu in continuo, quomodo intelligendus est cum ibidem dicit materiam et Formam non
esse Actu in composito sed potentia. Sicut igitur in composito essentiali non negat distinctionem & compositio-
nem realem partium essentialium; sed tantum negat earundem divisionem ita et in continuo ut pro-
inde sit sensus illius partes esse quidem Actu in continuo sub ratione partium, rationem vero totius non habe-
re Actu quamdiu ab eodem continuo non separantur; sed tantum potentia quatenus possunt extra illud ex-
istere separata sicut entia quædam completa in suo Genere. Obiiciunt 2do: Si partes essent actu distin-
ctæ in continuo, sequeretur Quantitatem unam conflari ex pluribus Actu completis individuis et consequen-
ter quantitatem continuam non esse Ens unum per se cum juxta doctrinam Aristotelis 5 Metap. t.
49 ex pluribus entibus in Actu completis nequeat fieri unum per se. R. Illas partes Actu distinctas non
tantum habere rationem individui quamdiu sunt unitæ quia individuum dicit negationem unius ad a-
liud. Ex hoc autem quod sint completæ non sequitur ex illis non posse fieri Ens per se continuum. Nam illa
Aristotelis doctrina locum habet solum de composito essentiali, non vero de continuo integrali cujus
partes etiamsi sint completæ in suo genere adhuc tamen se recipiunt tanquam compartes unius totius quod
secum conjunctæ possunt constituere. Quod et ipsi adversarii fateri debent quando ex duabus guttis a-
quæ fit una aqua per se cum tamen illæ guttæ divisæ fuerint entia completa nec quicquam amiserint
propter cujus privationem dici debeant factæ incompletæ. Obiicies 3tio: Si partes essent Actu distin-
ctæ, illæ vel essent amplius distinguibiles vel non. Si primum dicatur, sequitur partes continui non
esse omnes Actu distinctas, et consequenter nullas esse actu distinctas quia non esset major ratio de qui-
busdam quam de aliis. Si autem dicatur secundum partes videl. illas non esse amplius distinguibiles, ma-
nifeste sequitur neque esse illas divisibiles et consequenter continuum constare ex indivisibilibus. R.
In communi Peripateticorum Sententia negante continuum ex indivisibilibus componi distinguo Ante.
Omnes distinguuntur ab aliis omnibus realiter adæquate Nego Ante. nullus enim pars in continuo est
talis quæ ita distinguatur ab omnibus reliquis partibus ut nullam in se includat alioquin iam esse indivisibi-
lis, et consequenter si ita omnes essent invicem distinctæ, bene infertur continuum componi ex indivisibi-
libus, omnes igitur distinguuntur realiter Actu ab omnibus aliis; sed non eadem distinctione reali, ab ali-
quibus enim quæ dicuntur non communicantes distinguuntur realiter adæquate, ab aliis vero quæ vi-
delicet sunt communicantes et inclusæ, non nisi realiter inadæquate sicut includens ab incluso.
Unde licet nulla sit pars quæ non sit distincta realiter ab omnibus aliis, simul tamen nulla est quæ non
sit divisibilis amplius quia nulla est quæ ab omnibus distinguatur adæquate. Obiicies 4to: Si partes essent
Actu in continuo distinctæ, sequeretur dari Actu infinitum quod est contra Aristot. et communem
Philosophorum

Philosophorum sensum. Sequela probatur quia in nullo continuo etiam minimo erunt tot actu distinctae partes, quin adhuc sint plures. E. essent actu infinitae. Ad hoc communis est responsio in quovis dari continuo infinitas actu partes proportionales et communicantes quarum unae includuntur in aliis, minores et minores in infinitum in majoribus: non dari vero actu infinitas partes quae dicuntur aliquotae et non communicantes.

CAPUT TERTIUM.

Utrum Quantitas et quodvis aliud continuum ex solis indivisibilibus componatur.

Circa hanc Quaestionem omnium difficillimam quatuor reperio Opiniones. 1ma est quae componit omne continuum ex solis indivisibilibus finitis, quae indivisibilia simpliciter sint indivisibilia tam Physicè vel quam Mathematicè, tam Entitativè quam localiter. Hanc sententiam tenuit Zeno Pithagoras et Universa Stoicorum familia. 2da Opinio est quae docet ex solis finitis indivisibilibus quodvis componi continuum quae tamen licet sint formaliter indivisibilia seu entitativè, virtualiter tamen sunt divisibilia quatenus divisibilem possunt occupare locum. 3tia Opinio est quae longius quam prior recedens a Sententia stoicorum docet continuum componi ex quibusdam minimis quantitativis finitis, quorum entitas licet sit ita simplex ut neque de potentia absoluta possit amplius dividi physicè seu realiter in partes in re a se separabiles, potest tamen amplius dividi mathematicè ab aliquo videl. intellectu v.g. Angelico vel etiam Divino. Haec Sententia videtur esse Jordani Bruni opus de triplici minimo, obscurè tamen ab illo proposi-tam clarius à quibusdam magistris in suis scriptis explicant et probabilem censent. 4ta denique SENTENTIA Aristotelis et totius scholae peripateticae docentis omne continuum sive sit permanens sive successivum non componi ex solis indivisibilibus; sed ex semper divisibilibus realiter. Quid de singulis opinionibus hic sit sentiendum ex Sectionibus sequentibus patebit.

SECTIO PRIMA.

Sententia Stoicorum confutatur.

SUPPONO illud indivisibile in quod ultimo juxta sententiam Zenonis resolvebatur quantitas esse ejusmodi quod Primo sit indivisibile tam Formaliter quam virtualiter; seu quod neque ratione suae entitatis sit divisibile neque ratione loci in quo est quia non nisi indivisibilem occupare potest. Secundo quia ratione suae Entitatis sit indivisibile tam physicè quam mathematicè. Physicè quidem quia non potest realiter de potentia absoluta dividi, mathematicè verò quia neque per nullum intellectum sunt in illo ulteriores designabiles partes. Et talibus igitur indivisibilibus duobus v.g. vel pluribus finitis tamen Zeno componebat Quantitatem. Lineam v.g. ex punctis, Superficiem ex lineis, corpus ex superficiebus. Huic oppositioni vel opinioni opposuit se Aristot. et variis in locis illam apertè confutat ut in hoc libro et alio quodam libello in scripto de lineis insectilibus. Tandem sententiam improbat S. Augustinus 11 de Trinitate C. 10. et omnes Peripatetici propter rationes sequentes tum physicas tum mathematicas. Prima est Ratio Physica quam Hurtadus sic efficaciter instituit. Quia unum indivisibile additum alteri non facit aliquam extensionem. E. Ex solis indivisibilibus non potest componi Quantitas et quodlibet aliud continuum. Conseq. est clara. Antec. Probatur: quia indivisibile unitum immediate alteri indivisibili, tangeret illud

tangeret illud totum et adæquatè ita ut nihil esset in alio indivisibili quod formaliter immediatè non tan-
geretur ab alio. Sed ea quæ hoc modo se tangunt non possunt facere majorem extensionem. T. major est cer-
ta. minor Probatur quia quæ se sic tangunt, sunt adæquatè in eodem loco quia locum unius tangit locum
alterius et cum utrumque sit indivisibilis, tangit unus alium secundum se totum et adæquatè et conse-
quenter unus locus non est extra alium. Declaratur hoc ipsum et amplius confirmatur: quia si duo palmi
ita se tangerent ut unus alium adæquatè secundum se totum et omnes partes suas formaliter et im-
mediatè tangeret, necessariò sequeretur unum alterum palmorum non esse extra locum alterius. Sed
sese mutuo penetrare in eodem loco: sed duo puncta immediatè se tangentia non minus se pene-
trarent quam duo illi palmi. Sicut enim nulla pars esset palmi quæ non adæquatè formaliter tan-
geretur ab alio, ita nihil esset puncti quod non tangeretur immediatè ab alio puncto. T. Sicut eam
ob causam duo palmi essent in eodem loco, ita et illa duo puncta. Dices: Unum quidem in-
divisibile additum alteri non facere majorem extensionem, si tamen infinita addantur facere.
Sed Contra est 1mo quia Zeno ideò confugit ad compositionem ex indivisibilibus ut effugeret infi-
nitudinem partium quam tamen sic non evitatret. 2do Quia vel unum punctum est pars lineæ vel
non? Si est pars, ergo illo ablato linea est minor; quia impossibile est aliquod totum retinere suam
integritatem non omnes suas partes retinendo. Si non est Pars? T. Non pertinebat ad illius com-
positionem quæ est in partibus, et sic de singulis aliis punctis. 3tio: quia quæ ratio est de duobus punctis
eadem prorsus est de omnibus aliis etiam infinitis quæ propter argumentum superius debebunt esse om-
nia in eodem loco secum penetrata. Denique hoc in tempore non est intelligibile quia deberent se
simul infinita instantia, finita enim non possent secundum se facere majorem extensionem.
Secunda Ratio est: Quia sequeretur idem spatium æquali tempore pertransiri à mobili velocissi-
mo et à mobili tardissimo, quod tamen est contra experientiam et rationem. Quis enim dicat
aquilam v.g. cum testudine non nisi æquali tempore spatium aliquod certum percurrere posse.
Sequela verò Probatur: Quia si tale spatium componeretur ex solis indivisibilibus, ponamus igitur habere
4tuor punctarum sic. Si tale spatium pertransitur à mobili tardo tempore 4 instantium. T. A mobi-
li veloci debebit penetrari tempore duorum instantium, hoc autem est impossibile, nam indivisibile
non potest penetrari breviori motu quam instanti quæ est omnino indivisibilis. Atqui adeò quatu-
or indivisibilia spatii non possunt penetrari nisi quatuor instantibus. T. Eadem debet consumere
mobile velocissimum. Dices 1mo: Quod in uno instanti in quo tardum mobile pertransit unum
indivisibile spatii, mobile velox pertransibit duo indivisibilia. Contra est quia dum velox pertransit u-
num indivisibile, tardum vel pertransit totum illud indivisibile, vel non? Si totum pertran-
sit eodem tempore, eadem erit ratio de secundo et aliis punctis; et sic utrumque æquali tempore
movebitur per illud spatium. Si autem ex duobus mobilibus quæ simul incipiunt moveri dum mo-
bile velox pertransit unum punctum aliud quod tardum est non pertransit totum punctum. Er.
pertransit partem, et ita punctum iam erit divisibile in partes, non enim dici potest nihil tunc per-
transiri

pertransiri à mobili tardo alioquin non moveretur sed quiesceret cum tamen supponamus utrumque simul moveri. Dices 2do: Non esse motum continuum sed discretum per morulas imperceptibiles et ita tardum mobile tardius moveri quia longioribus sistit morulis. Sed contra est: Quia illæ morulæ necessario perciperentur non minus quam motus quam motus quia tunc nullæ essent species visoriæ motus hæc enim non durat nisi durante motu. Et tunc videretur mobile quiescere sicut videretur motus illius trium v.g. instantium. Præterea quia revera ridiculum est immane saxum è turri dejectum in äere sistere, quibus enim fulcris innititur? et si semel sistit, necessariò semper sistit, cum non sit major ratio cur modo sistat et postea moveri debeat, quia nec vires mobilis in instanti sunt acutæ nec imminutæ resistentis medii, v. gratia äeris. Adde si v.g. Lapis unius libræ sistit per tres morulas trium instantium quia gravitas unius libræ non potuit vincere resistentiam äeris, lapis duarum librarum non sistet nisi per duo instantia, et lapis trium librarum non sistet nisi per unum instans. Et Lapis quatuor librarum non sistet quia per excessum suæ gravitatis superat velocitate lapidem trium librarum sistentem per solum instans. Quis autem dicat lapidem quinque millium librarum non moveri velocius lapide quatuor librarum è turri dejecto, aut glandem ferream explosam bombarda in äere sistere et non ferri velocius lapide quatuor librarum. Ratio Tertia: quia sequeretur multas magnitudines ut lineas superficies esse quæ in duas medietates dividi non possent quod quidem falsum est. Omne enim continuum habet duplam proportionem ad suam medietatem. Sequela verò patet de omnibus magnitudinibus quæ ex imparibus indivisibilibus constant puta ex tribus aut quinque quæ in duo æqualia dividi non possunt absque indivisibilis divisione. Ostendit autem Euclydes contrarium demonstrando in Decimo libro, propositione decima Lineam quamlibet in duas parte secari posse. Quarta Ratio: Supponantur duo. Unum est non posse idem moveri et iam motum esse respectu ejusdem. Si enim motum est, iam est in ipso, si movetur nondum est in ipso. Alterum est: non posse moveri aliquid super totam magnitudinem quin moveatur etiam super partes ejus. His constitutis ponamus moveri aliquid super magnitudinem ex indivisibilibus constantem, tunc necesse est id moveri per ipsa etiam indivisibilia, quæratur cum illud mobile transit unumquodque indivisibile an moveatur super illo simul et motum est? quod est impossibile. An motum est, et non movebatur? quod etiam non minus est impossibile tum quia non potest aliquid motum esse in eo ad quod prius non movebatur, tum etiam quia si super unumquodque indivisibile motum est et non movetur. Ergo. Etiam super totam magnitudinem motum erit, et non movebatur, non igitur fiet motus supra talem magnitudinem. Restat igitur ut in unoquoque indivisibili prius moveatur quam sit motum, quare indivisibile dividetur cum omnis motus sit indivisibilis secundum divisionem magnitudinis super quam res movetur. Ex mathematicis vero rationibus pro eadem veritate demonstranda prima sit hæc si quantitas constaret ex indivisibilibus sequeretur Lineam intra latera trianguli super basin esse majorem ipsa basi quod est impossibile. Sequela probatur: Detur Triangulus A B, C. cujus basis B C sit 4tuo punctorum, latera vero octo punctorum. Ducantur deinde quinque lineæ ab uno latere ad aliud



scil. Scilicet D E, F G, H I, K L M N. Linea prima D E habebit ad minimum duo puncta. Secunda habebit tria. Tertia quatuor. Quarta habebit quinque. Quinta denique M N habebit habebit 6. Et sic Linea M N super basin constans sex punctis longior erit ipsa basi B C quæ tantum constat quatuor punctis ut supponimus etc.

2da


2da quia sequeretur circulum majorem ee aequalem minori circulo quia tot punctis constaret minor quot major quod sic demonstratur: Describatur



circulus major B C D a centro A qui constet centum punctis. Deinde describatur ab eodem centro A circulus minor E F G intra circulum minorem qui constet punctis 50, deinde ducantur a singulis punctis circuli majoris ad centrum A lineae rectae quod fieri clare posse demonstrat Euclides. Illae igitur lineae necessario transibunt per circulum minorem E F G vel igitur unaquaeque illarum linearum transit per punctum diversum ab alia, vel plures transibunt per idem punctum puta si linea prima, secunda et tertia transibunt per punctum F circuli minoris ut apparet in sequenti Figura: Et hoc 2dum dici non potest quia illae lineae non essent rectae contra suppositionem. Lineae enim rectae a centro ad circumferentiam vel e centro, non se tangunt nisi in centro ut clarum est apud Geometras




necessario igitur dici debet primum quod videl. omnes illae lineae ductae ab omnibus loco ~~ductis~~ punctis circuli majoris transibunt per distincta puncta circuli minoris. quot minoris. Ergo tot erunt puncta circuli minoris, et consequenter minor circulus erit aequalis majori neque constabit iam 50 punctis ut supponebamus sed 100. 3tia Ratio est: quia sequitur diametrum esse commensurabilem costae contra Euclidem quod sic demonstratur iuxta Euclydem quam bravissime: Sit Quadr[l]atum A B C D cuius diameter sit A D, iam si quantitas constat ex indivisibilibus sint latera A C et B D 20 punctorum. Deinde ducantur rectae



Lineae supra quadratum per singula puncta cuiusvis lateris ita ut occupent totum superficiem quadrati

quadrati, illæ lineæ transibunt per omnia puncta diametri A D et consequenter diameter erit æqualis costæ.

4ta Ratio est: Si Linea constaret ex solis punctis, sequeretur contra primam Propositionem Euclydis 1° Elementorum non posse supra quamlibet lineam rectam describi triangulum æquilaterum; sit enim Linea trium punctorum A C super quam describatur Triangulus æquilaterus A B C, deinde signentur puncta media laterum D E. Hoc posito aut illa puncta à se distant aut non distant. Si non distant, E. In illis finitur Triangulus. Quare latera non erunt nisi duorum punctorum quod quod repugnat hypothesi. Si vero distant, aut per aliquid minus puncto, aut per punctum aut per aliquid majus puncto.



Imum dici non potest alioquin punctum divisibile esset. Neque 2dum quia tantum distarent puncta D E quantum A C. Probinde lineæ A D et C E essent parallelæ nec unquam concurrerent. Neque etiam 3tium sic enim magis distarent puncta D E quam puncta A C. Quare linea A D et C E non concurrerent versus puncta D E quod etiam hypothesi repugnat. Quod totum ad oculum cerni potest in subjecta Figura. 5ta Ratio Sequeretur non posse lineam quantamcunque minimam in tot partes ejusdem propositionis in quot partes secta est linea maxima. Cujus oppositum demonstrat Euclydes 6 Elem. propositione 10. Nam si linea magna sit v. g. quinque punctorum, et minor trium, major dividi poterit in quinque partes æquales, minor vero non nisi, alioquin puncta divisibilia essent. Alias rationes tam physicas quam mathematicas videre potest apud Pererium qui hanc veritatem viginti argumentis probat. Similiter apud Toletum et Conimb. explicatione libri 6. c. primi et 2di. Quibus omnibus accedit Authoritas Concilii Constantiensis Sess. 15 quod hanc veritatem supponit tanquam certam in vera philosophia, ibi enim referendo errores. Fundamenta Zenonis et aliorum Stoicorum commodius solventur capite sequenti.

Sectio Secunda

Sectio Secunda

Secunda Sententia quorundam recentiorum proponitur et refutatur.

Multo tempore sepultam et ex scholis communi omnium consensu explosam Stoicorum Sententiam aliqui ex recentioribus hisce annis paucis suscitarunt. Quamvis enim aliqua ex parte a mente Zenonis discedant, in principali tamen conveniunt. Conveniunt igitur 1mo in hoc quod censeant omne continuum componi ex punctis seu indivisibilibus quasi primogeneis et fundamentalibus partibus omnis continui, ex quibus scil: ultimo componitur et in quas ultimo resolvitur. Conveniunt 2do: in hoc quod dicant illa indivisibilia esse simpliciter quoad suam Entitatem formaliter indivisibilia ita ut neque Physice seu realiter per ullam potentiam dividi possint in partes. Neque etiam Mathematice seu per intellectum quia per nullum intellectum possunt in illis designari ullae partes quasi integrantes. Conveniunt 3tio quod cum illo contra Aristotelem dicant: Indivisibile additum alteri indivisibili facere majus. Differunt autem in hoc unico quod Zeno haec indivisibilia censuit esse talia et formaliter et virtualiter qui ~~divisibilia~~ et ipsa in se nullam habent extensionem et locum non nisi indivisibilem occupant. Isti autem recentiores censent illa indivisibilia formaliter esse virtualiter divisibilia quia nimirum quodvis illorum separatim sumptum divisibilem seu extensum occupat locum ad eum modum quo Angelus v.g. licet in se sit indivisibilis Formaliter, occupat tamen locum extensum ita ut totus sit in toto loco et totus in quavis parte loci; ita plane illud indivisibile in se divisibilem extensum secundum hos occupat locum ut totum sit in toto loco, et totum in quavis parte loci, cum hoc tamen discrimine ab Angelo, quod Angelus non sit impenetrabilis. Potest enim simul quodvis illud Ens compati secum in eodem loco, illud autem indivisibile, ita occupat locum divisibilem et est totum in toto et totum in quavis parte illius loci ut tamen possit non naturaliter penetrari ab alio simili puncto aut Quantitate. His igitur duobus suppositis Fundamentis 1mo Quod singula illa puncta occupent locum divisibilem seu extensum. 2do quod occupent illum impenetrabiliter. Dicunt hi recentiores ex talibus indivisibilibus componi Quantitatem et omne aliud continuum, atque adeo unum ejusmodi indivisibile additum alteri facere majus seu extensum in se. Rationes et motiva hujus Sententiae sunt haec tantum duo. 1mum Quia hac ratione censent facilius evitari difficultates quas patitur Sententia Aristot. 2dum Quia illa Duo quod nimirum indivisibile materiale occupet locum indivisibilem et quod sit impenetrabile nullam dicunt repugnantiam. 1mum quidem quia Angeli sunt indivisibiles, similiter Anima rationalis est in se indivisibilis et tamen divisibilem occupant locum. Imo Animae saltem perfectorum brutorum sunt materiales et occupant locum divisibilem seu extens.

seu extensum et tamen in sententia aliquorum sunt in sua entitate formaliter indivisibiles. Non repugnat igitur rem indivisibilem quamvis sit materialis occupare locum divisibilem in quo sit tota in toto, et tota in quavis parte loci. 2dum etiam de impenetrabilitate illorum punctorum hac ratione potissimum persuadere conantur; quia illa indivisibilia sic virtualiter extensa possunt esse inter se unita et tamen unum esse extra locum alterius neque se mutuo penetrare, quamvis enim ad hoc ut secum immediate uniantur requiritur illorum contactus, possunt tamen optime intelligi se invicem tangere citra penetrationem sui, quia ad hoc sufficit quod sint ita secum simul ut prorsus nihil inter illa mediet quamvis unum non sit secundum quidquam suae Entitatis intra locum alterius. Haec sententia non caret sua probabilitate, ut non immerito habeat jam non paucos Doctissimos viros ex recentioribus sui defensores et Patronos. In eam tamen nobis eundum non judicavi propter haec fundamenta. 1mum est quia haec opinio est aperte contra Aristotelem et omnes ejus Interpretes, atque adeo contra doctrinam totius scholae Peripateticae, a qua nobis pro lubitu, nefas est recedere. Et quamvis Adversarii non parum velint invitum Aristotelem in hanc suam pertrahere opinionem, irrito tamen id faciunt conatu. Cum nihil clarius certiusque apud illum sit quam indivisibile additum indivisibili non facere majus. Similiter quod Quantitas constet ex semper divisibilibus ut patet vel ex ipsa Definitione Quanti, quod dicit divisibile in ea quae insunt, quorum utrumque aut unumquodque aptum est esse unum quid et hoc aliquid, per quae ultima verba clare innuit omne quantum etiam minimum esse divisibile in alia Quanta. 2dum est Authoritas illius concilii super relati censentis absolute esse errorem in vera Philosophia dicere continuum componi ex solis indivisibilibus qualiacunque illa sint. 3tium Fundamentum et praecipuum est quia illa duo fundamenta Adversariorum quibus nititur tota illorum fabrica valde difficilia et incredibilia videntur. Et quidem ut imprimis illud primum Fundamentum eorum examinemus, quod dicunt: Indivisibile corporeum posse occupare locum divisibilem ad eum modum quo Angelus occupat. Contra hoc argumentor 1mo sic: quia impossibile est unum indivisibile seu instans temporis coexistere duobus instantibus aut alicui tempori. C. Etiam impossibile est ut unum indivisibile Quantitatis v.g. possit occupare locum divisibilem. Antec. Probatur quia natura instantis ea est ut non sit permanens in duratione et faciat rem divisibiliter existere quoad durationem ita ut simul incipiat & desinat intrinsece et verum sit dicere cum est hoc instans nunc primo est, immediate ante non fuit et nunc ultimo est, immediate post non erit. Atqui si illud instans coexisteret duobus instantibus sive alicui tempori esset permanens in duratione et faceret rem durare permanenter quoad durationem, permanentia enim nihil est aliud nisi conservari nunc esse quod fuit prius. Cum igitur duo instantia habeant comparationem prioris et posterioris, illud unum instans reale temporis in 2do instanti retineret esse quod habeat in priori et consequenter conveniret illi tota Definitio rei permanentis nec distingueretur a duratione alicuius rei permanentis corruptibilis. Consequentia etiam videtur esse clara quia non est major ratio de indivisibili temporis quam de indivisibili quantitatis aut alterius continui permanentis. Quamvis enim illud constituat Ens successivum

successivum, hoc verò permanens, hæc tamen differentia est hic impertinens cum utrumque sit indivisibile
formaliter in sua entitate et utrumque constituat divisibile continuum. Adde quod si concedatur posse con-
tinuum successivum ut est v.g. Tempus solo instantium fluxu constare quamvis instans non duret pro duo
instantia alterius Temporis evidenter sequi videtur posse etiam continuum permanens ex ipsis componi divi-
sibilibus quamvis singula illorum non occupent Locum divisibilem sicut voluit Zeno, illi autem negant.
Argumentor 2do: Quià puncto materiali magnitudo seu extensio virtualis repugnat ratione cujus in se
formaliter indivisibile possit occupare locum divisibilem et extensum. C. Antec. Probatur 1mo: Quià illa
solum Entitas est capax magnitudinis seu extensionis virtualis quæ licet in se formaliter sit indivisi-
bilis æquipolleat tamen perfectioni rei formaliter extensæ et divisibilis, ita ut qui locus huic convenit
non nisi ratione distinctarum partium illa eundem per suam simplicem Entitatem attingat. Sed
punctum seu indivisibile non habet talem Entitatem quæ possit æquivalere perfectioni rei materialis
formaliter divisibilis seu extensæ. C. Minor etiam constat apud adversarios, cum enim sit ali-
quid essentialiter incompletum et pars quomodo potest commensurari aut excedere perfectionem rei
completæ in suo genere. Major etiam videtur esse clara, ideò enim Angelus v.g. et Anima Rationalis in se
indivisibilis formaliter occupat Locum extensum et tantum quantum occupat res divisibilis forma-
liter quià per suam Entitatem simplicem æquipollet perfectioni rei materialis divisibilis et eam e-
tiam ob causam Angelus quo est perfectior eo majorem occupat locum, magnitudo enim est quædam
perfectio, et quidem magnitudo virtualis seu eminentialis est longè nobilior et entibus perfectioribus
convenit quidem formalis. Probatur 2do idem Antec. quià puncto intensionis magnitudo seu intensio vir-
tualis convenire potest non. C. Neque puncto seu indivisibili extensionis convenire potest virtualis ex-
tensio. Consequentia videtur esse clara non enim ulla major apparet ratio. Antec. Probatur; Tum quià se-
queretur per indivisibile caloris posse Subjectum reddi magis calidum quam per ipsum calorem haben-
tem aliquas partes intensionis. Tum quià illud indivisibile deberet acquiri per motum successivum
opponeretur enim frigori intenso, et consequenter sicut hoc non nisi per partes tolleretur ita et illud indivisi-
bile non nisi per partes et successivè introduceretur. Quod enim nunc successive et non statim totus simul
calor introducatur in aliquod Subjectum causa est resistentia contrarii habentis partis graduales quæ non
nisi successivè superari et tolli possunt ab agente naturali. Dices etiam tunc illud frigus tolli succes-
sivè et per partes. Contra est quià quandò una pars tollitur illius frigoris, quæro tunc aliquid ex illo indivisibi-
li caloris est introductum, vel nihil? Si introductum. C. Illud indivisibile caloris habet partes suc-
cessivè producendas. Si nihil. C. Non est ulla ratio quare debuit aliquid de frigore decedere. Ar-
gumentor 3tio ex absurdis quæ sequuntur ex illa Sententia Sequitur 1mo ut optimè infert Hurtadus
Quod si unum indivisibile alicujus continui possit virtualiter commensurari alteri continuo possit
etiam dici integram horam esse unicum extensum instans et calorem intensum unicum
indivisibile caloris virtualiter intensum, et arborem integram ingentem esse unum solum punctum
existens in toto loco illo, totum in loco et totum in quavis parte loci, ita enim hæc indivisibilia

sunt una

sunta volunt existere in loco quod tamen satis evidens est absurdum. Sequela patet quia supposito quod unum indivisibile possit habere tantam virtualem extensionem aut intensionem et unum possit habere majorem quam aliud, certè nulla est ratio neq repugnantia quare non possit dari magis et minus virtualiter. Sequitur 2do posse rem aliquam materialem privatam Quantitate habentem tamen partes entitativas collocari viribus agentis naturalis in aliquo loco extenso ita ut sit tota in toto illo loco et tota in quavis parte Loci, quod tamen est absurdum cum hic modus rebus naturalibus sit omninò supernaturalis solis Spiritualibus debitus. Sequela patet quia illa materia v. g. poterit tota confluere ad locum unius puncti extensum, tunc igitur sicut ipsum punctum ita et omnes partes illius materiae erunt in loco extenso illo modo. Sequitur 3tio: Partem esse perfectiorem toto cujus est essentialiter pars. Sequela patet quia illud indivisibile erit Ens simplex et haberet hoc totum quod habet ipsa Quantitas composita puta extensionem in ordinem et impenetrabilitatem. Sequitur 4to Ens corporeum non solum partiale quale volunt esse hoc indivisibile; sed etiam completum posse occupare locum extensum ut totum sit in toto, et totum in quavis parte loci. Si enim hoc potest convenire Enti materiali in completo, non apparet ulla ratio quare repugnare deberet completo, si habeat partes non impenetrabiles. Adde nihil omninò deesse illi Entitati indivisibili quominus possit dici Ens incompletum in suo Genere non minus quam illud conflatum ex duobus aut pluribus ejusmodi punctis. Quid enim hoc totum compositum habet supra illud indivisibile nisi fortè divisibilitatem; sed divisibilitas non est perfectio simpliciter maximè cum per suam simplicem Entitatem id totum habeat unicum punctum quod habere potest hoc compositum ex pluribus talibus punctis. Ad Rationes pro hac Virtuali indivisibilium extensione allatas Rx. Ad 1mam De Angelo et Anima rationali nego paritatem. Angelus enim et Anima rationalis quamvis in se sit indivisibilis, quia tamen est simul Ens altioris gradus et eminentioris perfectionis quam sint Entia materialia et maximè illa puncta nihil repugnat quominus possint occupare locum extensum. Ad 2dam de Animabus materialibus Brutorum perfectorum est improbabile quod videl. non sint divisibiles ut probabimus suo loco. Praeterea quamvis Anima v.g. brevis in se esset indivisibilis et occuparet locum divisibilem, nondum esset par Ratio de puncto indivisibili utpote Ente valdè imperfecto. Jam verò quod attinet ad secundum illud Adversariorum Fundamentum quod videlicet illa indivisibilia sint impenetrabilia: Fateor non ita facilè posse impugnari. Arguitur tamen 1mo ex ratione illa Aristotelis contra Zenonem adducta quia quandò aliqua duo secundum totas suas Entitates immediatè et Formaliter se tangunt, illa duo Actu formaliter se penetrant. Sed illa duo indivisibilia virtualiter extensa tangunt se Formaliter immediatè secundum totas suas Entitates. Ergo illa duo indivisibilia se penetrant. Minor est certa. Major probatur 1. Quia duo v.g. Palmi eo ipso quo se tangunt formaliter et immediatè secundum totas suas Entitates penetrant se et sunt in eodem loco. E. Similiter et illa duo puncta. Probatur 2. Quia illa duo puncta si essent indivisibilia tam formaliter quam virtualiter, seu si occuparent locum indivisibilem simpliciter et tangerent

tangerent se formaliter immediatè eo ipso se penetrarent. C. Etiam quamvis supponant occupare locum divisibilem cum se formaliter et immediatè tangunt verè se penetrant. Antecedens illud fortassis Adversarii cōtra Zenonem concedunt, ideo enim virtualem hanc extensionem excogitarunt aliòquin omninò supervacanea. Consequentia Probatur: quia eadem est ratio, tunc enim illa sedùo ideo puncta penetrarent quia se formaliter immediate secundum totas suas Entitates tangerent. Sed etc. Ergo. etc. Per hoc enim quod occupent locum extensum, nihil advenit illis novæ Entitatis; sed ad summum possunt hoc habere quod licet se totis tangant et consequenter se penetrent, non tamen simul sint secum in eodem loco adæquato. Arguitur 2do: Quia impenetrabilitas est Essentia et Effectus formalis primarius Quantitatis. Sed punctum indivisibile non est Quantitas. C. Illi convenire non potest hæc impenetrabilitas. Afferuntur plura contra hoc fundamentum alia, sed revera videntur non multum habere Rationis. Ad rationem pro illo allatam R. Eo ipso quod illa duo secundum totas suas Entitates ita essent simul ut nihil inter illa mediaret vere mutuo se penetrarent et essent in eodem loco saltem inadæquato.

SECTIO TERTIA.

Tertius quorundam modus componendi continuum ex indivisibilibus proponitur et improbatur.

Aliqui, cum illis neque Zenonis placeat Sententia, neque recentiorum Zenonistarum, voluerunt excogitare tertium genus indivisibilium ex quibus componerent omne continuum. Docent igitur 1mo illa indivisibilia ex quibus componitur continuum et in quæ ultimo resolvitur esse indivisibilia physicè seu quasdam Entitates simplices realiter ita ut neque per Dei potentiam possint amplius dividi realiter sicut impossibile est dividi realiter invicem à se Animal et rationale vel vivens et sensitivum cum sint omninò idem realiter. Docent 2do illa indivisibilia esse mathematicè indivisibilia quia sunt in se ipsis extensa et per intellectum aliquem perspicacissimum v. g. Angelicum vel Divinum, possunt in illis designari aliquæ partes realiter tamen identificatæ. Docent 3tio: Hæc indivisibilia seu minima (sic enim illa baptizant) esse inter se impenetrabilia. Docent 4to: Hæc minima posse esse majora et majore minora et minora. Docent 5to In quovis horum minorum non posse intellectualiter tot designari seu distingui partes quin possint plures et plures distingui et consequenter in infinitum mathematicè seu per intellectum dividi. Hanc Sententiam censeo valdè vicinam esse prioribus nec habere plus probabilitatis quam priores. Quod probo imprimis ad similitudinem quia secundum se repugnat componi continuum ex partibus ejusmodi quæ omni ratione sint intrinsecè simplices & indivisibiles. Atqui hæc tua minima non minus sunt intrinsecè simplicia et indivisibilia prorsus quam illa Zenonistarum tam antiquorum quam recentiorum. Ergo. Major videtur esse certa etiam apud Adversarios. Minor Probatur quia tua hæc minima sunt tam mathematicè divisibilia atqui etiam illa Zenonistica indivisibilia sunt mathematicè divisibilia. Minor hujus probatur quia divisibilitas hæc mathematica ut asseris, nihil est aliud quam distinctio quædam rationis qualis est v. g. inter Animal & Rationale quod secundum se non tenet se intrinsecè ex parte Objecti; sed tantum ex parte Actus et est per quod se denomi

denominationem extrinsecam ratione connotatorum intrinsecorum. Atqui etiam illa indivisibilia Zenonistica erant capacia ejusmodi divisibilitatis et distinctionis rationis per denominationem extrinsecam ad connotata extrinseca quatenus scil: idem indivisibile respondet diversis partibus loci. E. Non magis haec minima quam illa indivisibilia sunt in se, ex intrinsecè formaliter simplicia tam realiter seu Physicè quam mathematicè seu per intellectum, et consequenter si repugnat ex illis componi continuum etiam ex his non poterit componi. Probatur 2do: Quia absurdum est ut aliqua res materialis in se realiter intrinsecè simplex et indivisibilis occupet locum divisibilem et extensum et sit tota in toto et tota in quavis parte loci. Atqui tale unum minimum quamvis sit aliquid materiale et in se intrinsecè omninò simplex, potest tamen occupare locum extensum et divisibilem et esse totum in toto, et totum in quavis parte loci. E. Majorem puto non negabunt Adversarii. Minor imprimis est haec minima esse materialia cum sint partes integrantes alicujus rei materialis. Praeterea concedunt etiam hoc minimum in tantum posse excrescere ut possit bovis Quantitatem seu extensionem localem attingere. Vel igitur illud minimum existens in loco tam extenso et divisibili realiter est totum in toto et totum in quavis parte reali loci, et sic habeo intentum, illud videlicet minimum quamvis sit aliquid materiale intrinsecè simplex et realiter indivisibile, occupare tamen locum divisibilem et naturaliter existere ad eum modum quo res immateriales v.g. Angelus vel Anima rationalis existunt quod tamen ipsis etiam adversariis incredibile videtur, Quod si non est totum in toto et totum in quavis parte illius loci. E. Diversae partes illius minimi respondent diversis partibus loci. Et consequenter una est extra locum alterius. Quid igitur quaeso causae est ob quam sibi ita identificantur et affiguntur ut neque per Dei potentiam possint separari realiter à se invicem cum tamen distinctis realiter loci partibus separentur à se. Certè enim hoc gratis et improbabiliter dicitur quam si dicatur partes Quantitatis non distingui inter se realiter. Confirmatur et declaratur hoc ipsum: quia ratio à priori ob quam partes Quantitatis realiter à se distinguantur et consequenter separari à se possint non est alia nisi quia quamvis illarum partium designabilium Quantitatis independenter ab omni operatione et designatione intellectus habet suam Entitatem per quam existit extra Entitatem alterius partis et consequenter extra locum illius independenter ab illa. Atqui etiam illae partes tui minimi designabiles hoc totum habent. Imprimis enim una pars indesignabilis non dependet ab alia in ullo genere causae ut ipse fateri cogeris cum supponas res realiter identificas esse. 2: Una illa pars quam designas est extra locum alterius, supponitur enim illud minimum unius v.g. Orgiae occupare locum extensum et Physicè divisibilem et non esse modo Spirituali seu definitivè in illo ut totum sit in quavis minima parte illius Loci. Denique 3: Quod etiam una ante omnem designationem sit Entitativè extra Entitatem alterius. Probatur 1mo: Quia inconceptibile est aliquid in se esse Formaliter et independenter ab intellectu extensum et non habere unam partem sui extra aliam Entitativè. Quid enim aliter est formaliter esse in se extensum? alioquin etiam in Angelo nihil desideraretur quominus possit dici formaliter in se ex

in se ex extensus. Atqui illud minimum formaliter et independenter ab intellectu est in se intrinsecè extensum secundum Adversarios. Ergo illud minimum habet independenter ab intellectu et omni designatione unam partem extra aliam entitativè. Probatur 2do Quia extreitas præsentialis in rebus materialibus supponit extreitatem Entitativam, ideò enim v.g. una pars materiæ potest esse extra aliam præsentialiter quia est extra illam Entitativè alioquin esset in uno loco extenso definitivè. Ergo Et illæ partes minimi designabiles cum sint extra se præsentialiter ante omnem designationem, per prius debent esse Entitativè. Probatur 3tio: Quia si eadem omninò in re est Entitas simplicissima illius minimi in una extrema parte ejus quæ est in alia, immeritò una designabitur tanquam compars alterius et pars totius minimi, cum illud potius designatum in re sit ipsissimum totum, sicut temerè designares entitatem Animæ rationalis existentem in pede ut compartem Entitatis ejusdem animæ existentis in capite cum eadem in re sit simplicissima Entitas Animæ utrobiquè. Dices Designari tanquam partem non quià sit in re seu Physicè pars sed quià est pars mathematicè seu per Intellectum. Sed contra est quià etiam in Angelo et Anima rationali tales possunt designari partes per intellectum distinguentem unicam simplicissimam rem in plures conceptus objectivos. Dices illas partes minimi non esse tales quales sunt illæ methaphysicæ in Angelo quià hæ non sunt extensivæ Angeli sicut illæ sunt extensivæ minimi. Sed contra est quià existentibus his partibus non minus in re est simplex entitas illius minimi quam Animæ etiam in ordinem ad Locum. Præterea ut quià jam dixi non possunt intelligi illæ partes extensivæ minimi & reddere illud formaliter in se extensum nisi una sit Entitativè extra aliam. Probatur 4to Principalior Conclusio: Quià ea quibus actu conveniunt prædicata contradictoria, Actu realiter distinguuntur. Sed illi minimo ratione partium designabilium diversarum conveniunt prædicata contradictoria. Ergo componitur ex illis partibus tanquam Actu realiter inter se distinctis. Probatur minor: Demus enim minimum unius cubiti, certè illud poterit in una parte cubiti calefieri, in alia verò frigefieri et consequenter ratione illarum diversarum partium convenient illi prædicata contradictoria in re; diceretur enim calidum et non calidum, frigidum et non frigidum. Confirmatur hoc ipsum Quià impossibile est naturaliter duas contrarias qualitates extensas esse in eodem Subjecto indivisibili atqui tunc in illo minimo unius cubiti indivisibili realiter, naturaliter jam possent dari simul frigus ut 8 et calor ut 8. Confirmatur 2do In continuo designato enim v.g. aliquo ejusmodi minimo motus, illud secundum Adversarios est formaliter extensum successivè Ergo Habet partes successivas quarum una succedat alteri et existat post illam. Ergo Existente una, nondum existit altera alioquin existerent simul, et consequenter illud minimum non haberet formaliter extensionem successivam quod tamen asseris. Debet igitur necessariò existente una parte realiter illius minimi, nondum realiter existere altera. Atqui quæ ita se habent ut uno existente aliud non existat, illa evidens est inter se distingui realiter et unum posse existere quin aliud sivè simul, sivè successivè existat. Ergo.

CAPUT QUARTUM

CAPUT QUARTUM.

Aristotelis Sententia proponitur et defenditur.

Aristoteles Libro 6 et alibi saepe docet continuum componi ex partibus semper divisibilibus in infinitum. Aristotelem secuti sunt omnes Philosophi ac Theologi. Diserte eam tradit S. Augustinus tom. 1. Lib. de Quantitate Animae in fine capitis 11 et initio 12 ubi ait: Punctum esse copulationem partium et pipsum dividi lineam, unde constat ab eo constitui partes divisibiles & puncta indivisibilia. Cum hac igitur recepta et communissima Sententia DICO: Omne continuum tam permanens quam successivum componi ex partibus semper divisibilibus in infinitum. Haec conclusio probatur Imo potissimum Authoritate tot doctissimorum virorum tam antiquorum quam recentiorum de quibus mihi illud persuadeo, saltem plurimos illorum pro illa incredibili ingeniorum suorum felicitate, doctrinae soliditate et omnium difficultatum notitia, ea omnia recentiorum latibula et diverticula advertisse, ita enim sunt obvia ut quivis viam Aristotelis et Zenonis considerans nullo negotio possit illa advertere. Noluerunt tamen in ea se committere, certe non aliam ob causam nisi quia quovis magis obvia, eo minus secura cognoverunt. Probatur 2do Eadem conclusio rejectione aliarum Sententiarum, vidimus enim omnes plenas variis difficultatibus, quae ut ait Hurtadus tam aperte cruentant ut inter vulnera Animam exhabent Adversarii. Et quamvis in sententia etiam Aristotelis non pauciores occurrant difficultates et quae ut ingenue fateamur a nobis solvi non possunt, hoc tamen nos non cogit hanc deserere sententiam cum materiae difficulta sit talis ut ubique aliqua inexplicabilia occurrant. Et quidem in Sententia Aristot. Imum quod gravissimam parit difficultatem est infinitudo Actualis illarum partium in quovis etiam minimo continuo v. g. unica acus cuspide. Pro huius igitur resolutione sit.

SECTIO PRIMA.

An in quovis continuo sint infinitae partes Actu vel non.

Adverte varias partes in continuo posse considerari Imo enim dicuntur aliquae PARTES DETERMINATAE quae scil: habent aliquam certam magnitudinem. v. g. domo habet 6 palmos in longitudinem, isti palmi sunt inter se aequales, terminati et certae magnitudinis numeroque finiti. 2do sunt Aliae PARTES quae continentur PROPORTIONALES quia proportione servata secantur in plures partes ut palmus in duos semipalmos & in 4tuor medietates semi palmorum, eadem dicuntur inaequales quia semper una est minor altera. 3tio Aliae PARTES Dicuntur COMMUNICANTES quia una accipit aliquid de alia ut semi palmus de palmo. 4to Aliae INDETERMINATAE quae nullum habent terminum parvitatis. Partes hae sunt inclusae indeterminatis et ab eis saltem inadaequate distinguuntur sicut materia est in homine et ab eo solum inadaequate distinguitur tanquam inclusum ab includente. Circa hanc igitur difficultatem ut omittam alias duae sunt praecipuae sententiae. Ima est quae docet partes in

partes in continuo non esse Actu simpliciter infinitas sed tantum secundum quid infinitas. Simpliciter autem et absolute finitas, ita Hurt. et plerique alii. Fundamentum illorum est quia si quae partes essent in continuo Actu infinitae, essent solae proportionales. Atqui haec non possunt esse simpliciter infinitae, sed ad summum secundum Quid. Ergo. Majorem probant: quia partes terminatae si essent infinitae, omnino constituerent Actu infinitum continuum. Minorem vero probant quia eo ipso quod sint proportionales, sunt infinitae solum secundum Quid, unde implicatio in terminis partes proportionales in quantum proportionales esse infinitas simpliciter. Ratione autem priori dant quia partes proportionales et communicantes includuntur in partibus aequalibus et determinatis, nam semi palmus includitur in palmo et quarta pars palmi in semi palmo atque adeo quae partes proportionales, dicuntur ~~tamen~~ non sunt aliae seu distinctae simpliciter a partibus terminatis et aequalibus; sed tantum sunt aliae secundum quid seu inadaequate ut inclusum ab includente. Sicut igitur partes determinatae sunt simpliciter finitae ita et partes proportionales. Dicuntur tamen infinitae et indeterminatae quia nullum habent terminum parvitatis, possunt enim accipi minores et minores in infinitum. 2da SENTENTIA est quae docet in omni continuo etiam minimo esse Actu infinitas simpliciter partes tam proportionales quam determinatas quae scil. sunt certae et determinatae magnitudinis. Ita Arriaga et plerique alii ex recentioribus ut ipse testatur. DICO 1mo Partes aequales non communicantes quae scil. una adaequate est distincta ab alia in nullo continuo finito esse ulla ratione infinitas sed tantum finitas. Probatur: quia omne continuum finitum est divisibile in duas vel etiam 4 aut plures partes aequales non communicantes cubitales v.g. aut palmares quarum una sit extra aliam seu distincta adaequate et partibus omnibus ablatis manet illius totius. Ergo Quodvis continuum finitum constare debet finitis partibus determinatis aequalibus non communicantibus. Confirmatur: Quia omne finitum est mensurabile per replicationem partium aequalium non communicantium. Ergo Omne continuum finitum, habet finitas partes aequales non communicantes, alioquin quomodo esset mensurabile. DICO 2do: Partes Proportionales non omni continuo etiam minimo esse actu infinitas simpliciter. Duo dixi 1mum esse infinitas simpliciter. 2dum esse Actu infinitas. 1ma igitur pars probatur: quia ille cumulus continet Actu infinitas unitates simpliciter & absolute, et non solum secundum QUID, a quo si successive una unitas post aliam abstrahatur, nunquam poterunt illae unitates exhauriri. Atqui Angelus aut DEUS v.g. secans aliquod continuum in minorem et minorem partem quolibet quadrante horae vel singulis oculi ictibus separans unam partem minorem et minorem^Δ ab alio continuo separet et dividat, sed semper plures et plures restabunt separandae in uno continuo. E. Tales partes sunt in illo continuo simpliciter Actu infinitae. Major est per se evidens, imo est ipsamet Definitio infiniti et ex hoc principio probatur: Cumulus hominum possibilium quos DEUS v.g. simul Actu cognoscit esse infinitum simpliciter quia si de illo cumulo unum post alium ad existentiam extrahatur, nunquam poterit exhauriri. Minor est Peripateticorum omnium qui omnes docent ablatione quarumcunque partium proportionalium seu minorum et minorum nullum unquam continuum exhauriri alioquin deveniremus ad aliquam partem

Δ nunquam eo deveniret ut non habeat amplius quod ab illo continuo separet et divi etc.

partem illius continui quæ amplius dividi non potest quod Zeno voluit. Probatur 2do eadem pars conclusionis
evertendo illud fundamentum quod propter aliqui volunt istas partes esse infinitas solum secundum quid &
non simpliciter. Hoc enim quod illæ partes proportionales seu includantur in partibus determinatis æquali-
bus nec nisi inadæquatè distinguantur ab illis includentibus quæ sunt numero finitæ in eodem ~~termino~~ continuo, hoc
inquam ut benè Ariaga ostendat, nihil impedit quominus illæ partes proportionales sint ■ dici debeant
simpliciter infinitæ quod Probatur 1mo Quia non eo ipso 6 v.g. palmi non sunt simpliciter sed unus ex eo
quia in una statura hominis continentur vel quis inferet non esse simpliciter duo millia laterum;
sed tantum secundum ex eo quià in una domo continentur. Et ratio evidens est quià hæc partes
proportionales sunt minores et minores quam illæ quæ dicuntur Aliquotæ seu determinatæ in quibus
continentur proportionales. Ergo numerus qui non convenit absolutè majori parti, potest simpliciter
convenire minori, alioquin deberent consequenter dicere esse in terminis repugnantia dicere duas se-
mi ulnas, quià etiam juxta illos proportionalis pars respectu ulnæ. Immò tenentur fateri esse etiam re-
pugnantiam dicere quod homo unus absolutè habeat multas partes determinatas æquales quià hæ non di-
stinguuntur adæquatè ab homine. Undè absolutè secundum illos non sunt plures quam ipse homo sicut inde-
terminatæ seu proportionales non dicuntur ab illis plures simpliciter quam ipsæ determinatæ eò præcisè
quod in illis includantur. Probatur 2do: Quià hæ partes proportionales quamvis non distinguantur realiter a-
dæquatè ab includentibus in quibus sunt inclusæ distinguuntur tamen realiter adæquatè à se ipsis. Ex cau-
sa enim semiulna non adæquatè distinguitur ab ulna, interim tamen ab alia semiulna distinguitur a-
dæquatissimè, et similiter dimidium semi ulnæ non adæquatè distinguitur à semi ulna, distinguitur tamen
adæquatè ab alio dimidio ejusdem semiulnæ: et sic accepta quavis parte continui licet partes inclusæ
in illa non distinguuntur nisi inadæquatè ab ipsa ut includente dantur tamen in eadem partes minores &
minores non communicantes realiter à se mutuo separabiles ac proinde adæquatè in re distinctæ, quas
Deus quamvis in æternum ab aliquo exiguo continuo v.g. uno palmo separet, semper inveniet quas se-
paret. Ergo Nihil illis deest quominus hæ partes proportionales sint infinitæ simpliciter cum et adæquatè
realiter distinguantur à se, possunt enim realiter mutuo à se separari et præterea sunt tot actu ut
nunquam omnes exhauriri seu extrahi possint, quod melius adhuc constabit ex conclusione tertia. Ex his
autem constat etiam secunda pars conclusionis tales nimirum partes proportionales esse infinitas
actu simpliciter et non solum syncategorematicè seu infinitas in potentia; quià infinitum syn-
categorematicum dicitur infinitum solum secundum ea quæ potest habere, et illa quæ habere potest
nunquam actu habet, ideò nunquam est infinitum actu; sed semper est infinitum potentiâ, absolu-
tè autem est finitum actu. Sed in quovis continuo v.g. in palmo uno sunt partes infinitæ non ex eo
quod illi possint plures et plures partes addi; sed ratione earum quas actu habet realiter adæquatè
actu

Actu distinctas. C. Illæ sunt simpliciter Actu et non solum potentia infinitæ. Dico 3tio: Partes determinatas non communicantes inæquales minores et minores esse simpliciter infinitas, ita probabat Ad. Ariaga. Hoc demonstratur evidenter. Si enim DEUS dividens chartam hanc, illius medietatem post coelum Empyreum projiceat, et rursus medietatem medietatis. Tum sic in hoc continuo dantur infinitæ partes hoc modo proiicibiles, sunt determinatæ. C. Hæ sunt infinitæ. Consequentia est evidens. Major est communis omnium doctrina. Quia si DEUS semper dividat et proiiciat post coelum Empyreum, in perpetuum habebit partes dividendas et proiiciendas per totam æternitatem. Ergo sunt infinitæ Actu alias exhaurirentur. Si enim ex una bursa in perpetuum sine fine possent nummi extrahi etiamsi unus sit minor alio, evidens est naturæ lumine ibi debere esse infinitos simpliciter nummos. Minor evidens est quia quælibet illa pars quæ proiiceretur post coelum Empyreum esset certæ magnitudinis, posset tangi, designari, nominari etc. quod tamen convenire non potest rei nisi sit in se determinata. Neque interest ad infinitam magnitudinem quod illarum partium una sit minor alia dummodo sint omnes adæquatè distinctæ realiter, separabiles invicem determinatæ signabiles, tangibiles etc. Contra has conclusiones sunt aliquot gravissimæ objectiones, illud tamen nobis solatio est quod omnibus Peripateticis sint solvendæ. Objectio 1ma est: Quia implicat contradictionem infinitum multitudine. Atqui si hæ partes proportionales essent Actu infinitæ, iam non solum de potentia absoluta; sed etiam de facto daretur infinitum in multitudine. C. Hoc est impossibile. R. Hoc argumentum non posse ullo modo solvi ab ipsis qui ex una parte concedunt quodvis continuum componi ex partibus simpliciter divisibilibus realiter Actu inter se distinctis, ex alia verò parte negant possibile esse infinitum multitudinis. Illi tamen qui docent esse possibile infinitum, facilè illud solvunt negando majorem de quo nos infra. Minor enim certa est. Objectio 2da non minus difficilis est quia totum constans partibus Actu infinitis, est ipsum Actu infinitum. C. Continuum finitum, non potest constare partibus Actu infinitis. Ad hanc objectionem communis omnium responsio valeat quantum valere potest. Distinguendo Antec. Constans partibus æqualibus seu majoribus & majoribus concedo Antec. Constans partibus proportionalibus Neg. Anteced. Totum enim resultans ex illis non est infinitum quia illæ omnes proportionales includuntur in partibus aliquotis seu æqualibus finitis à quibus quasi immediatè continuum habet esse. Undè non probatur quod sit simpliciter infinitum aliquod continuum ex eo quod constet infinitis partibus proportionalibus quia ad hoc opus esset habere infinitas partes majores & majores vel saltem æquales, non autem sufficit quod habeat proportionales seu minores et minores. Instabis et quidem urgentissimè: Ubi sunt partes minores et minores in infinitum, ibi etiam sunt majores et majores in infinitum. Sed in quovis continuo sunt partes minores et minores in infinitum. Ergo etiam in quovis continuo sunt partes majores et majores in infinitum et consequenter quodvis continuum debebit esse Actu infinitum. R. Neg. majorem: Infinitati enim alicujus rei non

non repugnat quod habeat partes decrescentes in infinitum, quia aloquin haberet infinitæ majores atq adeò infinitæ magnitudinis cùm tamen ipsa supponatur esse finita. Instabis 2. Etiam per illas partes quamvis sint minores quia tamen sunt infinitæ continuum evadet Actù infinitum quia quævis partium illarum, faciet aliq et majq in infinitùm. Ergo Infinita facient infinitum. R. Neg. Ante. Ad Probationem Disting. Antec. Infinitum multitudinis Conced. Ante. Infinitum magnitudinis Neg. et idem dic ad consequentiam.

SECTIO SECUNDA.

Aliæ difficultates contra Sententiam Aristotelis examinantur et pro virili solvuntur.

Secunda Difficultas eaq gravissima est. Quibq positis his Actù infinitis partibq proportionalibq adæquatè realiter inter se distinctis quas Deq per totam æternitatem potest separare. Demq igitur DEUM una vice videre continuum aliquod ~~continuum~~ quantum divisibile est. Rogo an omnes illæ partes reducantur ad puncta sola, an certè adhuc maneant partes divisibiles? A Si enim mansissent, non fuisset divisum totum illud unicum continuum quantum divisibile est, cujq contrarium supponimq. R. Negando id possibile esse etiam per Dei potentiam absolutam ut aliquod continuum dividatur actù unâ vice quantum divisibile est, hoc enim repugnat essentiæ continui, neq video quid aliud responderi possit, graviter tamen ista responsio urgeri potest modis omnibq. 1mo Divisio unius partis non repugnat cum divisione alterq partis, neq ulla prorsq est divisio quæ repugnet alteri. E. Omnes divisiones possibiles possunt simul fieri à DEO etiamsi infinitæ sint, tunc autem deberent manere omnia ad indivisibilia redacta, alias non essent factæ divisiones omnes possibiles cujq oppositum supponimus. Urgeri potest 2do: Quia DEUS liberè conservat omnes illas uniones quibq Actù realiter inter se uniuntur omnes partes alicujq continui. E. Potest illas Actu omnes non conservare atq adeò destruere. Destructis illis omnibq unionibq repugnat ut ibi maneat aliquod divisibile seu compositum quia compositum seu divisibile essentialiter dicit unionem. E. Omnia quæ ibi manebunt, erunt indivisibilia. Urgeri potest 3tio: Quia DEUS videt omnes divisiones circa hanc chartam, non solum eas quæ simul fieri possunt; sed etiam eas quæ successivè et divisivè, omnes eas ita DEUS videt hodiè ut præter divisiones quas hodiè cognoscit Deq nulla amplq sit possibilis ullo modo, alioquin aliquid possibile non cognosceretur hodiè à DEO; sed restaret id cognoscendum cras quod est erroneum. Hoc autem supposito, sequitur quod Deq cognoscat chartam hanc ad indivisibilia reductam. Probatur consequentia: quia si non cognosceretur charta hæc per eas divisiones ad indivisibilia redacta. E. Restarent adhuc novæ divisiones chartæ cognoscendæ, à DEO præter illas quas de facto cognoscit. Sequela patet quia si charta cognitis illis divisionibq adhuc non cognoscitur redacta ad indivisibilia. E. Adhuc cognoscitur divisibilis. Ergo Adhuc possibiles sunt aliæ divisiones

A si reducuntur ad puncta. Ergo tandem ad sola puncta deveniendum erit. Neq dici possunt mansisse partes divisibiles. Si enim mans. etc.

in ea

Habemq doctas et subtiles ad mentem Scoti, quas nobis nostri majores in hac florentissimā Universitate (quales inter cæteros sūt Glogoviensis et Stobnicensis) scripserūt, et ab hinc 100 annis typis mandaverūt cogitationes. Videmq in publicis Philosophicis Actibq singulis hebdomadis ex totiq Universitatis ordinatione utramq contradictionis partem sustineri. Experimur quoties subtilis Doctoris opera, attentè trutinamq, quàm clarè, quàm profundè, quàm feliciter divinū hujq viri ingeniū, mentem Aristotelis penetrat, arcana rimatur, difficultates explicat, dubiis satis facit, mentem legentis quietat, firmissimis rationibq assensū extorquet, omnia semꝗ conformiter dicit, omnibq deniq tam in Theologia, quàm in Philosophia perplexis quæstionibq facit aptissimū quemq extricandis. Audimq, et cum maximā voluptate plurima gravissima testimonia legimq, ꝑ quæ hujq viri firmissima et solidissima cum sanctitate vitæ conjuncta maximè commendatꝫ doctrina (vide ea quæ sequūꝫ puncta). Porrò hanc suæ Doctrinæ firmitatem, stabilitatem, solilitatem, conformitatem et ꝑpetuitatem suo humillimo obsequio, quod Virgini Matri exhibuit, promeruisse credꝫ. Decuit quippe, quemadmodum Reginā Angelorū quàm ille, nullā unquā, ne originalis quidem culpæ maculā aspsā defendit, est Lilium inter spinas, ita quoq hui seu Bellatoris Mariani, eadem vergine præmiū referete

inter scripta Doctorū, est ei Lilium Doctrinæ, liliū inquā semp vernās, semper spirās, semp (ut videmꝰ) manens illibatum. Namq̃ illud p 300 annos nullius propositionis litura violavit, nullius vel minimi erroris p tot Concilia Oecumenica tetigit labecula, nec mireť quispiam nos maximè quidem, non tamen Canonisati Doctoris doctrinam sequi, namq̃ hunc scrupulum dudum ex animis nostris æquitas ipsa, et Jurisconsulti sustulerūt, præcipuè autem Nicolaꝰ Evardꝰ J. V. D. præstantissimꝰ, q in locorū legaliū loco 48. ab Authoritate seu exemplo majorū sic scribit: (Et ne erres, volo te scire, quod non valet hæc consequētia talis: Doctor est Canonisatꝰ. Ergo prohibitum est aliter opinari, quā ipse scripserit, nec etiā valet Consequentia talis: Doctor ñ est canonisatꝰ. Ergo Dicta ejꝰ non sūt recipienda. Sed benè valet hæc consequentia: Talis Doctor est Canonisatꝰ. Ergo licitè legūť, et tenenť ejꝰ opa. Sequiť Controversia x. D. N. L.

in ea quas Deus prius non cognoverat, quod est absurdum. Ecce Labyrinthus ut non immeritò censeat doctissimus Ariaga posse nos sine rubore ignorari solutionem horum, hoc enim ab homine alienum non est reputandum; afferam tamen quæ pro solutione istorum afferri solent. Ad 1mum igitur dici potest quod licet non repugnet divisio illius partis cum altera distributivè seu divisivè, repugnat tamen divisio omnium partium collectivè sumptarum, repugnat enim omnes partes Quantitatis cujuscunque manere absque omni unione. Ad 2dum etiam dicendum est consequenter hoc implicare ut Deus destruat omnes uniones alicuius continui manentibus entitatibus illis ex quibus constat illud continuum: sicut impossibile est ut Deus Quantitatem sine Figura aut v.g. Corpus absque omni ubi conservaret, necessariò enim ex suppositione quod velit illud conservare, debet illud conservare alicubi; ita etiam ex suppositione quod Deus velit conservare illas Entitates partium continui, necessariò debet conservare aliquas uniones illarum seu in illis inclusas. Instabis: Unio partium alicuius continui est in illis partibus tanquam in suo Subjecto. Ergo supponit prius natura illas partes non unitas seu non compositas et consequenter indivisibiles. R. Neg. Conseq. Unio enim quâ una pars unitur cum altera parte supponit eandem partem iam unitam, non quidem cum hac cum quâ illam unit sed cum aliis. Ad 3tium Responderi potest: Deum non videre omnes divisiones possibiles quia non sunt omnes, non ergo mirum si non videantur. Sed hæc responsio clarè videtur posse rejici, nam sive dicendæ sunt omnes, sive non. Certum est quod Deus ita cognoscat divisiones possibiles circa hanc chartam ut præter eas, quas hodiè in hoc momento cognoscit, nulla sit alia possibilis, et sic dicitur meritò cognoscere omnes, quia si præter eas quæ cognoscuntur nulla restat, quid ergo desideratur ad omnes? Quis enim unquam prudenter dixit: Præter homines quos ego cognosco, nullus superest, et tamen non cognosco omnes. Fortassis ergò non ità apertè rejicietur quod alii dicunt omnes illas divisiones possibiles videri nunc à Deo non collectivè sed disjunctivè. Hoc autem non est intelligendum in tali sensu quod Deus non habeat simul cognitionem de omnibus divisionibus circa chartam illam. Hoc enim à nullo perfecto et vero Christiano dici potest quia id repugnat infinitæ Perfectioni Divinæ, ut scil: Deus non habeat simul omnium cognitionem sive illa sint simul secum possibilia, sive successivè, sive collectivè, sive disjunctivè. Hoc igitur sensu intelligendum est quod Deus cognoscendo Actu illas divisiones circa hanc chartam cognoscit quidem omnes simul; sed non ita ut cognoscat & has et illas et omnes alias collectivè sumptas esse possibiles. hoc enim implicat; sed cognoscit Actu simul et distinctè omnes distributivè esse possibiles et has scil: et has et omnes alias distributivè tamen vel etiam disjunctivè videndo se posse hanc v.g. chartam dividere per totam æternitatem vel in has divisiones

vel in

vel in alias, et sic de omnibus aliis. Cognoscendo autem omnes simul hoc modo nunquam cognoscit illam chartam esse reductam ad indivisibilia, quia dum actu videt se posse hanc chartam per totam æternitatem dividere per aliquas divisiones, statim etiam actu cognoscit præter illas esse adhuc alias possibiles. 3tia Difficultas est contra Doctrinam Aristotelis. Quia poterit sibi persuadere in subtilissima acque cuspide minutissima esse tot partes ut faciendo divisionem, et unam extra aliam ponendo possit DEUS tegere totum mundum et infinita spatia possibilia. Sequela autem hæc probatur: Quia illa cuspis est divisibilis in profundum in infinitum, in alias tam extensas licet non tam profundas partes. E. semper habit DEUS æquè extensas cuspides quas addat et quibus cœlum tegat et omnia spatia imaginaria. Rx. Fateor illud admodum difficile esse creditu, evidenter tamen sequitur ex doctrina Aristotelis ut benè probatur. Quod si adhuc Inferas: Ergo iam in una minutissima cuspide acque erunt infinitæ partes æquales non communicantes quod tamen antèa negatum est. Negatur. Disting. Rx. Erunt æquales secundum eam dimensionem, secundum quam fit Divisio Neg. Secundum eam dimensionem secundum quam non fit Divisio. Conc. illam sequelam majoris. Illa enim divisio cuspidis fieret secundum profunditatem seu crassitiem, et sic non essent æquales illæ partes; sed subtiliores et subtiliores. non fieret autem divisio secundum longitudinem et ita essent æquales. 4ta Difficultas est: Quia ponere à parte rei partes indeterminatas, uniones et contactus indeterminatos videtur esse repugnantia in terminis, quia omnia quæ à parte rei existunt, sunt determinata, vagum enim et indeterminatum est denominatio proveniens ab intellectu, confusè et non magis hoc quam illud affirmante. Præterea indè fiet ut etiam in ordine ad DEUM debeant multæ propositiones in hac sententia concedi, quæ summam habent Difficultatem, quales v. g. sunt: quod non sciat DEUS undè incipiat charta, quæ sit ultima eius superficies cum tamen illam creaverit, et verè aliqua sit ultima illa scilicet ultra quam charta non protenditur ulterius. Deinde quomodo et in qua parte se tangant manus et charta in qua scribo. Deniquè quod non possit DEUS unum Angelum qui immediatè post alium creare et quantum ibi debet expectare et similia absurda, quæ videntur sequi ex doctrina Aristot. Responderi tamen potest ad primum Neg. ullam partem continui in se à parte rei esse indeterminatam; sed tantum esse indeterminatam quo ad divisionem vel designationem quatenus nimirum potest hæc aut illa dividi vel designari. Ad illud Secundum Rx. Nihil esse mirum quod DEUS non videat quæ sit prima vel ultima pars in aliquo continuo quia nulla est absolutè talis neque ulla creata est à DEO quæ sit absolutè prima aut ultima. Et idem dicendum ad tertium quandò unum corpus tangit aliud, tangunt se in puncto et parte proportionali id est non posse signari aliquam partem tam parvam in qua tangit quin alia minor in infinitum assignari possit

secundum

secundum quam tangat quod est tangere indivisibiliter versus aliquam partem in parte divisibili. Ad 5tum Post unum Angelum creatum in unico instanti posse immediatè post illud instans creari à DEO alium Angelum; sed iam non nisi in tempore. Nihil autem repugnat rem indivisibilem fieri in tempore. 5ta Difficultas est: quia si quodvis continuum infinitas haberet Actu partes, sequeretur nullum unquam continuum pertransiri posse quia infinitum pertransiri non potest successivè. Ad hoc R. Neg. illam sequelam, motus enim habebit partes respondentes partibus termini, et sicut in termino sunt infinitæ partes proportionales ita et in termino erunt infinitæ. Ad illam Probationem neganda est sequela seu suppositio potius: Ex illis nimirum infinitis partibus constituitur infinitum quod debet pertransiri. Denique ut multa alia omittam potest 6to argui doctrina illa Aristotelis quia non est ulla tam gravis necessitas inveniendi tantam multitudinem et confusionem partium et implicandi se in tot et tantis difficultatibus cum Sententia Zenonis longè sit clarior et ad conceptum facilior, neque illa fundamenta supra contra illam allata tanti videntur esse momenti ut solvi vel saltem retorqueri nequeant. Quod an ita sit, sit

SECTIO TERTIA

An et quomodo illa argumenta contra Zenonem allata solvi possint.

Visis tot et tantis in Aristotelis Doctrina Difficultatibus, non immeritò clariorem et expeditiorem de continui compositione quisque desiderare potest. Et sanè censeo non posse excogitari faciliorem viam quam sit illa Zenonis: nam illa inflatio punctorum seu etiam divisibilitas formalis mathematica solius novitatis gratia videtur excogitata, cum revera easdem difficultates quas antiqua Zenonis patiatur imò multo plures. Solum igitur solvenda sunt argumenta illa quæ contra Zenonem afferri solent, quæ omnia satis probabiliter solvit Arriaga. 1mum igitur Argumentum contra Zenonem fuit quia indivisibile additum indivisibili non faciat majus. Ad hoc Argumentum respondet Arriaga 1mo retorquendo commodissè tam contra Aristotelem quam recentiores Zenonistas. Respondet 2do Negando Antec. Licet enim unum punctum tangat aliud totum, non tamen eo ipso debet penetrare illud seu esse intra locum illius. Ratio autem prioris est quia ut aliqua duo tangantur præcisè requiritur unum esse juxta aliud quamvis non sit intra aliud. Et hoc autem quod illa duo indivisibilia tangerent se tota, nondum potest inferri illa mutuo se penetrare, plus enim requiritur ad hoc ut se verè penetrent quam ut se tota tangant, quia ad hoc ut se verè penetrent requiritur omninò ut sint intra se seu intra idem divisibile spatii imaginarii, ut autem tangant se tota sufficit quod sint ita sibi vicina ut inter utrumque nihil mediet, cum enim sint indivisibilia nec possint habere aliquid interius aliquid exterius eo ipso quod ita juxta se ponantur, intelligantur tangere se tota neque plus de seipsis tangerent etiamsi se penetrarent. Penetratio igitur cum non consistit in eo quod totum tangatur; sed in eo quod tangens et tactum correspondeant omninò indivisibili spatii imaginarii.

Quod

Quod totum declarari potest; Si ponatur v.g. vel saltem fingatur ad rem explicandam superficies extensa
indivisibilis, certè nullus ab oriente ad occidentem poterit recta transire nisi penetret eam superficiem,
poterit autem unus aliquis manere ex parte orientis, alter ex parte occidentis ita tamen ut eam superfi-
ciem habeant in medio, non verò sint in loco illius. Ergo illi erunt continui puncto et non penetrabunt
illud; sed solum erunt juxta illud. Et indè iam constat valdè debilem esse illam argumentationem. Tan-
git totum. Ergo penetrat aliud. Porrò longè alia ratio est si duæ res divisibiles v.g. duo palmi totas se
tangerent quià partes interiores unius palmi non possunt immediatè tangi ab alio nisi hic anteriorem par-
tem penetret et sit in eodem loco cum illis. 2dum argumentum contra Zenonem fuit allatum ex
motu tardo et veloci, ad quod Arriaga respondet 1º Quod hoc argumentum eandem prorsus vim habeat con-
tra Aristotelem quià licet puncta et partes sint infinitæ in quolibet tamen puncto aut parte non poterit mi-
nus majusque percurri quam unum punctum aut una pars spatii. 2º Si per tot partes et instantia temporis li-
cet infinita movetur testudo et aquila, tot acquirit ~~patii~~ partes testudo ac Aquila, infinitas autem partium per
Accidens se habet ad præsentem difficultatem. Unde respondet 2º motum aliquem esse ideò velocem vel
tardum quod hic interrumpatur per aliquas morulas, velox autem non discontinuetur. Et ideò licet in uni-
co instanti neque Aquila neque testudo possint aquirere de novo nisi unicum punctum, tamen in dimidia hora
plus acquirit aquila quam testudo quià hæc non movetur nisi per 6 vel 7 instantiam illius dimidiæ horæ, aquila verò mo-
vetur per 30, quo igitur plures dantur in motu morulæ eo est tardior, quo pauciores eo velocior. Si autem nullæ dantur,
erit summe velox. Hæc responsio non est omninò improbabilis et dicit illam idem Author multorum esse recenti-
orum etiam illorum qui defendunt sententiam Aristotel. de compositione continui. Multo vero magis te-
nentur illam defendere omnes recentiores Zenonistæ quià per hoc quod ista inflent puncta, non evadunt hanc
difficultatem, neque enim quia velocius moveatur aquila quam bos in dimidia hora, puncta aquilæ magis inflan-
tur aut constringuntur. Ad ea verò quæ ibi contra has morulas objiciuntur potest dici ad 1mum illas morulas
quamvis sint plurimæ, non percipi tamen quià sunt minutissimæ v.g. indicis horologii vix percipi potest. Adde illas
morulas percipere nihil esse aliud quam percipere motum non esse ita velocem. Ad 2dum potest dici: Longè plu-
ra et magis admiranda atque inconceptibilia esse in doctrina Aristotelis. Illud enim saxum cadens etiamsi illi
aër non resistat neque habeat ulla fulcra, non tamen descendit summa velocitate quià non habet summam
virtutem locomotivam etiam ad summum centrum, et consequenter propter limitatam suam virtutem
petit connaturaliter immorari in aliquam parte. Utrum autem in hac vel illa pertinet ad Deum determina-
re, sicut in simili dicitur v.g. frangitur vas ratione intemperiei, ad Deum pertinere determinationem individu-
orum. Ad 3tium supponit unum lapidem majorem velocius moveri quam lapis minor, cum tamen dicat
idem Author se contrarium evidenti experientiâ didicisse, æquè nimirum velociter moveri exiguum lapillum
sicut alium longè majorem. 3tium Argumentum fuit quià multæ essent magnitudines lineæ v.g. quæ in
partes omninò æquales dividi non possit. Rx Concedendo hanc sequelam et negando huic oppositum ab ~~partes~~ Euclyde

Euclyde unquam demonstratum quod nimirum omnis Linea debeat habere partes omninò æquales, hoc enim non videtur esse de ratione Lineæ. 4tum Argumentum fuit de modo quo ex uno indivisibili debeat fieri transitus ad aliud immediatè. Ad quod respond: Quandò ex uno indivisibili puncto transitur ad aliud immediatum punctum, fieri hoc unico instanti et per Actionem quod non est in rigore motus utpote cum non sit Actio successiva sed instantanea, neq ullum absurdum est componi motum ex partibus aliquibus quæ non nisi unitæ sint motus. Jam verò argumenta ex mathematicis sumpta, majorem vim habere videntur. Respondetur tamen ad primum non quamlibet lineam ductam ab uno puncto lineæ Pyramidis ad aliud oppositum esse majorem quam sit Linea superior quia cum illæ lineæ simul descendant inferius et elongentur inter se, indè est ut habeant aliqua puncta rectà lineà versus inferiorem partem et alia versus latera. Linea autem inferior quæ ducitur à punctis quæ non ad latera; sed inferius posita sunt, non est longior quam sit superior Linea, quia illa puncta inferiora non magis distant inter se quam superiora. Et idem dicendum est ad illud 3tium de Diametro quod scil: esset æqualis costis. Ad quod sim. responderi potest non per quæcunq puncta diametri posse duci Lineas distinctas à costa in costam; quià illa Linea diametralis non descendit recta inferius; sed aliquantulum declinat se estq media inter Lineam quæ descendit rectà à costa superiore ad inferiorem et inter illam quæ nullo modo descendit; sed recta transit à costa in costam. Undè cum utraq communicat habetq aliqua puncta quæ infra descendunt et aliqua quæ nō descendunt; sed sunt ad latera, undè necesse est ut Linea ducta à costa in costam aliquandò transeat per duo puncta diametri. Neq verò indè sequitur illam Lineam diametralem seu collaterales pyramidis esse undosas aut obliquas, quamvis enim si pingantur hæc duo puncta modo explicato, Linea videbitur undosa vel obliqua quià ea puncta quæ nos ponimus habeant medium etiamsi velimus illa indivisibiliter pingere, inde fit ut visui semper appareat via media quà Linea duci possit rectius, re autem vera Linea constans punctis etiam eo modo positis non est undosa, inter duo enim puncta non datur Locus medius; sed vel debet esse supra unum punctum vel supra aliud adæquatè. Ad 2dum de duobus circulis respondendum est negando debere tot lineas distinctas transire per circulum interiorem, quot distinctæ ducuntur ex circulo exteriori. Quis enim sibi psuadere possit, tot sive lineas sive quodcunq aliud posse distinctum Locum habere in una litera parva C ac in tota illa vastissima Empyræi (capicitate coeli circulo aut ab uno infinito circulo). Quod amplius declaratur quià naturæ lumine videtur esse evidens non posse non posse à circulo v.g. capitis aciculæ tot distinctas lineas trahi quot à totius Empyrei coeli circulo aut ab uno infinito circulo sive continuum constet solis punctis, sive partibus, hoc videtur esse clarum. Sunt ergo non possunt trahi tot lineæ distinctæ à circulo parvo. E. Neq possunt tot lineæ distinctæ transire per illum aciculæ circulum quot possunt oriri à coelo, alioquin si possent tot simul distinctæ illum intrare, possent ab illo incipere. E. Si non possunt tot trahi, quot à coelo, neq poterunt tot intrare quot trahuntur à coelo. Confirmatur hoc ipsum ratione à priori. Centrum dicitur et est punctum illud in quo conveniunt omnes lineæ ac sunt idem. Circumferentia autem seu circulus ultimus est extremum in quo lineæ omnes in

omnes incipiunt et inter se distinguunt omnes illæ lineæ. 2°. quominus distat à centro, eo minus Lineæ illæ inter se
distinguunt et consequenter non est putandum immediatè post centrum illas lineas in parte unius aciculæ subtilis-
simæ æquè omnes inter se distingui ac distinguunt in ultimo circulo exteriori, distinguerent autem eodem modo si sibi
essent omnes una extra aliam. Deniq pro declaratione ejsdem potest supponi unum punctum non posse tangi nisi ad
summum à sex punctis aliis v. g. ab oriente, ab Occidente, à meridie, à septentrione, à parte superiori et in-
feriori. Ex quâ suppositione quæ videtur certa infertur à centro ad circulum exteriorem non posse deduci nisi
tantum sex lineas distinctas inter se quia illud punctum est initium commune linearum illarum. Quod si
præter has sex lineas aliqua esset ducenda ex illo centro, aut ad illud necessario deberet illa concidere cum
aliquibus ex primis v. g. 4 collateralibus, et non solum in puncto ultimo seu in centro; sed etiam in puncto
immediato ipsi centro quià non est alia via quâ illa linea perveniat ad centrum nisi transeundo per ali-
quod ex illis punctis circumdantibus adæquatè centrum. Eodem prorsus modo dicendum est quod si circulus in-
ferior constet punctis 20 superior autem 30, tunc impossibile est transire 30 Lineas ductas à superi-
ori per inferiorem nisi decem illæ transeant per puncta 20 aliarum. Neq indè sequitur fore illas obli-
quas cum non habeant ullam viam breviorem qua possunt pergere ad centrum. Fateor hoc non posse osten-
di in circulis quæ nos pingimus, quià cum à nobis nequeant pingi puncta quæ medium non habeant, semper videtur
à quolibet posse puncto circuli exterioris duci linea omninò distincta ad punctum interius et eo ipso quod du-
as Lineas conjungas in unico puncto circuli interioris apparent obliquè propter rationem dictam, quià vi-
delicet datur via media brevior. Præter hæc argumentum adhuc afferri possunt Duo. Primum desumitur
ex raritate et densitate. Eadem quantitas v. g. olei vel aquæ etc. quando est rara, occupat plus loci, et
quandò est densa occupat minus Loci. Sed si constaret solis punctis v. g. 30 aut 40, hoc fieri nullo modo
posset quià illa 30 puncta non possent plura vel pauciora occupare spatii puncta quam 30. Ad hoc ar-
gumentum Respondetur Imprimis Difficultatem hanc esse omnibus communem, sive enim puncta finita sint
sive infinitæ partes, evidens est easdem partes et puncta non posse nunc plus occupare spatii quam
antea, nisi vel antea essent invicem aliquæ penetrantes, vel nunc aliquæ sint in duobus locis vel inter
illas iniiciantur aliquæ vacuitates aut alia corpora: neq est perceptibilis alius quartus modus quo possit
fieri ea major dilatio aut densatio. R. Deindè; rarefactionem v. g. aquæ fieri per introductionem
aliquorum corpusculorum äeris aut aliorum; ratione autem illorum majorem occupari locum à cor-
pore raro quam antea in condensatione vero foras expelli ejusmodi corpuscula ideoq minorem occu-
pare Locum. Hunc modum rarefactionis tenet Ochamus, Gabriel, Valesius, Arriaga qui etiam dicit esse
communem multorum recentiorum, etiam illorum qui puncta et partes finitas ponunt. Sed hac de
re in Libris de Generatione et Corruptione. 2dum Argumentum contra Zenonem formare
solent ex motu rotæ qui etiam simul arguit illas morulas in motu. Quià demus rotam moveri circulariter,
tunc certum est citius moveri partes exteriores illius circuli quam interiores, et consequenter has debere
aliquantulum

aliquantulum immorari seu quiescere dum illæ superiores moventur; hoc autem posito sequitur partes exteriores discontinuari ab interioribus. Ad hoc Argumentum responderi potest nullam fieri discontinuationem quia partes illæ circuli exterioris moventur supra et circum interiores. Ita enim quando circulariter rota movetur, centrum illius non movetur et sic punctum illud immotum manet, et aliud illi unitum movetur neque tamen discontinuatur. Denique ad illam Consilii constantinensis Authoritatem respondetur prædictam propositionem et censuram ejus non nisi in apendice concilii illius reperiri quæ appendix desumpta est ex codice cuiusdam canonici quem codicem fatetur Typographus ut ajt Arriaga esse mendosum ideoque non in omnibus editionibus reperitur. Adde eam propositionem & censuram illius lectam fuisse in Concilio, non tamen a Patribus de illa actum fuit, quia non fuit illorum institutum de Physicis opinionibus disputare. In materia enim purè Philosophica nequit aliquid Pontifex definire. Et ex his patet Sententiam Zenonis non ita esse improbabilem ut non possit defendi ac Aristotelis, imò fortassis facilius. Ab Aristotele tamen cum omnia alia acceperimus, etiam in hoc pro gratitudine recedendum non est.

CAPUT QUINTUM.
Sunt ne in Continuo indivisibilia realia.

Adverte duplicia posse indivisibilia in continuo. ALIQUA ABSOLUTA quæ videlicet sunt res & non modi, cuiusmodi erant illa ex quibus Zenonistæ componunt continuum tanquam ex partibus illius. ALIA SUNT MODALIA quibus videlic. mediis formaliter continuantur seu uniantur partes continui. De hoc utroque genere indivisibilium non est controversia inter Zenonistas, certum enim est utrumque concedendum necessario esse apud illos. Solum igitur inter Aristotelicos est controversia. Dico 1mo In compositione continui Aristotelica nulla ponenda esse indivisibilia absoluta. Probatur 1. Quia non est ulla necessitas multiplicandi Entia. C. Antec. patebit ex solutione objectionum et amplius probatur quia hæc indivisibilia realiter distincta ponenda essent v.g. in Quantitate vel propter contactum corporum inter se; quia nimirum esset id quo se corpora tangerent vel propter continuationem partium quantitatis vel denique propter terminationem ejusdem Quantitatis. Sed ad nihil horum requiruntur. Ergo. Quod non requirantur ad contactum probatur: quia ut duo corpora se tangant, hoc tantum requiritur ut sint simul seu ut sint contigua. Atqui suas Entitates ablatis hisce punctis optimè possunt intelligi esse simul et vicina eo ipso quod sint ita juxta se ut nihil inter illa possit mediare. Præterea quia superficies v.g. ultimo terminativa alicuius corporis cum se tota tangat, partem ejusdem corporis cui unitur, penetrat se cum illa & est in loco illius partis seu pars in loco superficiei. Ergo illa superficies non potest esse aliquid quod me-

mediet inter tangens et tactum: sed necessario illa se per suas partes tangent erunt sibi contigua. Quod eti-
am non sint necessaria ad continuationem. Probatur quia partes Quantitatis inter se continuantur per unio-
nem formalem. Atqui per haec indivisibilia partes Quantitatis inter se uniuntur. Ergo. Neque continuantur.
major videtur esse certa quia haec ipsa indivisibilia cum non sit uniones formales partium ut uniantur iisdem
partibus indigent unione distincta à se. Denique quod neque ad Terminationem illa puncta requirantur
Probatur: Quia quodlibet corpus finitum per suam praecise entitatem est tantum, et non ultra extenditur.
Ergo Frustra finguntur alii limites. Antece. est certum. Consequentia Probatur: quia per negationem ulterio-
ris extensionis sufficienter intelliguntur terminari, illam porrò negationem independenter à punctis per
suam Entitatem possunt habere, sicut et per eandem habent Tantitatem. Probatur 2do Conclusio. Si pro-
pter mutuum contactum corporum ponantur indivisibilis Superficies ut v.g. quandò tango chartam, tan-
gam illam in sola Superficie sine penetratione, tunc contra est quia lignum media parte sui existens
in aqua media in äere et tangens aquam & äeram simul debebit habere duas Superficies immediatas, atque
adeo constabit totum Superficiebus. Patet haec sequela quia illud lignum per unam Superficiem tangit aquam
per aliam tangit äerem, una enim eademque non potest tangere duo illa corpora: nam duae illae Superficies äe-
ris et aquae una est supra aliam. Ergo. Per unam Superficiem non potest illud lignum esse in aequali altitudine
cum utraque illa Superficie; sed necessariò debebit habere unam quae cum Superficie aquae faciat planum, ali-
am quae cum Superficie äeris faciat aliud planum etc. Consequenter habebit unam Superficiem immediatè post
aliam. Quod si dicas per unam eandemque Superficiem coexistere lignum Superficiei tam aquae quam äeris quia
hae duae Superficies se penetrant et utrique respondet idem indivisibile spatii imaginarii. Tunc contra est.
Ergo Aqua et äer se penetrant secundum aliquam partem sui divisibilem. Sequelam hanc probo: Quia Su-
perficies aquae penetrat se cum aqua: Tota enim entitas illius tangitur ab aqua et similiter etiam Superficies
äeris penetrat se cum äere quem Terminat. Si igitur hae duae Superficies sunt in eodem loco (in quo nimirum
sunt cum suis Superficiebus. Probatur 3tio Conclusio: quia quotiescumque movetur homo aut aliquid aliud et in-
tersecatur äer. Similiter quoties separatur aliqua gutta liquoris ab aliis partibus, et uno verbo singulis momen-
tis in Locis innumeris in quibus dividuntur corpus et consequenter materia prima illorum corporum debe-
rent de novo creari puncta illius materiae terminativa utpote quae non dependent ab ullo Subjecto, si-
cut et ipsa materia. Iam verò ubi est agens à quo talia puncta creentur? et unde colligis eorum ne-
cessitatem. Et idem dicendum quoties eaedem partes illae materiae in aqua v.g. aut äere divisae, rursus
secum continuantur. Dices: Eadem indivisibilia esse terminativa & continuativa et ita post divisionem
alicuius corporis non est opus consurgere nova puncta terminantia; sed illud quod antea continuebat
post divisionem manens terminat. Sed contra est quia si post divisionem v.g. guttae non habent nova
indivisibilia terminativa; sed per quae antea secum continuabant, per eadem nunc terminarentur. Ergo sicut

Δ secum, etiam aqua et äer secundum aliquas partes suas erunt in eodem loco in quo etc.

nunc

nunc quælibet illarum guttarum per distincta indivisibilia terminantur; ita & ante divisionem per distincta continuabantur, et consequenter immediate fuit indivisibile penes indivisibiles in eodem continuo. Obiicies 1mo Corpus perfectè sphæricum tangit planum in solo puncto et cylindrus seu columna perfectè rotunda tangit idem planum in sola linea. Ergo in continuo dantur puncta indivisibilia realia. R. Illud corpus perfectè sphæricum tangere planum in parte proportionali indeterminata id est non posse assignari aliquam partem tam parvam in qua tangit aliquam alia minor in infinitum assignari possit secundum quam tangit quod est tangere indivisibiliter in parte divisibili. Neq. inde sequitur seu rotundum adæquari plano aut duo corpora se penetrare quia illud rotundum non haberet superficiem extensam æqualiter neq. tangeret planum secundum aliquam partem tota~~planam~~. Neque video quomodo huic argumento in Sententia Aristotelis possit aliter responderi. Nam concessis etiam talibus indivisibilibus, hæc necessariò non essent extra locum partium quibus immediatè uniuntur alioquin indivisibile additum parti faceret majus & consequenter non tangunt se illa duo corpora mediantibus punctis. Ex hac etiam responsione patet quid sit dicendum ad alias similes objectiones ut cum dicitur illuminari spatium in ultima superficie, dicendum enim est cam illuminationem fieri non parte proportionali, et diaphanum ab opaco differre quia illud secundum se totum illuminatur, hoc autem secundum partem proportionalem. Obiicies 2do: Quia continuum successivum v.g. Tempus habet instantia seu indivisibilia absoluta. Ergo et continuum permanens habet puncta indivisibilia. Consequentia est clara, est enim major ratio de illis quam de his. Anteced. quia Angelus v.g. producitur in instanti indivisibili, cum enim indivisibilis sit, nequit in tempore divisibili produci, alioquin prius deberet produci una pars illius, posterius alia cum tamen supponatur nullas habere partes. R. Negando Antec. Sicut enim de punctis continui permanentis diximus, idem et dicendum est de successivi. Et sicut in continuo permanenti si darentur indivisibilia absoluta, non existerent extra locum partium; ita et in continuo successivo si darentur instantia indivisibilia, omninò non possunt existere extra partes suas neq. unquam posset esse solum instans; sed cum aliquibus partibus proportionalibus. Undè ad probationem dicendum est quod sicut rotundum tangens planum tangat partem illius divisibilem indivisibiliter, ita etiam Angelus crearetur in parte aliqua divisibili proportionali temporis divisibiliter, ita ut signata una exigua parte temporis non in tota illa; sed in alia minori in infinitum fieret. Dico 2do: Indivisibilia esse ipsas uniones actuales seu terminationes partium. Probatur 1mo Authoritate Aristotelis 4 Phys. c. 13. t. 21. Agentis momentum autem præsens temporis continuatio est. Et infra: Si temporis momentum partim quidem est temporis divisio potestate partim terminus & utriusq. copulatio. Probatur 2do Ratione quia talia indivisibilia modalia sunt omninò necessaria et sufficiunt ad præstandos omnes illos effectus formales ad quos ponebantur puncta absoluta. Et quidem quod sint necessaria probatur quia illas partes Quantitatis v.g. cum sint inter se realiter distinctæ impossibile est uniri nisi mediante

mediante formali unione distincta ab illis utpote sine qua possint separatæ existere. Præterea nisi detr̃ hæc unio distincta, non poterit assignari terminꝰ nutritionis quia per introductionem formæ viventis in materiam alimenti est etiam vera continuatio quæ augmentatio dicitr̃. Neq̃ terminari potest ad Ubicationem quia non est motꝰ Localis neq̃ ad Formam viventis quia non est generatio. Quod autem sufficiant talia indivisibilia patet quia sola posita Unione intelliguntr̃ intelliguntr̃ partes continui. Præterea intelligitur per illam extremitas cuiq̃ partis. Ergo per istum modum præstatr̃ quidquid per illud punctum. Denique quod hæc unio sit indivisibile quoddam Probatr̃ 1º Quia partes continui non possunt uniri unione divisibili. Sequela patet. Antec. Probatr̃: Quia si unio hæc est divisibilis habens certas determinatasq̃ partes. E. Afficit certas partes ac determinatas materiæ. Ergo Unit partes materiæ secundum se totas quia unio illud unit secundum se totum quod afficit secundum se totum. Sed partes continui non possunt sic uniri quia se penetrarent. Probatr̃ 2º Quia si hæc unio esset divisibilis pro divisibilitate partium Quantitatis v.g. Sequeretr̃ quod ipsa quoq̃ haberet partes distinctas inter se et unitas per aliam unionem distinctam à se, et rursꝰ idem argumentum fiet de hac secunda unione et sic ibitr̃ in infinitum in his unionibꝰ. Probatur 3º Quia iam partes Quantitatis v.g. non possent continuari. Sequela Probatr̃: quia continua sunt illa quorum extrema sunt unum. At non potest ēē unum nisi sit indivisibile alioquin secundum diversas partes suas diversis responderet partibꝰ atq̃ adeò non ēēt unꝰ terminꝰ communis illarum. Sed iam hic de eadem unione indivisibili aliquot oriuntr̃ difficultates. 1ma est Utrum inter partes continui unica tantum intercedat unio? Ad quod consequenter loquendo ad ea quæ diximꝰ de Unione compositi Physici. Dico unicam intercedere unionem inter duas partes continui. Ratio est quia unica sufficit. Difficultas 2da est de Subjecto ejsdem unionis in quo nimirum Subjectetr̃ alioquin non dicunt ēē illam tantum adhæsivè ad utramq̃ partem in neutra autem ēē inhæsivè, aliqui in utraq̃ inhæsivè, in altera adhæsivè, et cum his Dico: Unionem partium continui ēē in una tantum parte inhæsivè, in altera verò adhæsivè. Probatur quia neq̃ in utraq̃ neq̃ in neutra potest ēē inhæsivè. E. Necessario debet, ēē in utraq̃ inhæsivè in altera adhæsivè. Sequela patet. Antec. Probat inprimis quod non possit ēē in utraq̃ inhæsive quia nullum accidens potest naturaliter ēē in duobꝰ Subjectis, vel duobꝰ locis. E. multo minꝰ modꝰ. &c.

118a

Θεὸς ἅγιος ἐστι.

LIBRI IV METEORORUM ARISTOTELIS

Deus ad. iutor meus

Vivit post funera virtus.

Verum agnosco Possessorem Christophorum Schwabium. Gedan. Pruf.

IN LIBROS IV METEORORUM ARISTOTELIS PRAEFATIO

Socrates Philosophus, qua vitæ & morum integritate florentissimus, qua gloriæ & sapientiæ excelsis decoribus ornatissimus, dum bibiturq cicutam acciperet, à quibusdam rogaretur, quomodo vellet sepeliri, eo modo dixit, quo vobis facillimum fuerit. Et quanquam præsenti suscepti muneris negotio, non intendam quidquam agendum de sepultura (licet sciam Philosophiam esse mortis meditationem) tamen si quispiam à me requireret, quomodo sublatis & sepultis ignorantiæ erroribq, & qua posset demum via compendiaria, non modo effici verè Philosophus, sed quod præcipuè optandum est universa Philosophiæ arcana, una cum suis admirandis rationibq penetrare, suaderem ut eum eligerem modum qui sibi facillimq videretur, nempe ut omne suum studium, operam, diligentiam atq assiduitatem solis Meteorologicis impressionibq cognoscendis, consecraret. Etenim qui alius tractatq Philosophiæ magis aperiret intima quæq naturæ non video, hoc excepto cum in eum quidquid secretorum, prodigiorum, rationum quidquid, stuporis & admirationis, insuis abditissimis visceribq foveret, tanquam in compendium & Epitomen congesserit, ex eo nobilissimo juxtaq utilissimo opere cognoscuntur Syderum in hæc inferiora varios motq influentiam plagem, cum aspectu amoenissimæ, tum intellectu admirabiles, hinc discimq quæ fiant ignitæ apparitiones tam ascendentes quam descendentes, tam etiam quæ repræsententur multiplices sub varijs speciebus aeris mutationes & tempestates ut sunt, venti, grandines, nives, pruinæ, nubes, mella, virgæ, chasmata, fulmina, tonitrua, voragines, irides, cometæ, & alia sexcenta metheora, quæ suas imagines & formas in fluidis aquis, atq terræ vastissimæ capacitatis elemento imprimunt. Et profectò horum omnium, quicunq vel primoribq labris (ut ajunt) degustatam notitiam habuerit, dubio procul maximq Philosophq à doctis, à plebe verò solus sapiens, solus omnium mortalium ingenio divino singulari doctrina, excellenti rerum universarum usu & exercitatione prædictus reputatur. Perinde ac si de illiq sapientissimo cerebro, quævis naturarum cognitio, atq eruditio nata esset. Verum enim vero omnia verba congesta ad commendationem Meteorologiæ prorsus inania judico esse, illa enim seipsam amabiliq mentibq & æstimationis studentium æstimabitur, sicuti in progressu commendationum nostrarū deprehendemq. Nunc autem pro clariori notitia ejusdem facienda sit.

Prænotio 1ma
An hi libri Meteorologici sint Aris:?

Circa hoc dubium resolvendum est duplex opinio 1ma negat hos libros eē Aristotelis, Ratio illiq 1ma Quia Aristoteles in hisce libris est nimium clarq & perspicuq, qualem claritatem in alijs operibus non observat. 2da Quia in hoc opere contrarium suæ doctrinæ docet, nempe quod visio fiat per emissionem radiorum ex oculis, alibi verò, utpote de sensu & sensili, per intus susceptionē specierum 3tia Quia docet, quod aër fiat calidus propter lumen refractum, cum tamen alibi negset, quod refrangatur lumen, siquidem non est corpus. 4ta Quia docet quod lacteus circulq sit quædā

affectio aëris

affectio aëris, hoc autem est falsum, nam lacteus Circulus idem semper immutatus videtur,
quod esse non posset si in aëre existeret. 2da Opinio affirmat, quod hi libri sint veri Aris.
Haec Opinio est verior et tenenda. Ratio 1ma ab autoritate omnium Peripateticorum, quorum
est consensus communis, hoc nimirum opus Aristotelis esse à quo non est discedendum. 2da Ra-
tio Quia stylum habet brevem et concisum, quemadmodum et alia opera Aris. 3tia Ratio
Quia ab initio 1mi capitis mentionem facit aliorum suorum operum, connectitque anteceden-
tes libros cum istis Meteorologicis. Ergo ex istis rationibus colligitur tanquam certissimis signis quod
istud opus sit Aristotelis. Restat ut argumenta contrariae Opinionis solvantur. Ad 1mum dicitur
quod res et materia in operibus Aristotelis est spectanda, unde pro ratione materiae stylus est clarus
vel obscurus, quanquam etiam istud opus habet suos nodos ut videbimus. Ad 2dum dicitur, quod
licet Aristoteles dicat fieri visionem ex oculis radiorum emissione, id tamen dicit non ex sua Senten-
tia sed ex aliorum, solet autem Aristoteles ex opinione aliorum dicere, si quidpiam non ex professo do-
ceat. Ad 3tium dicitur quod refractio licet propriè conveniat Solis corporibus, tamen Metaphoricè potest
etiam convenire radiis luminaribus. Ad 4tum Rx Quod Aristoteles circa lacteum circulum hanc vi-
detur habuisse sententiam, cum eam tangit in 1 cap. libri primi.

PRÆNOTIO SECUNDA

Quot sunt Libri Meteorologici Aris?

Circa hoc dubium resolvendum est triplex Opinio. 1ma dicit ut Aphrodiseus et cum eo alii multi
quod tantum sint tres Libri Meteorologici: Nam quartum de Ortu et interitu referunt. Ratio illorum
Prima Quia Libri Meteorologici illi dicuntur, qui tractant de rebus in sublimi existentibus. Sed quartus
de talibus non tractat Ergo non pertinet ad Meteorologiam. Secunda Ratio Quia Aristoteles cum
in Libris de Ortu et interitu egisset de primis Elementorum Qualitatibus, consequens erat agere de
earundem actione et passione. Atqui hoc facit in libro 4to Ergo est referendus ad Libros de Ortu et in-
teritu. Verum haec Opinio inanis est et facile refutatur ex fine ejusdem Libri quarti, ex quo cognosci-
mus quod potissimum cum libris de partibus animalium suam habeat connexionem, non autem
cum Meteorologicis. Nam Aristoteles lib: 4to absoluto proponit se acturum de animalibus et plan-
tis. Si autem referendus esset ad Libros de Ortu et interitu idcirco sub finem hujus Libri debuerat
fecisse mentionem et connexionem cum Libris Meteororum quod aliter factum videmus. 2da Opi-
nio Librum 4tum Meteorologicum vult esse ab aliis separatum et distinctum, Atque ut de mistis im-
perfectis inscribatur et post tres Libros Meteorologicos collocetur. Verum etiam haec Opinio est va-
nis, quia licet velit effugere superiores difficultates, tamen quia nec pro se rationem habet, nec
alium aliquem autorem sequitur, cujus autoritate fulciatur, nec ullos Codices citat qui ita ha-
beant Ergo audienda non est. 3tia Opinio est communis apud omnes Interpretes Aristotelis
nimirum quod sint 4 Libri Meteorologici, nam Liber quartus est adjungendus tribus aliis: Hanc
Opinionem ut veram sequuntur Averroes, Philoponus et alii plurimi. Ratio illorum quia Liber 4tus habet
magnam Connexionem rerum consideratarum in aliis tribus Libris. 2da Ratio Quia sub finem Libri
mentionem facit generationis lapidum et metallorum licet leviter, Tandem in Libro 4 de iisdem exactius
sufficientius tractat. Quaeres Libri Meteorologici inter alios tractatus Physices quem locum obtinent.
Quod immediatè statim post Libros de Ortu et interitu: Ita tenent interpretes Aristotelis, qui talem
Dispositionem Librorum Aristotelis fecerunt. Et Ratio est quia Libri de Ortu et interitu, in quibus agitur
de Ele-

de Elementis sunt materia horum omnium de quibus tractat Meteorologia, materia autem hæc procedere debet, quæ fiunt ex ea. Ratio 2da Quia conveniens est ut absoluta tractatione perfecti agatur de imperfecto propter dependentiam. Sed in Libris de Ortu & Interitu agitur de perfectis mixtis, in Libris Meteorologicis agitur de imperfectis mixtis. Ergo.

Prænotio Tertia.

Quare inscribuntur Meteora?

Nota dum quærimus de Inscriptione, intelligendum est quod quæramus de nomine hujus Operis. Ratio Quia Inscriptio, titulus, nomen operis pro eodem accipiuntur ab alijs vocatur communiter Definitio Nominis seu Etymologia. Et quoniam Inscriptio cum Nomine coincidit; Idcirco circa Inscriptionem seu Nomen Titulus, tractatus est duplex Opinio: 1ma est antiquorum à quibus hic tractatus inscribitur Meteorologia seu Meteora ut ipsemet Aristoteles in 1mo cap. statim innuit talem Inscriptionem fuisse ab antiquis usurpatam, dum inquit: Restat ut partem quandam hujus instituti nostri tractemus eam, quam priores Meteorologiam vocaverunt. 2da Opinio est Aristotelis à quo istud Opus nempe meteora dupliciter vocantur seu inscribuntur. Primò vocantur Circularia ob quinque causas. 1ma Quia vulgò communia solent appellari circularia. Sed Meteora sunt communia omnibus in terra viventibus, quia ex qualibet regione Sol attrahit vapores & exhalationes unde in omni regione fieri possunt magis vel minus pro ratione abstractionis. 2da Quia Cæli revolutiones sequuntur, atque ex diverso motu circulari Solis & Syderum constituuntur. 3tia Quia per 4tuor anni tempora semper cum regressu solent variari. 4ta Quia multa Meteora formam circuli præ se ferunt ut Iris, corona, grando, turbo & alia. 5ta Quia multa Meteora vel sursum ascendunt tandem descendunt, licet non in molle, tamen in influxu, qualitate, Virtute & alijs effectibus & sic circularem regressum efficere videntur, unde benè vocantur Circularia. Secundò Ab eodem Arle vocantur inordinata ob 4tuor Causas. 1ma Ex parte temporis utpote quod plurima meteora fiant in quavis parte temporis. 2da Ex parte figuræ, quia figuram multum variant. 3tia Ex parte Magnitudinis & Vehementiæ, ut patet in terræ motu, pluvia, ventis, turbinibus & alijs. 4ta Ex parte modi, quia Incensiones, pluviæ, Tempestates, venti, non semper fiunt eodem modo, sed cum multis varietatibus. Sed Quæres Quare tamen vulgò Meteora inscribuntur siquidem varia nomina habent qui possunt inscribi ℟ ob 4tuor Causas 1ma Ratione Loci, quia in loco sublimi, excelso & elevato i. in aëre comparent & fiunt. Nam Meteoron significat sublime, excelsum & elevatum. Meteorologia autem significat rerum sublimium rationem & Scientiam. 2da Causa Quià propter reverentiam Majorum hoc Nomen retinetur ab Aristotele. Nos autem propter Arlis tanquam Principis Philosophorum memoriam, similiterque Græcorum à quibus non modo titulos Librorum, sed etiam artes & Scientias accepimus 3tia Causa Quia hæc Inscriptio partim ab omnibus Philosophis usurpatur, ac proinde ab illa non est recedendum. 4ta Ratione admirationis Quia nos ea magis admirationem rapiunt quæ videmus in sublimi: Porrò Admiratio est maximum irritamentum ad Philosophandum. Unde Antiqui Iridem Meteorologicam impressionem dixerunt esse filiam Thaumantis, idest admirationis. Objicies Dixisti in prima ratione quod ideò Meteora inscribuntur, quia fiunt in loco sublimi seu in aëre. Atqui non omnia Meteora fiunt in loco sublimi sed quædam in loco inferiori ut in cavernis terræ fiunt venti lapides, metalla, fontes, sulphur & Ergo. ℟ ideo Quod à potiori plerumque fit denominatio. Atqui

plura

plura sunt Meteora quæ in sublimi seu in aere apparent ac proinde sic tractatus é denominatus á sublimibus. Hic igitur scias quod Inscriptiones Librorum sunt liberæ, possunt enim inscribi vel ex rebus de quibus tractatur ut Libri de Coelo, de Anima: Vel partim ex rebus, partim ex Ordine quem res tractatæ inter se ut cum cæteris habent, ut Libri Metaphysices in quibus de his rebus agitur, quæ debent post Libros Physicos tractari. Vel præterea inscribi possunt á loco in quo fiunt apparent et generantur ut isti Libri Meteororum. Nota Quod Meteora est Græcum verbum compositæ figuræ. Circa quod explicandum est multiplex Opinio. Nam alij deducunt à μετὰ quod significat ad, in, et ὄρος quod significat montem. Vel à μετὰ et vero αἴρω tollo, sublevo et ista deductio est optima. Alij præterea deducunt μετὰ trans et θεωρῶ contemplor, quod sit contemplatio eorum quæ sunt trans idem in alto perita. Alij deducunt à μετὰ de et ὁράω video quod sit de rebus sursum visibilibus. Alij ab ὄρω moveo concito.

Prænotio 4ta
Utrum de Meteoris datur Scientia?

Videtur quod non datur. Imò Scientia est de rebus necessarijs ut docet Aristoteles Imo Posteriorum. Sed meteora non sunt necessaria quia sunt contingentia et fortuita, contingentia ideò quia contingit esse nubes in aere, pluvias, halones etc. Fortuita ideò, quia propter nullum finem intentum á natura fiunt, V.G. tonitrui et terræ motus, nullus est finis. Ergo Meteororum non datur Scientia. 2do Scientia fit per causam ut docet Aristoteles in 1. posteriorum. Sed meteora non sunt per causam, nam Aristoteles statim in 1 cap. dicit se de aliquibus Meteoris dubitare, de alijs levem tractationem suscepturum. Ergo si dubitabit, si leviter tractabit non reddet veras causas, ac proinde de Meteoris non dabitur Scientia. 3tio Scientiæ sunt impermixtæ et indistinctæ. Atqui Meteorologia est permixta cum alijs V.G. cum Mathematica et Optica quia agit de Iride, Parallelis et de alijs, quæ pertinent ad dictos scientificos. Ergo de Meteoris non datur Scientia. Verum his non obstantibus rationibus pro parte affirmante sit talis

Conclusio De Meteoris datur vera Scientia. Probatur: Scientia fit per causam, nam quod scimus debet ejus reddi causa. Sed Meteora fiunt per causam, quia omnium Meteororum in his libris explicantur et ostenduntur causæ, tam Materialis, Formalis, Efficiens et Finalis. Ergo. Probatur 2do Cujus passiones et proprietates demonstrantur illius datur Scientia, quia si cognoscimus passiones etiam cognoscimus causas et principia ex quibus fluunt illæ passiones. Sed Meteororum demonstrantur passiones et proprietates. Ergo de Meteoris datur vera Scientia. Restat ut ad argumenta oppositæ Opinionis Respondeam. Ad 1mum distinguitur Minor quod duplex sit Scientia, alia propria quæ fit per necessarias et immutabiles causas in essendo et cognoscendo, et talis est potissimum Mathematica quæ ideò doctrinalis dicitur, quod demonstrationes infallibiles habeat; Aliæ potius Rationales, quod rationibus stabiliuntur et fulciantur; Alia impropria, quæ fit per causas Entium quæ utplurimum eveniunt, nam cum motum et materiam admittunt, etiam utplurimum contingentiam admittunt, et talis est Meteorologia. Deinde quando additur contingentia dicendum quod contingentia dupliciter consideratur. Imò respectu Causarum, unde sic relata ad causas sua Meteora dicunt quidem esse contingentia sed utplurimum nam illorum posita causa, raro effectus impeditur sicut posita causa Ecclypsis, raro impeditur Ecclypsis. 2do respectu temporis et sic considerata Meteora sunt contingentia et quidem raro, quia raro eveniunt: Breviter dico Meteorologia

est Scien

est Scientia ex suppositione nam positis causis Meteororum etiam ipsa ponenda e Scia. Iterum quando in eodem argumento addatur quod sint fortuita et sine fine negandum est; Nam Primo habent finem supernaturalem, quia Deus frequenter terret homines et cætera animalia per Meteora, idem sentiebant Pythagoreistæ. Secundo habent finem naturalem, nam Meteora sunt triplicia, vel calida, humida, vel mixta. Calida Meteora fiunt ut frigidis commisceantur, et sic fiat quædam attemperatio et antiperistia, cujus beneficio multa bona efficiuntur V.G. in exemplo Frigiditas e vitæ conservativa etenim per frigiditatem humiditas condensatur, tandem caliditatis intensio retardatur, unde sicut paulatim humiditas per poros resolvitur, ita resoluta paulatim consumitur, et sic ne calor subito dissolvat rei substantiam impeditur, et res ne pereat beneficio frigiditatis custoditur: Unde in locis frigidis et antrosis cadavera paulatim sine foetore frigiditate resistente consumuntur. Humida deinde fiunt ob duas causas ut docet Averroes 1mo ut calida et æstuantia Elementa restringantur, nisi enim hoc fieret interitus rerum subsequeretur 2do. Propter augmentum et fovenda aialia, plantas, segetes, herbas, flores &c. Mixta tandem fiunt V.G. nubes vel propter umbras dandas animalibus, vel propter ornatum Universi: Etenim si Sol lumen non possit infundere in inferiora propter nubes obstantes, mox in ipsis nubibus producit lumen varie modificatum et attemperatum, Unde apparent Irides, Halones, Paralellæ Paraselinæ, Virgæ, tonitrua denique fiunt ut propter illorum vehementiam aer per commotionem purgetur, et ut ignibus de nubibus elapsis vapores noxii consumantur et dispellantur. Ad 2dum Negandum est quod Meteora non habeant sui causam. Deinde si Aristoteles dicat se de aliquibus dubitare, id intelligendum est potissimum de lacteo Circulo: Aut de aliquibus leviter tractaturum, intelligendum est de Iride, de qua Optici exactius tractant. Cæterum aliorum Meteororum reddit causas sufficientes, nec de illis dubitat. Ad 3tium dicendum Quod non est absurdum ut una eademque res ad plures scientias pertineat diverso tamen respectu.

Prænotio 3tia
Quod est Subjectum Meteororum?

Nota Quod circa Subjectum horum Librorum autores variant. Unde sunt sex Opiniones 1ma est M. Alberti qui pro Subjecto statuit corpus mobile simplex prout est in via admixtionis. 2da D. Thomæ tenentis quod Ens mobile per alterationem ad diversa 3tia statuit rationem mixti imperfecti tales sunt plurimi ex recentioribus. 4ta est Philoponi et Olympiodori statuentium pro Subjecto affectionem Elementorum, quæ ab externo agente Elementis imprimitur. Ratio illorum Prima Quia quod Elementis competit illa debent ab aliquo Scientifico considerari. Sed duplicia accidentia Elementis competunt, nempe naturalia et non naturalia. Ergo debent ab aliquo Scientifico considerari in Libris Meteororum Ergo illa erunt Subjectum Meteorologiæ. Scias Quod accidentia naturalia Elementis competentia illa dicuntur quæ sunt ab agente naturali simul cum ipsorum generatione indita, et talia accidentia sunt duplicia, quædam Elementis competunt in quantum sunt partes Universi integritatem constituentes, et talia sunt V.G. Gravitas levitas, quæ vulgo vocantur qualitates motrices et hæc accidentia considerantur in Libris de Coelo (item de Ortu et interitu hæc o legantur) Quædam deinde illis competunt in quantum sunt materia mistorum et talia sunt V.G. calor, frigus, siccitas, humiditas, quæ vulgo vocantur qualitates alteratrices et hæc accidentia considerantur in Libris de Ortu et Interitu

ritu: Tandem non naturalia illa dicuntur quæ ab extrinseco agente Elementis imprimuntur vel quæ à principijs externis prodeunt, et hæc accidentia seu affectiones Elementorum considerant Libri Meteororum. Ratio Secunda ab autoritate Aristotelis, qui statim in 1. cap. dicit se tractaturum de his, quæ sunt communes aëris et aquæ affectiones. Ergo affectio Elementorum impressa ab externo agente Elementis statuenda è pro Subjecto Meteororum. Verum hujus Opinionis rationes ita dissolvuntur, quia licet ista accidentia non naturalia seu affectiones Elementorum ab externo agente impressæ considerentur in Libris Meteororum, non tamen per modum Subjecti, sed per modum proprietatum et affectionum Subjecti. Tandem licet Aristoteles permittat se de illis tractaturum, inde tamen non colligitur Subjectum. Et ratio est quia Subjectum et intentio differunt, nam Subjectum ut notum in Scientia præsupponitur nec ullo modo probandum est. Intentio autem autoris refertur ad ea, quæ de tali Subjecto ignota investiganda proponuntur. Ergo potius Aristotelis Intentio colligitur. Ita Opinio statuit pro Subjecto mixtum imperfectum. Scias quod mixtum imperfectum tripliciter accipitur. Primò pro Vapore et exhalatione quæ sunt materia proxima omnium Meteororum. Secundò pro ijs quæ ex istis duobus halitibus generantur, ut sunt Grandines, Cometæ etc. Tertio denique accipitur mixtum imperfectum prout et illos duos halitus et omnia quæ ex ijs conflantur complectitur. Unde secundum hanc triplicem acceptionem mixti imperfecti triplex est Opinio. Nam aliqui statuunt pro Subjecto vaporem et exhalationem. Ratio illorum; Cujus principia et passiones et entia considerantur illud est Subjectum suæ. Sed vaporis et exhalationis principia et passiones in Libris Meteororum explicantur. Ergo. Minor probat; Nam vaporis principium aqua, exhalationis terra, Efficiens Causa est calor cœlestis; passiones verò sunt accensio, congelatio, condensatio. Atqui hæc omnia in Libris Meteororum in quantum conveniunt vapori et exhalationi inquiruntur. Ergo vapor et exhalatio est Subjectum Meteororum. Scias hanc opinionem à scopo veritatis et à mente veritatis non multum abesse dummodo benè procedatur sua Meteorologia. Alij statuunt pro Subjecto mixtum imperfectum ut est compositum ex vapore et exhalatione ut v.g. grando, pluvia Cometa; Alij denique mixtum imperfectum in tertia significatione acceptum. Sed hæ Opiniones non possunt subsistere. Ita et extremum est Opinio statuens pro Subjecto adæquato mixtum inanimatum in quantum comprehendit mixta perfecta et imperfecta. Hæc Opinio est melior et tutior. Ratio 1ma Quia tale Subjectum correspondet omnibus quæ tractantur in Meteorologia etiam ijs quæ in ... Porrò tale Subjectum debet esse ut contineat omnia, ut ad illud omnia referantur et suam attributionem dicant. Ergo mixtum inanimatum etc. benè statuitur pro Subjecto adæquato. Ratio 2da Ordo doctrinæ et naturæ requirit ut absolutis simplicibus sequantur composita imperfecta, tandem perfecta. Sed Aristoteles in Libris de Cœlo item de Ortu et interitu absolvit simplicia. Ergo ipsi in his Libris Meteorologicis agendum erat de compositis inanimatis, quæ vocantur perfecta et imperfecta, ratione animator. de quibus se sub finem capitis promittit tractaturum in Libris de animalibus et plantis. Ergo Compositum inanimatum comprehendens mixta tam perfecta quam imperfecta est Subjectum Meteorologiæ. Nota Omnes Opiniones posse sustineri et licet autores varient hoc ideo faciunt ne ullus in alterius sententiam, vel sensum aut cerebrum jurare videatur.

Prænotio

Prænotio Sexta.
Quæ est resolutio totius operis Meteorologici:

Scias Quod Meteorologia Aris 4tuor Libris absolvatur. In Imo tractatur de meteoris ignitis apparentibusve vel in Elemento ignis vel in illa parte aëris qua est contigua igni. In 2do atq 3tio agitur de meteoris aëreis & aqueis. In 4to deniq de qualitatibus secundis, quæ ex primarum qualitatum inter se actione & passione producuntur, nempe de putrefactione, concoctione, duritie, mollitie, concretione & alijs similibus. Hæc quoad resolutionem Meteororum Aristotelis.

LÎBER. Î.

Hic Liber in Quatuor Partes præcipuas dividitur. Ima Pars tres Capita continet, in quibus explicantur Meteora in communi. 2da Pars continet Capita quinq in quibus explicantur Meteora cognita in specie. 3tia Pars Capita quatuor complectitur in quibus ea tractat, quæ fiunt in media atq infima aëris regione. v.g. Pluvia, Ros, Grando, Nix, &c. 4ta deniq Pars continet capita duo, in quibus aperitur generatio fluminum & fontium.

PARS PRIMA
CAPUT PRIMUM.
In quo docetur Connexio antecedentium tractatuum, cum isto Meteorologico.

Rhetores docent in suis præceptis, ut in proœmijs, Attentio, Benevolentia, Docilitas observetur, hæc omnia Aristoteles in hoc I cap. observat, unde se adinstar bene proœmij habet: Dividitur in tres Partes: In Prima facit repetitionem eorum, de quibus dixit in antecedentibus operibus. In Secunda annuit, quam tractationem sit habiturus, & de quo in his Libris Meteororum. In Tertia docet, quæ restant explicanda absoluta doctrina de impressionibus Meteorologicis. (De primis &c. Ima Pars Cap. in qua est commemoratio eorum omnium de quibus hactenus egit in Libris antecedentibus, quod Arist. facit ob tres causas: Prima ut ostendatur quomodo Libri & sua opera inter se connectantur, & quasi Liber alium immediate sequatur. Secunda ut doceat quod ea omnia, quæ tractantur in Libris Meteorologicis habeant se instar Epilogi, nam sunt ultima pars disputationis de Elementis, unde sicut in Epilogo commemorantur quæ dicta sunt in confirmatione, ita quoq Arist. idem dogma sequitur. Tertia ut innuat Arist. quod Meteorologia non potest exacte cognosci, nisi antecedentium tractatuum doctrina innitatur. Quæres Quorum igitur tractatuum meminit Aristoteles? R. Quod Imo mentionem facit Librorum Physicorum ibi de primis quidem naturæ causis ac de omni motu naturali. 2do Librorum de Coelo ibi præterea de astris quæ in summo Orbe descripta distinctaq sunt. Hic per astra intellige Coelum totum, ponit enim partem principalem pro toto: Ratio hujus Quia licet totum Coelum agat in hæc inferiora & etiam causet Meteora, tamen præcipue & principaliter astra. 3tio. Libro de generatione & corruptione ibi deniq de ortu & interitu &c. Scias In hoc textu ab Arist. aërem, ignem, aquam, terram vocari Elementa corporea. Ratio ut fiat discrimen inter materiam primam & formam, quæ licet

Sint princi-

sint corporum principia & Elementa, non tamen corporea. (Restat ut parte &c. 2da Par. Capitis in qua suum intentum aperit, de quo nimirum sit tractaturus nempe de Meteorologia. Ratio hujus ne sit suspensus Auditor sed ut sciat quæ sit futura tractatio & doctrina, Unde sta-tim enumerat Meteorologiæ subjecta Meteora V.G. Lacteum Circulum, Cometas, impressiones ig-tas, ascendentes & descendentes, Ventos, Ecnephias, terræ motus &c. Ab Aristotele vocantur natu-ram minus gratam & constantem habere. Ratio quia sunt mixta imperfecta; præterea quia ab Arte conferuntur cum Cælo, cujus natura est constans & ordinata ratione motus, Meteora autem non ita, quia varium motum habent & naturam mutabilem. Quæres Cur Arles in textu dicat, Restat ut partem instituti nostri tractemus nempe Meteorologiam, siquidem præter eam restet quoq de animalibus & plantis doctrina explicanda. Ex quo. Quod circa hunc textum enodandum est duplex Opinio. Ima est Vicomercati docentis quod non est intelligenda tota Phi-losophia naturalis includens etiam Libros de animalibus & plantis; Sed (etiam) tantum de Astris & Elementis tractatio ad quam perficiendam pertinere videtur Meteorologia. Ratio prima Quia se habet tanquam pars effectus astrorum & Elementorum, siquidem Meteora ab Elementis eduntur & fiunt in Elementis beneficio motus & operationis Cælestis. Ratio secunda Quia Meteora sunt affectiones & accidentia Elementorum, jam autem affectio ad eum pertinet cujus est affectio. Opi-nio 2da est Olimpiodori tenentis quod sola doctrina intelligenda est de Elementis, quæ quoniam triplex sit juxta triplicem considerationem Elementorum. Nam Imò Elementa considerantur pro ut sunt sempiterna & sic in Libris de Coelo tractantur. 2do In quantum ad invicem transmutantur oriuntur & intereunt, & sic tractantur in Libris de Generatione & Corruptione. 3tio In quantum alte-ratq aliter afficiuntur, & sic tractantur in Meteorologia. Scias itaq quod secundum hanc considerati-onem tertiam Elementorum Aristoteles Libros Meteorologicos vocet partem instituti sui, nam secundum illas priores in antecedentibus tractatibus considerata sunt Elementa. (Cum autem &c. 3tia Pars In qua absoluta doctrina Meteorologica promittit se tracturum de animalibus & de plantis, & de iis quæ oriuntur è terra universim & sigillatim.

CAPUT SECUNDUM
De causis Meteororum.

Capitis Partes Tres. In Ima quasdam hypotheses præmittit ut ex illis colligantur causæ Meteo-rum. In 2da docet quæ sint causæ Meteororum. In 3tia dubium quoddam subjungit & solvit. (Quoniam enim ante &c. Pars Ima Capitis. In qua duæ hypotheses supponuntur. Prima est ejusmodi: Totus mundus qui terram complectitur constat ex quinq Corporibus. Probat, Imò Præter corpus Coeleste & quatuor Elementa alia Corpora simplicia quæ integritatem faciant totius mundi non dantur Ergo tantum ex quinq simplicibus corporibus totus mundus constat. Probatur 2dò. Quot dantur motus cor-poribus simplicibus naturaliter, tot dantur & ipsa Corpora simplicia ex quibus hic mundus coalescit. Sed motus corporibus simplicibus naturaliter competentes isti tantum dantur, vel in Orbem, ut in corpore Coe-lesti, vel ad medium ut in aqua & terra quæ Corpora naturaliter deorsum seu ad medium tendunt vel à medio ut in igne & aere Ergo quoq tot dantur corpora simplicia ex quibus totus mundus constat. Scias in textu ab Arle dici quod sit unum principium omnium Corporum intellige Coelestium. Ratio ut doceat quod Coelum non constet ex Elementis sed sit diversum ab illis & quod principium habeat aliud suæ Corporeitas. Secunda hypothesis ibi. Hic autem orbibus &c. Mundus Elementaris è neces-sariò contiguus Probatur. Illa debent esse sibi contigua, quorum unius omnis vis & facultas necesse è ut

ab alio

ab alio regatur et administretur: Nam alias nulla esset motio et regimen. Sed mundi Elementaris omnis vis et facultas necessario à Coelo regitur et movetur. Ergo mundus Elementaris et contiguus necessario Coelo. Probatur Minor dupliciter 1mo à primo et superiore, posterius inferius dicit regi et administrari. Sed Coelum est primum et superius Quia est prima causa à qua omne principium motus perficitur, Elementa verò sunt posterius et inferius quia motu suas operationes exercent juxta illud dictum Aristotelis, Motus Planetarum sub Zodiaco est causa generationis et corruptionis perpetuae in his inferioribus. Ergo Mundus est Elementaris necessario regitur etc. Probatur 2do Minor rationi congruit, ut finitum ab infinito, Corruptibile à sempiterno regatur moveatur. Sed Coeli motus est infinitus et sempiternus, quia nec finem nec terminum habet, nec spatium aliquod finitum, per quod fiat, motus autem mundi Elementaris est finitus et corruptibilis, quia finitis inter se intervallis est distinctus Ergo. Objicies Inter quae datur reactio et repassio, illa sibi sunt contigua, ut docetur in Lib. de Generatione et Corruptione. Sed inter Coelum et Elementa nulla datur reactio et repassio ut manifestum est Ergo. Rspondeo ad Minorem Quod inter Coelum et Elementa datur contiguitas, Quia extrema Elementorum sunt contigua Elementis ut patet in Luna et igne: Sed ut reagant et repatiantur excipiuntur Coeli ab hoc axiomate. Quaeres Aristoteles in textu dicit quod omnis vis et actio mundi Elementaris dependeat à Coelo. Sed quia sunt actiones triplices: Voluntariae, naturales et violentae, dubium ergo est quomodo intelligat omnem actionem. Rx Quod naturalem, Prob. inductione 1mò In Elementis, Nam motus Lunae causat fluxum et refluxum maris. Saturnus influit in terram, Item Sol et alia astra ut patet. 2do in Mineralibus: Nam Luna habet Dominium super argentum solidum, Mercurius super argentum vivum, Sol super aurum, Mars super ferrum, Jupiter super stannum, Saturnus super plumbum. 3tiò In Vegetantibus: Nam arbores si plantentur in plenilunio non fructificant, Ratio: Nam sub tempus plenilunij est humiditas exsiccativa, quia Luna est parens humiditatis et in plenilunio excessivae, Unde propter redundantiam nimiam non potest à Virtute naturali digeri et attemperari ad fructus producendos, idcirco abit in folia et frondes ac proinde efficit arborem sterilem. Itaque qui vult habere arbores fructiferas plantet Luna crescente vel decrescente quae in fructiferas cum latis foliis et frondibus plantet in plenilunio. 4tò In animalibus, Nam dies Critici secundum Lunae cursum observantur, Cum enim Luna pervenerit ad signum oppositum ei signo in quo incohata est aegritudo, tunc notabiliter apparet sitne mortalis aegritudo nec ne? Scias Dies Criticos dici in quibus fit magna morbi mutatio vel in bonum vel in malum: Hi autem praecipue sunt Quartus, 7. 11. 14. 21. 27 et 28. Alij verò non Critici dicuntur ut 6, 8, 10, 12, 16, 19, 22, 25.
Quaeres de Voluntarijs et violentis quid sentiendum. Rspondeo Quod Voluntariae actiones non dependent à Coelis. Probatur Qui sibi Imperat non dependet ab alio. Sed homo sibi imperat, quia est liber et dominus suarum actionum. Ergo. Probatur porrò Spirituale non dependet à Corporali. Sed actiones Voluntariae sunt Spirituales caelestium corporum Ergo. Objicies. Daemones sunt Voluntate nostra superiores. Sed Daemones subjiciuntur Coelis quia per Virtutes impressas herbis, lapidibus, odoribus fugantur Ergo. Rspondetur Negando quod Daemones subjiciantur Coelis, et sic quando fugabantur ab Ethnicis hoc Daemones fingebant, Ratio ut sic eos ad vana et superstitiosa converterent, unde per idola responsa dabant, et per pinonissas ut sic homines induxissent ad se adorandos in idolis. Quanquam in nostra Ecclesia habent herbae aqua sal et Virtutem fugandi Daemones; Sed quando sunt benedicta, (hoc enim Deus pronosus permisit in poenam majorem et turpiorem Daemonum dum viliores creaturae potestati et Virtuti subjiciantur) Item nec actiones violentae dependent à Coelis nisi per accidens et indirecte Probatur sic: Gubernatio rem à se dependentem conservative et productive dirigit. Sed violenta actio hoc à Coelis non habet, quia non est ad conservationem sui sed corruptionem Ergo Probatur deinde per Gubernationem res in suum esse naturale et in propriam suam operationem inclinatur

clinatur et inflectitur. Hoc violentae actiones non habent, quia potius fiunt contra naturam et proprias operationes. Ergo. Quocirca ijs, quae in hoc orbe etc. Pars 2da Capitis, in qua est talis Conclusio: Materialis Causa Meteororum sunt 4tuor Elementa, Efficiens sunt Corpora Coelestia. Obijcies Ignis et aër non possunt esse causa materialis meteororum. Ergo. Conclusio falsa. Probatur Antecedens, ut Elementum aliquod sit causa materialis meteororum debet habere partes alias subtiliores, alias crassiores ut sic Virtute Coelesti aliqua fiat separatio, evaporatio, et elementum, quia partes subtiles elevantur, grossae subsident, ut etiam patet in aqua calefacta. Sed ignis neque aër habet alias partes subtiliores et alias grossiores, nam ignis est corpus, secundum omnes partes subtile, tenue et purum, tum quoque aër licet corpus sit humidum, habens partes subtiles et grossas, tamen subtilitas ejus vincit ulterioris naturam, imo verò si aër sit grossus potissimum parte proxima terrae. Ergo Ignis et aër non sunt causa materialis Meteororum. Rx Quod causa materialis est duplex, alia in qua, alia ex qua non sunt causa materialis ex qua sunt tamen in qua, quia meteora in aere et igne fiunt. Nota Quod materia ex qua Meteororum est duplex remota et propinqua. Remota est aqua et terra, Ratio quia licet ista Elementa sint evaporabilia cum habeant alias partes subtiliores, alias grossiores, tamen illis positis non statim generantur Meteora. Scias Quod vaporem spiratio quaedam ab humore aqueo procedens et modicis caloribus sursum elevata, qualem videre licet ascendentem ab aqua dum materia igni subjecta fervescit, ex hoc fiunt Meteora aquosa, ut pluviae, nives etc. Exhalatio est spiratio quaedam arida radijs solaribus evocata. Scias 2do Quod Exhalatio est duplex: Una quae facile concipit ignem ex hac fiunt Cometae et alia meteora ignita, talis ex pingui terra educitur et habet partes ob terrae viscositatem et tenacitatem sibi bene cohaerentes. Altera est quae non ita facile accenditur ex qua fiunt venti, terrae motus, talis ex terra aridiore producitur, et minorem habet inter se partium cohaesionem. Scias 3tio Licet vapor ex locis humidis evocetur, exhalatio à siccis, nunquam tamen sigillatim evocantur, sed ita sunt sibi permista, ut unum absque altero non attollatur. Ratio quia terra non emittit exhalationes nisi madefacta, nec aqua vapores nisi impura et terrestritate infecta. Denominationes tamen suas habent à potiori prout unius spirationis, magis copia consurgit et attollitur, sed tamen dum fuerint in aëris regionibus, secernuntur, quia vapor subsistit, exhalatio altius attollitur. Quaeres An vapor ab aqua et exhalatio à terra differant specie? Rx tur Quod circa id est triplex Opinio. 1ma est Philipponi et Averrois dicentium quod differant specie, quia Elementa sunt simplicia una forma contenta, vapor et exhalatio mixta, quia habent multas formas adunatas substantiales Elementares in esse refracto et imperfecto. 2da Idem sentit quod differunt specie, sed tamen non tenet habere plures formas substantiales Elementares adunatas. 3tia est M. Alberti et aliorum quod non differant specie. Haec Opinio est verior et sequenda. Probatur Identitas proprietatum specificarum arguit identitatem specificam naturarum. Sed vaporis et exhalationis cum suis Elementis est identitas proprietatum, quia vapor sicut et aqua est natura sua humidus et frigidus, similiter exhalatio cum terra est frigida et sicca. Ergo. Dixi sua natura, quia vapor dum trahitur sursum incalescit Virtute Solis et Syderum et per calorem excalefactus subtiliatur et efficitur aptus ut possit sursum attolli ne ingravescat, idem sentias de exhalatione. Probatur 2do Illa quae de facili trans-

mutantur

mutantur non essentiali & specifica differentia sunt distincta sed tantum accidentali & vidimus vaporem de facili in aquam converti & exhalationem in terram, vel in lapidem ferrum carnem, lanam &c. Ergò. Objicies Halitus rei non est res ipsa, sicut odor rosarum & carnium non est rosa vel caro. Atqui vapor & exhalatio est halitus Elementorum Ergò. R ad Majorem quod licet halitus vel odor non sit res ipsa quia odor est accidens, non tamen sunt disparis naturæ naturæ aut qualitatis à qua promanant, quia semper est odor rosæ vel carnium non alterius naturæ, ac proinde sunt ejusdem speciei; idem sentiendum de vapore & exhalatione cum suis Elementis. Nota Vapor & exhalatio inter se specificè differunt. Probatur. Diversitas proprietatum diversitatem speciei arguit. Sed vapor & exhalatio habent diversas proprietates, nam vapor est frigidus & humidus, exhalatio sicca & frigida. Ergò. Probatur 2dò ut se habent aqua & terra ita se debent habere vapor & exhalatio à quibus procedunt. Sed aqua & terra specie inter se differunt. Ergo et vapor & exhalatio. Dices vulgò dicitur quod vapor sit calidus & humidus, exhalatio calida & sicca, alias sursum non ascenderent. R Quod sunt calida verum non natura sua sed virtute Solis. Unde caliditatem habent ab extrinseco non ab intrinseco. Quæres 2dò Causa Efficiens Meteorum quotuplex est. R Duplex Principalis & Instrumentaria. Principalis est Virtus coeli & Sydærum & præcipuè Solis qui sua luce & calore corpora inferiora alterat, & tandem in sublime exhalationes attollit. Instrumentaria est qualitas immediatè operans ad existentiam alicujus impressionis, quæ quidem Qualitas si est frigida generat meteora frigida, si calida etiam producit calida & sic discurrendo Quæres 3tio ibi (Repetitis ergo altius &c Hactenus Meteororum causam materialem simul & Efficientem ostendit, quid postmodum est facturus Aristoteles. R Quod in textu præsenti indicat methodum qua sit usurus in Meteoris declarandis, & inprimis incipit à Lacteo Circulo & aliis ignitis impressionibus ob duas causas 1ma Quia Ignis inter Elementa est primum & Nobilissimum Ergo & Meteororum ignitorum tractatio debet esse prima quia sunt affectiones ignis. 2da Quia in loco illo qui proximè ad Coelum accedit omnium primò generantur & fiunt. Scias dici ab Aristotele quod Elementa ex sese vicissim oriantur omniaque in omnibus potestate sint. Ratio Quia habent communem materiam quemadmodum & cætera in quam ultimo resolvuntur. (Primum quidem quæri &c Pars 3tia capitis in qua est talis Quæstio. Quæ est natura aëris? Scias hanc Quæstionem ideò proponi quia circa illam fuerunt multæ Opiniones, nam alii totum hoc spatium quod à terra usque ad Coelum intercedit vocabant nomine aëris, quia ignem ad Coelum referebant, ut Anaxagoras qui Coelum dixit esse igneum: Alii putabant plura dari corpora sed quot sint & qualeng locis distincta sint ignorabant. Alii præterea licet ex præceptis Astrologorum scirent magnitudinem terræ, quod sit longè minor quibusdam Syderibus similiter & aquæ, tum quod unum globum cum terra efficiat & quod ab ea non separetur tamen aëris naturam & quantitatem nesciebant, quantula nimirum & qualis sit. (Nota ibi Nos quidem ante &c Artes hinc accedens ad solutionem Quæstionis. Imò ...uit qualiter sentit de natura Coeli in suis Libris de Coelo; nempe quod sit diversæ naturæ ab Elementis non autem ignea. Tandem dicit, quod Coelum vocetur nomine æthereis hanc non esse suam Opinionem sed priscorum potissimum Anaxagoræ, quem tamen propterea laudat & approbat; sed quod Coelum esse igneum dixerit reprehendit & vituperat, quia pridem jam consumpsissent ista inferiora, postmodum addit in textu, quod Opiniones circa aliquam rem non semel aut bis, sed millies recurrunt & recidunt, hoc est, modo relinquuntur, modo

reassumun

reassumantur. (Nota 2do ibi qui autem ignem etc. Aristoteles hinc incipit refutare Senten
tiam illorum, qui ut facilius spatium ab orbe Lunæ ad terram pertingens, äere plenum esse ost
enderent sijdera una cum orbibus illa ambientibus ignea esse voluerunt, a quibus tamen ne mun
dus inferior incendio absumeretur, ea respectu illius esse exiguæ magnitudinis et tanta quanta ocu
lis nostris apparent, dixerunt. Itaque eos refutat tanquam ignaros rerum Mathematicar
qui docet Solis astrum esse longe majus terra, unde sydera reputare esse tantæ magnitudinis
qualia apparent est summæ stultitiæ. (Nota 3tio ibi Nec vero aeris etc. Aristoteles hic
propositam Quæstionem solvet dicendo, spatium illud quod inter summum Coelum et ter
intercedit non esse solo äere repletum, nec etiam äere et igne Probatur. Inter Elementa o
servari debet æqualis proportio. Sed si illud spatium quod intercedit inter terram et sum
Coelum, solo äere vel solo igne vel äere esset repletum non observaretur æqualis proportio: N
tota terra vel aqua comparatione solius aeris vel solius ignis et aeris videretur prope nihil
Scias æquales proportiones illas dici quæ sunt scibiles V.G. Omnia dupla, quadrupla non
inter se æquales. Probatur major: Partes non sunt dissimilis naturæ à toto. Sed inter partes Ele
ti observatur æqualis proportio, quia ex una portione aquæ decem gignuntur aëris et sic con
quenter. Ergo et inter tota Elementa debet observari æqualis proportio (Objicies ibi Nec
interest etc. Atqui Elementa non transmutantur ut docet Empedocles nec alia ex alijs or
Ergo non est observanda æqualis illorum proportio in magnitudine nisi forte in viribus. R
observanda est æqualis proportio magnitudinis inter Elementa, siquidem conceditur virium
portio. Nam adauctam magnitudinem rei sequitur augmentum virium. Scias hanc Quæ
onem ideò esse proposita ut ex ejus resolutione innotescat locus, in quo aliqua meteora gener

Caput Tertium

In quo resolvuntur quædā dubia

(Capitis partes duæ In 1ma tres Quæstiones ex antecedentibus permanentes proponunt. In 2d
resolvuntur (Restat ut disputando etc. Pars 1ma Capitis in qua sunt tres Quæst
nes. 1ma Quis est ordo inter Elementa nempe inter ignem et äerem respectu Coeli. 2da
modo Coeli calefaciunt terram, siquidem non sunt ignei 3tia Quare nubes in loco supremo
ris non concrescunt, cum ibi debeant concrescere. Ratio Quia si äer tantum est intra spatium
ræ et coelum, äer autem plerumque condensatur in nubes utpote quod oritur ex aqua secund
dicta. Ergo in suprema regione maxime debebit concrescere, siquidem illa pars est alienissima a
gne à quo liquescerent nubes utpote quod solus äer totum spatium occupet. Sed aliquis ex
tiquis solvit Ideo nubes . ex suprema aeris regione non concrescunt, quia non ex quolibet äer
pta est fieri aqua, sed qui est vicinus terræ cum potius sit vapor quam aqua. Contra Arles u
Si totus äer vicinus terræ est vapor. Ergo äer et aqua, et reliqua Elementa multum magnitu
superabunt unde æqualis proportio inter illa non servabitur. Consequentia quod dato hoc inte
valla stellarum plena erunt äere, nam non possunt esse plena igne alias incendio interirent, spatium
autem quod terram cingit totum erit plenum aqua, quia vapor est quædam concretio aquæ. h
de Quæstionibus. (Nos autem explicemus etc. Pars 2da Capitis in qua antequam respon
deat ad primam Quæstionem duo præmittit. 1mum Corpus Coeleste ab Orbe supremo usque ad L
nam est diversum ab igne et äere, licet habeat gradus dissimilitudinis, nam alias partes habet puriores
alias m

alias minq sinceras, maxime ea parte, qua cum aere ẽ mundo inferiore copulatur. Ratio cum enim supremq sit omnium perfectissimq videtur rationi congruum, ut quo aliquis ẽ illi vicinior eo perfectior, quo remotior eo ignobilior, ut ita à primo ẽ perfectissimo Coelo usq ad corpus omnium minime perfectum quod ẽ terra ordo perpetuq servaretur. 2dum promitti tibi (Cum autem ẽc Ea pars mundi inferioris quæ Coelo proxima est propter motum coeli ignescit caloremq efficit. Ratio quia omne corpus motui Coelesti subjectum habet se instar materiæ cujq talis est potentia ut possit recipere calidum, frigidum, siccum, humidum ẽ alias formas qualitatis V.G. in exemplo ignis quia Coelo est proximus, unde propter motum ejus ignescit quia partes a motu inter sese attenuntur, quare etiam levissimq ẽ tenuissimq redditur: ẽ contra terra ẽ aqua, quia sunt remotiora à Coelo, nec ita motq Coelestis capacia, idcirco sunt frigida, crassa ẽ densa: aer tandem siquidem locum medium habet, medio quoq modo se habet. Nota ibi ac in medio ẽc Aristoteles hic primæ quæstioni satisfacit statuendo ordinem inter Elementa VG ita Elementa debent collocari, qualiter distanta Coelo secundum magis ẽ minq, Unde quia aqua ẽ terra sunt frigidissima ẽ gravissima: Idcirco locum infimum occupant, deinde ignis quia est purior ẽ tenuior locum supremum habet, aër denig cum sit gravior quam ignis, nec ita omnimode capax motus Coelestis, idcirco infra ignem collocat. Quæres ibi. Sed intelligendum est ẽc. In quot regiones aër dividitur. R. Quod circa id est duplex Opinio. 1ma. Aristotelis in hoc textu qui in duas regiones aërem dividit in supremum ẽ inferiore. Ratio quia aër non æqualiter est subtilis, tenuis vel gravis Ad terram est impurior ẽ gravior unde constituit infimam regionem, ad ignem est subtilior ẽ purior ẽ constituit supremam. 2da Opinio in tres dividit regiones in supremam, mediam ẽ infimam. Suprema est calida. Ratio prima quia est igni vicina. Ratio secunda quia flammulæ quædam ẽ scintillæ ab igne abrumpuntur ẽ in illam decidunt. Tertia Ratio Quia ad eam ignita meteora perveniunt, ẽ cum ulterq non possint ascendere eam calefaciunt. Ratio Quarta Quia ex circumvolutione continua ẽ velocissima Coelorum ẽ Sphæræ ignis incalescit. Scias hanc regionem vocari calidam ẽ aridam, non verò humidam. Media regio est frigidissima. Ratio 1ma Quia à suprema regione aëris propter ignis vicinitatem, ẽ ab infima propter radiorum solarium reflexionem calidam, frigiditas ad eam propellitur. Ratio 2da Quia nec ab igne incalescit utpote quod sit remota, nec etiam à reflexione radiorum à terra. Ratio 3tia Quia vapores à terra attracti ipsam infrigidant, siquidem in ista regione solent se ad suam naturam reducere, nam caliditate destituuntur quæ illos calidos efficiat. Ratio 4ta additur à Parisiensibq ẽ Javello quod planetæ frigidi influxu suo occulto soleant illam infrigidare. Infima denig regiò est partim frigida ut in hyeme. Ratio quia obliquo radiq solares in terram incidunt, nec per reflexionem illam calefaciunt, partim calida ut in æstate, maxime cum Sol est supra zenith capitis Ratio quia reflexione directa radiorum incalescit. Scias hanc regionem vocari humidam ab Aristotele quia vapores ab aqua procedentes recipit, ẽ calidam. Ratio quia exhalationes à terra retinet. Quæres 2dò ibi Ac in superiore quidem ẽc. Tertiæ Quæstioni quomodo satisfacit. R. In suprema aëris regione nubes non generantur, licet earum generationi locq idoneq esse videatur ob duas causas 1ma Quia in illa regione non tam est aër quam ignis, ideo propter summum calorem, qui facile consumit ẽ solvit vapores, nec in nubem condensari permittit. 2da Quia ista Regio quemadmodum ẽ

Sphæra

Sphæra ignis, motu rapidissimo cœlorum concitatur agitatur et incalescit, unde vapores si qui pervenient dissipantur, quod Aristoteles ventorum exemplo comprobat, nam in hac regione non fiunt, nisi in hac inferiore. Scias mons Olympus pertingit sua summitate ad istam regionem, idcirco sacrificia facturi conscendentes in hunc montem spongias aqua plenas secum deferunt, ut eas ad refrigerandum cor sugant. Quæres 3tio ibi de calore autem et Secundæ Quæstioni quomodo satisfiat. R. Quod inferiora incalescunt propter motum cœlorum, maximè Solis, quem quidem calorem primo recipit ignis, deinde aer ab igne incalescit et a motu Cœlesti et sic consequenter. Ratio 1ma Quia motus localis habet hoc ut sit aptus ad efficiendum calorem ut optimè patet etenim si quid quam nimis celeriter non tantum incalescit, sed etiam ignem concipit. Ratio 2da Quia hic ignis qui generatur sæpe a motu dirimitur et dissipatur deorsumque vi cogitur discedere. Quæres 4to ibi Quod autem superius et de coelo quid sentiendum an sint calidi an flammei R. Quod non. Ratio 1ma Quia facilè conciperent ignem et propter motum quia cœlum imò et ipsæ stellæ concitatiore motu moventur et propter caliditatem. Ratio 2da Quia Sol qui præcipue videretur esse calidus non igneus nobis appareret sed candidus, qui tamen si igne constaret, igneus appareret.

PARS SECUNDA

CAPUT QUARTUM.

De meteoris ignitis in specie.

Capitis sunt duæ partes. In 1ma de materia proxima de materia Meteororum ignitorum agitur. In 2da formæ eorum et modus quomodo generentur et fiant, explicantur. His autem constitutis et Pars 1ma Capitis in qua est talis propositio, Dicendum est de ignitis Meteoris quæ in Coelo ardere videntur ut sunt flamma quædam, stellæ cadentes, faces, trabes, capræ salientes et. Scias omnia idem esse. Ratio quia habent idem subjectum, eandem materiam et causam efficientem. Differunt tamen figuris, situ, materiæ paucitate, magnitudine, soliditate, tenuitate et. Quæres ibi Horum quidem et Quæ est materia proxima ignitarum impressionum? R. Quod exhalatio calida et sicca, ab Elemento terræ radiis Solaribus trahitur. Unde Scias quod ab aqua materia per ignitis meteoris non potest trahi nisi à terra. Ratio quia terra a Sole faciliùs ignescit et incalescit, cum minus sit frigida quam aqua, faciliùs attenuatur, subtiliatur et levior efficitur. Unde attenuata calidaque et levis facta sursum eo usque ascendit, quo ejus levitatis calorisque natura patitur. Quæres 2do ibi Intelligendum est autem et Quomodo ignita meteora accenduntur? Resp. Tripliciter. 1mò per ignem Elementarem qui in materiam aptam accensioni vim suam exercet. 2dò per motum, nam res per aërem motæ incalescunt et ignem concipiunt ut experientia docet, nam et candelæ et lichnus recens extinctus si adhuc fumum mittat, isque ad aliquod lumen propius admoveatur ita ut fumus lumini admisceatur statim accenditur. Vel sicut candela recens extincta si in orbem convertatur, fumusque illius leviter commoveatur flammam concipit, ita fumida exhalatio quæ sub Coelo continetur conversione qua in orbem rapitur, sæpe incenditur idque in ea potissimum parte quæ maximè fuerat ardori concipiendo idonea. Scias fumum sic definiri fumus est aridi Spiritus fervor 3tio per antiperistasin, quæ nihil aliud est quam calidi oppressi et frigoris oppugnamentis duellum, quo efficitur ut calor interior ob contrarium circumstans in seipsum coactus viribus collectis intensior et fortior reddatur 4tò per repercussionem radiorum Solarium, sicut etiam

cernimus

cernimus radios ex speculo concavo reflexos ignem ciere. Distincta autem et Pars 2da Capitis In qua variæ formæ ignitarum impressionum referuntur. Scias Quando sub varys figuris apparent ignitæ impressiones, hoc fit propter materiæ situm, copiam, soliditatem, subtilitatem atq partium mutuam cohæsionem, solet enim materia vel in longum, vel in latum et protendi atq diffundi æqualiter et inæqualiter. Scias 2do Quando Flamma ardens apparet, tum temporis materia nempe exhalatio calida et sicca est æqualiter in longum et latum deducta et est ita subtilis ut tota simul possit inflammari. Ab alijs hæc species vocatur Stipula ardens, Ratio Quia non e dissimilis illis flammis quando in agris stipula comburitur. Hæc præterea species quandoq sub tanta luce et claritate apparet, ut de nocte diem facere videatur, quemadmodum et Lucas Tullig scribit in Christi Nativitate, nubem tantæ lucididatis Hispaniam collustrasse, ut meridies esse putaretur. Deinde Capra saltans quando apparet, tum temporis materia seu exhalatio calida et sicca magis in longum quam in latum est deducta ut possit formare corpg seu similitudines capræ. Efficitur autem saltg istig impressionis ex vehementia caloris in materiam exhalationum operantis, inveniendo in partem resistentiam per aërem insiliunt atq saltant. Fax præterea quando apparet, tum temporis materia seu exhalatio calida et sicca est in longum magis extensa et fit sine excursionibg et motu ut stet quasi immobilis, ab alijs vocatur Trabs, Jaculum, Lancea. Deniq stellæ discurrentes quando apparent, tum temporis exhalatio calida et sicca est magis in longum protensa et non continuata, sed paulatim et multis in locis diffusa. Quæres ibi. Ac interdum et Discursg stellarum quotupliciter fit? R. Dupliciter. Imo Incensione, quando nimirum exhalatio in longum protensa et non continuata, sed multis in locis diffusa est, tum evenit ut una pars accensa alteri facile ignem communicet, ea celeritate ut non diversg sed idem ignis prosiliens esse videatur, perinde ac si quis per lineam rectam pulverem tormentarium in particulas disponat, tum una accensa altera facillime flammam concipit ita ut ignis discurrere videatur. Vel quemadmodum dum duæ lucernæ superior una, altera inferior juxta se positæ sunt, illa accensa, hæc paulo ante extincta et istig fumg ex illa adeo celeriter ignem concipit ut illig flamma ad hanc descendisse putetur. 2do Protrusione et jactu propter antiperistasin frigoris in secunda regione existentis, ad quam dum provenit exhalatio calida et sicca, deorsum protruditur et jacitur, interdum quidem conceptum retinens, interdum sopito igne adusta instar picis, atra in agris invenitur. Et quod ex protrusione fiat Probatur, Quia interdum per violentiam in mare et in terras decidit. Scias Quod stellæ cadentes duplicem locum habent suæ generationis, superiorem äeris regionem et inferiorem. Quæ in superiori generantur fiunt ex accensione, quæ in inferiori ex protrusione et jactu. Scias 2do Quando frequentes sunt discursus stellarum venti validi exspectant. Ratio Quia eadem est materia ventorum et sydérum cadentium, nisi quod materia minq crassa in ventis convertitur et crassior modo dicto accenditur. Quæres 2do ibi Hæc autem omnia etc In quo loco generantur istæ ignitæ impressiones? R. Infra Lunam. Ratio Quia exhalatio calida et sicca infra Lunam posita est, nec Orbem Lunæ transcendit. Ratio 2da Quia harum stellarum et aliorum Meteororum celeritatem motg videmg, sicut et rerum quas speculamur quia vicina sunt nobis. Porro Solis et Lunæ celeritatem non videmg, quia remotiora sunt à nobis. Quæres 3tio Tantumne sunt ista Meteora ignita? R. Quod hæc Artes recensuit. Ratio Quia horum naturis perspectis et cognitis alia facillime cognoscantur. Dixi Artes recensuit. Nam alij autores plura assignant V.G. ignem fatuum qui generatur quando exhalatio viscosis ac bene conglutinatis partibg inter se constat. Materia et pabulum ejg sunt spirationes terræ pingues et viscosæ, quæ ex terra calore Solis ferventiore tosta erumpunt et trahuntur. Unde Scias quod frequenter ignis fatug appareat in cœmiterys, patibulis, locis suppliciorum, hominum defunctorum etc. Ratio

Quia

Quia ex cadaveribus ibi sepultis pingues, viscosæ et tenaces exhalationes assiduè consurgunt. Et dum homines et equi currunt velociter supra eorum capita, similes flammæ stant, quoniam ex [illegible] te ascendunt vapores viscosi, qui à circumstante aere calido facilè accenduntur. Scias 2do Quod talis ignis debet habere paucum vaporem et facilè inflammabilem. Ratio Quia si non esset citò accensibilis et esset multus ad superiores aeris regiones raperetur et ibi per vehementem calorem ignis dissolveretur. Scias 3tio Quod accenditur vel per antiperistasin frigoris nocturni, vel per collisionem partium exhalationis inter se. Et apparet sub specie candelæ cerei ardentis cumuli palearum ardentium et sub alijs figuris ut homines et viatores sæpe decipiat. Accidit ut aliquando hominem præeat, aliquando sequatur et ad conversionem hominis conver[titur]. Ratio Quia partes viscosæ exhalationis benè sibi adhærentes ad motum corporis et aëris moventur. Scias 4to Quod vocatur ignis fatuus ob multas causas. 1mo Quia ut alij ignis tangens fatuus non urit. 2do. Quia fatuus homines frequenter decipit cum videntes illam putent pecunias ardere, vel miracula aliqua apparere, præser[tim] si appareat instar domus plenæ igne, nec tamen combustæ etiam apparet ad malum navis post longam tempestatem, pollicetur futura maris et aëris tranquillitatem. Ratio Quia illa exhalatio sicca et frigida, quæ prius ascenderat in ventos conversa, et si quid habuit de caliditate, resoluta est in illam flammam supra navim ut supra rem solidam reponentem. 3tio dicitur fatuus, Quia viatoribus nocturnis ut fatuus illudit, dummodo huc atque illuc eos circumducit. Nota Hunc ignem fatuum ab alijs vocari ignem lambentem. Ratio Quia est spiratio quædam terrestris, rarior et [sub]tilior, quæ per aërem dispersæ solet lignorum, hominum, equorum capillis adhærescere et quasi lambere, si[ne quod] non comburit, talis ignis circa caput Servij Tullij in pueritia dormienti apparuerat. Item circa Lucij Mar[ci]ty Equitis Romani, dum in Hispania interemptis Scipionibus concionaretur ut testis Plinius. Nota 2do [E]idem ignis fatuus ab alijs vocatur Pollux et Castor, potissimum à nautis. Ratio quia ad naves malum an[ten]nas rubentes apparent ut dictum est, et quia serenitatem pronunciat vocatur faustus et prosper. Scias [si] duo tales ignes appareant vocatur Pollux et Castor, si unus Helena, sed hic pro infausto omine habetur [ut] Helena Trojanis, ut scribit Plinius Lib. 2. Cap. 37. Radivilus in Epist. 3. de sua peregrinatione ignes istos [à] S. Germanis à nautis appellari refert et faustam, vel infaustam navigationem illorum apparitione portendi. 2do addunt ignem perpendicularem, Rão quia instar perpendiculi stantis apparet, aliquando columna per[pen]dicularis, Quia inferior pars basim ostendit, superior pyramidem: Constat ex materia calida et sicca [di]versas partes in se habente nempe crassiores et subtiliores, Crassiores basim, subtiliores conum vel pyrami[]dem efformant. 3tio addunt Draconem volantem Ratio quia efformat figuram draconis volantis, et videtur scintillas ardentes ex ore evomere, quia partes subtiliores continuò resolvantur, Constat ex halitu non ad[] modum calido nec valdè coagulato et compresso; Subtilior est à parte anteriori, et dum impulsu nubis fri[]gidæ propellitur (nam hæc exhalatio dum altum petit nubes illi vel frigus aëris regionis secundæ oc[]currit à qua accenditur per antiperistasin) flectitur et curvatur tanquam Draconis venter.

CAPUT QUINTUM
De Quibusdam apparitionibus non veris

Capitis Partes duæ: In 1ma Variorum colorum in Coelo apparentium causæ explicant. In 2da Causæ hiatum et fovearum adduntur. (Multæ autem eorum species. et Pars 1ma Capitis in qua est talis Conclusio: Multæ rerum species et imagines nocte serena in Coelo cernuntur ut sunt V.G. hiatus, fo[veæ], Colores et venti et quorum eadem est causa sicut et Meteororum ignitorum. Ratio, quia sicut ignita Meteo[]ra fiunt in aëre propter concretam et accensam exhalationem calidam et siccam: Ita quoque diversi colores ap[]parent in aëre propter diversam exhalationem in aëre ardentem et diversimodè expositam; quemadmodum et ligna non eundem flammæ colorem sed diversum efformant, prout ligna sunt densa, rara, sicca, humida [et] ita quoque exhalatio prout est subtilis, tenuis, solida, densa, rara, colores varios exprimit. Quæres ibi Exci[] quam cr[]

quum enim
quando per
Vel ut Aris
quando per
quando pe
Orientes v
Cruentæ d
leus apna
Solis vel
Colorum,
nalis Ca
quia sunt
dissipatur
sed in aëre
abrupto
quando
siti, tum qu
dam Ident
est obscur
albo videt
& citiq m
bis remot
Splendido
albo & c
Aristotel
illa densio
partium
cum nigr
ist cerni
V. G. Purp
impedium
cum tenei
sicut & C
fiant ex
minum
nitu &c.
ora nemp
ciantur
latio var

quum enim lumen etc. Qui colores plerumque solent apparere? R. Quod si V.G. Phoenicous apparet, quando per exhalationem calidam, siccam, tenuem nimis Lux Solis vel aliorum astrorum transmittitur: Vel ut Aristoteles docet fit ex ignei albique attemperatione, cum alter alteri offunditur. Purpureus apparet, quando per exhalationem calidam et siccam, tenuiorem et rariorem Lux Solis translucet. Cruentus apparet, quando per exhalationem nigram, sed minus densam et crassam Lux Solis transit: Quemadmodum et stellæ Orientes vel Occidentes dum per vapores crassos, nigros aut fumum condensatum conspiciuntur, apparent cruentæ et rubeæ, quia album et candidum dum per nigrum conspicitur apparet rubeum et cruentum. Cæruleus apparet, quando per exhalationem densam et humidam Lux Solis transit. Quæres cur addis Lux Solis vel aliorum astrorum. R. Ideò, quia Lumen et Lux astrorum sunt causa efficiens varietatis colorum, imò et causa formalis, materialis exhalatio calida, sicca et terrestris, aliquando etiam vapor. Finalis causa est pulchritudo Universi. Scias addit Aristoteles quod tales colores non diu durant. Ratio 1ma quia sunt ficti non veri; ficta autem citò evanescunt. Ratio 2da Quia exhalatio et concretio illorum citò dissipatur, cum partes sibi fortiter non adhæreant. Ratio 3tia Quia habet colores non in Cœlo et astris sed in aëre apparent qui cum sit fluidus, etiam isti colores sunt instabiles et inconstantes. Hiatus vero abrupto etc. Pars 2da Capitis In qua causæ hiatum, fovearum redduntur: Hiatus seu forma itaque fit, quando Lux Solis vel astrorum per exhalationem in medio densissimam, in extremitatibus verò rariorem transit, tum quia benè illustratis cæteris partibus medietas non benè illustratur ob densitatem, idcircò apparet quædam Idontitas et altitudo, quæ si magna est fovea dicitur, si parva hiatus dicitur. Causa ergò apparentiæ istius est obscuritas medii non illustrati, nam omne obscurum licet æquè propinquum et in eadem superficie sit cum albo videtur nobis depressius et remotius, nitidum verò elevatius et propinquius. Ratio Quia candidum magis et citius movet visum, nigrum verò minus et tardius, unde pictores cum aliquid cavum et profundum et à nobis remotius V.G. antrum, puteum, fovea, aut hiatum pingunt nigro colore aut cæruleo utuntur, albo et splendido circa nigrum subducto: Cum verò aliquid prominens et aspectui nostro vicinum repræsentant albo et cognatis ejus coloribus ipsum exprimunt, nigro vel cæruleo illum circumcingentes. Scias addit Aristoteles in textu Quod aliquando de talibus hiatibus faces et tores igniti decidant. Ratio quia de Nube illa densiori pars aliqua exhalationis calidæ et siccæ per vim quandam abrumpitur, tandem ex motu et partium attritu accenditur et sic accensa ad terram delabitur. Additur 2dò ab Aristes Quod albus color cum nigro permistus hanc varietatem colorum efficit quod in flamma quæ alba est et in fumo qui niger est cernitur: Unde cum flamma alba cum fumo nigro permiscetur, varii colores flammæ repræsentantur V.G. purpurei, punicei, virides. Additur 3tiò Quod isti Colores interdiu non apparent. Ratio Quia à Sole impediuntur, noctu autem solus Phoeniceus apparet, alii verò non præsertim niger. Ratio Quia habent similitudinem cum tenebris nocturnis. Scias Quod Aristoteles in textu mentionem tantum facit hiatuum et fovearum sicut et Coloris phoenicei et purpurei, his enim cognitis reliqua apparentia Meteora cognoscuntur, utpote quod fiant ex iisdem causis et propter eandem dispositionem exhalationis. Quæres De simulacris montium et hominum armatorum inter se confligentium cum maximo armorum strepitu, equorum hinnitu, tubarum sonitu etc. An etiam ista sint vera. R. Quod sunt apparentia et fiunt ex iisdem causis, sicut et superiora Meteora nempe propter nubes aërem densiorem et lumen exhalationis accensæ, quæ cum aliter atque aliter inter se afficiantur et disponantur varii nobis Colores, variæ figuræ, portenta et monstra apparent, etenim quando exhalatio varia in nubibus inclusa easdem nubes disrumpendo sonitum facit, præsertim si quoque sit varia nubis

Condensatio

condensatio et dispositio cum quibusdam varijs confractibus et concavitatibus, tum varius sonus exauditur aliquando tubarum, strepitus armorum, hinnitus equorum etc. prout alia atque alia vis exhalationis erumpit. Sicut etiam spiritus in terra inclusus hac et illac per varios anfractus exitum quaerens, interdum sonitum talem facit ac si bos remugiat vel ululatus fiat, unde illius portenta tradunt terram mugire narrant. Accidit hoc anno 1520 Mense Septembri Vissenburgi ad Rhenum oppido, nam sub meridiem strepitus armorum tantus excitatus est adeo ut aves ad arma concurrerent, et ad portas praesidia disponerent. Item Bambergae sub aurora audita sunt tympana pulsari, signa cani, et ingentem clamorem tolli, velut ab armatis militibus in acie concurrentibus, Item crebri ictus armorum et vociferationes exaudiebantur usque homines fugerent.

CAPUT SEXTUM.

DE COMETIS.

In hoc Capite Veterum Opiniones de Cometa adferuntur. Capitis partes duae. In 1ma Opiniones recensentur. In 2da refutantur. (De stellis autem quae Crinitae etc. Pars 1ma capitis) qua facta dicendorum propositione 3 Opiniones de natura Cometae adferuntur. 1ma est Anaxagorae et Democriti, qui dicunt quod Cometa fiat ex planetarum conjunctione, quando scil. ad se prope accedunt adeo ut se per juxta positionem contingere videantur. 2da est Pythagorae et suorum sequacium qui vocantur Italici ab Italia in qua commorabatur, hi dicunt quod planeta sit unus Cometa distinctus ab illis 7 qui raro apparet ideo quia cum Sole proxime comitetur occultatur a radijs ejus, unde tantum eo tempore apparet, quando a Sole digreditur, quemadmodum et Mercurius ut docent Theorici. 3tia est Hippocratis illius Medici sed Chij Mathematici ejusque discipuli Aeschili, hi quoque tenent quod Cometa sit unus planeta, tamen a 2da in hoc differt, quod 2da Opinio comam Cometae dixit esse partem Syderis actu refluentem; Haec vero tertia dicit quod illa coma sit quid adventitium constans alia materia nempe vapore quem a terra et aqua attrahit, qui cum sit densior ac vicem speculi habens facile splendorem Solis recipit sicut et speculum unde lucet et apparet. Hi autem omnes etc. Pars 2da capitis In qua refutantur dictae Opiniones. Et quidem 1mo secundam refutat duabus rationibus 1ma Planetae sunt intra Zodiacum Atqui multi Cometae extra Zodiacum conspiciuntur. Ergo Cometae inter planetas connumerari non possunt. Major probatur autoritate eorundem Philosophorum, qui, afferentes causam Cur Cometae rarius apparerent dicebant, quia Solem assidue comitantur, cum ergo Sol a Zodiaco non recedat Ergo nec Planetae. Ergo nec Cometa si numeraretur inter Planetas. Ratio 2da Plures Cometae aliquando visi sunt. Ergo non potest ratione ulla inter Planetas connumerari Cometa. Deinde 3tiam Opinionem duabus quoque rationibus refutat. Prima ibi praeterea si propter etc. Si Cometa esset de numero Planetarum et Comam illam haberet quando est ad Septentrionem Ergo non semper apparet Crinitus quod est falsum. Probatur consequentia quia Cometa in alijs locis etiam secundum illos non modo in Septentrione conspecti sunt V.G. in Austro etc. Ratio 2da. Nunquam talis Planeta visus est licet frequenter supra horizontem fere omnes Planetae aliquando conspiciantur. Ergo. (Nota ibi Communiter autem his etc. Hinc incipit refutare omnes Opiniones in communi tribus rationibus. 1ma Aegyptij et ipsemet Aristoteles (ut ...) testatur) observarunt, quod praeter Cometam etiam aliae stellae non errantes habuerint Comam licet obscuram ut V.G. stella quaedam in Caniculae femore existens obscuram Comam habuerit, siquidem ijs qui in illam aciem oculorum intendebant obscurum lumen existebat, ijs autem qui levius intuebant Clarius

Ratio 2da

Ratio 2da ibi (Huc accidit quod omnes etc. Omnes Cometæ supra Horizontem absq Occasu evanuerunt nec ullum Sydus relictum est post illorum interitum ut testis Aristoteles de visis à se Cometis. Ergo constat quod Cometa non sit de numero Planetarum, aut quod non efficeatur per juxtapositionem Planetarum. Ratio 3tia ibi (Agit enim dissipatis etc. Si Cometæ fierent quando est contactus per et juxta positio Planetarum. Ergo Quotiescunq esset talis contactus stellarum deberet esse Cometa quod falsum est. Probatur falsitas dupliciter. Imò Observatione Ægyptiorum et Aristotelica, nam Aristoteles dicit se vidisse semel atq iterum stellam Jovis cum una ex ijs quæ in geminis cernuntur congressam fuisse, nec tamen Cometam effecisse. 2do ratione, Res individua additur individuæ non facit illius magnitudinem majorem ut docetur in libris Physicorum. Sed stellæ apparent nobis magnitudine pene individuæ. Ergo licet conjungantur non efficiunt tantam magnitudinem quantam efficit magnitudo.

CAPUT SEPTIMUM
In quo vera Sententia de natura Cometes aperitur.

Capitis Partes 4tuor. In Ima Materia Cometarum, causa Efficiens et varietas figurarum ostenditur. In 2da Locus in quo fiat assignatur. In 3tia Motus ejus quo feratur, declaratur. In 4ta Significatio quid nimirum portendat docetur. (Quoniam autem ea etc. Pars Ima Capitis, In qua Imò præsupponit unum nempe de Cometa non necessariò sed probabiliter se dicturum præmittit. Ratio quia de his rebus quæ sub sensum non cadunt vel ab eo nimis distant, difficile est aliquid certi statuere. Quæres ibi (Præponitur enim à nobis etc. Quæ est materia Cometæ? R. Quod exhalatio à partibus inferioribus excitata, calida, sicca, pinguis, crassa, constans partibus benè coaugmentatis et ad ignem concipiendum apta et commoda. Dixi à partibus inferioribus excitata, id est, à terra. Dixi calida ad differentiam venti qui fit ex vapore terrestri frigido. Dixi sicca ad differentiam humidarum impressionum. Dixi pinguis ut sit nutrimentum ignis. Dixi crassa Quia si esset subtilis citò dissolveret, vel ut sit differentia inter ignita Meteora quæ constant ex tenuiori materia. Dixi constans partibus bene coaugmentatis Quia debet esse solida et viscosa ut possit moveri, nec facile ab agitatione aëris motus aut ventorum dissipari. Dixit Arles ad ignem concipiendum apta, quia Cometæ ut appareant, necesse est ut ardeant et fiant per accensionem. Quæres 2do ibi. (Cum in hanc etc. Quæ causa Efficiens Cometæ? R. Sol et Coelestium Orbium motus. Unde quando inconcretam exhalationem aliquid ardoris ab igne Elementari inciderit, accenditur, nec ita magno ut citò ardeat, nec ita imbecillum et exile ut celeriter restinguatur. Quæres 3tio ibi. (Si enim omni ex parte etc. Sub quibus Figuris apparent post accensam materiam Cometæ? R. Sub duabus. Etenim si materia ex omni parte sit similis, s.e., æquè in longum et latum sparsa dicitur Cometa hoc est Crinita, quia secundum omnes partes emittit radios vel crines argenteos et est veluti lana capitis quæ ex omni parte pendet à capite, et talis Cometa apparet globosus et rotundus. Deinde si materia in longitudinem porrigatur, tunc apparet Hogonias seu barbatus, quia in modum barbæ flamma pendet à parte inferiori. Nam ab hac parte est materia densior, ab illis verò partibus tenuior. Scias Quod Arles in textu duas tantum Figuras Cometarum ponit scilicet rotundam et oblongam. Ratio 2a inter Figuras hæ Figuræ sunt præcipuæ Circularis et recti linea utpote quod ad eas omnes figuræ referantur. Veruntamen istæ Figuræ à sola materia efformantur prout materia est densa, rara, sufficiens, pauca, multa etc. Scias deinde Quod licet à Plinio Lib. 2. Cap. 25 decem species Cometarum adferuntur, ab alijs tres, facile tamen ad illas duas revocantur, siquidem istæ Species non à Figura Cometarum sumuntur, sed vel à colore, vel à situ vel à motu vel à paucitate et Magnitudine. (Ac cum in ipso etc. Pars 2da Capitis

In qua

In qua Locus Cometarum assignatur seu suprema aëris regio. Scias quando exhalatio in loco inferiore ab astris plurimum distante sita fuerit, ita ut intervallum inter eam et sydera à nobis dignoscatur, tum apparet per se Cometa nullum Sydus ambiens: Quodsi contingerit exhalationem sub aliquo Sydere seu erranti seu non errante in loco superiore esse, ita ut nullum inter eam et Sydus intervallum esse videatur, imò verò in eadem superficie posita appareat, tum Sydus illud sub quo fuerit Crinitum seu Comatum apparebit, licet revera Crinitum non sit. Hoc confirmatur à simili, nam etiam corona seu halo circa Solem et Lunam videtur apparere, licet ita non sit, siquidem halo s[olum] in aëre est. (Ac cum è regione etc. Pars 3tia Capitis. In qua motus Cometarum indagatur. Scias Sicut duplicem situm Cometarum Aristoteles assignavit, ita quoque duplicem motum assignat differentem in tarditate et velocitate, nam ille Cometa, qui Sydus è regione illi existens, aliquod ambire videtur velociùs movetur. Ratio quia per quendam influxum syderis occultum concitatur. Ratio 2da Quia eodem motu quo Sydus propellitur. Ratio 3tia Quia ille Cometa in superiori tertia aëris regione existit viciniori Coelesti motui à quo rapitur et velocissimè movetur. Tandem ille Cometa qui per se apparet nullum Sydus ambiens tardiùs movetur. Ratio quia non ita est capax directi influxus et motus Syderum. Ratio 2da, quia hic Cometa solet existere in inferiori tertia aëris regione, quae quoniam est remotior à Coelo, idcircò debiliorem et remissiorem influxum et motum recipit ac proinde tardiùs movetur. Scias hic Cometa et similes ei solent perpetuò comitari et sequi Sydera, ignem et aërem in motu suo peragendo. Scias 2dò Quod Cometae possunt habere varium motum et situm. Aliquando moventur ab Orta ad Occasum aliquando è contra, aliquando à Septentrione ad Austrum et è contra. Addit Aristoteles in textu duo 1mò Quod Cometes non fiat ex refractione radiorum Solis aut Lunae sicut corona ut putavit Hippocrates. Ratio quia nunquam possent derelinqui ab ipsis Syderibus, sed è regione esset sicut corona quod est falsum. 2dò addit quod Cometa sit igneae naturae et fiat per accensionem. Ratio Quia squalores et flatus ventorum, tum quoque siccitates ortum Cometarum consequuntur. (Crinitarum autem concretione etc. Pars 4ta Capitis In qua docetur quid portendant Cometae. 1mò portendunt vehementes ventorum flatus et aliquando terrae motum. Ratio Quia eo tempore forti actione Solis plurimi halitus gignuntur inclusi in visceribus terrae, qui si non habent exitum liberum causant terrae motum; si verò habent tunc elevati in aëra causant multitudinem ventorum. 2dò portendunt Tempestates maris. Ratio quia multitudinem ventorum necessariò sequuntur tempestates. 3tiò sterilitatem et famem. Ratio quia exhalationes ipsae impediunt vapores, ne in pluvias resolvantur, unde defectu pluviae sequitur nimia siccitas, hanc sterilitas, sterilitatem fames. 4tò Pestem et morbos illos qui causas calidas et siccas habent. Ratio 1a halitus ille terrestris et venenosus qui est materia Cometae, quasi veneno quodam inficit aërem, quem postmodum infectum homines et reliqua animalia per respirationem hauriunt unde inficiuntur et intereunt. 5tò Bella, caedes, rixas, quia tempore Cometae caliditas excessiva diffusa in aëre inflammat spiritus existentes in corpore humano, Unde reddit homines Cholericos, qui tandem à Cholera concitati proripiunt se ad arma, iram, vindictam, praelia, postmodum praelia sequantur mutationes regnorum, dominiorum, Legum etc. 6tò portendunt Mortes Regum, Principum. Ratio quia existente Cometa caliditas excessiva diffunditur per aërem, unde aër excessivè calefactus alterat corpora maximè ea quae sunt delicatiora, talia autem cum sint corpora Regum et Principum, faciliùs alterantur et disponuntur ad morbos acutos et mortem.

(Nota ibi Curr[...]

Nota ibi cur autem nec multæ etc. Tres Aristoteles subjungit dubitationes. 1ma Cur non multæ simul appareant Cometæ. 2da Cur raro. 3tia Cur potius extra Tropicos quam intra. Scias huius rei esse duas causas, quia Sol et cætera astra non tantum sursum trahunt exhalationes sed etiam consumunt, et quia consumunt idcirco materia deest ex qua generentur Cometæ. Ratio 2da quia maxima pars exhalationum ex qua solent fieri Cometæ transit in lactei circuli generationem. Nota 2do Receptum est omnium sæculorum consensu Cometas esse prodigia, licet eorum possint reddi causæ Physicæ: Hinc autem plerumque existunt quando sunt aliqui insignes et atroces Syderum positus, unde post Cometarum apparitionem horrendæ et terribiles subsequuntur calamitates, aliquando enim terræ motibus collabuntur Urbes, ut accidit in Achaja et Macedonia, aliquando tempestatibus maris cooperiuntur ut etiam accidit in Achaja ubi duæ Urbes Hellice et Buta tempestatibus mersæ sunt in mare, aliquando ingentes lapides cadunt, sicut in Insulam Ægos potamos ceciderant, quanquam alij dicunt quod vi maxima ventorum illuc delatus erat, alij referunt quasi Anaxagoras prædixerit lapidem casurum de Coelo, aliquando fit hyemis summa siccitas assidue flantibus Aquilonibus ut Aristoteles testis in hoc capite. Nihil dico de bellis, morte etc. Nam A. 1506 mense Augusto fulsit Cometa quem secuta est mors Philippi Regis Hispaniæ, deinde secutum est bellum Venetum etc. Scias Nonnulli istos effectus non Cometæ adscribunt ut Hali et alij Astrologi, siquidem Cometa est effectus stellarum. Sed ipsismet stellis et Syderibus quæ stellæ potissimum concurrebant ad generandum Cometam. Prætera addunt quod Cometæ sunt Martiæ et Mercurialis naturæ, itaque plerumque cædes, seditiones, factiones, schismata et alia id genus expectanda sunt.

CAPUT OCTAVUM
De Lacteo Circulo seu Galaxia.

Capitis partes Duæ. In 1ma Antiquorum Opiniones de Galaxia adferuntur et refutantur. In 2da propria Sententia Aristotelis quid ille senserit de natura Galaxiæ aperitur. Quo a. modo etc.

Pars 1ma capitis In quatuor Opiniones de natura Galaxiæ adferuntur. 1ma est Pythagoreorum tenentium quod Galaxia sit via quam fecit per deflagrationem aliqua stella lapsa tum temporis quando Phaeton cecidit ignarus regendi currus paterni. Alij dicunt quod Sol aliquando per istum locum transierit et ita hunc locum coeli quasi inustum talem passionem recepisse ac proptera lactis speciem refert. Hæc Opinio refutatur, quia si propter motum Solis facta esset Galaxia in coelo. Ergo hæc multo magis deberat esse in Zodiaco, in quo non unus Sol sed multa errantia Sydera cursum peragunt. 2da è Anaxagoræ et Democriti dicentium quod Galaxia non est aliud nisi lumen quarundam stellarum, quæ non illuminantur noctu à Sole quia inter Solem et eas interponitur umbra terræ nec possunt propria luce quam habent à splendore Solis privari. Nam duplices sunt stellæ, aliæ quæ illuminantur quando Sol est sub terra non talium lumen non apparet quia obscuratur à Sole. Aliæ quæ non illuminantur ob terræ interpositione et talium lumen apparet, quia non obscuratur à Sole unde fit Galaxia. Verum hæc Opinio est etiam falsa. Rao Quia non potest fieri, quod Sol quasdam stellas fixas aspiciat, quasdam non; cum omnes sint supra ipsum. Ratio 2da quia umbra terræ ut ex Opticis patet ultra Sphæram Saturni non transit. Ratio 3tia Qa Galaxia semper in eodem loco apparet; Sol autem non semper eodem aspectu illam aspicit, mutat enim aspectum dum in diversis signis collocatur, unde non potest esse causa Galaxiæ. 3tia est Opinio tenentium quasi Galaxia fiat per refractionem visus nostri à stellis ad Solem, eo ferè modo quo Hippocrates putavit fieri Cometam. Hæc Opinio est falsa, pro qua refutanda supponit Aris duo. 1mo Quando videns et speculum in quo videt et res quæ videtur stant immota, tunc in eadem speculi parte eadem imaginis pars videtur, deinde

deinde quando videns est immotum, speculum verò et res quæ videntur sunt nota ita tamen ut à vide-
te eodem intervallo distent, inter se autem non eodem, tunc in eadem speculi parte eadem pars imagi-
non videtur. 2do Stellæ quæ in Galaxia apparent à nobis licet moveatur æqualiter distant à se vero
non æqualiter ut V.G. patet in Delphino quæ stella interdum à Sole media nocte distat, interdum ante
lucem illic propinquus exoritur. Hoc præmisso sic arguo Imò Si Galaxia fiat per refractionem à ste-
lis visus nostri ad Solem. Ergo non semper in eadem parte stellarum appareret quod est falsum. Prob.
ex Imo hypothesis quando videns stat immotum, speculum autem et res in speculo visa moventur, tunc
imago visa non semper in eadem speculi parte apparet, sed astra quæ Galaxiam faciunt, habent se
instar speculi et moventur; similiter Sol ad quem fit refractio visus nostri movetur et obtinet locum rei visæ;
nos autem qui sumus videntes immoti sumus propter terræ quietem. Ergo si Galaxia fieret per refractio-
nem à stellis visus nostri ad Solem, tunc non semper nec in eadem Coeli parte apparere quod est falsum.
Arguo 2do ibi Præterea nocte etc. Galaxiæ species in aquis noctu alijsque corporibus pellucidis con-
citur. Ergo impossibile quod fiat ex refractione à stellis visus nostri ad Solem, alias duæ deberent fieri re-
fractiones; Una ab aqua ad stellas; Altera à stellis ad Solem quod est impossibile, cum magna sit a[illegible]
ab aqua ad stellas. Nos vero ita dicemus etc. Pars 2da Capitis In qua aperitur Sententia Ari-
quid sentiat de natura Galaxiæ, seu quod Galaxia non sit in octavo coelo stellato, sed in aere, vel ex-
halatio calida et sicca, late et longe diffusa, stellarum maximarum frequentissimarum, et splendidissimarum
sporades dictarum, quæ in ea parte Coeli cernuntur motione accensa: Unde ferè nihil aliud est, nisi quæ-
illarum stellarum magnus et perpetuus Cometa qui ob alimentum quod semper ascendit et ob stellarum motum
nunquam cessantem accensus sub ijsdem stellis perpetuo conservatur. Probatur: Unius syderis motu exhalatio
sub ipso directè posita accenditur, speciemque repræsentat Crinitæ stellæ moveturque ad motum syderis. Ergo
etiam non erit impossibile quod exhalatio reperta sub magnis et frequentissimis stellis per motum ipsarum
accendatur, quia quod in unum astrum cadit id in toto Coelo omnique Coelesti conversione fieri intelligen-
dum est. Objicies ibi. Ac signorum quidem etc. Si Galaxia fiat propter stellas frequentissimas et splen-
didissimas existentes in Coelo Octavo. Ergo multò magis deberet fieri propter stellas quæ in Zodiaco sunt
frequentiores, splendidiores et majores, à quibus tamen nulla exhalatio accenditur aut Galaxia generatur.
R. Quod in Zodiaco licet longe majores stellæ et splendidiores sint, sed quia sua maxima potentia dissipant
consumunt exhalationes, idcirco nequaquam potest fieri aliqua concretio exhalationis ut possit per motum ac-
cendi aut speciem Galaxiæ repræsentare, in illa autem parte Coeli sub qua Galaxia apparet, quia Sol et Pla-
netæ alij non moventur nihil impedit quominus concretio sub illis stellis posita, vi et motione illarum
accendatur. Quæres ibi: Quapropter si eam causam etc. Quid plura sentiat Aristoteles de Galaxia.
Quod ab eo Cometa qui circa aliquod sydus apparet non differt nisi magnitudine et tempore: Magni-
tudine quia Cometa unius tantum stellæ est affectio quod Crinitus appareat: Galaxia verò est totius ma-
ximi Orbis juba propter secretionem partium exhalationis facta tempore quia Cometa non diu durat
aliquando vix semestre excedit, Unde Plinius lib. 2. cap. 25. breve tempus durationis Cometarum Te-
gissimum tempus 80 dierum: Galaxia verò semper et perpetuò videtur. Hinc colligas quod Aristoteles
ad eandem causam et Cometam et Galaxiam referat, unde si ea quæ de Cometis dicta sunt, tanquam pro-
babilia accepimus et hanc sententiam de Galaxia ut probabilem acceptemus. Quæres Etiam hæc sententia
Aristotelis est difficilis præsertim quod dicat eo modo ferè fieri quo Cometes nimirum ex exhalatione quæ
variatur

variatur, transmutatur & consumitur; Galaxia verò sine ulla mutatione per tot secula regularis videtur. Quid igitur verè sentiendum de Galaxia. R. Quod Galaxia causatur frequentia minimarū stellarum in octava sphæra existentium, quæ ob suam parvitatem & longinquitatem, non possunt benè & distinctè à visu nostro comprehendi, prout aliæ magnæ, sed quia parum à se distant, idcircò lumen inter se reflectunt & commiscent & sic efformant Galaxiam. Hanc Opinionem tuetur Ptolomeus lib. 8. magnæ constructionis & alij Astrologi atq. Philosophi. Et ratio est, quia hic lacteus Circulus simul cum octava Sphæra volvitur ab Ortu ad Occasum per centum annos unum gradum conficiendo. Scias quod Philoponus & Vicomercatus dicunt s. illius candoris in Coelo apparentis, non posse reddi certam causam, quia forte ille candor à natura ipsa Coeli promanat.

PARS TERTIA

CAPUT NONUM

De Aquosis Meteoris et imprimis de Pluvia.

Capitis Partes Duæ. In 1ma Locus, causa Efficiens & materia generaliter explicatur impressionum humidarum. In 2da Ostenditur quomodo fiat Pluvia. (De eo autem loco & Partes 1ma Capitis In qua 1mò assignat locum ubi generentur Meteora humida. Scias Quod aquosa Meteora generantur in loco secundo & terræ proximo. Dixi in loco secundo. ad differentiam ignitorum Meteororum, quæ generantur in prima aëris regione, aquosa verò in media, quam Aristoteles vocat locum secundum. Dixi & terræ proximo s. in infima parte aëris mediæ regionis, nam etiam in hac aliquando generantur aquosa meteora & in prima tertiæ regionis licet per accidens, nam in media regione ordinariè & per se plerumq. generantur. Ratio quia illa regio cum sit utrinq. vallata caliditate aëra cogit frigus ut conspisset vapores in nubem & postmodum aquosa Meteora producat. Quæres ibi: (Principium quidem ex Quæ est Causa Efficiens & materialis humidorum Meteororum. R. Quod Sol & alia astra, sed præcipue Sol qui motu suo & cursu vapores à terra & aqua evocatos in sublime fert quos ille tandem tanquam autor Originis rerum & interitus vel conglobat vel dissipat, Conglobat in nubes, dissipat verò in meteora, nam ex dissipatis & resolutis nubibus generantur meteora tanquam ex causa proxima materiali. (Est autem habitus & Pars 2da Capitis In qua docet quomodo generetur pluvia. Scias 1mò Quod materia pluviæ est vapor humidus, calidus, fumosus & grossus, non tamen rarus & tenuis, ad secundam aëris regionem elevatus & in nubem à frigore conversus, quæ nubes deinde liquescit & guttatim in terram delabitur & refluit. Dixi à frigore conversus quia frigus loci mediæ regionis aëris habet se instar causæ Efficientis pluviæ nam frigus vaporem tractum à terra & calore destitutum in nubem condensat, deinde post condensatum humorem velut de spongia exprimit. Nota quod hæc tria ad generandam pluviam videntur concurrere, nempe vapor, nubes & caligo seu nebula, unde quid sint ista tria declarantur ab Aristotele. Quando igitur aqua transmutatur & subtiliatur à calore Solis efficitur vapor, nam vapor nihil aliud est nisi aquæ respiratio, deinde quando idem vapor (qui ab Aristotele vocatur aër) in aquam condensatur & vertitur dicitur nubes, tandem quando nubes in aquam licet concrescat sed non vertitur, dicitur nebula seu caligo, nam nebula nihil aliud est nisi nubes sterilis. Addit Aristoteles in textu quod nebula sit serenitatis potius quam pluviæ prænuncia. Dicit serenitatis potius nam aliquando est signum pluviæ, cum scil. sursum vi caloris attrahitur à facie terræ, nam sic mixta una cum vaporibus ad superficiem terræ existentibus commodius condensatur in nubem, tandem in pluviam vertitur. Nota 2dò ibi: (Fit autem orbis & Aristoteles addit quod generatio pluviæ sit Circularis Ratio quia aqua resolvitur in vaporem, vapor in nubem, nubes in pluviam, pluvia in aquam, deinde aqua in Vaporem & sic consequenter. Quare nisi accedant venti Aquilonales nubes dissipantes & aëris siccitas ex aliquo novo influxu syderum, possent per hebdomadas & menses durare pluviæ: Unde vocatus fluvius et

Circulus

circulus aëris et aquæ, sursum ascendentis et descendentis, etenim cum Sol accedit vapores fluvii superiora alluit, cum recedit, aquæ fluvii deorsum labitur. Quare se instar Zodiaci habet in quo Sol singulares vices absolvit, modò ad Septentrionem, modò ad meridiem descendendo antiqui Oceano qui circa terram labitur hunc fluvium aëris et aquæ comparabant. Quæres ibi: Quoniam autem ex. Sub quibus figuris cadit pluvia R. Quod sub duabus, nam aliquando guttatim et paulatim labitur Ratio quia tunc ex vapore constat nubes tenui nec frigus adeò forte comprimit nubem et talis pluvia vocatur imber, aliquando impetuose cadit et sub magnis guttis, quia frigus vehemens et forte cum magno impetu in nubem irruit atque ex ea magnas guttas exprimit et talis pluvia vocatur nimbus. Nota quod pluviæ miraculosæ frequenter fuerint, nimirum quod lapides pluebant, ferrum, lac, sanguis, adeps, sinum, lana, coturnices, caro, pisci, ranæ, vermes, vituli, arbores quarum quidem rerum omnium licet possent reddi causæ naturales physicæ, tamen plerumque portentosi aliquid designabant V. G. Josuæ cap. 10 legitur de 5. Regibus Amorræorum contra Josue congregatis qui à Deo occisi sunt lapidibus de Coelo in eos missis. Item ranæ in pœnam Pharaonis immissæ sunt. Item lapides. Ao. Domini 1304 in die S. Remigii ad oppidum Vredeland lapides pluebant omnia campestria devastantes. Item Ao. 1543 ut referunt Surius et Platina sanguis pluit tribus diebus proximam ante Adriani Pontificis mortem. Scias quod ante judicium extremum talia portenta plurima evenient juxta illud: Erunt signa in sole Luna et stellis et quod Virtutes Coelorum movebuntur ad insolita admiranda et stupenda.

CAPUT DECIMUM
DE RORE ET PRUINA

Quæres ibi: Ejus autem habitus ex. Quæ est Causa materialis roris et pruinæ? R. est vapor humidus, subtilis et exiguus qui ob caloris paucitatem in locum sublimiorem in quo pluvia concrescit ferri non potest. Scias Quod causa efficiens utriusque est frigus serenæ noctis, etenim quando frigus est temperatum, ut fit in noctibus æstivis ubi vapor in rorem convertitur. Sin autem vehementius fiat frigus ut in noctibus hybernis vapor in pruinam congelatur. Quod verò ad pruinam generandam frigus vehementius requiratur Probatur: Quia vapor aliquid in se caloris continet, qui illum sursum evocat. Ergo ut de illo calorem expellat et in pruinam congelet majus frigus requiritur. Quæres 2do ibi: Utrumque Quo tempore ros et pruina generantur? R. Quod tempore nocturno, sed nisi quando aër est tranquillus serenus absque pluviis et ventis. Ratio nam aliàs nisi sit aër serenus à pluviis, non poterunt elevari vapores propter defectum caloris. Deinde nisi sit tranquillus à ventis tunc vapor si quis elevaretur quia est subtilis separetur à ventis ne concrescere possint, sicut et aqua quando vehementer movetur difficile concrescit ut fieri solet in fluminibus. Quæres 3tio ibi: Hæc autem nasci ex. In quo loco ros et pruina generantur? R. Quod in infima aëris regione, quod inde patet nam pruina in montibus non oritur quorum summitas plerumque sicca reperitur ob ventos proflantes, vapor autem siquidem ex concavitatibus receptaculisque aquarum excitatur, unde quia gravior et copiosior est, quam ut in locum excelsum efferri possit, et sit quasi virtutem excedens virtutem caloris se portantis in loco inferiore demittitur. Ratio 2da quia vapor si quando in locum excelsum efferatur ob fluxum aëris facile dissipatur ne concrescat in rorem vel in pruinam. Quæres 4to ibi: Ros autem ubique ex. Quo differt ros à pruina? R. Quod Imò differunt, nam ros generatur flante austro, pruina flante Aquilone, præterquam in Ponto ubi contra flante Aquilone generatur ros

ros, flante austro pruina. Ratio hujus quia in Ponto auster non ita temperatum Coelum efficit ut vapor oriatur; Aquilo autem frigore suo undique subsistens calorem in eum compellit, quo fit ut major vis vaporum a calore excitetur. 2do differunt, quia Ver et Autumnus sunt tempus roris, hyems tempus pruinae.

CAPUT UNDECIMUM.

De convenientia nivis et pluviae cum rore et pruina.

Quaeres 1mo: Illinc enim ad nos etc. In quo conveniunt pluvia et ros? R. Quod secundum Aristotelem nix et pruina idem sunt, itemque pluvia et ros. Ratio quia frigore cogantur fereque ex iisdem causis oriuntur. Sed scias quod differunt inter se 1mo ratione intensionis et remissionis, multitudinis et paucitatis, quia pluvia fit ex majori copia vaporis, quae refrigeratur quia per longum tempus materia pro pluvia praeparatur et praeterea dum incipit pluere diutius durat; Ros autem fit ex minoris vaporis copia, quia est unius diei ille vapor. 2do differunt, quia locus pluviae est amplior, media aëris regio, roris vero est angustior haec pars infima aëris. 3tio differunt, quia pluvia tardius existit et multa madefacit; Ros autem celeriter existit et vix arbores aut herbas humectat. Quaeres 2do ibi: Similis est etc. In quo conveniunt nix et pruina? R. Secundum Aristotelem quod pruinae et nivis similis est ratio, quia utraque per congelationem a frigore gignitur, nix enim fit cum nubes cogitur, pruina vero fit cum vapor, fiuntque frigidis temporibus, alias exstante calore non generarentur, sed tamen differunt, quia vapor nivis est subtilior et calidior, pruinae vero grossior. Ratio quia pruina siquidem ad terram prope nascitur, majorem copiam excretionis terrenae habet, cujus vi magis indurescit. Quaeres 3tio Siquidem Aristoteles faciat in hoc capite mentionem nivis quomodo generatur. R. Quod generatur ex vapore humido, calido, tenui, subtili, multum de aëre in se habente, elevato ad mediam aëris regionem virtute frigoris in nubem condensato. Dixi ex vapore calido per gradum positivum ad differentiam grandinis ubi vapor est magis calidior. Dixi tenui, subtili multum de aëre habente, quia est clara, alba, transparens, mollis, levis et rara. Dixi ad mediam aëris regionem quia in media aëris regione generatur. Dixi Virtute frigoris quia Causa Efficiens nivis est frigiditas tum quia plerumque tempore hyemali fit nix. Scias quare lata cadat nix. Ratio quia frigus dum nubem ingreditur illam quasi rudendo scindit et sic partes latas abrumpit. Scias quare cadat per partes continuatas, sicut aqua, ratio quia est siccior quam aqua, deinde quia frigus nubem non adunavit in unum sed eam quasi per partes congelavit, cadit tamen instar lanae. Ratio quia constat ex sicciori et calidiori vapore quam pruina.

CAPUT DUODECIMUM.

DE GRANDINE

Quaeres 1mo: Sed cognoscenda sunt etc. Suntne aliquae difficultates circa generationem grandinis. R. esse duas. Prima quare grandines non decidant hyeme sed vere, autumno et aestate maxime sub tempus colligendorum fructuum, cum tamen hyeme debeant decidere. Ratio quia grando est gelu et glacies ex aqua concreta, aqua autem tantum hyeme congelatur. Addit Aristoteles quando grando hyeme cadit hoc rarissime factum est idque cum minor vis frigoris fuit. Addit 2do quod omnino et naturaliter grandines fiunt in locis magis temperatis, nives in frigidioribus. 2da difficultas ibi: Illud etiam absurdum etc. Qua ratione in loco superiori congelatur aqua, nam ut ibi congeletur debet ante existere, sed ante in loco superiori non existit, quia cum gravis sit deorsum delaberetur nec ullo tempore in loco excelso manere potest, quia

est contra

est contra naturam ejus. Si quis dicat grando in loco superiori potest ita generari quemadmodum et gutt[ae]
quae cum sint exiles et parvae à terra sursum trahuntur, tandem sursum delatae ad unum coëunt, postmodum i[n]
terram magnae cadunt, Urget Aristoteles hoc nequaquam posse fieri cum grandine. Ratio quia guttae parvae ideo p[os]-
sunt in unum coire quia sunt humidae. Sed congelata et concreta non possunt in unum coire, nec grandinem effic[ere].
Ergò necesse est ibi fuisse aquam concretam quod est contra ipsius naturam. Quaeres 2do ibi: Hic non[nulli]
quidem etc. Nonnulli quid sentiant quomodo generetur grando. R. Quod nubes à terra in locum super[iorem]
depellitur à calore ad terrae superficiem existente, et quia superior regio aëris est frigida, cum illuc radij so[lis]
per reflectionem non perveniant, idcircò in aquam concrescit et in glaciem vertitur. Quod verò à calore nu-
bes sursum propellatur inde cognoscitur, quod non nisi aestate et temperatis temporibus grando fit, quan[do]
calor solet esse in hac infima aëris regione terrae superficiem ambiente, cujus majore vi nubes in locum
superiorem repellitur. Haec opinio Aristoteli non placet ob duas causas. 1ma ibi: Sed quando ita
ad modum etc. Nam grando in locis altissimis ut in montibus non fit cum tamen illic maxime debe[ret]
esse si à frigore generaretur prout nix in montibus altissimis reperitur. 2da Saepè auditae sunt nubes c[um]
magno fragore non procul à terra ferri et agitari ut terrorem audientibus inciterent, interdum fere-
tur sine fragore, sed tamen grando magna, lata et non rotunda cadebat. Ergò apparet quod non à frig[ore]
in loco superiori et excelso generetur. Nam magna grando et non rotunda ideò cadit, quia non procul [à]
terra concrescit et generatur, quae enim ex loco superiore nimis cadunt sub parva quantitate et rotun[da]
cadunt, quia partes ex attritu et motu imminuuntur et rotundantur. Quaeres 3tio ibi: Quoniam a[u]-
tem calorem etc. Aristoteles quid sentiat circa generationem Grandinis? R. Quod fit per anti[pe]-
ristasim calidi et frigidi, nam ut se habet anterior pars terrae aestate, ita quoque superior pa[rs] +
aëris licet modo contrario. Sed pars interior terrae in aestate est frigidior propter antiperistasim.
Scias quod grando non in media ipsa aëris regione generatur ut alij voluerunt sed in inferiori, quae [per]
antiperistasim à media regione et à superficie terrae ob exhalantem frigiditatem incalescit. Quaeres
Quomodo igitur grando per antiperistasim calidi et frigidi generatur. R. Quod ut certum est omni tem-
pore fit pugna inter calidum et frigus, itaque vapor calidus et humidus ex quo constat grando, quando
fertur ad mediam aëris regionem, ibi concrescit in nubem mox nubes à frigiditate sua et nom[?]-
gitate mediae regionis (utpote quod constat ex pro vapore calidiori) protruditur, quae tandem delapsa
in locum aëris calidiorem stringitur à caliditate, sed quia frigus in nubem ingressum erat, unde resist[it]
calori se stringenti, interea cum haec resistentia fit nubes incipit liquescere et resolvi in aqua[m],
sed quia guttae resolutae incidunt in frigus conglatiantur et in glaciem atque grandinem vertuntur. Unde
grando non est quid aliud, nisi aqua in aere conglabat. Hinc Scias quod grando omninò aestivis [et]
temperatis temporibus debet esse, quando fit antiperistasis, nam tempore hyemis frigus totum aërem occupat,
ob eam etiam causam temporibus calidis pluviarum guttae majores et densiores et cum majore impetu ca[dunt]
quam hyeme. Scias 2dò quod antiperistasis valeat ad resolutionem et impressionem humoris patet ex ca[lce]
quod abundantius tempore hyemis dum frigus est, quando crematur provenit. Quaeres 4to ibi: (Et quam p[ro]-
pius etc. Quare sub magnis interdum frustis grando cadat. R. ideo quia tum temporis prope ad terram
generatur, nam certum est aliquando proxime ad terram solere generari grandinem, unde quia prope [ad]
terram generatur illius partes per motum et attritionem non imminuuntur nec in minores guttas di[vi]-
duntur sicut contrarium accidit illi grandini quae ex alto cadit. Scias quod aliquando cum pluvia grand[o ca]-
dit. Ratio

+ Ergò et pars superior aëris est calidior contrario modo propter eandem antiperistasim.

dit. Ratio quia cadendo in infima aëris regione invenit calorem à cujus Virtute liquescit in aquam et sic cum aqua cadit. Quaeres 5to ibi: (Celeritatem autem etc. Quomodo fit ut grando vix liquefacta nubes in aquam mox in glaciem convertatur. R. Hoc fieri ideo, quia nubes constabat ex vapore calidiori humido et concalefacto per radios Solis et motum, unde dum refrigeratur celerrime in glaciem concrescit sicut et aquae ad ignem calefactae celerius congelantur. Addit Aristoteles qui vult aquam celeriter refrigerare prius eam in Sole ponat. Nam qui Ponthum accolunt cum in gelu piscandi causa domunculas construunt aquam calidam arundinibus effundunt ut firmiores sint arundines cum fuerint stricta glacie.

PARS LIBRI QUARTA

CAPUT DECIMUM TERTIUM

De Ventorum et Fluminum fontiumque Ortu.

Quaeres ibi: (De Ventis autem etc. Quare Ariles facta dicendorum generali propositione addat si prius de iis nempe de Ventis, fluminibus et mari disputavero. R. Quod dicit disputavero ob tres causas. Ima ut innuat quod hoc loci ex professo non sit acturus, sed tantummodo mentionem aliqualem de ipsis facturus utpote quod venti etc. habeant aliquam connexionem cum his Meteoris quae in äere fiunt, item et flumina etc. 2da ut innuat quod de hisce rebus ab antiquis nullam certam doctrinam acceperit, sed talem qualem quilibet hominum diceret. 3tia ut Antiquos aliqua ex parte male sentientes de ventis et fluminum origine refutet. Quaeres 2do ibi: (Sunt autem qui dicant etc. Quomodo Antiqui de Ventis senserint et aqua. R. Quod circa id est triplex Opinio: Alij dicunt quod ventus est quando äer pellitur et fluit, Aqua autem fit et nubes quando idem äer condensatur in Unum, unde faciunt unam eandemque naturam Venti et aquae: Alij dicunt quod ventus est äeris commotio non pulsus aut fluxus: Alij quod tantum est Unus Ventus. Ratio quia omnis äer est Unus ex quo ventus fit, nec aliqua differentia inter illos intercedit nisi localis, quia ex diversis locis flant. Aristoteli haec Opinio non placet. Ratio quia ita possent dicere omnes fluvios esse Unum fluvium siquidem ex eadem aqua constant et solum locis differunt quod tamen falsum quia ex diversis principiis fluunt. Addit Aristoteles Opiniones aliorum, nam alij putarunt quasi ex vase ventus fluat et eatenus flare, quoad Vas inane reddatur; alij quod ventus tanquam è vesicis emittatur, quod ventus ex se proferat principium flandi, ita ut pinguntur à pictoribus, sed de his fusius in lib. 2. Quaeres 3tio ibi: (Eadem etiam ratio etc. Quid Antiqui de aqua et fluminum ortu senserint? R. Quod alij putabant aquam eo modo fieri sicut ostensum in ventorum generatione: Alij quod fiat ex evaporatione, nam aqua sursum per evaporationem à Sole trahitur, rursus cum deorsum fluit congregatur sub terram, postmodum ex hac aqua congregata sub terra, fontes fluvijque oriuntur, tanquam ex Ventre et alveo magno: Rursus addunt quod nulla aqua aliunde oritur, nisi quae tali modo in alveos, sive in unum sive in diversos aquae hyberno tempore congregatae fuerint. Dixi hyberno tempore qui hyems est aptissimum tempus ut ex pluvijs, quae frequentius tempore hyemis fiunt abundantius aqua in istos alveos congregentur, ex quibus postmodum flumina oriantur. Hinc Scias quod duplicia sunt flumina: Alia perennia quia abundantior aqua pluvialis in talem alveum congregata erat tempore hyemis ex quo tale flumen oritur; Alia non perennia, quia minor vis aquae collecta erat in alveum ex quo tale flumen fluit, unde citius exarescit et deficit quam de Coelo pluviae hybernae illum alveum repleant, haec Opinio Aristoteli non placet. Ratio quia sic oporteret terram esse concavam non solidam, quod est falsum:

Quia

Quia terra cum sit centrum mundi in ea se parte undiq. stringunt eamq. solidam efficiunt, unde potest esse tota concava. Quaeres 4to ibi: (At perspicuum est etc. Aristoteles ipse quid sentiat de fluminum ortu. R. Quod putet partim oriri ex pluvijs. Ratio quia absurdum est si quis non putet ex eadem causa in terra aquam oriri, ex qua super terram et in aëre oriatur: partim ex vapore aëre infrigidato qui in concavitatibus terrae latet, et sicut supra terram ex parvis guttis pluviae magna et continens oritur, ita sub terra ex parvis guttis aëris infrigidati à ~~terra~~ frigore magna et continens oritur ut excrescat in flumina et stagna etc. Probatur à signis, nam qui aquae ductus struunt, scrobes fossasq. fodiunt, sentiunt aquam per porositates terrae stillare, item per petras concavas diuntur sentiunt aquam guttatim cadere, quae quidem aqua non aliunde efficitur nisi quia aër infrigidatus in aquam convertitur. Item quia ex montibus aquae fluunt et flumina. Ergò signum quod aqua ex vapore et aëre infrigidato generetur, siquidem montes fiunt plerumq. spongiosi, cavernosi, non item loca plana et campestria. Scias quod natura permittit ~~per~~ in concavitatibus terrae latitare aërem et in aquam converti ne detur vacuum alicubi. Scias 2do quod Aristoteles in textu enumerat montes et flumina, quae ex quibus montibus fluant et oriant, sed hac in parte videatur textus cum sit planus.

CAPUT DECIMUM QUARTUM
De fluminum et fontium Duratione.

Quaeres ibi: (Nec vero semper etc. Quare non semper eadem terrae loca humida vel arida permaneant sed pro amnium ortu interitug. mutantur, ita ut quae nunc est terra arida aliquando fuerit mare et ubi nunc mare est ibi terra fuerit, hoc tamen non fit casu et fortuito, sed ordine quodam secundum circulationem juxta quam omnes transmutationes, quae fiunt in hisce inferioribus, accidere solent. R. fieri per proportionem terrae cum animalibus et plantis, etenim ut se habent animalia et plantae ratione juventutis et senectutis, ita se habet terra ratione humiditatis et siccitatis. Sed animalia et plantae aliquando abundant humiditate ut fit in juventute, aliquando siccitate ut fit in senectute. Ergo et terra aliquando est humida dum viget et est aquosa, aliquando sicca dum senescit et efficitur arida. Addit Aristoteles quod senectus animalium differt à senectute terrae, nam animalium omne corpus simul viget et senescit, quia est parvum facile totum alteratur. Terra autem per partes quia est magnum corpus, unde vi frigoris et caloris non tota simul, sed per partes arescit et senescit. Ergo aliquae partes terrae ad quoddam tempus sunt humidae, deinde exsiccantur et senescunt, tandem mox alia loca reviviscunt, humoremq. et aquam recuperant et haec omnia augescendi et decrescendi causas à Sole ejusq. conversione accipiunt. Addit 2do Aristoteles quando loca humida et fontes exsiccantur, tum principia illa et scaturigines obrui est necesse, quod dum accidit tandem amnes primum ex magnis pusilli fiunt, tandem exarescunt. Quaeres 2do ibi: (Mutatis autem Exsiccationem fluminum quid consequitur? R. Quod mutatio marium, ita ut ubi ante continens erat eo se recipiat mare, illam verò terram quam prius occupabat relinquit. Ratio hujus quia exsiccatis fluminibus tandem mare illum locum in quem fluviorum effusione redundabat, relinquit, et suo necessario recessu reddit aridum ac postmodum iterum illum locum in quo prius exaruerat suo accessu aliud occupat. Objicies ibi: (Sed haec usuvenire ignoramus etc. Quomodo et quando istae mutationes aquarum et terrarum factae sint ignoramus, nec hominum quisq. meminit. R. Quod licet ignoremus vel quod non meminerimus, tamen inde non esse colligendum, tales mutationes unquam fuisse in fluminibus et terris. Ratio quia nostra vita brevis est, tales autem mutationes non de repente factae, sed quadam serie et ordine temporibusq. longinquis et continuatis; Ita ut prius necesse est integras gentes interijsse quam talium mutationum

principium

principium memoria tenere, siquidem hominum alij celerrime, alij morbis, bellis, fame, et alijs casibus in-
tereunt, deinceps alij homines istum locum hanc regionem deserunt et aliam occupant: Alij horum nullas
observationes habent, ac proinde cum tales mutationes in ipsis hominibus fiant, impossibile est ut quis recor-
detur quo tempore inceperint tales mutationes marium, fluminum etc. praesertim cum sensim arescant flu-
mina et loca humida, sensim etiam coeperunt homines eadem loca exsiccata occupare. Hoc idem accidit
in Aegypto ubi Nili ostia non ipsius videntur esse excepto uno Canobico, reliqua hominum industria facta sunt.
Addit Aristoteles quod ipsamet Aegyptus olim urbe quam Thebas vocant constabat, quod etiam Homerus declarat
qui illis temporibus vicinus erat, tandem post hujusmodi fluminum et aquarum mutationes excrevit in regio-
nem. Quaeres 3tio ibi: (Sed mutatur hoc etc. Post tales mutationes qualia loca redduntur. R. quod
diversas qualitates consequuntur, nam quae loca humida exsiccantur ad bonitatem revocantur, quae autem
prius fertilia erant nimia siccitate confecta deteriora evadunt, hoc patet in Graecia in agro Argivorum
qui temporibus Trojanis pauculos alere potuit eo quod palustris esset. et in agro Micenaeorum qui fertilis
erat, modo e contra factum est. Quaeres 4to ibi: (At nonnulli quidem etc. Alij Philosophi quod sentiant
circa mutationes aquarum et terrarum. R. Quod easdem causas referant ad Universi mutationem et
interitum quasi Coelum atque adeo totum Universum ortum sit et aliquando interire debeat sicut et mare
per exsiccationem. Haec opinio Aristoteli non placet. Ratio quia ridiculum est ob breves exiguasque rerum in-
clinationes Universum mutari, cum moles magnitudoque terrae nihil sit ad totius Coeli ambitum, quoniam a[?]
in Universo mutationem quandam sequi ac fieri necesse est non tamen ortum et interitum, siquidem Uni-
versum permanet. Addit Aristoteles quod in rebus humanis talis fit mutatio rerum ut statis temporibus
fit et magna hyems hoc est, magna imbrium copia et magna aestas, h.e., magna siccitas, ut aliquando eve-
niant inundationes, non totales sed partiales qualis fuit Deucalionis temporibus: aliquando exsiccationes qua-
les in Aegypto accidit quae prius fuit cooperta aquis, postmodum exsiccata est, unde factum est ut duo Reges
Aegypti Sesostris et Darius quo majores commoditates attulisset Aegypto alveos navigabiles fodere coeperunt
a mari ad Nilum, sed quia deprehenderant terram Aegypti depressiorem quam maris timentes ne mare Ni-
lo immissum suo fluxu corrumpat terram destiterunt fodere. Scias ad finem Capitis repetitionem insti-
tuit Aristoteles ante dictorum quae videantur.

LIBER II.

Liber hic habet quatuor partes
In 1ma de mari tractatio institu-
itur capitibus tribus. In 2da de Ventis
item capitibus 3. In 3tia de Terrae
motu capitibus 2. In 4ta de To-
nitru, fulgure, turbine
Capite unico.

Pars Libri I

PARS LIBRI PRIMA

CAPUT PRIMUM

De Opinionibus Veterum circa naturam maris

Quaeres ibi: (De mari autem et Quid Antiqui de Natura maris Senserint, hoc est, quae sit natu-
ra ejus, quare salsum, quae ejus prima Origo. R. Quod circa hoc est Quadruplex Opinio. 1ma est Vete-
rum Poëtarum et Theologorum Orphaei, Hesiodi, Homeri dicentium quod mare ex se sui ortus principium
habeat et suos proprios fontes. Ratio illorum etenim cum aquam et terram prodigiis venerarent, rerum
omnium prima principia affirmarent, unde magis se honorifice de illis loqui arbitrabatur si propria illis prin-
cipia tribuerent, quam si aliunde orta affirmarent. (Qui autem Sapientia et 2da Opinio Anaximan-
dri et Diogenis Physicorum et humana Sapientia praeditorum hi affirmabant quod omnis locus qui terram
proxime ambit, fuit humidus et aquis repletus, postea est exsiccatus à Sole per evaporationes, unde illud
humidum quod evaporavit in aërem et ventos abiit, quod autem remansit mare constituit, quod tandem
ita per continuas exsiccationes exarescat et imminuatur ut futurum sit aliquando ut totum mare ex-
hauriatur et deficiat. (Eorum autem et 3tia Opinio Empedoclis et aliorum dicentium, quod terra
quando à Sole incalescit et calore uritur, sudat, mox eodem sudore in unum locum collecto efficitur ma-
re. Probatur à signo quia mare est salsum, quemadmodum et sudor. (Alij vero salsi et 4ta Opinio
Anaxagorae et Metrodori tenentium contra nimirum quod salsedo maris proveniat ex eo, quia aqua
per terram siccam et exhalationibus plenam transit, et quia admiscetur aquae, sicut etiam quando a-
qua transmittitur per cineres redditur salsa. Et hae sunt Opiniones de Ortu et salsedine maris. Quaeres
2do ibi: (Aquarum enim et Aristoteli placentne istae Opiniones Veterum? R. Quod non placent.
Unde primam in hoc capite incipit refutare hoc prius praemisso nimirum duplices sunt aquae: Aliae flu-
xiles; aliae stantes. Fluxiles sunt quae omnes permanant à suis principiis et fontibus: Intellige prin-
cipium non quod se habeat tanquam Vas ex quo aqua effunditur, sed in quod primum perpetuo quo-
dam cursu et fluxione, quae contingenter gignitur, labatur aqua. Stantes sunt quae in unum locum
collectae ab illo sustentantur fluxum illarum impediendo, quod fit dupliciter; Aut naturaliter, ut pa-
lustres, lacustres; Vel artificialiter, ut puteales et stagnantes aquae etc. Hoc praemisso sic capit Arist.
Quod mare non habeat proprias fontes ex quibus ut suis principiis constet, et Probatur sic: Omnis aqua
fontium vel stat, vel fluit sive per artem sive per naturam. Atqui aqua maris nihil horum habet. Ergo
mare non constat propriis fontibus. Probatur Quod per artem non fluat, quia mare non est fluxile: nec eti-
am stat quia mare non est ab arte factum. item nec per naturam fluit. hoc enim fit quando aqua inve-
nit concavitatem in terra se majorem, quod contingere mari non potest ob immensam ejus magnitudinem.
Addit Aristoteles quod mare nec etiam constet ex iis aquis fontium quae stant per naturam. Ratio Quia
tales aquae quae stant, non excrescunt in tantam vim et copiam ut est mare, nec ejus fontes latent sub terra,
hoc autem utrumque evenit in mari. Ergo mare non constat aquis stantibus fontium etiam per naturam. Addit
2do Aristoteles, quod maria non fluant, nam multa sunt maria secreta, nec aquis inter se juncta et com-
mixta ut est mare rubrum Hircanum, Caspium, quae tamen non fluunt, siquidem cum undique avolas
haberent, utique illorum fluxum alicubi deprehenderent. Ergo falsa est prima Opinio tenens quod mare habe-
at proprios fontes sui ortus. Objicies ibi: (Fluere autem mare et Atque mare fluit ut patet in locis an-
gustis

gustis & præterea solet cooperire terras. Ergo non recte dicit Aristoteles Quod non fluat mare. R. Quod Arist. hoc loco tali Objectioni occurrit dicens: Quod potest esse fluxus maris in angustiis, secubi situ terræ continentis, ex vasto in parvum concluditur, hoc tamen in vasto mari notari nequit. Scias à duplici Causa posse fieri maris fluxum. 1mo à Libratione, quia in vasto mari sursum attollitur instar globi & tumoris aqua, unde per modum libræ videre propendere vel ad Austrum, vel ad Septentrionem in utramque partem, non magis in unam quam in alteram inclinando. Et hæc libratio magis in angustiis cernitur ob littoris immobilitatem & aquæ parvitatem, quare ab hac libratione prope angustal loca potest propelli & fluere. 2do propter terræ Septentrionalis altitudinem & fluminum multitudinem influentium in maria Septentrionalia atque sic propter fluminum influxum etiam unum mare fluit in aliud nam Mæotis fluit in mare Ponticum, Ponticum in Ægæum idque propter altitudinem partis Septentrionalis & concavitatem meridionalis. Addit Arist. quod terra Septentrionalis sit altior, nam qui quondam de rebus Meteorologicis disseruerant adducti sunt ut Solem non sub terra, sed circa terram, atque hunc locum moveri crederent: delitescere vero eundem noctemque efficere, quasi vellent dicere, quod terra Septentrionalis cum sit excelsa atque, ideo ab illa dies cum Sol movetur, venit, cum vero delitescit, nox.

CAPUT SECUNDUM.
In quo examinantur Opiniones naturalium de natura maris.

Quæres ibi. De ejus autem et ortu &c. Antiqui Philosophi dicti naturales quid senserint circa naturam maris. R. Quod mare dicebant esse Elementum aquæ, & omnium aquarum principium & corpus. Ratio illorum, ut se habent alia Elementa, ita se debet habere Elementum aquæ. Sed alia Elementa sunt in unum locum conglobata v.g. ignis et supra, tandem aër est contiguus igni, terra infero. Ergo et aquæ elementum debet esse in unum locum conglobatum, nempe in mare. Scias quod nonnulli ex eadem opinione dicebant mare esse principium et corpus omnium aquarum. Ratio quia ex mari omnes fluvii oriuntur, tanquam à suo principio, et iterum ad mare redeunt, tanquam partes ad suum totale corpus. Dixit Aristoteles nonnulli ex antiquis. Ratio quia ipse sentit posse ex aliis principiis fluvios oriri ut patet ex cap. 14 Lib. I. Quæres 2do ibi Alia autem hic &c. Si mare statuendum est pro Elemento aquæ, quare in eo aqua salsa est non dulcis, cum tamen dulcis esse debeat ut sit usui & potabilis, quia mare est principium aquarum. deinde quia omne Elementum in suo loco est intransmutabile & naturaliter habens, jam autem salsedo maris non est naturalis mari, sed ex aliqua mutatione adveniens. Scias sub § quod subjungit Aristoteles hic statim dispositionem Elementorum, nempe quod terra est in medio mundi, circa terram aqua, circa aquam aër, circa aërem ignis: Sol autem ideo movetur ideo movetur in Zodiaco ut fiat ortus interitusque, rerum in his inferioribus & variæ mutationes. Hoc præmisso solvit Quæstionem, nempe Sol motu suo quod in aqua est dulce et leve secernit & sursum attollit, tandem ubi iste vapor frigore condensatus fuerit, in terram relabitur, idque solet fieri semper secundum naturam. Nota ibi: Quocirca videnda est &c. Aristoteles occasione hujus rationis reprehendit antiquos in tribus 1mo Quod Solem dixerint esse igneum 2do Quod eum pasci humore aqueo dulci ad se attracto senserint, nam et noster ignis quo utimur indiget pastu. 3tio Quod ideo movetur, ut sibi variis in locis pastum & alimentum procuret, cum unus locus sibi non sufficiat. Igitur antiquos quinque rationibus refutat. Tanquam humor &c. 1ma ratio Vapor ab aqua sublatus non ascendit ad Solem, quia in aëre subsistit. Ergo illo Sol pasci non potest. 2da Quæcunque aluntur continuo innovantur

innovantur. Sed Sol non innovatur sicut et alia corpora Coelestia. Ergo. 3tia Elevatio vaporis à Sole similis est calefactioni aquæ in ovis igne supposito: Sed ignis ardens sub illa non nutritur aqua evaporante. Ergo neq; Sol vaporibq. 4ta Si Soli nutrimentum tribuitur Ergo et alys astris quod est impossibile, quia astra cum sint majora quam aqua pridem illam consumpsissent. Ergo quoq; non nutritur. 5ta Vapores quicunq sursum elevantur condensati iterum relabuntur ad terram Ergo illis non potest pasci Sol. Addit Aristoteles Sane opinionem esse similem ijs, qui dixerunt terram à principio fuisse coopertam aquis, postea ardore Solis exsiccatam, ex quo tandem aëron ex... tisse, coelum crevisse, & ventos ortum suum sumpsisse. Nota 2do ibi. Perspicue enim ac planè et ... clarig reddit causam, quare aqua maris sit salsa. Ratio nam quod dulce est et leve sursum attollitur à Sole, non fiat alimentum Solis & Coelorum. Sed ut in pluvias postmodum, ad irriganda inferiora vertatur: Salsum autem adustum à Sole quia est grave deorsum ut in suo loco remaneat. Quæres Quare dicis ut in suo loco remanet. R Ideò quia aqua quemadmodum & alia Elementa habet suum locum, sed Elementaris aqua, quæ est usui conveniens: Si quidem hic locq, quem mare continet tenere, non est tantum maris, sed totiq aquæ Elementaris. Scias Quod proinde maris putamq esse locum quia aqua salsa & amara suo pondere in eo remanet: Dulcis verò & levis sursum sublata. Ratio huiq à simili: ut se habet calor naturalis in animali, ita se habet Sol in Universo; Sed calor naturalis in animali quod est dulce & subtile trahit in alimentum uniq cujqq membri, grossum vero & amarum relinquit. Ergo & Sol ad nutrimentum ad nutrimentum inferiorum trahit ab aqua quod est dulce & leve, grossum vero & amarum relinquit. Addit Aristoteles Si quis ventrem non existimet esse locum dulcis alimenti, ideò quia celeriter attrahitur ad nutrimentum partium corporis, sed locum excrementorum non est sani judicij, ita si quis eum locum quem mare videtur tenere non putet esse totius aquæ Elementaris, sed tantum maris, quod dulcis sursum trahatur, idem pariter non recte judicat. Sic est prima et 2da Quæstio soluta, quæ ab opinione Aristotelis in hoc differebant, quod illi tantum maris locum esse dicebant, Aristoteles verò totiq aquæ elementaris. Quæres 3tiò ibi. Itaq in eo... Si mare est locq totiq aquæ Elementaris. Ergo in illud influunt omnia flumina. R quod influunt Ratio quia aqua cum sit fluxilis indiget aliquo loco terminari, mare autem est maximè locus capax. Ergo ad illud omnia flumina recurrunt. Objicies ibi: Ponere autem veterem et Atqui mare non crescit ut experientia docet, neq auget. Ergo videntur non influere in mare R quod ideò non crescit mare neq augetur quia pars à Sole exsiccatur, pars in vapores resolvitur, pars motu ventorum flatu absumitur. Ratio huiq quia aqua in latum expansa ut fit in mari citiq evaporat & exsiccatur, quam in unum collecta V.g. sicut in Cratho aquæ vix particula per diem resolvere... Soli exposita, in latam verò mensam si effunderetur celerime tota evaporaret: Eadem est ratio fluminum, quando super superficiem maris extenduntur utpote quod illorum aqua sit levior quam maris statim evaporant, unde mare non excrescit neq augetur. Scias ut cognoscas quæ sit aqua levior intinge pannum unum in singulis aquis & siccis madefacti æqualiter Soli exponantur, unde qui panniq priq fuerit exsicatq, indicabit tibi aquam illam aliâ esse leviorem. Scias 2dò Ovum in aqua salsa quia est densior natat, in dulci quia est levior submergitur. Quæres 4tò ibi Quod autem in Phædone &. Plato quid sensit de natura maris. R Quod duo. Primum Quod mare non è principium omnium aquarum, nec ille locq quem mare occupat cum Universa multitudine aquarum est vocandq mare. 2dò dicit quod Tartarq in medio & in centro mundi positq est principium omnium aquarum & fontium, quæ quidem flumina & fontes ideò à Tartaro tanquam à suo principio fluunt & erumpunt, quia semper fluctuat, & se agitat atq commovet: Ideò autem se semper agitat quia caret fundo, in quo consistat: Deinde ad eundem omnia flumina & fontes redeunt, Sed tamen singula flumina tales colores & sapores deferunt, quales habent illæ terræ p quas labuntur.

Hæc opin...

Haec Opinio Aristoteli non placet ob sex causas: 1ma ibi: Fit autem hac ratione &c. Quia dato quod per fluctuationem tartari modò in hanc modo in contrariam partem flumina erumpant. Ergo eadem flumina non semper ad eandem partem current sed etiam in contrariam, ut magis deorsum quam sursum fluant. ita ut possit ascendere & descendere, prout Tartarus fluctuabit & se se agitabit. 2da Si omnes aquae ex Tartaro fluunt illa aqua unde erit quae generatur & tandem fluit, nam certum est ex locis aliquibus aquam generatam fluere. 3tia. Si in Tartaro tantum aquae influit quantum effluxit; Unde fiunt vapores, pluviae irrigationes & alia aquosa meteora. 4ta Quia fluvij omnes ut constat in mare influunt non in Tartarum, nisi quando alij in alios incurrunt. Tum etiam nullum flumen ita se in terram immittit ut non aliquando erumpat. 5ta. Si flumina exirent de Tartaro oporteret ea in suo principio esse ubenora quod est falsum, nam Nilus & Danubius multo majores in mare influunt, quam sint in principio. 6ta Quia hic secundum Platonis Opinionem mare haberet principium quod è falsum, cum sit Elementum.

CAPUT TERTIUM

De salsedine maris Ortu & duratione.

Quaeres ibi: De ejus autem & ab initio capitis sunt duae Quaestiones. 1ma An mare iisdem numero semper fuerit & futurum sit. 2da An aliquando deficiet & interibit. Quid ergò Antiqui Philosophi circa has Quaestiones senserint. R. Quod circa 1mam, est talis Opinio omnium antiquorum Philosophorum, ut refert Aristoteles, quod mare non semper fuerit. Ratio illorum mundus non semper est, cum habet originem & principium. Ergo & mare non semper fuit, quod non postrema mundi pars sit, cum sit simul ortum cum mundo. Aristoteli hac opinio non placet. ✠ Aristoteli Rao 1ma. Quia est similis fabulis Aesopi, qui iratus cuidam nautae dixit Charybdim bis aquas exsorbuisse & primum quidem apparuisse montes, deinde Insulas, tertiò cum exsorbuerit fore ut totum exsiccet mare & sic nautas nulli hominum usui futuras. Ratio 2da Quia quae causa ad hunc diem mare integrum ut non sit exsiccatum conservavit, sive hac sit gravitas & pondus aquae marinae, sive quodpiam aliud eadem & imposterum conservabit ne intereat, vel in vapores resolvatur & in sublime attollatur. Etenim utique sperandus esset interitus maris si illi vapores à Sole sursum sublati, vel in pluvias non concrescerent & deorsum non delaberentur vel in aërem & ventos verterentur, vel in pastum Solis cederent ut Antiqui voluerunt, sed quia nihil horum accidit, nam quidquid in sublime effertur, iterum deorsum descendit & fiunt pluviae, idcircò non potest fieri ut deficiat mare aliquando. Addit Aristoteles ibi. In hac autem &c. Quae causa impulit ut Democritus affirmaret futurum defectum maris, quia vidit multa loca facta esse arida & exsiccata quae olim fuerant humida. Quaeres 2dò ibi De salsedine autem &c. De ortu et interitu duratione vidimus Opiniones, circa salsedinem maris suntne aliquae? R. Quod tres sunt. 1ma affirmat quod olim tota terra fuit cooperta dulcibus aquis sed pars illarum aquarum dulcium sursum est à Sole sublata, pars verò deorsum relicta infecta est salsedine, & inde mare effectum. Haec Opinio Aristoteli non placet. Ratio. Si prius tota aqua & totum mare fuit dulce. Ergo & modo potest esse. Probatur Quia licet pars illarum sursum sit à Sole elevata, pars verò deorsum relicta & salsedine infecta tamen quia eadem aquae per resolutionem in pluviis descendunt inaequali copia ut illi voluerunt Ergo iterum idem mare esset dulce, unde apparet, quod falsa sit causa ab antiquis allata de maris salsedine. Vinc etiam eos & 2da Opinio affirmat, quod mare ex sua natura non est dulce sed fluvij illud efficiunt salsum

✠ Rao illius quia mundus est semper cum sit aeternus & ab aeterno ut patet ex 8 Physic. Ergo & mare semper est cum etiam sit aeternum prout & mundus, utpote quod sit pars integrativa mundi. Circa 2dam est Opinio Democriti, tenentis quod mare non semper est & aliquando interibit. Ratio illius quia mare in dies decrescit, unde ventum erit ut aliquando exsiccetur & intereat. Haec Opinio non placet. &c.

salsum, utpote quod currant per varias terras, varijs exhalationibus et vaporibus admixtas, quibus inficiuntur. Hæc Opinio Aristoteli non placet. Rao quia sic oporteret ipsos fluvios esse salsos, quod est contra experientiam. Ratio 2da quia inconveniens est ut modica terrestreitate cum fluminibus allata tanta copia aquarum maris possit infici et reddi salsa. Ridiculum est etc. 3tia Opinio est Empedoclis asserentis, quod mare est salsum quia est sudor terræ collectus. Hæc Opinio Aristoteli non placet. Ratio Quia in explicanda causa salsedinis usus est metaphora quod potius est Poëtarum non Philosophorum. Rao 2da. Quia non perspicue explicat quare ex dulci potu sudor salsus evadat. Nam dupliciter probatur salsedo potest provenire vel quando dulcedo amovetur, vel quando aliquid admiscetur ut evenit in illis aquis quæ cineres colantur. Item in ijs reliquijs quæ in vesicam corrigantur. Et quidem sudor dum foras e corpore animali per poros erumpit, potest aliquid salsedinis contrahere ex ipsomet corpore dum illud abluit: Sed in terra quomodo hoc possit evenire non videtur, cum utique corpus animalis comedit, bibit, Unde quod dulce est carnem convertitur, quod crudum et insipidum subsidet: Quod etiam videre liquet in vasis salsamentorum. Ratio 3tia. Si mare est sudor terrestris. Ergo interra multo deberet esse copiosior, nam etiam in corpore animali est multus humor, cujus vix particula in sudorem resolvitur. Ratio 4ta Modo terra a Sole excalefacta non sudat. Ergo nec ante sudabit. Quæres 3tiò ibi: Nos autem dicemus etc. Ipse Aristoteles sentiat circa salsedinem maris. Rx Quod antequam suam sententiam aperiat duo præmittit. Imum Quod duplex est exhalatio humida et sicca, et hæc sicca est causa salsedinis. 2dum quia licet antea ostensum quod mare nunquam est ortum nec unquam deficiet, tamen restat aperiendum, an idem numero maneat, an solum specie et quantitate, siquidem ejus partes mutantur prout et in aëre, igne et dulci aqua. Rx Arles quod hæc omnia aër ignis, terra, quia sunt idem secundum speciem, sed secundum numerum non idem, quia partes aliæ atque aliæ fiunt ut patet in aquis fluentibus, flammis currentibus differunt tamen inter se mutationis celeritate et tarditate, Celeritate ideò, quia ignis aër et aqua dulcis citò mutantur; Tarditate ideò, quia mare cum sit crassius et densius non citò transmutatur, idem sentiendum de terra. Hoc præmisso ad Quæstionem Rx ibi: Quibus ita constitutis etc. Quod salsedo maris provenit ex mixtione rei alicujus incoctæ et indigestæ. Ratio Ima ut se habent corpora animalium, ita se habet maris aqua. Sed in corpore animalis quæ sunt permixta, crudo et indigesto, eadem sunt amara et salsa. Ergo et maris aqua, quia est permixta incoctis et indigestis vaporibus, ideo est salsa et amara. Probatur Minor, quia Urina et sudor sunt indigesta et cruda, ideo sunt salsa et amara, quod verò sint indigesta et cruda patet ex illorum tenuitate, nam ea omnia quæ sunt concocta, crassiora et dulciora fiunt atque in unum coguntur. Ratio 2da. Omne quod ab igne non superatur nec concoquitur, cum retineat excrementa sitque illis permixtum, est amarum et salsum. Item quod comburitur et exuritur est etiam amarum vel salsum, ut patet in fuliginibus et cineribus. Ergo etiam et maris aqua, cum sit permixta in diversis vaporibus tum quod sit adusta à Sole est salsa et amara. Ergo inde provenit salsedo maris. Hoc ait de nonnullos sensisse quod mare sit salsum propter terram incendio exustam: quæ quidem ratio si per se accipiatur est absurda, si tamen Metaphoricè seu pro admixtione alicujus rei, quæ habeat admixtam adustam terrestritatem ut est vapor sic potest sustineri. Nota ibi: ob eam causam etc. Rationem dictam de salsedine maris quo magis illustret, itaque effectus qui veniat ex admixtione vaporis indigesti et incocti tribus ~~modis~~ signis declarat. Imum. Pluvia vento australi flante est salsa, calida et amara: Ratio, Quia hic ventus australis vir conflat, commiscetur cum vaporibus aridis et adustis utpote quod proflet per loca calida et arida 2dum Mare in autumno est magis salsum quam reliquis temporibus quia plurimæ adustiones collectæ sunt in æstate. Item pluvia prima in autumno major cadit, calida est gravior ob admixtam vaporum copiam. 3tium Mare est calidum; Ratio, quia est permixtum multis siccis exustis vaporibus se excalefacientibus, quia omnia quæ exusta sunt in se vim habent caloris, ut patet ex calce cinere, unde qui volunt aliquid celerior coquere, cineres, calcem vel vitrum imponant. Ratio, quia hæc in se habent calorem et siccitatem qua consumunt cruditates et accelerant coctionem

coctionem. Addit Arles quod eadem admixtio vaporum multum juvat quod mare non exsic-
cetur, sicut alij fluvij, quia quod est crudum et indigestum subsidet suo pondere et substernitur. Quæres
4tò ibi: Salsum autem saporem etc. Præter illa signa dantur et alia ab Aristotele, quibus compro-
betur, quod admixtio alicujus rei indigestæ et crassæ efficiat salsedinem. R. Quod dantur sequentia. 1mum
Vas si bene obstuperetur et in mare mitteretur, tum quæ aqua ingredietur per poros dulcis erit, nam
subtiles pori ceræ non permittunt intrare crassas et indigestas partes terrestres. Ergo cum aqua sine
istis vaporibus est dulcis, unde erat prius propter vapores salsa. 2dum Quia aqua maris est gravior et
ponderosior propter eosdem admixtos vapores, dulcis non item. 3tium Aqua maris est grossior et corpulentior
unde naves in mari commodius multum oneratæ natant, in dulcibus submergerentur, nam mare tantam
vim habet terrenæ naturæ, ut fere luti naturam imitetur. Addit Aristoteles, si quis aquam admodum
salsam admixto sale effecerit in ea summa, ova etiam si plena sint natabunt. 4tum In Palæstina est
lacus ejusmodi in quem si quis hominem vinctum aut jumentum dejecerit, in summitate aquæ supernatat.
Ratio, quia multa terrestreitas est admixta illi lacui, ferunt etiam hunc lacum adeò amarum et salsum
esse ut piscis in eo nullus nascatur. 5tum in Chaonia est fons salsæ aquæ qui influit in fluvium dulcem
nullos pisces habentem, ex cujus fluvij aquis propter commixtionem aquarum, sal incolæ efficiunt, deco-
quunt enim aquæ partem, quam evaporare sinunt, et sic evaporato calido et humido reperiunt sal non
grossum, sed subtile ad instar nivis, quod tamen non est adeò salsum ut aliud. Scias quod ideò pisces
non habet licet sit dulcis, dum Hercules obtionem daret, rediens ex Erytheja ab abiendis bobus, tandem ma-
luerunt salem quam pisces. Addit Arles in Umbria ee locum in quo arundo et juncus nascitur, quorum in-
colæ cinerem in aqua decoquunt, tandem dum vix aqua superest, refrigerant, et sic illud refrigeratum in
magnam vim salis vertitur. Quæres 5tò ibi. Qui autem omnium etc. Reperiuntur fontes, flumina, cum
diversis saporibus V.G. acidis, salsis, amaris, unde proveniunt ejusmodi sapores. R. Quod propter admixtionem
terrei magis minusve adusti, etenim censendum est omnium aquarum salsarum fluxus initio fuisse calidos,
sed temporis progressu igne qui eos calidos faciebat extincto, et præterea quod currant per terras adustas
præsertim cum ex adustione remaneat aliquid instar calcis et cineris, efficiuntur tandem salsi, amari, ace-
tosi ex adustione, et vaporum adustorum admixtione. Scias quod aliqui fluvij magis aut minus in se
retinent hujus aut illius saporis. Ratio, quia currunt per terram nimium aut parum exustam etiam
ex eadem causa proveniunt varij colores. Addit Aristoteles in Sicilia in agro Sicano Oxalme id est
acida muria nascitur, qua pro aceto in cibis quibusdam utuntur: Item apud Lincum est fons cujus aquæ
acescunt: Item in Scythia est fons adeò amarus, ut fluvium in quem influit totum amarum reddat. Scias
ideò Aristoteles hoc loci subjunxit tractationem de saporibus aquarum. Ratio Quia omnis aqua ex se est
nullius saporis, sed eum ab extrinseco accipit. Scias 2dò Quod Plinius scribit cap. 106. Lib. 2. In Chy-
mera monte esse ignem qui aqua accenditur, terra autem et fœno extinguitur. Ratio hujus, quia illa
aqua habet aliquid de crasso et oleoso, vel etiam de sulphure et pice et sic potest esse materia ignis.
Quæres 6tò. Dictum in 1mo cap. Quod maria Septentrionalia propter terræ altitudinem in meridiona-
lia influant, quæritur ergò an sint plura maria. R. Quod mare est tantum unum, nempe Oceanus, qui
totam terram circumfluit, ut docet Isidorus, reliqua verò cum sint potius rivuli et membra Oceani, inde tan-
tum à nobis denominativè vocantur maria, accipiuntque suum nomen vel à situ, ut v.g. mediterraneum
mare vocatur, quia per mediam terram usque ad Orientem profunditur, Asiam dividit ab Europa et Africa.
Hoc mare nascitur ex Oceano inter columnas Herculis idem inter duos montes, quorum unus dicit, Abyla
et ponitur in mauritania, et alter collocatur in Hispania et nominatur Calpes, tandem ex hoc mediterra-
neo alia maria plurima nascuntur, vel etiam nomen accipiunt à montibus ut Caspium et Hircanum, quia

jacet

jacet inter montes Caspios et Hircanos, vel à provincijs, ut Siculum à Sicilia, vel à Regibus ut mare rubrum, vel Erythreum à Rege Erythra idem rubro. Scias quod Petrus Martyr in Summa et Andreas Corsalius tradunt in India reperiri lacteum mare et aliud pervirde, aliud Coeruleum et aëreo colori persimile: et procedere ex fundo illorum marium, qui per accidens causat tales colores. Scias 2do quod Solinus et Isidorus lib. 14 c. 6 dicunt, Fontes Sardiniæ habere aquas calidas infirmis medellam prabentes, furi caecitatem, si sacramento furtum neget, et ex illis aquis bibat, aut oculos tetigerit ipsis et laverit. Et haec dicta sufficiant de aquis et mari.

PARS LIBRÎ SECVNDA

CAPVT IV

De ventorum generatione et motu locali.

Quaeres ibi: De ventis autem etc. Aries quomodo tractationem Ventorum aggreditur. R. à Definitione habitus qui duplex est; Vnus humidus ut est vapor, alter aridus. Addit Aristoteles quod hic aridus aptum nomen non habet, quo nominetur; Vnde vocandus est fumus utendo nomine partis. Addit 2do istos habitus non sic invicem esse distinctos ut humidus possit esse sine sicco, et siccus sine humido, sed à potiori denominantur, in quantum unus supra alium exsuperat. Addit 3tiò Quod uterque accessu Solis elevatur sed recessu idest Occasu, (quia Sol in Orbem volvitur) cum vapor refrigeratur in aquam convertitur. Addit 4to Quia frigus hyeme et noctu magis dominatur, idcircò hyeme saepius imbres decidunt et noctu quam interdiu, licet nos haec non observemus. Quaeres 2dò ibi: Cumque duplex etc. Ex hac distinctione habitus quid colligitur? R. Quod generatio pluviæ et ventorum, nam ex illo halitu in quo multum humoris est ex vapore generatur pluvia, ex illo verò qui aridus et siccus est et fumi naturam imitatur, generantur venti omnes. Addit Aristoteles haec duo meteora necessariò esse distincta 1mò ratione materiae quia in pluvia est humida, in ventis sicca et arida. 2dò ratione causæ Efficientis, quia Sol vaporem à terra humida vel ab aqua trahit, halitum verò aridum, qui fumus vocatur, ab excusta et exsiccata. Quaeres 3tiò ibi: Quoniam aliud etc. Quorsum Aristoteles addit distinctionem pluviæ à ventis. R. propter duos errores antiquorum refutandos. 1mus est illorum qui dicebant, quod eadem est natura venti et pluviæ ut ostensum cap. 13 lib. 1. Meteororum: Quia utrumque constat ex aëre nam quando aër impellitur fit ventus quando in unum cogitur fit aqua. Haec Opinio Aristoteli non placet. Ratio Quia et materiam et causam Efficientem praesertim ratione loci ex quo trahitur materia habent diversam. Ratio 2da Quia potest ... sit ex quacunque parte impelli aër, atque ridiculum est ut ille impulsus vocetur ventus. Ergo. 2dus error illorum Qui dicebant, quod ventus est quandoque aër commovetur et agitatur. Haec etiam Opinio Aristoteli non placet. Ratio, quia ut se habent flumina ita et venti, sed non quamlibet aquam fluentem etiamsi sit multa dicimus flumen, sed solum illam, quae fluit ex certo fonte ut suo principio, ita et ventum non dicimus quamlibet commotionem aëris sed qui proveniat ab exhalatione sicca ut suo principio certo. Quaeres 4to ibi: Quae autem dicta etc. Quibus signis comprobatur quod pluvia ex vapore, venti autem ex arido et sicco halitu constent. R. Quod tribus. 1mum nam sunt aliquando anni nimis pluviosi, aliquando nimis ventosi et sicci, aliquando minus. Ratio hujus, quia tempore nimis pluvioso est major et largior copia vaporis humidi, ventoso autem tempore et sicco itidem major copia aridae et siccae exhalationis: Quando autem minus pluit aut flat, tunc parva est copia talium expirationum. Addit Aristoteles, interdum evenire ut aliqua tota regio aut imbribus occupetur aut ventis et siccitate infertetur, interdum per partes. Item accidit ut in una parte regionis sint imbres tempestivi, in alia ventis et siccitate omnia horrescant. Ratio 1ma Quia verisimile est hanc regionem aut partes illius tali affectationi Coelesti esse subjectas.

Ratio 2da

Ratio 2da. Quia in una parte solet major vis aridæ exhalationis excitari, in alia verò humidi vaporis vel è contra. Probatur à simili: Quia ventriculus noster licet sit minor quam regio aliqua in istas vicissitudines et dissimilitudines patitur. Nam contingit ut ventriculi pars superior sit arida et sicca, inferior verò humida. Ratio, quia quidquid erat in ventriculo ad intestina est demissum, bili aliqua duntaxat remanente, quæ siccitatem in ventriculum inducit: Deinde è contra accidit ut inferior sit humida et dura, superior vero humida et frigida. Ratio quia obstructio aut debilitas expultricis facultatis impedit, ne quid ejusmodi inferius descendat, quo humectentur intestina convenienter; Unde tum vomitu ventriculus evacuandus. Jam imbrem venti etc. 2dum Signum nam post imbres sæpe consurgunt venti vehementes, et qdem sedantur imbribus supervenientibus. Ratio etenim quod post pluvias sequantur venti provenit ideo, quia terra pluviis humectata si postea calore Solis aut interno exsiccetur, magnam copiam exhalationis aridæ et siccæ emittit, ex qua tandem fiunt venti. Deinde quod venti pluviis sedentur. Ratio quia exhalatio arida et sicca ex qua venti generantur vapore crasso, humido et frigido pluviæ humectatur et suffocatur, ad terramque dejicitur. Præterea eadem causa etc. 3tium Signum. Quia plurimi et maximi venti à Septentrione et Meridie veniunt. Ratio, quia in iisdem locis magna vis pluviæ gignitur; Unde terra multum humectatur, quæ dum à Sole incalescit, magnam copiam exhalationum emittit, sicut ex lignis humidis et viridibus major exhalat fumus quam ex siccis. Quod autem ad Septentrionem et meridiem sit major copia pluviarum. Ratio quia Sol non semper in his Solis locis cursum suum conficit, sed aliquando accedit, aliquando recedit, unde dum accedit aut recedit vapores et pluvias producit, quia vapores non directo cursu suo, sed lateraliter aspicit, ac proinde eos non consumit. Sicut etiam in Ortu et Occasu Solis plerumque frequentius fiunt venti. Hinc Scias quod tempore autumno et veris fiunt potissimum venti. Ratio quia hisce temporibus fit accessus et recessus Solis, nec ejus fervor magnus dominat.

Nota igitur quod causa materialis ventorum est exhalatio sicca, arida terrestris, subtilis et fumosa: Causa Efficiens remota est Sol, in quantum trahit vapores à terra, causa Efficiens proxima est frigiditas mediæ regionis äeris, quæ vaporem dissipatum condensat, qui tandem condensatus à frigiditate äeris ut suo contrario percutitur et movetur et sic oritur ventus à media äeris regione. Dixi dissipatum, quia res aridæ et siccæ sunt dissipatæ, ut patet in arena. Igitur et halitus venti cum sit siccus est dissipatus. Causa finalis venti ut serenitates inducat, nubes dispellat etc. Quæres 5to ibi: Ventorum autem pulsus etc.

Quare venti non directè sed oblique flant, licet halitus directè ascendat. R. Ob tres causas. 1ma quia circum terram flant quæ cum sit globosa, unde venti obliquè cadere debent. 2da Quia ventis convenit talis motus, qualem äer habet secundæ regionis. Sed äeris secundæ regionis est motus circularis. Ergo et venti erit motus circularis, unde necesse est ut in obliquum moveat. 3tia Quia exhalatio calida et sicca sua levitate ascendit sursum. Sed frigore mediæ regionis äeris et nubibus obstantibus deorsum detruditur, cumque recta non queat deferri, est enim quædam ignea et sicca materia vaporis, quæ semper sursum innititur, unde per transversum vehitur. Præterea non potest iterum recta linea descendere ut ascendit, quia alii vapores succedentes impediunt, unde necessario per obliquum fertur. Et hæc ratio omnium optima.

Quæres 6tò ibi: Itaque dubitari etc. Utrum ex inferiore an superiori loco sit ventorum principium. R. Quod si spectetur materia est ventorum initium ab inferiore loco. Rão quia videmus recta linea sursum ascendere vapores à terra. Rão 2da Quia venti sunt sicci, quemadmodum terra, siquidem exsiccat, imo et frigidi, licet hæc exhalatio aliter ascendit incalescat à radiis Solis. Deinde si spectet flatus est initium ventorum à loco superiore. Ratio, quia pulsus eorum à loco superiore provenit nempe à frigiditate secundæ

regionis

regionis aëris, nam quando exhalatio calida, sicca pervenit ad secundam regionem à frigiditate ut suo contrario pellitur, unde refrangitur et resilit deorsum et ita fit ventus. Ratio 2da Quia solum illustrari solet, sive nubes sit sive caligo, antequam flare incipiant, utpote quod illa pars superior aëris purgetur et serenetur, dum vapores incipiant dissipari et ad terram protrudi. Hæc autem pars inferior solet aliquantulum obnubilari, quia vapores ad eam propulsi faciunt aëris turbationem et commotionem. Quæres 7mo ibi: Eos vero ex multorum et Quis modus est, quomodo ex materia calida et sicca generentur venti. R. Quod ad flumina per quandam propositionem. Ratio Et sicut flumina primum ex parvis sparsim distillantibus guttis parva constant; postmodum aliorum fluminum aquarum accessu majora efficiuntur: Ita ut venti, dum sensim multæ exhalationes parvæ in unum eunt primum fiunt parvi postea vehementiores. Probatur 2do à signo. Quia venti dum spirare incipiunt debiliter flant, quia tum incipit congregari exhalatio modica: post eam longiori progressu majores et insigniores flant. Ratio, quia accessione uberioris exhalationis vis major et potentior redditur.

CAPUT QUINTUM

De Ventorum cessatione et de quibusdam ventis particularibus.

Quæres ibi: Sol autem Ventos etc. Quomodo cessant et corrumpuntur venti. R. Quod propter Solem cessant. Ratio quia Sol virtute sua evocat halitum, præsertim si parvus sit obruit et consumit. Ratio 2da. Quia terram ipsam ante exsiccat, quam illa aliquam exhalationem emittat, sicut si in magnam vim ignis parva materies incidat, sæpe prius comburitur quam fumum pariat. Hinc ait Aristoteles quod propter istas causas post Orionis Ortum usque ad Etesias et prodromos tranquillitas maxime existit. Ratio 3tia additur etiam propter frigus cessant venti maxime cum magnum... savit: vel quia poros terræ claudit, ne efflent expiratione vel quia vapores debilitat, ne sursum ascendant. Quæres 2do ibi: Maxima autem parte etc. Seine quod vel autumnus sunt tempora aptissima pro ventis generandis quare tamen hisce temporibus medijs soleat sæpe esse tranquillum Cœlum. R. Ob duas causas; Vel quia exhalatio non est excitata ut fit initio veris, quo vapores facile excitantur quod tunc Sol incipiat calorem suum augere et poros terræ multum ab hyeme humectatæ aperire, unde vapores humidos in pluviam convertit sive in ventum: Vel quia excitata exhalatio prius evanuit quam alia efflavit, ut accidit initio medio autumni, quia terra ardore Solis exsiccata est, in fine autumni solent et venti et pluviæ crescere, quia Sol in calore deficit. Quæres 3tio ibi: Incertg... Quid est Orion R. Secundum Mathem: quod sit magnum sydus cœleste et quia est magnum, in eius oriente et Occidente solent fieri magnæ tempestates per aliquot dies. Ratio Quia ejus occasus et ortus incidit in æstatis hyemisque mutationem, hoc est, quando ver in æstatem, autumnus in hyemem mutatur. Scias quod Orion in principio æstatis ante Solstitium æstivum, dum Solem in geminis Ortu Vero exoritur, quo quidem tempore cum sol maxime ferveat consumit et impedit ne ascendant vapores et proinde tranquillus est aër usque ad Ethesias. Tandem idem Orion in principio hyemis occidit. Quæres 4to Quid per prodromos intelligit Aristoteles. R. ventos partes aquilonios qui ferme decem, vel novem octo diebus secundum Plinium Ethesias præcedunt, eorumque sunt prænuncij de quibus Plinius lib. 2. c. 42 vide. Iidem venti fiunt ante Caniculam et ante Ethesias ut dictum, proptereaque vocantur prodromi. Quæres 5to. Ethesia vero post etc. Quid per Ethesias intelligendum. R. Quod Ethesiæ sunt venti Aquilonales, hoc est, ab Aquilone flantes. Dicuntur a Græco verbo Ethesiæ quasi anniversarij, nam Ethos annus significat

nus significat, & sisios annuus; Ratio hujus, quia isti venti quolibet anno certo & eodem tempore aestatis s. biduum post caniculae exortum recurrunt & flant 40 diebus, sunt saluberrimi & foecundi: Unde Ptolomeus ait: Istos ventos excitari à Jove, qui ut ipse est auctor foecunditatis & spirituum foecundorum, ita etiam hi venti foecundiores & salubriores alijs existunt. Scias quare tam longo tempore flant est duplex Opinio 1ma dicit quod in frigidis Septentrionalibus regionibus nives tunc liquescunt, qui materiam uberem durabilibus ventis suppeditant. 2da Opinio dicit quod tum vapor ob geminatum calorem & Solis & caniculae usque ad interiora terrae penetret & sic sufficientem vaporem suppeditet. Scias 2do quare tempore aestatis perflent. Sole urente & existente in Leone &c. Ratio ut ardor & Solis & caniculae temperetur & mitigetur. Scias 3tio à Strabone hos ventos vocari subsolanos hoc est Euros, à nautis somniculosos & delicatos, si quando mane tardius prodeunt ad flandum, teste Seneca. Quaeres 6tò. Quare isti venti Etesiae post Solstitium aestivum & post exortum Caniculae flant, non autem in ipso Solstitio, aut quando recessit longissime Sol. R. Quia Sol quando est proxime in ipso Solstitio prius terram virtute sua exsiccat, quam possit existere aliqua exhalatio: Tandem si longissime Sol recessit nimirum ad signa meridionalia etiam non flant. Ratio quia Sol est debilis virtutis ita ut non possit excalefacere terram, nec ea quae sunt congelata, liquefacere. Unde materia non evocatur ex qua fiant Etesiae. Igitur necesse est ut post Solstitium flent. Ratio quia jam Sol paululum recessit & calor moderatus exi[stit] ita ut aquae ad Septentrionem congelatae liquescere & dum terra tam suo quam Solis calore exsiccatur in halitum quendam se possint evertere. Quaeres 7mò Quare Etesiae interdiu flant, non vero noctu. R. Quia Sol interdiu fumos à terra elevat, noctu autem materia hisce ventis deficit, eò quod propter frigus nocturnum concreta liquescere non possunt, nam quod est concretum & congelatum & siccitatis expers nullum halitum emittit, illud autem quod est siccum, habens sibi humorem conjunctum ab eo halitum adveniens calor exsiccat. Quaeres 8vò Quaerunt autem quidam &c. Auster est oppositus Septentrioni, quare tamen Etesiae Septentrionales post aestivum Solstitium flant, Australes verò post Solstitium hyemale non flant, sed usque post Brumam idus non continenter & perpetuo, quemadmodum Septentrionales, ut propterea à Plinio vocentur constantes. Ratio dubij, quia sicut accessu Sol ad Septentrionem Etesias ventos Aquilonales excitat, ita accessu ad meridiem deberet excitare Etesias ventos Australes. R. ibi continentur enim &c. Quod etiam venti Etesiae australes contrario tempore, hoc est, post Solstitium Brumale flant, sed vocantur isti venti Leuconoti. Scias quia non perpetuò & constanter hoc est, continuo flant, ideò ignoratur & dubitatur Utrum spirent vel non. Addit Aristoteles quare Etesiae Septentrionales continuò spirent. Ratio quia Septentrionales spirant à Septentrione, quae loca quia aqua & nive abundant, quae dum Solis accessu ad Septentrionem liquescunt, materiam sufficientem Etesijs suppeditant. Addit 2do quare non in ipso Solstitio, Etesiae Septentrionales flant. Ratio quia licet Sol in ipso Solstitio proxime accessit ad Septentrionem, sed quia non diu moratur non potest tam citò liquescere nives nec ea quae sunt ad Septentrionem congelata: Unde necesse est, ut eo tempore incipiant spirare, cum paululum recessit Sol & plus habet temporis ad calefaciendum, & cum adhuc in propinquo est partibus Septentrionalibus. Hinc Scias non esse mirum quod hi venti Etesiae spirent ardentissimo tempore quo Canicula dominatur & terra ita exsiccetur, ut nullum prorsus halitum reddere queat, siquidem a Septentrione suppeditatur materia, cum sensim nives liquescunt ad quarum liquefactionem maximus aestus requiritur. Addit 3tio Aristoteles ibi: Eodemque modo &c.


Quod

Quod Ethesiæ Australes flant post Solstitium hybernum, quia etiam sunt Ethesiæ, idest, anni versari. Sed scias quod istæ Ethesiæ tria attributa habent, Imum quia sunt tardi: Rão quia usq die 70 post Solis brumalem conversionem incipiunt flare, et ideo dicuntur post brumam flare. Scias 2dô quod istæ Ethesiæ vocantur aliter Ornithiæ et Chelidoniæ a Græco verbo ... si ab avibus, paulo ante vocabantur Leuconoti Rão Ima, quia eo tempore spirant, quo aves v.g. hirundines, ciconiæ et aliæ ad nos redeunt. Rão 2da, Quia avibus procreandis maxime conferunt, ita ut aves aliquæ per sese ex venti istius afflatu ova concipiant, quæ propterea hyponemia quasi hanbuentanea Græci vocantur. 2dum attributum Quia sunt imbecilles, quia Sol ab eo loco, a quo spirare incipiunt est nimis elongatus, nam usq ad 70 diem elongatur et ideo minus virium. habet ad istos ventos excitandos. 3tium Quia sunt minores nec continenter flant. Ratio quia dum Solis sit virtus debilis, idcirco ea humiditas leviter conglaciata frigore quæ est in superficie terræ a Sole secerni tantum potest, jam autem illa quæ renascitur conglaciata cum plus caloris requirat non potest. Unde deficiente materia ventorum necesse est et ventos cessare et per exigua intervalla spirare. Addit Artes 4to Quod si venti licet spirent per intervalla spirant, tamen tantisper donec in æstivo Solstitio rursus spirent Ethesiæ. Auster flat et Nota. Aristoteles ab hoc textu incipit tractare de polo Arctico et Antarctico, item de Tropico, brumali et æstivali, item de his Zonis, item quæ terra sit habitabilis, quæ non, item quæ figura terræ sit habitabilis s. quod se habeat ad instar tympani, item quæ terræ longitudo et latitudo, item quod longitudo incipiat ab Oriente in Occidentem, latitudo a polo Arctico in Antarcticum. Sed quia ex præceptis Sphæricis intelligi possunt, illorum tractatio nunc omittitur. Scias tamen quod Aristoteles de his non frustra tractat. Ratio quia his edoctis et ostensis vult ostendere a qua parte aliquis ventus spiret.

CAPUT SEXTUM.


De Ventorum Nominibus et Proprietatibus, situ in particulari.

Quæres ibi: Nunc de eorum etc. Hoc caput Artes quomodo aggredit? Rx Quod Imô facit propositionem generalem de quo sit dicturus. 2dô Definit Horizontem, qui est circulus separans partem coeli visam a non visa. Rão hujus ut hac descriptione situs ventorum et loca cognoscant. 3tiô Supponit dogma tale v.g. ea sunt contraria loco, quæ inter se loco maxime distant, quemadmodum et ea sunt contraria quæ forma et specie differunt, ut album et nigrum: Sed ea inter se loco maxime distant, quæ media linea quæ dicitur Diameter distant, quia in circulo nulla major linea reperit, quam Diameter. Ergo quæ diametro distant ea sunt maxime loco inter se contraria. Scias hoc dogma ideo posuit Artes ut doceat eos ventos esse inter se contrarios, qui diametro inter se distant, quod ut melius intelligatur, scribatur circulus Horizontis.



Nota Quod sicut hic Horizon est divisus multipliciter habet diametraliter contraria puncta opposita. Nam A. significat æquinoctialem Occasum, B. significat æquinoctialem Ortum: Tandem linea media est, quæ hunc in recto angulo secat in qua G. ... seu Septentrionem significat. H. vero meridiem. Cæterum E. significat occasum æstivum F. significat ortum æstivum. Denique C. significat Occasum hybernum D. significat ortum hybernum. Sicut ista puncta in Horizontem divisa sunt sibi contraria, ita etiam et venti ab istis punctis flantes sunt sibi contrarii, dummodo sint diametro

diametraliter opposita. Verum iterum alia figura pro Gacre & ipsis ventis cognoscendis sen batur.



Quaeres ibi. Vocantur autem venti etc. Quomodo sic unus Ventg est alteri contrarig. R. Qui ab A. flat est contrarig ei qui à B. est enim A. aequinoctialis Occasg. B. aequinoctialis Ortus. Deinde qui flat à G est contrarius ei qui flat ab H. Tandem qui ab F flat est contrarig non ei qui flat ab E sed qui flat à C Africg. Nam F est Ortg aestivg, C vero est Occasus hybernq. Denique qui flat à D. est contrarig non ei qui flat à C. sed qui ab E. Est enim D. Ortg hybernq, E. verò Occasg Aestivg: Atq verò si venti octo sunt, qui sibi sunt contrarij & qui media linea diametraliter distincti sunt inter se. Dixi octo venti contrarij, quia dantur alij venti quibg nulli contrarij propriè esse dicuntur V. G. est Ventus ab I dictg Frascias inter Corum & Septentrionem interjectg: Item à K è Ventg dictg Aquilo s. Mesve Graeco verbo quasi medig, eo quod sit medig inter Septentrionem & Caeciā. Item flat Ventg ab L. dictg Libonotos & ab M dictg Phoeniceas: Atq si Venti si ita considerentur prout declarantur, non possunt dici propriè contrarij. Ratio quia linea qua conjunguntur propriè Diameter appellari non potest, nec etiam istis punctis I & K. Arcticg Circulg exactè determinatur, qui nobis apparet, aut L & M Antarcticg qui non apparet. Scias ergo quod potig Mezi s. Aquiloni est contrarig qui flat ab M, quia si secundum Diametrum distant, item Frasciae est ɔtrarig qui flat ab L. Nam à puncto I diametro distinguuntur. Quaeres 3tio Unde nomina sua Venti habent? R. quod à situ, à locis, à regionibg, provincijs, Civitatibg, Cardinibg s. partibg Mundi. Unde alij vocantur Orientales, Occidentales, Meridionales, Septentrionales. Omnes tamen Venti plerumq Graeca nomina habent. Scias inter Ventos hos esse Cardinales V. G. Septentrio

trio, Auster, Subsolanus, Favonius. Septentrio dicitur à Septem stellis, quia in ea parte sunt
Septem stellæ, inter quas est lucidior Tramontana à Græcis vocatur ἀπαρκτίας à τοῦ ἄρκ-
τȣ, eò quod veniat ab Arctico. Auster dicitur ab effectu suo regulari, quia solet haurire aquas
et pluvias facere à Græcis νότος quasi noxius quia nocet vegetabilibus animalibus etc. Subsolanus
dicitur quasi sub Sole natus à Græcis dicitur ἀπηλιώτης à τοῦ ἡλίου id est à Sole. Sed hæc
missa facio, quia intelligi possunt ex Calepino. Scias 2do Quod reliqui venti dicuntur Col-
laterales horum Cardinalium. Quæres 4to ibi: Causa autem cur etc. Quare à Septentrione
plures venti spirant quam à Meridie? R. Ob duas Causas. 1ma Quia nos cum simus positi ad
Septentrionem, idcirco longè plures nobis venti et distincti videntur spirare, quod habitantibus
ad Meridiem ut remotis à Septentrione non evenit. 2da Quia ad Septentrionem est longè major
copia aquæ et nivium, quibus liquefactis terra humectatur ægrè tandem humectata, dum à Sole
et proprio calore in calescit, multæ exhalationes consurgunt aptæ progenerandis ventis. Quæres
5to ibi: Sed ex ijs ventis etc. Certum est quod venti sint 12 possuntne tamen ad pauciorem nume-
rum revocari. R. Quod possunt 1mò ad 4 si tantummodo locus et situs in ventis consideretur à quo
spirant præsertim venti præcipui, ita sentiebant antiqui, ut testis Homerus Odyssea 5. et Ovidius 1.
Metamor. quibus Aristes in hoc textu annuit. 2dò ad duos vero, ad Aquilonales et Australes si tan-
tummodo similitudo qualitatum consideretur. Ratio, quia Favonij ad Aquilonales referuntur, fri-
gidiusculi enim sunt, sicut et Aquilo quia flant ab Occasu: Subsolani verò referuntur ad Au-
strales, quia sunt calidiores sicut et Australes, quia spirant ab Ortu, unde ab his partibus odores
aromata omnesque deliciæ terræ proveniunt. Ratio quia hæ partes sunt calidiores, cæteræ non item.
Quæres 6tò ibi: Calidiores etc. Quare venti sunt calidiores qui flant ab Ortu, quam qui ab occasu.
R. Quod sub Sole diutius sunt positi ij qui flant ab Ortu, et diutius calorem Solis receptum conservant
porrò ij, qui flant ab Occasu sunt frigidiores utpote quod Sol celerrimè Occidentem deserat et fre-
ad eundem veniat. Hæc ratio Aristotelis nonnullis non placet, quia est obscura et dubia: Nam Sol
ubique æqualiter movetur, nec in una parte diutius in alia brevius commoratur, itaque ab alijs 2da ratio
additur, quod Sol in Oriente habet Oceanum à quo calidiores exhalationes consurgunt, utpote quod
mare sit calidius. Ergò venti ab illa parte flant calidiores. Ratio 3tia additur quia Oceanus in O-
riente non habet montes tot, quot habet in Occidente. Ergo hic est impedimentum, ne ita facilè in
calescant vapores à radijs Solaribus, in Oriente verò nullum est impedimentum et ideò calidi flant. Quæres
7mò ibi: Cumque ita venti etc. Venimus ad proprietates Ventorum: Quæ igitur sunt proprietates seu at-
tributa ventorum. R. Quod Octo. 1ma. Contrarij venti simul spirare non possunt. Ratio, quia cum
è diametro sibi opponantur necesse est ut ambo sint aut æquè fortes, et ita se mutuò impedirent, aut unus
illorum fortior et sic debiliorem opprimet, ut flare desinat. 2da Venti qui non sunt sibi contrarij
possunt aliquando simul flare. Ratio quia sibi non opponuntur è diametro, sed ex diversis locis spi-
rant ad unum signum, unde se non impediunt. Ratio 2da quia diverso flatu spirant nempe unus
est fortior, alter debilior pro ratione et diversitate materiæ. 3tia proprietas ibi: Contrarijs verò tem-
poribus etc. Venti contrarij contrarijs temporibus maximè et plerumque spirant V.G. in æquinoctio ver-
nali spirant venti à Tropico æstivo ut Cæcias et Aquilonares qui sunt ultra Solstitium æsti-
vum positi: porrò in æquinoctio Autumnali spirant venti à Tropico Brumali ut Africus et ven-
ti Australes, qui sunt ultra Solstitium Brumale siti. Ratio horum, quia dum Sol ad ista lo-
ca accedere incipit materiam idoneam pro hisce ventis generandis excitat. 4ta proprietas

In Solsti-

In Solstitio Æstivo Favonius ab occasu, in Brumali Vulturnus ab Ortu spirat. Ratio quia Sol
tempore æstatis ad Orientem sub tempus Solstitij vapores consumit, ad Occidentem verò modico
calore afficit; Unde Favonij in Solstitio æstivo spirant: Deinde tempore hyemis ad Occidentem ob ni-
mium frigus sunt extincta exhalationes, ad Orientem verò cum sit calidior non sunt et ideo spirant
Vulturnus et Subsolani venti. Incurrunt in alios etc. 5ta proprietas. Venti Septentrionales incurrunt in
alios eosque reprimunt ac sedant. Ratio quia à locis nobis propinquis oriuntur, Unde ob parvum tractum
non debilitantur sed Virtutem integram retinent, idcircò alios opprimunt. Ratio 2da quia majori copia ex-
halationis et robustiori constant. Ratio 3tia quia ipsis facillimè materia suppeditatur ut in virtute non
deficiant, siquidem à locis nobis proximè spirant. Addit Aries; Venti Septentrionales crebriores et vehe-
mentiores spirant. Ratio quia habent sufficientiam materiæ, utpote quod spirant à locis nobis pro-
pinquis et sunt vehementiores quia de loco frigido cum spirant, habent quodammodo in unum conden-
satum vaporem. Ergò ob unitam virtutem fortius et vehementius flant. Addit 2dò Venti Septentrionales
serenitatem inducunt. Ratio quia nubes coactas et condensatas disijciunt et dissipant. Rão 2da quia
sua frigiditate poros terræ constringunt ut desit materia Ventorum. Addit 3tiò Venti Septentrio-
nales si sint nimium frigidi et non nimium vehementes serenitatem non inducunt. Rão quia vapores
in nubes condensant, non verò dissipant ut patet in Cecia, qui ob summam frigiditatem nubes cogit
unde natum est proverbium: Avaritia ad se trahit nummos, sicut Cecias nubes. Sed ventorum vicis-
situdo etc. 6ta proprietas: Motio Solis efficit ventorum inter se mutationem, ita ut post cessationem
unius alter exoriatur, qui sit eidem situ proximus. Ratio quia Sol per suum accessum elevat exha-
lationem siccam idoneam ventis generandis: Sed quia Solis est ordinata motio et continua efficitur
ut venti in regionibus sibi cohærentibus alter post alterius cessationem ordine quodam exoriatur. V. G.
sit Sol in Ortu Brumali ac Subsolanus spiret eo ad Ortum æquinoctialem procedente ille quiescit, et
Cecias qui sequitur spirabit; Cum autem Sol ad Ortum æstivum pervenerit Cecia cessante Aquilonares
spirabunt, atque ita pro varia Solis vicissitudine varia quoque erit ventorum vicissitudo. Contrarij a. etc.
7ma proprietas. Venti contrarij aliquando idem, aliquando contrarium efficiunt, idem per acci-
dens contrarium per se, quia contrariorum etiam effectus per se debent esse contrarij. V. G. Aquilo
per se frigefacit, per accidens autem calefacit: Sic Africus et Cecias ex locis contrarijs flantes
sunt humidi; Corus deinde et Vulturnus sunt sicci, quanquam Vulturnus initio siccus fuerit, post-
modum aquosus et humidus efficitur. Ratio horum, quia venti cum sint positi inter alios potest illorum
unus de alterius natura aliquid participare V. G. Africus componatur inter Favonium et Africo Au-
strum haurit à Favonio frigus ab Africo Austro humiditatem et sic de alijs. Nives maximè etc.
8va proprietas. Venti diversi producunt diversos effectus V. G. Meses et Septentrio producit nives;
Ratio, quia sunt frigidissimi. Thrascias, Septentrio et Corus grandines gignunt; quia sua frigi-
ditate stillantes guttas citò constringunt: Auster Favonius et Vulturnus caliditatem et æstum
afferunt, quia flant plerumque æstivo tempore: Cecias densiores nubes cogit, Africus tenuiores
quia Cecias in se vertitur, hoc est, quia circa terram non ad latus fertur, unde versus terram de-
clinando, quando à terra reflectitur, tunc nubes in quas incidit non propellit, sed magis retror-
sum ad locum unde flare incepit adducit, easque congregat. Ratio 2da quia communionem cum

Aquilone

Aquilone ac Vulturno habet, ex quo fit ut quia frigus est, densato aere qui exhalatus est nubes solet cogere et condensare. Scias quod venti soleant contrahere qualitates earum regionum per quas spirant V. G. Auster est calidus quia flat a meridie, quæ regio est calida; Boreas frigidus quia flat a Septentrione ubi frigiditas dominatur. Scias 2do quod omnes ferè regiones habent suos peculiares ventos V. G. Atabulus infestat Apuliam, Japix Calabriam, Syrus Syriam, Carbasus Siciliam, Detracidas Pontum. Item Scyron loca circa Athenas peculiariter infestat. Item Aquilo peculiariter juxta Corinthum tortuosè flat. Item Circius apud Narbonenses, de quo Seneca inquit. Galliam Circius infestat cui ædificia quassanti tamen incolæ gratias agunt, tanquam salubritatem Coeli sui debeant ei. Unde S. Augustinus templum illi, cum in Gallia commoraretur, vovit et dedicavit.

PARS LIBRI TERTIA

CAPUT. SEPTIMUM

De Terræ motu secundum Opinionem Veterũ.

Quæres ibi: De Terræ autem motu etc. Quomodo Aristoteles hoc caput aggreditur. R. Quod 1mo dicit, quod eadem causa sit motus quæ ventorum, nempe exhalatio calida et sicca. 2do recenset tres Opiniones Veterum seu antiquorum. Anaxagoras quidem etc. 1ma est Anaxagoræ, Clasomenij, quarum Opinio in duobus consistit. 1mò quod dicant terram ab aere sustineri, quod esset planæ figuræ, prode ut tabula ab aqua sustinetur. 2do quod licet de se tota terra sit rara, laxa et spongiosa, superior vero pars quam incolimus est densa et solida, utpote quod imbres desuper cadentes illam raritatem terræ obstruant, unde quando aer per raritatem inferioris partis intrat ad interiores concavitates terræ et cum de natura sit aeris moveri sursum, sed quia invenit bene compactam superficiem superiorem terræ propter imbres cadentes non potest exire, igitur terram commovet. Hæc Opinio Aristoteli non placet ab 4 (?) Hæc quidem sententia etc. 1ma quia Anaxagoras totum quod est supra nostram superficiem terræ putavit esse sursum, et totum quod sub ea est esse deorsum. Si enim ita esset gravia aliquando naturaliter moverentur non deorsum sed sursum, et levia quæ moventur à Centro terræ moverentur deorsum. Præsertim etc. 2da quia dixit terram esse planam, si enim plana esset, omnes ubique eundem viderent Horizontem, non alium atque alium, nec alia et alia astra quod est falsum. Ejusdemque etc. 3tia quia dixit terram ab aere et naturaliter sustineri et ab eodem violenter moveri; duo enim hæc simul consistere non possunt, quod enim alicui naturale est, nullam vim eidem infert. Præterea nihil etc. 4ta quia non reddit causam accidentium circa terræ motum. Ergo insufficiens est. Antecedens. Non enim reddit causam cur in una regione terræ motus magis fiat quam in alia. Democritus autem etc. 2da Opinio est Democriti cujus Opinio itidem in duobus consistit. 1mò Terra est aquis plena, siquidem habet in se concavitates et raritates, unde quando imbres decidunt magni, quorum aqua dum vult in concavitates illabi, nec potest recipi, tunc vi conatur irruere in concavitates. Sed prior aqua existens in concavitatibus sentiens sibi vim inferri et se stringi ac coarctari ejicit pluvialem aquam, et ita causat terræ motum. 2do quod contingit aliquando terram exsiccari in parte aliqua interiori, quæ sic exsiccata, quasi sitiens ad se attrahit aquam ex concavitatibus terræ superioribus quæ propter imbres magis repletæ sunt aquis. Aqua igitur illa magno impetu descendens ad loca inania concutit terram et commovet. Hæc Opinio non refutatur tanquam vana, quia terræ motus non tempore imbrium sed siccitatum fiunt, ut docet experientia. Anaximenes vero etc. 3tia Opinio est Anaximenis dicentis quod terræ motus fiat quando partes notabiles terræ abrumpuntur et decidunt in alias partes terræ, unde tremit terra. Partes autem terræ abrum

ta abrumpuntur dupliciter. 1mo quando est siccitas nimia et maximi calores Solis. 2do Quando sunt imbres et exundationes a quibus humectata terra gravis et ponderosa efficitur, unde necesse habet ut ab ea partes terrae abrumpantur, quarum lapsu terra concutitur et commovetur. Haec Opinio Arlis non placet ob tres causas ibi: Atqui si hoc etc. 1ma Quia terrae motus multis in locis facti sunt in quibus tamen terram initio cessisse et in se refugisse non est observatum, quod tamen facta oporteret, si partium terrae casu accidant, et praeterea multis in locis terrae motus simul debere fieret. 2da quia ista causa est insufficiens, non potest enim per illam ostendi, cur terrae motus magis in uno loco fiat, quam in alio, liceat siccitatem vel nimiam humectationem habeant, vel cur in illis locis fiat ubi siccitatis vel humectationis nulla est exuperantia. 3tia Quia sic terrae motus indies deberent esse majores et tandem aliquando totaliter deficerent. Ratio quia illae cavitates indies magis replerentur atque ita constipata terra nec in se refugeret nec partes illius disrumpi possent.

CAPUT OCTAVUM

De Terrae motus causis et accidentibus ex Sententia Arlis.

Quaeres ibi: Ita si hoc fieri etc. Hoc Caput Aristoteles de terrae motu quomodo ex sua Sententia determinat. R. Quod tria praemittit pro confirmanda sua Opinione et refutanda Antiquorum. 1mo propter exhalationem, quae a re humida et sicca excitatur fit terrae motus. Dixit a re humida et sicca nempe a terra, quia terra licet per se sit arida, tamen propter imbres madefit, quae madefacta dum calore Solis et proprio incalescit producit multos vapores. 2do ✠ Quia aliquando intra viscera totaliter haerent, si terrae superficies sit fortiter condensata et tunc fit terrae motus. 3tio Quia aliquando dividitur iste vapor ita ut una pars erumpat, ex qua fiunt venti, et altera pars intra viscera terrae remaneat et fiat terrae motus. Deinceps id de 3tio praemittit. Exhalatio pro reliquis corporibus maximam vim movendi habet. Ratio, quia longissime potest progredi, siquidem cum sit nimium tenuis potest per omnia loca discurrere et promeare. 2da, quia cum maximo impetu movetur siquidem sua celeritate nimis ferit, est autem omne vehemens illud, quod maxima celeritate fertur ut patet in virga quae celeriter admota graviter percutit, lente autem mota exiguum ictum facit, idem patet in igne, qui adhibito vento celerius urit et fertur. Quaeres 2do ibi: Non igitur aqua etc. Ex istis hypothesibus quid colligitur. R. Duo. 1mum Conclusio contra antiquos ejusmodi: Non aqua, non terra, sed ventus intra viscera terrae inclusus dum foras ob superficiem obstructam non potest erumpere efficit terrae motum. 2do Colliguntur causae terrae motus. 1mo causa materialis nempe illa pars terrae, quae hunc motum recipit. 2do Causa efficiens proxima, nempe exhalatio. Dixi proxima Quia Sol et alia astra efficiunt terrae motum, dum sua virtute exhalationes excitant sed istae causae sunt remotae. Quaeres 3tio ibi: Itaque maxima et Unde potest cognosci quod propter exhalationem intra viscera inclusam fiat terrae motus. R. ex sex signis. 1mum Quia tranquillo Coelo maxima ex parte maximi motus oriuntur. Ratio quia exhalatio intra viscera terrae detinetur, nec est causa ejus quae per aerem perturbet. Addit Arles solere habitum aliquando ita continuari, ut vel totus remaneat vel totus foras erumpat quia principii impetum consequitur, Unde si principium vaporis exit et reliquum exire necesse est. Objicies etiam flantibus ventis aliquando vapor est divisus cujus una pars remansit intra viscera terrae, altera foras exiit. Addit Arles si terrae motus fiant flantibus ventis fiunt parvi nec adeo formidabiles. Ratio quia illorum principium et causa distracta est. 2dum Signum. Quod frequentius noctu plures et majores terrae motus existunt, quam interdiu. Ratio quia noctes sunt diebus tranquilliores propter Solis absentiam a quo vapores intra terram existentes non irritantur, imo ad interiora refugiunt, quemadmodum aqua poss.

✠ Quod isti vapores producti tripliciter se habere possunt. 1mo aliquando de terrae visceribus totaliter erumpunt et fiunt venti. 2do

maris

maris refluxum intra littora refugit. Addit Arles. Terræ motus si fiant interdiu circa meridi-
em plerumque fiunt. Ratio: nam meridies est tranquillissima, quia Sol propter vim maximam halitus
consumit et in terram resolvit, cum hic halitus sit corporeus. Addit 2do Terræ motus circa aurora[m]
maxime fiunt. Ratio quia tum venti flandi initium sumunt, quam frigus quo terra propter a[b]-
sentiam Solis refrigerata est, Solis adventu coarctatur; Unde exhalationes interno calore terræ ex-
citantur, quæ si de more Euripi moveantur, terræ motum efficiunt et quidem majorem et diuturniorem.
3tium Signum ponit ibi: Præterea ijs locis &c. Maximi terræ motus fiunt in locis ad mare fluidum
positis et interris atque regionibus, quæ raritates et concavitates habent, ut in Hellesponto, Achaja, Sici-
lia in Eubæ locis fiunt vehementissimi terræ motus. Ratio quia mare in terram raram veluti per
tubos quosdam irrumpit, idcirco eam excalefacit, partim quod sit aqua marina calidior quam [illegible]
partim ex antiperistasi, unde terra excalefacta in ea generantur et resolvuntur multæ exhalationes
quæ si non habent liberum exitum terram quatiunt et commovent. 2da Quia mare ibi tantum est
fluidum, ubi est angustia loci propter quam crescit et attollitur, unde illos vapores, qui è terra [illegible]
cohibet et reprimit, qui ad interiora terræ regressi dum fortificati, iterum volunt erumpere, nec [illegible]
maris objectum et impetum possunt, idcirco terram exagitant. Et vere autem &c. 4tum Signum
terræ motus maxime fiunt vere et autumno, item temporibus siccis et pluviosis. Ratio, quia hæc tem-
pora vaporibus abundant, siquidem cum humiditate habent caliditatem attemperatam. Dixi attempe-
ratam: Nam nimia caliditas consumit vapores ut fit in æstate. Item nimia frigiditas impedit
ne fiant exhalationes, ut fit in hyeme. Porro temporibus siccis ideo fit terræ motus, quia tum aër ha-
litorum plenus est, qui si in terram impellantur, efficiunt motum. Deinde pluviosis ideo quia genita exha-
latio intra viscera terræ à pluvia præsertim si sit continua cohibetur, unde si ab angustijs loci de-
tineatur erumpit et motum efficit. Objicies Aristoteles superius dixit tranquillo tempore fieri terræ mo-
tum non pluvioso. Ergo sibi contrarius. R. Neguaquam, quia superius egit de tranquillitate quæ [illegible]
sub illud tempus dum terra movetur, cum intra viscera terræ vapor est; Hoc vero loci ait de pluvijs, [illegible]
antecedunt ipsum terræ motum. Quemadmodum et Quares. Quomodo motus terræ possit fieri à te-
pore. R. per similitudinem, sicut in corporibus nostris fit pulsus et tremor cum spiritus interceptus tales com-
motiones efficit; ita quoque in terra aliquando est tremor, aliquando est pulsus seu motus. Addit Aristoteles fre-
quenter accidere ut post emissionem urinæ in nostra corpora spiritus ab extrinseco frigidus irruat per
[ve]sicam qui postea efficit suo impetu et motum et horrorem. Addit 2do Nullus dubitet quod spiritus [sit]
fortissimus, siquidem saxa, ligna, domus evertat et arripiat. Item rigores, spasmi, nervorum distentiones
à spiritu intercepto proveniunt. Item patet in ægrotantibus potissimum in phreneticis ut interdum [illegible]
ria vincula rumpant, qualia plurimi valentes non possent. Harum a. rerum et 5tum signum tem-
poribus Aristotelis circa urbem Heracleam Ponti et in Hiera insula factus fuit terræ motus, qui non [illegible]
desijt, donec supra terram eruptione facta prodiisset, sed tamen prius terram elevaverat, instar tumoris
e poli cum sono et fragore, tandem ejecit scintillas cineremque secum rapiens, et Liparam urbem [quæ]
non procul aberrat cineribus aspersam funditus evertit, pervenitque ad nonnullas Italiæ urbes, quæ evomi-
cinerum tempore Aristotelis cernebatur. Ratio, quia motus calefacit et accendit, eam præsertim ma[teriam]
quæ accendi potest, qualis est spiritus. Flare autem ventum &c. 6tum Signum. Ventus sub terra [ces-]
set fluere, nam in quibusdam locis maritimis item in Insulis Æoli, cum Auster flaturus est ante [an-]
nuntiat, Siquidem sonus antequam de terra ventus seu vapor erumpat, excuditur. Ratio quia [ma-]
re jam ante enim erumpit et spiritum qui ex terra exire volebat, intus repellit, is vero re[pulsus]
dum movetur sonum facit, unde Austrum jam spirare incæpisse incolæ intelligunt, licet [ille necdum flare cæpisset]

tus ad

tus ad eos nondum pervenerit. Addit Arles quod terra interdum resonat absq motu, quia spi-
ritus qui intus repulsus est, habet amplitudinem et vastitatem loci. 2do. quia illius vaporis qui reperitur
est paucitas, nam si esset magna copia fieret concussio terræ. Quæres 4to ibi: Sol etiam qui ca-
liginosus etc. Danturne aliqua signa antecedentia motum. R. Quod dantur 4tuor. 1mum Sol
solet esse caliginosus, licet sint nullæ nubes in aëre a quibus caligo proveniat. Ratio quia intra
viscera terræ venti detinentur, qui aërem solent a caligine purgare. Et prima luce et 2dum Signum
ante terræ motum aër solet esse frigidus et tranquillus, frigidus ideò quia est destitutus exhalatione a qua
incalescat, tranquillus ideò, quia tota exhalatio est intra viscera terræ. Objicies Venti sunt frigidi ut
sensus testatur. Ergò non absentia sed præsentia sua frigus causat in aëre. R. Quod venti secundum suã
naturam sunt quidem calidi, sed tamen quia secum movent aërem plenum vapore frigido, idcirco no-
bis videntur esse frigidi, sicut et spiritus quem efflamus est calidus, siquidem a corde fonte caloris pro-
cedit, nobis tamen videtur esse frigidus ob aërem frigidum, quem propellit. Nam aut interdiu etc. 3tium
signum solet nubecula tenuis porrecta et longa instar lineæ rectæ apparere interdiu, vel paulò post oc-
casum sereno cœlo. Ratio quia ea ventus obscuratur propter migrationem locique mutationem, qua in
terram se recipit et aërem leviter aut omninò non propellit. Ratio hujus quia sicut in mari quando
est tranquillum propter exiguam fluctuum effusionem, tenues et recti solent fluctus apparere, ita in aëre
quando ventis vacat, nubes quæ aëris quasi fluctus est, admodum recta et tenuis apparet. Ob ea
etiam causam etc. 4tum signum circa eclipsim lunæ plerumque fiunt terræ motus quia eo tempore
est defectus caloris in terræ superficie sed frigiditas abundat, partim propter umbram, quæ interpo-
nitur inter Lunam et Solem, partim ob rores frigidos et aquas, unde pori frigiditate constricti exhala-
tiones impediunt ne exeant et ita fit terræ motus. Quæres 5to ibi: Sed cum ingens etc. Danturne
aliqua signa consequentia terræ. R. Quod dantur 3q. 1mum Terræ motus non æquali tempore du-
rat, sed aliquando per dies 40, aliquando per unum vel duos annos, idque continuè vel discontinuè.
Ratio quia intra cavernas terræ est multa copia exhalationis inclusa. Item loco sunt angusta et
stricta habentia latera solida quæ cum difficultate franguntur, unde illa exhalatio non potest citò
exire. Igitur terram tam diu concutit quousque exeat, sicut etiam si in aliquo vase fuerit multũ
aquæ et foramen quo exit sit strictum, non potest citò exire illa aqua, item sicut in corpore animalis
si ex inflammatione aliquis pulsus oriatur prius non cessat quam illa inflammatio cessaverit, ita ju-
dicandum de terræ motu. Sed ventus etc. 2dum signum Terræ motus solent secum adferre sonitus
quosdam subterraneos, qui aliquando antecedunt, aliquando consequuntur terræ motum, imò ali-
quando fiunt sine terræ motu. Ratio quia sicut aër exterior percussus ad corpus aliquod solidum et
cavum causat diversos sonos pro diversa dispositione percutientis et percussi, ita exhalatio exiens
per diversos poros terræ diversimodè dispositos et figuratos facit diversos et varios sonos, ita ut ali-
quando videatur terra mugire et alios terribiles sonitus edere. Talis autem sonus antecedit terræ mo-
tum. Ratio quia exhalatio illa tenuis est et pro sua tenuitate omnia penetrat. Quin etiam
aquæ etc. 3tium signum terræ motu plerumque inundationes et magnæ aquarum eruptiones conse-
quuntur, quia tum exhalatio erumpens aquam in superficie terræ inventam propellit, vel per
se vel per eversionem terræ. Ratio 2da Nam istas inundationes aliquando ventorũ contrarietas
efficit, nam unus aliquando ventus terram propellit, alter mare, sine objectu et resistentia prioris
venti, unde dum sic ventus magnarum vim aquarum accumulat, nec prior ventus illas repellit, ne-
cesse est ut aquæ collectæ erumpant et faciant inundationes hoc accidit in Achaja ubi aëre
tranquillo dum subitò contrarij venti flarent, nempe ab una parte Auster ab alia Aquilo, facta e
inundatio

inundatio. Fit autem inundatio propter fluctus qui à vento pelluntur, motus fit ab exhalatione.
Species autem &c. 4tum signum. Terræ motus aliquando particulares fiunt, qui parvum terræ
tractum commovent. Ratio quia ad commovendam totam terram ingens copia exhalationis
fet necessaria, quanta nunquam fuit, nisi tempore passionis Christi Domini, sed miraculosè & in
Julliani apostata mortis unde sicut siccitates & pluviæ non fiunt universaliter in tota terra
per diversas partes terræ, ita judicandum de terræ motu. Cum ergo magnus &c. 5tum signum. Ter-
ræ motus aliquando fit per modum tremoris, aliquando pulsus. Ratio tremoris, quia exhalatio dum
per cavernas currit frequenter percutit latera cavernarum & sic causat tremorem. Ratio pulsus
quia dum exhalatio non per cavernas discurrit sed sursum petit & ita propellat seu pulsat ter-
talis autem terræ motus elongè periculosior quia efficit subversiones. Unde dicit Artes, quod
pilus Fleoreus ager ac Liguria sunt funditus eversa tali motu. Quæres 6to ibi: In Insulis ver
Insulæ sunt ne obnoxiæ terræ motui? R. per divisionem quod duplices sunt Insulæ; alij pleno m
ri alluuntur & cinguntur & in illis minus & rarus terræ motus existit. Ratio quia maris vastitas
spirationes tum refrigerat, tum pondere suo cohibet & coercet. Ratio 2da Quia tales Insulæ
toto mari quo cinguntur impelli moverique non possunt. Addit quod mare non patitur terræ m
tum seu non commovetur. Ratio quia mare est fluidum, illud autem quod concutitur debet es
stabile. Ratio 2da quia vapores refrigerat & prohibet ut sursum ascendant ob defectum calo
Ratio 3tia Quia vapores non proveniunt ad subterraneam vastitatem maris, sed potius arcentu
à frigido fundo maris, potiusque ad locum angustum detruduntur. Deinde sunt aliæ Insulæ quæ con
nenti sunt finitimæ & tales frequentius terræ motibus exagitant. Ratio quia sunt pars quadā con
nentis & mare quod interjectum est propter exiguitatem nullam habet vim, nec ea potest faci
quæ magna ejus copia efficit, siquidem nec vapores refrigerat, nec cohibet ut facit in illis Insulis
quæ vasto mari alluunt. Unde Delos Insula in medio maris sita quod aliquando terræ motum sen
hoc loco prodigij habitum est. Hactenus de terræ motu.

PARS LIBRI QUARTA

CAPUT NONUM, De Fulgure et Tonitru.

Quæres ibi: De Fulgure autem &c. Quomodo Artes hoc Caput aggreditur? R. Quod duo fa
1mo proponit de quo sit dicturus nempe de fulgure, tonitru, Typhone & prestere. Ratio quia ist
4tuor eadem causa constant nempe exhalatione calida & sicca, differunt autem inter se motu, affect
nibus & effectibus. 2do Ut investiget causas & principia fulguris & tonitrui tria præmittit. 1mum ex ter-
ra & aqua calefactis à Sole duplex ascendit exhalatio. Una humida quæ est principium pluviæ &
altera sicca quæ est principium fulguris, tonitrui &c. 2dum solet aggregatum fieri ex istis duabus exha-
lationibus. Unde si sit prædominans humidum non autem siccum, tunc propter frigiditatem 2dæ regi-
onis aëris concrescit in nubem ut dictum superius. Densiorque fit &c. 3tium Nubes in media regione
äeris existens densior est in parte superiore quam in inferiore. Ratio quia pars superior mediæ regi-
onis est frigidior in partibus ejus inferioribus, quia radij reflexi minus illuc pertingere possunt, unde fri-
giditas magis condensat partem superiorem nubis, quam inferiorem. Addit Artes quia hæc pars infer
nubis est rarior, utpote quod non sit benè compacta, ideò fulmina Lunepdiæ & cætera omnia quæ c
stant ex

stant ex exhalatione sicca deorsum feruntur, licet debeant sursum ferri propter caliditatem cujus natura est sursum moveri, sicut nuclei dum intra digitos fortiter ab una parte comprimuntur exeunt per aliam quae minus comprimebatur. Quaeres 2do ibi: Profecto calor etc. Ex istis hypothesibus quid colligitur? R. Generatio tonitrui; etenim quando exhalatio calida et sicca cum vapore humido sursum elevatur, tunc pars illius subtilior in aere dispellitur, pars altera grossior in nubem intercipitur: Ubi cum a frigiditate nubis comprimitur ut suo contrario, huc et illuc per nubis concavitates discurrit allidendo ad illius latera, sed quia ex ista allisione rarefit et quasi per attenuationem major efficitur, idcirco locum majorem requirit; sed tamen quando à nube magis ac magis cogitur ejusque compressione arctius stringitur, itaque disruptis nubibus sibi summo impetu et ictu locum et viam parat, quae quidem disruptio sonitum vehementem efficit, ut disrumpi Universum videatur, unde hic sonitus vocatur tonitru. Comprobatur simili: Sicut exhalatio existens intra lignum viride, quando à calore ignis subtiliatur et resolvitur, subtiliata quaerit locum majorem et exire contendit, atque ita disrumpendo lignum vel corticem edit diversum strepitum pro diversa materiae dispositione. Addit Aristoteles quod hic strepitus ab antiquis vocabatur risus Vulcani vel Vestae ab aliis minae; idem patet in Castanea non scissa igni imposita, ubi cum exhalatio per calorem rarefit et subtiliatur exitum quaerit, ac tamen corticem cum strepitu et fragore rumpit: Ita judicandum quando exhalatio intercepta in nubem subtiliatur quaerit exitum, tandem frangit nubem et efficit sonum qui vocatur tonitru. Quaeres 3tio ibi: Varia autem etc. Multiplices et varii exaudiuntur soni sub tempus tonitrui, unde haec varietas provenit. R. Quod proveniat ex inaequalitate nubis ratione densitatis et raritatis, et propter ejusdem concavitates, etenim aliae nubes sunt frigidiores, densiores et spissiores, idcirco fortius repercutiuntur et resonant; Aliae sunt rariores, ideo debilius et remissius repercutiuntur et resonant. Scias quod tonitru est ille sonus qui in nubibus editur ex collisione et disruptione nubis facta ab exhalatione inclusa. Quaeres 4to ibi: Ventus autem etc. Sub tempus tonitrui fulgur ille qui è nube erumpit unde generatur? R. Quod generatur quando exhalatio impetuose allidit et violenter de iisdem extruditur, tandem ob illam ejectionem ex motu leviter accenditur, ea praesertim parte qua subtilis est et accensioni idonea. Unde fulgur nihil aliud est, nisi exhalatio in nube accensa, et igneo calore tincta, haec autem accensio accidit ex vehementi illius ad nubes collisione. Quaeres 5to ibi: Sequitur illud etc. Quid prius fit fulgur an vero tonitru? R. Quod tonitru prius. Ratio; quia nubes prius ab exhalatione scinditur, quae scissio efficit tonitru, postmodum exhalatio accensa egreditur, quae vocatur fulgur. Addit quod prius fulgur videatur, quam tonitru audiatur. Ratio quia visus auditu est acrior, nec tanto tempore indiget ad videndum, sicut auditus ad audiendum, ad quem tardius per medium defertur sonus. Ratio 2da, quia res visui subjectae, sunt minus corporeae et minus cum materia concretae, quam eae quae auditu percipiuntur. Illustratur simili; Tormenta quando exploduntur prius ignis videtur quam sonus auditur, item quando remiges aquam percutiunt antequam prior sonus ad aures perveniat, posterior percussio cernitur. Quaeres 6to ibi: Semperne tonitru fit cum fulgure? R. Quod non semper. Ratio, nam quando exhalatio est grossior in nubem intercepta, et accensioni recipiendae minus idonea fit tonitru sine fulgure; deinde si sit grossior et apta accensioni concipiendae, nubes quoque non resistit exhalationi discurrenti, auditur tonitru cum fulgore, deinceps si exhalatio sit apta accensioni et grossa: Nubes autem tenuis nec spissa, videtur fulgur sine tonitru. Scias illa parva fulgetra pervenire,

quando

quando exhalatio est tenuis et nubes quoque tenuis. Quaeres 7mo ibi: Antequam quid senserint circa to-
trua et fulgura. Resp. Quod circa illorum generationem est triplex opinio: 1ma Empedoclis dicentis quod fulg-
proveniat, quando ignis concipitur in nubibus ex radijs Solis, hoc est, quod radij ipsimet solares igne-
concipiant, nam eos corpora esse existimabat; Unde etiam vocabat istum ignem ingeneratum. 2da est Ana-
xagorae dicentis quod fulgur fiat quando ignis à summo aethere (quem ille ignem esse intelligebat) deor-
sum deijcitur et defertur, unde splendorem huius ignis fulgur dicebant, extinctionem verò tonitru. Hae o-
piniones Aristoteli non placent et quidem magis absurda illi videtur esse Anaxagorae ob duas causas. 1ma
quia absurdum est dicere, ignem qui naturaliter fertur sursum quod descendat deorsum, vel saltem opor-
tebat Anaxagoram illius descensus causam assignare. 2da quia non major est ratio cur ignis ille à sum-
mo aethere tempore potius nubiloso quam sereno descendat. 2dò Empedoclis opinionem refutat ibi: fi-
ta etc. duabus rationibus. 1ma Si ignis ingeneratus ut voluit Empedocles causat fulgura deberet esse actu
in nube ingeneratus. Ergo pari ratione aqua, nix, grando etc. quae exprimuntur ex nube deberent ingene-
rata existere actu in nube, nam utrorumque eadem ratio valet, quod est omnino impossibile. 2da Si ra-
dij intercepti Solis in nube fulgur efficiunt. Ergò idem efficerent in aqua et in alijs rebus similibus ubi in-
tercipiuntur nam v. g. dum aqua ab igne et Sole incalescit, tunc eius radij ab aqua intercipiuntur, post-
verò dum rursus eadem aqua densata congelatur et refrigeratur, tamen nullus iactus aut fulgur vel tonitru
exibit, cum tamen deberet secundum opinionem Empedoclis, quia si hoc fieri in nubibus concedit etiam in
rebus densioribus similibus concedat. Nota ibi: Atqui pro magnitudine etc. Refutat quod tonitru non fi-
propter extinctionem ignis in nubibus tribus rationibus. 1ma Tonitru et sonus debet habere ad ignem
proportionem; Sed non habet quia longe majus solet esse tonitru quam ignis qui in nubibus extingu-
Ergo tonitru non fit propter extinctionem ignis in nubibus. 2da ratio Quia sibi contradicunt, nam
tonitru ante in nube actu inesse statuunt, postea dicunt quod fiat propter extinctionem ignis in nu-
bibus. 3tia ratio. Extinctio ignis parva solet esse, quia tantum stridorem efficit, tonitru autem magnum
Ergò non fit propter extinctionem, imò verò si tonitru fiat propter extinctionem. Ergò nullum fulgur fieret
quia quod extinguitur, nihil de igne retinet, ut patet in titione. 3tia Opinio ibi: Sunt qui fulgur
Clydemi et aliorum antiquorum dicentium quod fulgur non sit aliquid reale sed apparens. Ratio
sicut aqua dum percutitur aliquid splendidi repraesentat: aut quando noctu micat, quod tamen non
reale: ita in nube dum vapor colliditur splendoris speciem et fulguris repraesentat, qui tamen reverà
ignis non est. Haec Opinio Arli non placet ob duas causas: 1ma ibi: Hi quidem nondum etc. Quia sunt i-
gnari scientiae Optices, quae docet quod licet aqua micet, hoc provenit ex reverberatione luminis, radiorum
Solis aut Lunae. Ratio 2da Quia iste splendor noctu magis appareret, quia diurnum lumen cum sit majus
illam reflexionem radiorum obruit et obscurat; Ac de tonitru quidem et fulgure, imò de Libro secundo
dicta sufficiant.

FÎNÎS LÎBRÎ SECVNDÎ

LIBER IIII

Hic Liber dividitur in tres partes: In 1ma agitur de Meteoris, quæ de nube vere et realiter erumpunt s. de Eknephia, Typhone, Præstere et flumine capite unico. In 2da agit de his meteoris, quæ non vere existunt, sed in nubibus propter reflexionem tantum apparent, ut sunt Halo, Iris, Virgæ, parella et similibus, quorum doctrina 3bus capitibus constabit. In 3tia agitur de lapidibus, metallis, fossilibus, quæ intra terram generantur; hæc pars unico capite constat.

PARS PRIMA

CAPUT PRIMUM

De Eknephia, Typhone, præstere et Fulmine.

Quæres ibi: De reliquis autem etc. Quare Arist: hoc caput incipit ab istis verbis: de reliquis autem etc. R. ob duas causas 1ma quia proponit de quo sit dicturus, nempe de ventis tempestuosissimis, ut sunt Eknephias, Typho etc. qui nocumenta maxima faciunt in terris vel in mari. 2da quia continuat doctrinam in ultimo cap. Lib. 2. propositam de iisdem ventis. Quæres 2do ibi: Hic enim flatus etc. Ista meteora Eknephias, Typho, Præster, fulmen quomodo generantur? R. Quod illorum communis generatio ab Aristotele præscribitur. Ratio quia ista omnia ex eadem materia constant, hoc est ex flatu seu ex exhalatione sicca, quæ intra nubem inclusa deorsum ejicitur. Unde differunt tantum varia dispositione materiæ seu exhalationis et modo quo e nube excernuntur. Scias quando exhalatio intra nubem inclusa tenuis est et sparsim per nubem diffusa et non continenter, sed per intervalla de nube ejicitur, tum si solum scindat nubem strepitus ille dicitur tonitru. Si vero contingat eum accendi, quando de nube extruditur fit fulgur. Cæterum si exhalatio ejusmodi densior sit et confestim magno impetu deorsum excernitur, vocatur Eknephias, Latine procella ad similitudinem procellarum. Addit Arist: quod hic ventus est vehemens et violentus. Ratio quia ille jactus de nubibus et ipsa celeritas motus addit ipsi vim et potentiam. Addit 2do hic ventus procella tanto major aut minor est futurus, quanto major vel minor fuerit materiæ continuæ exeuntis copia, sicut etiam tanto major fit pluvia, quanto major fuerit vaporum congregata copia. Quæres 3tio ibi: Cum vero flatus etc. De Typhone seu turbine quid sentiat? R. Quod ipsi eundem modum generationis præscribit, sicut et Eknephiæ s. quod ex nube erumpat et constet materia sicca hoc differunt, quod Typho in orbem instar Verticis fertur, Eknephias directe cum impetu. Fit ergo ita turbo s. Typho

si ventus

si vent⁹ in circuli speciem excitetur, quoniam Spirit⁹ qui ex nube excernitur in alterā nub[em] incurrit, atq ab ea ob illi⁹ densitatem refellitur et repercutitur ac ne recta quemadmodum procella [fe]ratur, prohibetur. Sic vent⁹ valide et vehementer corpora in quae incidit verberat et quatit, navig[ia] in mari evertit, arbores ab ipsis radicib⁹ evellit, domos abripit, etiam arces et moenia disturbat. [...] quia tortuosè et circulariter instar Vorticis aut turbinis cum maximo impetu movetur. Nota. [...] circa generationem Typhonis varij variè dixerunt: Quidam volunt esse compositum ex vento [A]quilonari et Australi: Quando enim Aquilo à Septentrione, Auster à meridie, concurrunt in [un]um locum, quasi mutuò contra se pugnantes, tunc causant ventum Typhonem, qui repercuss⁹ a terra [...]sila sursum reascendit et secum trahit, involvens paleas, pulverem, stramen et similia. Haec op[inio] Aristoteli non placet. Ratio quia experientia docet Typhonem solere flare in loco valdè stricto et [...] ita ut extra eum aër omninò quiescat, quando autem spirant Aquilo et Auster tota aëris re[gio ex]citatur. Addit ergo Aristoteles quomodo verè generetur turbo nimirum quando ex diversis nubib[us] vel etiam ex alia et alia parte ejusdem nubis, duae exhalationes violenter extrusae, versus terrā fe[runtur] ita ut conveniant in uno loco, in quo terram percutiunt, tum quia ambae in diversa nituntur, una [al]terum impellit, ideo per modum circuli rotantur, involvendo se ad invicem, et sursum ascendunt [...]hendo secum corpora à terra abrupta. Scias quando autem eadem exhalatio sicca eodem m[o]do deorsum dejecta propter rapidissimum motum accenditur, fit in aëre vehemens quaedam fulg[ur] quae propter accensionem Præster vocatur. Unde Scias 2dò quod Præster nihil aliud est nisi turbo a[c]cens⁹ ob rapidissimum motum, quod evenit quando spirit⁹ et vent⁹ est tenuior, et ad flammam conc[ipien]dam magis idone⁹. Scias 3tiò. Hic vent⁹ post accensionem solet adeo per aërem dissipari, ut [vide]atur aër ardere et oculi intuentium inficiantur. Quaeres 4tò ibi: Quodsi ex ipsa etc. Dictum [...] tis tempestuosissimis, fulmen autem quomodo generatur? Rx Quando exhalatio sicca, subtilis et tenuis secundum substantiam et multa secundum qualitatem in aërem sursum evolare contendit, et in ipso itinere incidit in nubem frigidam, latenb⁹ densam et crassam, ab hac excepta undiquaq confina[tur] postea verò dum collectis virib⁹ resistit, et per nubis concavitates discurrens, tandem vel motu [...] vel antiperistasi inflammatur, unde rarefacta ampliorem locum quaerens ictu vehementi in nubem [im]pingit*, eamq magno comitante strepitu disrumpit, summoq impetu ad terras delata obvia [...] transvolat, ferit, percutit, disturbat etc. Quaeres 5tò ibi: Illud quidem etc. Genera fulminum quot [ab] Aristotele recensentur? Rx Duo. Unum à Poëtis vocatur Argeta, quia nimium tenui et spir[itu]ali exhalatione constat, et prae nimia illa tenuitate non incendit, estq quasi sine accensione a[...] nio vocatur clarum fulmen. Alterum vocatur Psoloenta, quasi fuliginosum, quia licet tenui con[stet] exhalatione, minus tamen quam Argeta unde accendit. Addit Arles ibi: Ille enim et propter etc. [...] tiones quare Argeta non accendat. Rao 1ma, quia est nimium tenuis et quia summa celerit[a]te fertur, unde prius praeterit rem, in quam incidit, quam illam accendat, aut facta aliqua mora [...] urat, aut deinceps nigredine seu fuligine inficiat, prorsus nullos effect⁹ noxivos post se relinquit. [Pso]loenta verò ideò accendit, quia constat crassiori exhalatione. Nota duplicia eē corpora, Alia quae non resistunt et talia Psoloenta non accendit, quia ea praeterit utpote quod sibi non resistant sed tamen ea colore inficit vel nigro, vel fusco, vel alio. Alia sunt quae resistunt et in talib⁹ Pso[...]loenta mirabiles effect⁹ efficit. 1mò accendit. 2dò liquefacit V.G. aes, ferrum, pecuniā, [...] [con]tegitur etiam et gladium in vagina liquefacit. Ratio quia haec cum sint benè compacta et solida [...] tum ipsi fulmini resistunt. Itaq, dum circa ea moratur liquefacit. Scias quare gladium vel pecuni[am liqu...]

am liqu[...]

am liquefaciat illæsa vagina aut crumena. Ratio quia vagina et crumena sunt corpora porosa et raritates suas habent, ideirco spiritus ante defluit et proterit quod nocumentum illis aliquod afferat, utpote quod habeat liberum transitum absque resistentia. Scias 2do Quod eodem modo soleat Vestes præteriens non adurere, sed tamen proterere. Ratio quia vapor non immoratur circa vestes, cum sibi non resistant. Nota a Suida tertium genus fulminis addi, quod vocatur Skipton, cujus hi sunt effectus, ut adurat et inflammet. Ratio quia constat nimis externa et viscosa materia. Quæres 6to ibi: Quare ex his etiam &c. Fulmina quid sunt, lapis vel massa aliqua dura lapidea, vel spiritus seu vapor. R. Quod spiritus seu vapor. Probatur 1mò a sensu oculorum, quia oculi fulmen esse flammam sæpissime conspiciunt, non autem lapidem. Ergo est vapor seu spiritus. Addit Arles, quando Ephesinon templum ea nocte qua natus est Alexander Magnus conflagravit (teste Cic. lib. 2 de naa Deorum) tum flamma in multas partes dissecta in multis locis templi continua magno quodam ordine ferebatur. Atqui hoc fieri non posset si fulmen esset lapis, non autem spiritus aut vapor accensus. Addit 2do Non esse dubium quod spiritus accendatur ut manifestum ex antedictis, nam etiam in homine sub tempus febris solent spiritus accendi. Addit 3tio inde maxime posse cognosci quod fulmen sit spiritus, quia fulmen solet aliquando in magna copia disgregatum ferri sursum, deorsum, huc atque illuc variis modis discurrendo. Unde rudes homines putant quod Diabolum sevi attamen persequatur fugiente. Probatur 2do. Venti fulmina plerumque antecedunt et consequuntur. Ergo est spiritus non lapis. Addit Aristoteles, fulmen ideo non videri, quia est expers coloris. Probatur 3tio. Ea quæ fulmine tanguntur prius ventis impelluntur et commoventur, quoniam spiritus principium, cum quo fulmen conjunctum est, prius in ea incidit, quam fulmen feriat. Probat 4to Sicut se habent fulgura et tonitrua, ita et fulmina, sed tonitrua et fulgura quædam findunt non ferro ipso sed spiritu, qui e nube erumpit. Ergo et fulmina spiritu quoque findunt. Probat 5to Ab effectis venamur naturam causæ, sed fulminis effectus indicant quod fulmen sit spiritus non lapis, quia pecuniam liquefacit illæsa crumena, dolium comburit stante vino, eo quod spiritus circumducat per adustionem quandam pellem supra vinum ut non effluat, perinde ut circa coctas pultes et refrigeratas illa cutis lactea soleat apparere. Quæres 7mo Atqui videmus solet iis in locis, quæ fulmine sunt tacta lapides adustos dissimiles nostris utpote instar ferri aut æris reperire, sicut idem etiam docet Avicenna. Ergo Arlis Quinio non est sufficiens, cum nihil de iisdem lapidibus tractet. R. Quod Aristoteles est sufficiens, de iisdem a lapidibus, qui possunt aliquando cadere de nubibus, nihil egit ob duas causas. 1ma Quia rarissime simul cum fulmine in terram decidunt. Ratio 2da Quia eodem modo et ex eadem materia generantur in nubibus sicut metalla vel lapides generantur in visceribus terræ, unde quia de metallis nihil adhuc egit nec ipsi quoque agendum erat de eodem lapide fulminto.

PARS LIBRI SECUNDA

CAPUT SECUNDUM.

De Corona seu Halone.

Quæres ibi: De Corona autem et hoc Caput Aristoteles quomodo aggreditur. R. Quod duo primum facit. 1mò facit propositionem de quo sit dicturus nempe de corona, arcu, parellys et virgis. 2dò de eorundem affectionibus et proprietatibus. Ratio quia hæc omnia meteora ab iisdem causis proficiscuntur, nempe fiunt ex repercussione luminis ad nubem densiorem, quia dum cadunt radii Solis vel Lunæ vel aliorum Syderum in nubem, quæ in äere existit, hæc meteora efficiuntur. Unde non vere sed apparenter nobis videntur. Addit Aristoteles quod in isto capite agat de affectionibus dictorum Meteororum in communi.

Rao quia

Ratio quia sunt sibi cognata respectu generationis. Ratio 2da. Quia Aristotelis doctrina semper
à communibus procedit. Quæres 2do ibi: Corona quidem &c. Quæ sunt proprietates seu accidentia
Halonis. R. Tria. Corona circularis integra plerumque apparet. Dixi plerumque, quia aliquando segmen-
tum circuli apparet majus aut minus prout est materia disposita. 2do. Quia circa Solem, Lunam, et alia
sydera clariora solet apparere, sæpius tamen circa Lunam, quam circa Solem apparet. Ratio quia Sol
sua activitate potentiori dissolvit et consumit nubem. 3tio, noctu, interdiu, antemeridianis, pomeridia-
nis horis in Solis ortu et occasu solet apparere: minus tamen apparet in ortu Solis aut in occasu. Scias
Halonem vocari aream teste Seneca lib. 1. Quæst. naturalium cap. 2. Ratio quia apud Veteres terrendis fru-
gibus loca destinata fere rotunda et circularia fuerunt. Quæres 3tio ibi: Arcus autem &c. Iris quas
habet proprietates. R. Quatuor. 1ma Iris nunquam circularis apparet, nec portio ejus major appa[ret]
quam sit dimidiatus orbis. Ratio, quia si Iris esset circulus perfectus una medietas staret sub Horizon-
te et alia super et consequenter non posset apparere major vel minor quam sit semicirculus, siquidem
ad rationem Horizontis Optici soleat generari ut V. G. Quando Sol deprimitur versus Horizontem, major
portio Iridis apparet, quando vero elevatur supra Horizontem minor portio Iridis apparet. 2da Sole Ori-
ente et Occidente et circa meridiem apparet Iris. Dixi circa meridiem, quia in ipsa meridie non
apparet vel si apparet tunc certe frustulum satis exiguum. Ratio quia tunc Sol maxime exaltatus su-
pra Horizontem, unde necesse est Iridem deprimi et consumi, cum sit in ejus opposito vel certe quia Sol
cum sit nimiæ activitatis in meridie facile potest nubes consumere ne Iris appareat. 3tia post au-
tumni æquinoctium cum breviores dies sunt omni diei hora existit: Æstivis autem diebus meridie non
videtur. 4ta Plures Irides simul non fiunt, nisi duæ utræque sunt 4tuor coloribus prædita phœnicio,
viridi, purpureo et flaveo qui resultat ex phœniceo et viridi juxta se positis. Scias solere aliquan-
do plures duabus apparere Irides sed hoc rarissime fit. Addit Aristoteles ordinem colorum Iridis scilicet quod
phœniceus exteriorem locum omnia ambientem obtineat, deinde flavus sequatur, tum viridis postremo
purpureus. Addit 2do si duæ Irides appareant inverso ordine solent utræque habere colores. Quæres [illegible]
ibi: Plures autem Soles &c. Parelia et Virgæ quæ accidentia habent? R. Tria. 1mum semper
latus Solis apparent ex obliquo nec supra Solem nec juxta terram, nec è regione. Dixi juxta terram
ad differentiam Halonis. Dixi nec è regione ad differentiam Iridis, quæ semper ex adverso Soli opponitur.
2dum Parelia et Virgæ semper interdiu fiunt, non autem noctu. Scias apparuisse noctu Solem et tres
Lunas aliquando teste Cic. lib. 1 de Divin. et Plin. lib. 2. c. 32. Scias 2do quando plures Lunæ ap-
parent vocantur paraselinæ. 3tium Parelia et Virgæ Oriente Sole vel Occidente apparent et in ipso
meridie sed raro ut aliquando in Bosphoro accidit, ubi toto die duo Soles ad occasum duravere.
Scias hæc accidentia Aristoteles ideo retulit ut differentia inter ista Meteora cognoscatur. Quæres 5to ibi:
Interdiu quidem &c. An tantum interdiu fiat Iris. R. Quo circa ie est duplex Opinio. 1ma Veterum
dicentium quod tantum interdiu. Ratio quia reflexionem tantum interdiu ad Solem putabant fieri
non autem noctu ad Lunam. 2da quia rarissime fit Iris noctu et quia raro ideo eam omnino non pu-
tabant fieri noctu. Secunda Opinio Aristotelis quod soleat etiam fieri noctu licet rarissime ob duas causas.
1ma quia propter noctis tenebras impeditur quo minus appareat, siquidem ejus colores ad nigredinem
accedere videntur. 2da quia ut Iris appareat noctu multa concurrere necesse est, neque uno die men-
sis vero in plenilunio vel Oriente vel Occidente. Unde per 50 annos temporibus Aristotelis bis tantum no-
ctu apparuit. Quæres 6to ibi: Aspectum quidem &c. Quomodo fiat per reflexionem ista Meteora. R.
et declaratur 3pliciter. 1mo sicut ab aqua ab aëre condensato et ab aliis rebus quæ habent leves et
planas extremitates fit reflexio ut ipsa experientia docet. Ergo et à nube dummodo sit levis et plana pote-
rit Iris

rit Iris et alia Meteora reflecti. 2do dantur specula aliqua, in quibus non solum figura sed etiam colores repraesentantur. Item dantur aliqua in quibus tantum colores repraesentantur, sed talia solent esse adeo parva ut in partes sub sensum cadentes dividi non possint, figura autem in talibus non repraesentatur. Ratio quia talia specula sunt adeo parva ut non dividantur, modo figura cum habeat magnitudinem divisibilis est. Ergo in talibus figura non exprimitur sed colores. 3tio In speculis interdum res splendida revera talis apparet, interdum sub specie alieni coloris ob duas causas, vel quia aliquid speculi colori admiscetur, vel propter visus imbecillitatem.

CAPUT III

Quare Halo est circularis figurae?

Quaeres ibi: Primum autem et Quomodo Halo generatur? R. Quod generatur ex reflexione radiorum à vapore uniformiter in nubem aequabilem et tenuem condensata, vel etiam ab äere. Dixi ex reflexione, quia non generatur per accensionem ut alia meteora. Dixi radiorum, intellige Solis vel Lunae vel alicujus astri luminosi. Dixi à vapore condensato, quia reflexio radiorum non fit, nisi à corpore aliquo condensato. Dixi vel etiam äere; Quia Halo in äere generatur, quando directè aliquod astrum luminosum centrum nubis suis radijs percutit. Dixi uniformiter; Quia haec nubes condensata debet esse regularis, plana, uniformis. Dixi aequabilem; Ut unus color repraesentetur cum nube cujus altera pars densior, altera rarior varij colores repraesentantur. Dixi tenuem; Quia debent esse partes tenues, minutae ut Solis color absque figura appareat. Quaeres 2do ibi: Itaque vaporis et Quid prognosticat Halo? R. Tria. 1mum pluvias quando nubes neque extenuatur neque dissipatur, sed suam naturam accipit et in unum coit. Ratio, Quia ex nube fit pluvia. Ergo dum vapor non dissipatur, sed in naturam mutis condensatur, omninò debet resolvi in pluviam. 2dum Ventos, quando nubes dissipatur et disjicitur. Ratio, Quia nubium et vaporum fit à vento dissipatio, Unde licet ventus apud nos non adest, est ille jam tamen in rerum natura. Addit Aristoteles à qua parte incipit dissipari Halo ab illa venti consurgent Quia ille vapor dissipatur per aerem vertetur in ventos. 3tium Serenitatem, quando Halo consumitur. Ratio, quia vapor ab arida et ignea expiratione non est segregatus, Unde quia igneitatem in se continet et ariditate consumitur et serenitas permittitur. Quaeres 3tio ibi: Cum autem omni et Quare Halo circularis figurae est? R. Quod hoc proveniat ex incidentia luminis circulantes sese diffundentis in centro nubis. Dixi ex incidentia luminis; Quia ad circulum nihil astrum operatur cum sit in coelo. Halo verò in äere, nec etiam nubes quia nubes secundum se ad nullam figuram est determinata, unde istam circulationem factam à lumine astri tantum recipit, quod quidem lumen in quantum potest conatur effectus circulares producere similes astro circulari, à quo promaneat. Illustratur simili. Quando lapis in aquam projicitur, tunc ex illo jactu circulationes efficiuntur: Ita cogitandum quando lumen astri centrum vaporis percutit, circulus iste efficitur.

CAPUT IV

Quaeres ibi: Arcum relaoem et Certum est quod Iris fiat per reflexionem radiorum Solis à nube rorida; sed quomodo haec reflexio fiat à tam corpore tenui quaeritur. R. Quod non est mirum, quod possit à nube reflexio fieri. Ratio, quia est condensata ut ferè solidum corpus efficiat, siquidem ad talem nubem tres conditiones requiruntur. 1ma ut sit ab hac parte qua nos aspicit diaphana et translucida. Ratio ut lumen Solis imbibat. 2da ut à tergo sit opaca. Ratio ut lumen Solis imbibitum retineat ut specula imagines. 3tia ut sit rorida et humida proxima ad generandum pluviam, Ratio quia ab illa humiditate varij colores possunt resultare, sicut et à cyatho aqua pleno varij colores in terra vel in pariete refulgent quando radijs Solis percutitur. Nota quod à nube, ab aqua aere potest fieri

reflexio

reflexio radiorum Solis: à nube quod fiat jam est manifestum. Caeterum ab aëre quomodo probatur 1mò Exemplo Antipherontis Orentani, ante cujus oculos quocunque iret semper versabatur imago hominis praeeuntis, habuit enim visum debilem ut aërem condensatum in quo illa imago repraesentabatur dispellere non posset. 2dò in mari majora omnia videntur. Ratio quia in mari aër grossior et densior humidior. 3tiò Quando Luna stat vel Sol oritur vel occidit major apparet. Ratio quia tum aër grossior et densior est. Item quod reflexio fiat ab aqua certum est, non modo ab illa quae facta est, sed etiam ab illa quae incipit fieri. Quaeres 2dò ibi: Ita quoniam haec etc. Quae requiruntur ut Iris appareat. R. Haec tria ut nimirum Sol, nubes et nos simus, sed tamen ea conditione ut inter Solem et nostrum aspectum interjiciatur nubes ipsa, quam roridam dum Solis radij percutiunt in ea tanquam in speculo Iris cum suis coloribus exprimitur. Hoc quoque requiritur ut centrum Solis, centrum nubis et centrum nostri visus sint quasi in una recta linea, (alias si hoc non erit Iris non apparebit.) Addit hic Arles differentiam inter arcum et halonem quae ex antedictis colligi potest. Quaeres 3tiò ibi: Quod autem splendidum etc. Unde colores Iridis causantur? R. Quod ex varia nubis roridae dispositione nam quia alias partes habet crassiores, alias rariores, tenuiores, alias densiores, ideò causantur varii colores. Scias quod 4tuor plerumque praecipui appareant colores. 1mo Phaeniceus qui causatur quando lumen Solis commiscetur cum superiore nubis parte, quae plurimum aquae continet, nam ut regula docet album visum per atrum apparet puniceum seu phaeniceum. 2do viridis qui causatur quando lumen Solis pertingit ad crassitiem in profundo nubis positam et ejus multam humiditatem indigestam subintrat. 3tiò Purpureus, quia causatur quando lumen Solis cum vaporis multitudine et ejus umbris commiscetur, et quia hunc vaporem non sufficienter penetrat, ideò purpureum colorem facit. 4tò Flavus, qui causatur, quando phaeniceus penes viridem collocatur. Scias quod D. Basilius in Exemplis non approbat numerum colorum; nam ille tres colores tantum statuit qui Sanctissimam Trinitatem repraesentant cujus incredibili providentia omnia fiunt, et totus mundus administratur, ut sic viso arcu reflectamur ad Sanctissimam Trinitatem, siquidem eum statuit in signum foederis inter homines et Deum juxta illud: arcum meum ponam in nubibus et recordabor foederis mei vobiscum, et non erunt ultra aquae diluvij. Item Vener. Beda et Mgr dicunt, quod annis 40 ante judicium extremum non apparebit Iridis arcus. Ratio ut homines videntes sublatum signum foederis cogitent de vijs rectis et timeant quae ventura sunt. Scias 2dò. Dari plures colores Iridis sed hi sunt praecipui quos enumeravimus. Nota 3tiò Nam fere arcus etc. Ne sit alicui mirum quod colores generentur ex lumine Solis jacto in nubem, comprobat 3pliciter. 1mò circa lucernas varijs coloribus depictus circulus apparet, praesertim ijs qui sunt humidiori aspectu et imbecillo, isti autem colores generantur à lumine jacto à candela in humiditatem promanentem ab oculis commixtam cum aëre. 2dò. Cum Austri flant hyeme itidem circulus varijs coloribus apparet circa lucernas. Ratio quia frigus hyemis condensavit aërem, Auster humectavit, unde à lumine reflexo color varius exprimitur in aëre, idem videre possumus dum remus aquam percutit Sole lucente. 3tiò si quis locum cujus alteram partem Sol illustrat, altera opaca est levibus aspersionibus vel manu, vel ore, vel alio instrumento perfundat ei qui extra est guttae quae rorant coloratae quasi arcus videntur. Nota 2dò ibi: Intelligendum est enim etc. Ab hoc textu Arles iterum indicat modum quomodo diversi colores generentur in nube in qua apparet Iris. 1mò dicit phaeniceus generatur, cum res splendida per atra conspicitur. 2do niger generatur, cum aspectus longiùs extenditur et imbecillior ob distantiam ad judicandum efficitur. Ratio quia omnia quae procul absunt nigriuscula videntur, quod eo acies oculorum non perveniat, imò quae sunt remota sunt nigriora, minora et leviora, etiam et illa quae in speculis videntur. Addit hic Arles nubes si sit Soli proxima et ab aliquo aspiciatur tota candida apparebit, tamen si eadem in aqua cernatur aliquem arcus colorem prae se ferre videbitur

NB. bis

Quaeres 4

Quæres 4tò Quare in Iride Imago Solis non apparet, sicut in parellijs. R. Ideò quia nubes Iridis est rarior nec formam receptam continere potest. Ratio 2da Quia imago rei visæ non pervenit ad oculum nostrum propter refractionum multitudinem. Ratio 3tia Quia nubes Iridis est inæqualis & irregularis; Cæterum in parellijs apparet imago Solis, quia nubes est levis, æquabilis & bene continua.

CAPUT V

De Iridis proprietatibus

Quæres ibi: Arcum vero nec orbem &c. Quare Iris nunquam circularis nec major dimidia parte circuli appareat. R. Quod hujus rei est ratio allata in cap. 2. Scias posse Iridem circularem fieri, si fieret reverberatio luminis Solis à nube ad terram vel ad aliam nubem, ubi sit vapor roridus in medio, talem Iridem Joannes Franciscus Picus Mirandula Comes testatur se vidisse dum Florentiæ proficisceretur. Quæres 2dò ibi: Cur autem brevissimis &c. Quare post æquinoctium Autumnale cum dies sunt breviores omnibus horis Iris appareat. R. Quia brevioribus diebus Sol etiam meridie parum à terra & ab Horizonte elevatur. Itaque Iridis Centrum & polus non sic infra Horizontem deprimitur, ut non aliqua totius Iridis portio supra illum appareat, in longioribus verò diebus, quales sunt ab æquinoctio Verno usque ad Autumnale Sol circa meridiem maxime supra Horizontem elevatur, ita ut Iridis Centrum & polus omnino infra terram recedant, nullaque portio Iridis supra Horizontem cernatur, namque qua distantia Sol ob Horizontem elevatur, eadem Iridis Centrum & polus infra illum deprimuntur, cum sint in eadem recta linea. Quæres 4tò Quid prognosticat Iris? R. Tria. Imò Iris si meridie appareat magnam vim aquarum portendit. Ratio quia vinci non possunt vehementissimo calore Solis meridiano. 2dò Si circa Occasum appareat rorabit parum. Ratio quia nubes non multum humida & rorida. Ratio 2da Quia nubes est jam aliquomodo diurno calore Solis debilitata. 3tiò Si appareat circa Ortum Solis serenitatem promittit. Ratio, quia talis nubes ob suam debilitatem facile est dissolubilis à radijs Solis. Scias Iridem ut plerumque pluvias significare. Ratio, quia Iris causatur ex reflexione radiorum Solis ad nubem roridam & humidam, quæ est in proxima resolutione in pluviam.

CAPUT VI

De Virgis Parellijs & Paraselenis.

Quæres ibi: Duo enim Soles &c. Quomodo generantur Virgæ? R. Quod juxta doctrinam Aristotelis generantur eodem modo quo dicta meteora, nempe per reflexionem aspectus nostri à nube ad Solem. Scias quod Virgæ tum generentur, quando nubes ad latera Solis existunt discontinuæ & raræ, dum ergo Sol per istam discontinuitatem veluti per foramina radios perpendiculariter ad nos jacit virgæ efformantur. Addit 2dò Aristoteles posse Virgas etiam generari si nubes à latere existentes sint Soli proximæ & aspectus noster ab aqua vel humore aliquo reflectatur ad nubem, tum nobis apparebunt Virgæ. Addit 2dò quod in aqua nubes nobis intuentibus color nubium apparebit, licet nubes si directè aspiciantur sint sine colore; In Virgis autem color ipsarum nubium apparet. Scias quando nubes dum directè aspiciuntur sunt sine colore Ratio, quia Solis splendore occultantur, quod in aqua non evenit. Hinc colligas duo genera Virgarum, unum quod in nubibus apparet dum aquam inspicimus, alterum quod in nubibus absque inspectione aquæ apparet. Scias 2dò Ut Virgæ appareant debet esse nubes discontinua inæqualis, in uno loco densa, in alio rara, quasi foramina habens & sit parum aquosa. Quæres 2dò Solentne Virgæ coloratæ apparere? R. Quod solent, sed illum colorem à nubibus hauriunt, unde videntur rubeæ si transeant per partem nubis rubeam, videntur nigræ si transeant per partem nubis densam, quæ non est perfectè illuminata à Sole, videntur Phœniceæ virides flavæ, prout nubes & vapor est dispositus. Quæres 3tiò ibi: Parellias autem &c. Quomodo Parellia seu duo Soles generantur? R. Quando sunt duæ nubes aqueæ, densæ, crassæ & æquales, ad latera Solis posita, tum in illis imago veri Solis, tanquam in speculo exprimitur, unde apparent duo Soles vel plures, sed tamen unus est

verus,

verus, cæteri sunt imagines ipsiq. Dixi nubes aquea; ut Solis imaginem recipiat. Dixi densa; ut re-
neat imaginem, quia sicut in speculo accidit vitrum est rarum, unde recipit imaginem, quod vero à tergo
est, est densum ut retineat imaginem ita cohitandum in nube fieri. Dixi æquabilis ut colorem unum
pressæ imaginis faciat. Dixi ad latera Solis, quia si essent è regione, posset Sol vaporem consumere. Sed
tales nubes non debent etiam esse procul à Sole. Ratio, ut imaginem commodiq Solis imbibant, neq
tam nimis proxime ne consumantur à Sole. Quæres 4to ibi: Ob eamq causam &c. Quid parellia pro-
gnosticant? R. Quod pluvias. Ratio, quia talis nubes est aquea et aër ipse tum majorem vim habet
gignendam pluviam. Addit Arles si sint Austrum parellia magis sunt pronuncia pluviæ, quam si
ad Aquilonem. Addit 2do, frequentiq in occasu, vel in exortu parellia existunt. Ratio quia aër facili
in his partibq addensantur quam in meridiem: Quanquam et in meridie possunt apparere ut accidit
Bosphoro ubi per totam diem duo Soles apparuerunt. Quæres 5to Quomodo Parasellinæ generantur?
Quod eodem modo, quo plures Soles, sed rarissimè istud meteoron apparet, Parasellinæ vocantur Luna
atq hic Arles videtur concludere meteora.

PARS LIBRI TERTIA.

CAPUT SEPTIMUM.

De Mineralibus.

Quæres ibi: Quæ autem intra &c. De quo Arles tractat in isto capite? R. Quod de metallis &
liquis fossilibq quorum duo sunt genera, Alia quæ constant ex vapore humido, alia quæ ex fumo seu ex exhalatio-
ne sicca & fumida. Ratio, quia metalla & fossilia eadem materiâ constant, & eodem modo generantur ut super-
ora Meteora. Atqui pro superioribq duplex maa assignata erat nimirum alia humida, alia sicca quæ fum
halatio vocabatur. Ergo & pro istis quæ intra viscera terræ generant, assignanda est duplex maa. Addit
ex arida & sicca exhalatione fossilia generant, in quibq vis caloris & ignis prævalet & eadem excoquit, talia
duplicia; Alia quæ liquari non possunt ut sunt marmor, alabastrum & reliqui lapides sicci, qui sola vi
vis & ignis concreverunt; Alia quæ liquari possunt, ut sunt sulphur, sandaracha, ochram, & alia sunt duplicia
Alia quæ sunt pulvis tantum & arena colorata; Alia quæ constant ex hujusmodi pulvere concreto & tincto
seu sicca exhalatione ut sunt minium, cinabaris &c. Addit 2do ibi: Expirationis autem ejq &c. Quod ex vapore
mido generantur metalla quæ sunt duplicia: Alia fossilia quæ fundi possunt ob vehementem calorem, ut
plumbum; Alia ductilia, ut aurum, argentum, æs, ferrum, quia in laminas tenuissimas duci possunt. Objicies.
metalla sunt fusilia, quia omnia aqueo & humido vapore constant, quorsum ergo dicitur, quod alia sunt
silia alia ductilia. R. Quod à potiori fit denominatio, nam licet omnia constent ex vapore humido & sint
fusilia, sed quia faciliq alias possunt fundi ut stannum, alia duci ut aurum, ideò talia esse denominantur.
Quæres 2do Quot genera metallorum recensentur? R. 7. Aurum quod Jovi assignatur, argentum Lunæ,
plumbum Saturno, stannum Jovi, ferrum Marti, Veneri æs seu cuprum, argentum vivum Mercurio. Scias
hæc, ideò metalla planetis assignantur, quia colore cum Planetis conveniunt. Scias si plura metalla
aliis autoribq recenseantur ad hæc enumerata reduci possunt, à quibq tantum accidentaliter differunt. Quæres
3tiò ibi: Hæc vero omnia &c. Quare metalla non generantur in aëre ut ros & pruina, siquidem constant
ex vapore humido. R. Quia vapor iste non exivit de terra ob causam debilem evocantem, sed lapidum
siccitate intra viscera terræ congregatus & detentq concrevit & procreavit dicta metalla. Scias posse generari
metalla in aëre ex vapore humido si sit fortis causa evocans & potens illa in altum elevare, unde fre-
ter pluebat ferrum, chalybs, Avicenna testatur ænea corpora in Perside in aëre esse genita. Item quando
moses ferrea cecidit de nubibq librarum 50. Quæres 4tò ibi: Hæc quadam &c. Quid colligitur ex
dictis R. Quod materia metallorum quæ est duplex, alia remota & talis est humor humidq intra viscera
terræ

terræ inclusg maximeq in lapidibg quorum siccitate & frigiditate in unum cogitur & concrescit & in metallum vertitur; Alia proxima ut est sulphur & argentum vivum. Hinc Scias quod metalla possunt dici potestate aqua sicut actu non sint, quia resolvi in aquam possunt. Scias 2do Quod hæc difficiliq resolvuntur in aquam, quæ plq participant de terrena concretione, Unde aurum quia habet minimum siccæ & terrenæ exhalationis, propterea non facile ab igne consumitur: Cætera autem facilè consumuntur, quæ multum participant de terra. Scias 3tio Ideò sunt metalla ponderosa, quia sunt spissa & bene compacta, aurum tamen præ omnibq est ponderosum. Scias 4tò Quod metallorum causa effectiva est Sol, vel planeta alicui metallo prædominans, causa instrumentaria est calor illa excoquens; frigus verò congregans & concrescens. Et hæc dicta sufficiant de metallis atq de toto tractatu Meteororum. Et quanquam Liber 4tq supersit, sed quia angustijs temporis premimur, & quod ab Interpretibq omittatur & referatur ad Libros de Generatione, itaq ab illo prælegendo supersedeo. Hæc verò quæ dicta sunt utinam ad Dei præpotentis majorem gloriam cedant, tum quoq ad utilitatem & singulare Emolumentu Auditor Nobilissimorum.

Soli Deo sit honor & gloria in omni-
um sæculorum æter-
nitates.

Hi Libri Meteorarum dati sunt
ab Excell. Clarissoq Dno M. Alber-
to Dambrowsky Phiæ Doctore &
Professore in Almâ Academia
Cracoviensi.

QVÆSTIONES SVPRA LIBROS METHEORORVM ARISTOTELIS.

PRÆFATIO.

Occasio Quæstionis est ex lib. 1. c. 1 Meteor: Ubi omnium impressionum duplicem mæam assignat, Unam remotam, alteram propriam: Remotam enim dixit esse terram & aquam: Proximam autem dixit esse vaporem & exhalationem. Et hæc est Sententia om̃ium Philosophorum, qui mæam Meteororum in duobq halitibq constituunt, in vapore calido & humido qui dicitur atmis & in exhalatione calida & sicca, quæ dicitur anathymiasis. Est autem halitq nihil aliud nisi substantia quædam levis, quæ è corporibq gravibq, virtute caloris rarefacientis resolvitur, ut patet in aqua & terra ex quibq post pluvias, vi Solis accedente, tenues quidam & subtiles ac ignei halitq exspirant, ita patet ex nebulis, quæ à Sole tepefactæ in altum ascendunt, et resolutæ in pluviã decidunt. Contraria tamen sententia est Theophrasti Paracelsi, qui ista meteora ut imbres & ventos, etc. asserit Syderum fructq esse & sic declarat: Ut arborum poma statis temporibq enascuntur, ita & meteora certo tempore proveniunt. Confirmat etiam stellas rectè dici phialas & cucurbitas in quibq Sulphur, Sal & Mercuriq, quæ sunt materia omnium Meteororum continentur. Sed hæc Sententia falsa est, quia nec post mille annos talis materia cadere possit in terram ex aliqua fixarum stella. Pro resolutione Quæstionis sit hæc Conclusio Ima Exhalationes possunt resolvi ex substantia terræ. Est contra Platonem & Joannem Bodinum & recentiores qui negant è terra aliquos halitq extrahi obipsiq ariditatem. Sed affirmativa pars est tenenda. Et probatur à signo, quia videmq ex aquis, fontibq & lacubq exhalationes egredi. Ergo verum assertum. Antecedens, si ollæ fictiles subjiciantur ignibq, tunc calefactæ emittent ex se fumum aliquem & si diutiq torreantur etiam humorem perire necesse est. 2do probatur Si mixta sicca per se ut thura, sulphur,

piper

piper, cuminum & alia aromata habent suas expirationes, multo magis terra potest emittere e-
halationes. Probatur quia est materia terræ sicca & arida & venti aëris inde proveniunt. 3tiò fumus
proveniens ex lignis siccus & terreus est, quia fuligine sua caminos & hypocausta illinit. Ergò ma-
gis ex substantia terræ exhalatio fieri potest. Ergò terrena materia cum vapore potest in nubes re-
solvi. Conclusio 2da. Quæ sit causa efficiens Meteororum? Pro parte negante sententia est, eorum qui
ponunt ipsum ignem subterraneum, non autem Solem ut Philosophus. Ita sentit Georgius Agricola in li.
de causis subterraneis, ita Thomas Lydiatus Anglus in lib. de Origine fontium. Et Vitruvius lib. 2 cap.
Et Josephus Acosta lib. 3 cap. 24 historiæ Indicæ, qui scribunt in America ex montibus altissimis ignes
prorumpere, & sic tenet Thomas Fienus Lovaniensis qui ignes ex fundo maris emicare observavit. Ratio
est illorum, quia terra & aqua potest exhalationem immittere dupliciter, vel à supposito igne calefaciente
vel à Sole & Coelo in has terras influente. Probatur 1mum, quia ignes sub terra maximi ardent ut
montibus Ætna, Vesuvio & Hecla ex quibus immensi globi flammarum evolant. Probatur quia terra
quasi focus omnis ignis & caloris tanquam in medio consistens, ut expirare possit, veluti vas per-
trusum suis spiraculis. 2dò Probatur, quia Solis virtus non potest esse tanta, quæ ad duos circiter p.
sub transmeare potest. Ergò Sol per se non est causa Meteororum efficiens. Antecedens, quia multa
impediunt terram, quo minus agat Sol in illam ut Sylvæ & ædificia. Ad 3tium quia meteora plur.
noctu fieri possunt & hyeme revera fiunt, etiam Sole absente ex mari vapores ignei evolant. Ergò
terra & aqua fiunt meteora. Altera Sententia est communissima ipsiusque Arlis, cujus sit Conclusio talis
Sol est causa principalis & maxime Universalis omnium exhalationum. Probatur 1mò ex lib. Mete. cap.
Ubi dicit, ab igne subterraneo non nisi fontes infici saporibus & cap. 4 Ventorum exhalationem secundum
aliquam partem ostendit ab igne generari, cum tamen reipsa ventorum materia à Sole ipso excitetur, &
venti qui certis diebus ad nos redeunt, à Solis cursu dependeant. Probatur 2dò Ex materia pluviarum &
fulminum, quæ prius extracta à sole, postea per magnos calores decidit vel imbrifera vel fulminosa: Ergò
Sol est causa Efficiens horum. Consequentia patet. Quia videmus ex terra fumos subtiles aspergi
Sole fervescente, vel ex aquis nebulas ascendere, ex quibus postea imbres conficiuntur. Sic et ros matutinus
à Sole ipso resorbetur, & manna Hæbreorum Exodi 16. statim ab exiguo radio Solis calefactum tabes-
cebat. R. ad argumenta Sententiæ Negando similitudinem terræ cum animali, quia animal semper re-
spirat & ubique calet, terra autem actu ipso est calida & arida Ad 2. R. Solem sufficere etiam per Sylvas
agere, per repercussionem radiorum suorum, & illas tepefacere. Ad 3. dicimus cum Liberto Fromondo
lib. 1. Meteor. non ascendere vapores ex mari quasi Virtute attractiva Magnetica Solis ut sensit Sca-
liger in exercitio 37. Sed per dissolutionem Elementi densioris, ita ut sponte sua per suam levitatem e-
leventur. Conclusio 3tia Quis finis sit rerum Meteoreticarum? Sciendum est finem dupliciter sumi
1mò quem consequi aliquis potest. 2dò Ad quem finem aliqua res ordinatur. Unde dicitur intrinsecus &
extrinsecus. Intrinsecus finis est meteor. sicut & Elementorum, quod habeant aliquam actionem & motum,
possint alicui misto generando inservire per siccum & humidum. Extrinsecus autem est qui occasionaliter
varias affectiones in hominibus excitat. Et sic dicendum est meteora fieri aliqua ut dicantur homini-
bus nocere, id est posse nocere, sed tamen non eo fine esse facta ut noceant & hominibus datam esse pru-
dentiam ut possint imminentia mala evitare. Ultimum est de causa formali Meteororum dicere, quod ex
speciali tractatione probè intelligitur, dum de singulis secundum diversam figuram & motum localem do-
ctrina à Philosopho pertractetetur.

QVÆSTIO.

Quid sentiendum de Cometis, & quid portendere soleant?

Scriptores Antiqui ut Hermes ante Christi nativitatem circiter annos 1488 scripsit de Cometis &
alij minus quam moderni Mathematici; ut Tycho Gallileus, & noster Regiomontanus, in anno 1475 capil.

Postea

Postea Apellius, Gemma Phrisius, et Cornelius Gemma, Scaligeri, Keplerus, Snelius, Cysatus, Puteanus, Thomas Erastus et Fortunius Licetus. Vide Dico 1mò cum Philosopho 1mò Meteor. cap. 7. quod Cometes aliquando fit infra Lunam aut supra Lunam, sed praecipuè sub Luna nasci ostendit. Et ita ante expugnationem Hierosolymae (teste Josepho) apparuit Xiphias, id est, Gladiatorius Cometes. Et A°. Dni 1246 sub Ludovico Rege Francorum (teste Cantipratano lib 2. apum apparuit in modum Crucis per medium Coeli tractum, postea verò bella gravissima exorta sunt. Noto 2dò Materiam Cometarum esse halitum terrae et aquae ex exhalatione ignibus idonea, siquidem ardere conspiciuntur. Falsa igitur est Sententia Chaldaeorum Senecae Cardani, qui dixerunt Cometas esse sydera ex iis, quae sunt coeva Universo Orbi, cum tamen ex materia terrestri concrescant, et postea in cineres dissolvuntur. Noto 3tiò Forma Cometarum est adinstar figurae stellaris et lumen protendit secundum partes integrantes, secundum quas est vel Cometa, vel caudata vel barbata. Figura autem licet à longinquo videtur esse sphaerica ob distantiam remotam, quae inaequalitatem aufert, nihilominus tamen videtur esse per se rotundus cometes. Causa efficiens est Virtus Solaris, quae talem materiam Cometae sublevat in altum, et in talem figuram complicat. Finis autem Cometarum est imprimis purgatio aëris à noxiis exhalationibus. Sed praecipuè apparentia Cometarum est divini furoris et flagelli imminentis pro delictis hominum comminatio. Declaratur hoc ex sententia antiquorum et ex Plinio lib. 2. cap. 5. Ubi Cometam nullum fuisse dicit, qui malum nullum faceret, ibi Cometes terrificum magna ex parte Sydus, et non leviter expiandum ut Civili motu Octaviano Consule et Pompeii atque Caesaris bello contingit, de quo Sillius lib. 8.

Regnorum eversor, rubuit lethale Cometes.
Nunquam futilibus excanduit ignibus aether.

Probatur id ex Tacito annal. lib 24 sub Nerone Cometem apparuisse, et illi caedem denunciasse, sic apud Dionem multis Imperatoribus exitium attulisse. Et in anno 1558 Carolo IV mortem attulit. Et 1618 Caesari Matthiae primo et Archiducibus Austriae mortem accersivit. His positis fit Conclusio communissima. Cometas semper portendere infausta et tristia in Imperiis et subditis. Ista signa Coelestia ex Institutione Divina ordinantur in poenam malam hominum temporalem. Declaratur quia sicut Iris est quidem res naturalis, sed tamen habet supernaturalem Dei significationem. Et declaratur ex D. Damasceno lib. 2. de Fide Dei ibi Cometae de Imperio certis temporibus conflantur et dilabuntur, quia Deus immittit per causam Solarem, quae est concausa naturalis. Sed Deus praepotens effectum talis causae creatae ordinat et destinat ad certum finem. Ita Cardanus lib. 1 c. 1 ostendit, mortem principibus imminere, quia illi delicatius vivunt, frequentius aegrotant et ad senium inclinant, tum quia mors illorum insignior est, quam hominum plebejorum.

Utrum terra et mare idem possit esse Centrum nec ne?

Cum de mari tanquam communi aquarum confluxu agat Philosophus lib. 2 Meteor. Nunc de Centro utriusque elementi quaeritur. Pro parte negante sunt D. Thomas 1ma parte Q. 69 art. 1. ad 2. et Ambrosius Catarinus, Paulus Burgensis et Joannes Bodinus qui tenent mare altius esse omni terra, et ex eo attollere quendam gibbum in superficie dorsi sui, et ne diffundatur in terram, retineri istum aquarum humorem virtute Divina. Probatur ex locis Hieremiae cap. 5. ibi: Posuit arenam terminum mari, praeceptum sempiternum quod non praeteribit. Et Job. cap. 38. Usque huc venies et non procedes amplius et hic confringes fluctus tuos. 2dò probatur ex effusione aquae in pulveres terrae, vel ex nocturno rore ubi aqua et ros in globulos guttatim se colligit. Igitur mare non potest habere idem centrum cum terra, quia eadem est natura totius quae est et partium ejus. 3tiò Quia videmus fontes per altissima juga montium erumpere, igitur locus unde fons emicat non potest esse excelsior prima in origine aquae. Sequela, quia sic terra immersa esset aquae altiori.

4to et 5to

4to et 5to Quia constat plurimos montes objici aquæ marinæ ne aqua obruerent inferiorem ter[ram]
Ergo horum non est idem Centrum; quia Geometræ dicunt maria esse superiora tribus cubitis [quam]
ipsam terram; Ita in Ægypto mare rubrum et apud Corinthum dissuadebant perfodere Isthmum, [se]
queretur inundatio regionis. Altera est Sententia affirmans terram et mare unum habere [centrum]
quamvis terra supereminent omnem aquam, est communissima omnium Mathematicorum. Probat[ur]
habet mare alveum excavatum, ut in illo posset contineri, quamvis depressior terra littoralis cernat[ur]. 2do
Quia omnes fluvij sunt inferioribus littoribus Ideo et mare suis littoribus humilius esse videtur. 3tio Quia [sequ]
naves à portu solventes contra gibbum aquæ obluctari, et in portum nullo flatu descendere quod est [fal]
5tò Quia gutta aquæ vel pluviæ decidunt in terram ad angulos rectos. Igitur directè petunt [cen]
terræ. Plura habet Plinius lib. 2 cap. 65. R/ ad Argumenta. Ad 1mum Ideò alveum mari datum
ne se super infunderet terræ. Ad 2dum cum Fracastorio cap. 9 de antipathia dico guttas ideò colligi [in]
hispidulas, quod sic se defendant illo pumito, contra siccitatem sibi contrariam. Ad 3tium dico Quia ma[ris]
altitudo majoris non exprimit fontes in juga et cacumina montium, nam sequeretur vertices mont[ium]
aquis redundare, quod ex ijs scaturiant fontes, quod tamen aliter fiat. Ad 4tum multa loca mariti[ma]
haben scopulos littorales ut est littus in Belgio, à mari Britannico usque ad regnum Daniæ, imo [et]
ipse Oceanus aliquibus arcetur aggeribus et sic neque campi Venetorum, neque Apuliæ ullis promontorijs co[...]
contra mare Adriaticum, et tamen ibi non fiunt inundationes.

Quidnam de maris æstú sen tiendum sit?

Cum mare sit Origo omnium aquarum et salsum ideò redditur quia insolatum et percoctum acqu[irit]
salsedinem aquæ dum quod subtile erat ex ea subtrahitur in altum Virtute Solis, et quod gravius [est]
statim in fundum maris decidit, tum quia perpetuò motu mare fluctuat et agitatur. Pro resolutione D[ico]
Motum maris dupliciter considerari. 1mum naturalem, alterum violentum à vi externa impellente v[el]
trahente: Motus naturalis est, secundum quem ad loca inferiora et centro suo viciniora prono alveo [fer]
tur à Septentrione ad meridiem, qui motus dicitur æquationis, quia superficies aquæ undique coæquata [æqua]
liter à Centro gravitatis distat, nam fundus in Septentrione altior est teste Philosopho lib. 2. cap. Meteor. [Alter]
est motus maris qui dicitur librationis, qua mare semper ab uno littore ad oppositum littus commovet, [non se]
cus atque lances æquali pondere se attollunt et deprimunt, Ratio hujus est, quia flumina undique incurrant
inde ipsi venti ab uno littore ad aliud fluctationem efficiunt, quasi catenatim ex parte commota ad quiete[m]
cedendo. Dico 2do. Doctrinam æstus marini esse perdifficilem, adeò ut multi Philosophi et Historici [asserant]
Aristotelem in Euripi fretum insiluisse, quod non haberet causam illius refluxus. Sed Plutarchus scribit de Philo[sopho]
nostro quod æstum marinum retulisset in Solem et Athenas non procul dissitas fuisse à mari Ionico, et [item]
Apollodorus scribit Aristotelem anno 63 naturali morbo et debilitate stomachi ex studijs contractum, et tem[po]
re quo et Demosthenem periisse. Dico 3tio. De maris æstu plurimum dissentiebant inter se Veteres, nam Plato[ni]
ci et Joannes Keplerus quoque lib. 4 harmoniæ cap. 7. dicunt, Terram esse quasi aliquod magnum animal, quod [im]
manibus suorum pulmonum follibus aquas marinas in visceribus suis interdum recipiat inspirando, et interdum
emittat exspirando. 2da est Mathematicorum, qui dicunt Angelum esse motorem terræ ut globum illius atto[llat]
aliquot cubitis supra Centrum, et postea infra Centrum deprimat, tunc per elevationem terræ superius siccantur [p]
rima vada aquarum ob defluxum aquæ ad loca inferiora, cum autem terra deprimitur, tunc hoc tempore in[tu]
mescere et æstuare aqua marina solet. 3tia Eorum, qui dicunt Angelos esse auctores æstus marini, sed non [per]
vibrationem terræ ut supra dictum est, sed quod ipsum immediatè Elementum aquæ fundendo et revocando [...]

✠ Sequeretur mare esse profundius eo quo longius à terra recederet; Sed hoc est falsum. Ergò et illud. 4to Quia sequeretur mari[s]

maris jactationem efficiant ita Leonardus Lessias ex 16 cap. Apocalypsis probat, ubi Angelus nominat aquarum effudisse phialam super flumina. Ita Sententia est Mirandulæ lib. contra Astrologiam, qui dicebat æstum maris fieri ex naturali impetu, ut mare conjungat se alteri mari, ut hac ratione fortius in contraria sibi agere possint. Ita erat Rogerij Baconis in Epistola ad Clementem V. et hac attribuit Lunæ illis verbis: Luna præcipue operante et partim Sole rarescit mare et spiritu inflatur plurimum, quo consumpto, denuò aquæ marinæ desiscunt; Ratio est, quia sicut Sol est cor mundi et vires suas ostentat in calidis, ita Luna etiam in humidis, maxime autem dum ad plenitudinem devenit. Ita est sententia Thomæ Lidyati qui docuit in fundo maris, sicut sub aliqua olla magna, ignes bituminis ardentis accendi per quorum exhalationem debet aqua marina intumescere, et postea ex eadem causa salsedinem maris concipere. Sed quoniam istæ Sententiæ magis speciosæ sunt quam veræ, ideò his omissis ad ultimam Conclusionem accedimus. Causa principalis est æstus marini ipsa Luna, quamvis etiam Sol in partem aliquam veniant. Ita D. Thomas, D. Ambrosius, D. Basilius et omnes fere mathematici. Probatur 1mo, quia lumen Lunæ solet stimulare et attollere æstum marinum, nam in plenilunio maxime fiunt violentæ commotiones, quo tempore facies Lunæ impendens terræ lumine repletur: Deinde tempore novilunij, quando lumen Solare vicinum est Lunæ, tunc eo tempore superficiem aquæ influat, et ad æstum marinum impellit. Declaratur id, quia Luna maxime hoc efficere potest, tanquam dominatrix omnium humorum, unde signum est, qui ad Lunam non cooperto capite ambulant, in dolores acutissimos capitis ex infrigidatione cerebri incidere solet. 2do argumento probatur; Quia vis Lunæ per rarefactionem potest spiritus in fundo maris contentos evocare in superficiem aquæ, qui aquam huc et illuc inflantes solent conturbare maria, dicimus tamen quod Sol calore suo adjuvet etiam in parte quia halitus marinos irritat et molliter perfundit. Declaratur id, quia æstus tales illo tempore frequenter eveniunt, quando Sol cum Luna in eodem ordine est, nam ubi à se plurimum distant quadraturis tunc hoc tempore æstus marini conquiescunt. Confirmatur exemplo Taubleri, qui in oratione sua de S. Joanne profunditatem principij æstus marini confert cum fundo animæ, in quo Deus gloriosus inhabitat. His verbis: Ad hunc fundum non mille milliarium vires attingere nequeunt et hic fundus tendit in abyssum, in quo est habitatio Dei, multo verius dicam, quam in Coelo et in omnibus Creaturis. Cui Creatori omnium rerum sit laus et gloria in omnem perpetuitatem. Amen.

Has Exercitationes Admodum Reverendus Clarissimus Dnus Adamus Draszky Professor Regius in Almâ Universitate Cracoviensi tradidit

x

Auxilio Divino.

In Libros de Generatione et Corrupti,,one Aristotelis

Præfatio Brevis.

Hominem naturæ compendium post cognitionem et cultum præstantis æternæq naturæ DEI O. M. permulta naturæ arcana abdita et retrusa ad sui cognitionem planam, plenam, perspicuam et ordinatam invitant et alliciunt utpote quorum accuratâ notitiâ non tantum mens humana recreat, exhilarat, verum etiam excolit, alitur, ornatur et perficit. Proinde Cicero naturæ consi,,derationem et contemplationem animorum et ingeniorum pabulum appellat. Alterantium porrò mutationum successio admiranda varia atq multiplex vicissitudo causæq mutationum pertinent ad cognitionem naturæ, cujs artificium & solertiam, nulla Ars, nulla manus, nemo opifex consequi potest imitando Tullio teste. Ejusmodi mutationes et præcipuas nascentium interiuntiumq corporum affectiones affectiones solers naturæ speculator, venator et interpres Aristoteles, in Libris duobs de ortu et interitu rerum naturalium accuratè pertractat: servata certâ viâ & ratione adhibitisq Logicæ mentis humanæ directricis, artificiis quæ in contextibs DEO conantibs non ignavis benedicente monstrabuntur, declarabunt & declarata dictabunt. Iisdem Artificiis adjungent quæstiones controversæ et Problemata Physica quorum ferax est doctrina de ortu & interitu rerum naturalium. Primo verò servata Academiarum consvetudine perantiqua, facis instar præmittenda sunt Prælegomena seu generalia præcognita De ratione inscriptionis, de scopo, de subjecto, ordine et loco Librorum: De præstantia, necessitate, utilitate, jucunditate, difficultate atq certitudine doctrinæ, de oeconomia Librorum, de præcipuis Locis communibs qui sunt fontes omnium documentorum de Generatione et Corruptione rerum naturalium.

Præcognitum Primum De Ratione Inscriptio,,nis.

Inscriptiones Librorum Aristotelis secundum Doctrinam Commentatorum sumuntur vel ab omnibs rebs quæ pertractant in aliquo Libro, vel à majore rerum consideratarum parte, vel à præcipuis ... rebs quarum Doctrina in Libro tradit, et ejsmodi sunt inscriptiones Librorum de Anima de coelo et de meteoris. Deniq sumunt inscriptiones Librorum Aristot ab ordine rerum ut libri methaphy,,sicorum in quibs Doctrina earum rerum tradit quæ transnaturales possunt appellari. Inscriptio porro

porrò Librorum de Generatione et corruptione sumpta est ab eo quod in illis Libris præcipuum habet̃ de mutatione nimirùm Substantiali quæ comparata cum accidentariis mutationibus, majorem longè habet præstantiam quàm quævis accidentariæ mutationes cuiusmodi sunt accretio, diminutio, alteratio.

Præcognitum Secundum
De
Scopo seu Instituto.

Scopus ad quem omnia quæ in Libris in Ortu et interitu pertractant̃, sunt referenda, non alius est quàm tradere accuratam seu Acroamaticam Doctrinam de communibus corporum dissolubilium et caducorùm mutationibus. Hunc scopum Philosophus ipsemet initio capitis primi de ortu inquiens & interitu eorum quæ naturà gignunt̃ intereuntque universim de omnibus, tum causas, tum rationes eorum distinguendo dicamus oportet. Præterea quid Accretio, quid Alteratio, et quæ agendi & patiendi Principia. Huic Doctrinæ de Scopo adjungit̃ causa impellens tum intra et extra. Internam causam impellentem docent commentatores esse tum defectum naturæ humanæ post lapsum, tum naturale sciendi desiderium. De Effectu loquit̃ Philosophus 7 Polit. Omnis inquiens, omnisque Disciplina implere vult id quod deest naturæ. Desiderii sciendi insiti facit mentionem Philosophus initio metaphysicorum: homines, inquiens scire per naturam desiderant. Cicero quoque 3 de Finibus de innato sciendi desiderio eleganter loquitur: Innatum, inquiens, esse omnibus cognitionis amorem ut nemo dubitet quin ad eum humana natura rapiatur nullo invitata emolumento. Denique causa externa impellens sunt mutationes permultæ quarum causæ investigandæ erant et posteritas cui prodesse voluit commodi Publici promotor Aristoteles. Cicero quoque in Oratione pro Sestio: Præsentes, inquit, fructus negligamus, posteritati & gloriæ serviamus. Quod si quis quærat: An hoc opus de Generatione et corruptione sit proprium Aristotelis? cognoscet ex consensione omnium Autorum, et methodo traditæ doctrinæ et ex stylo. Consensio etiam omnium Autorum, Græcorum, Latinorùm et Arabum confirmat id opus esse Aristotelis. Methodus quoque Servata in disputationibus inque rerum scientia dignarùm explicationibus, tum stylus brevis, acutus, frugalis, pressus, compactus, cuiusmodi stylus copia ad brevitatem contrahit adeò ut obscura videat̃ quæ nihilominus non tam explanata confusè quàm enumerata est concisè ideòque videt̃ subtilis.

Præcognitum Tertium
De subjecto adæquato Librorum de Generatione & Corruptione.
An corpus dissolubile et caducum sit Objectum Adæquatum Librorum de Generatione & Corruptione, necne?

Hoc

Hoc tertium præcognitum est controversum. Imprimis Sententiæ Authorum sunt referendæ, deinde po-
nenda certa documenta de Subjecto, postmodum erit conclusio argumentis confirmanda et idem corollaria
adaugenda. Quoad 1mum. Prima Sententia est permultorum qui Subjectum Librorum de Generatione
dicunt esse Generationem et corruptionem. Ratio: Aristoteles initio Libri primi de Generatione, propo-
situm sibi esse inquit de Generatione et corruptione disserere. Ergo Generatio et Corruptio est Subjectum Li-
brorum. Sed hæc sententia confundit subjectum cum affectionibus et accidentibus distinctis à Subjecto. Pro-
inde licet scopus Philosophi sit in his Libris explicatio mutationum communium, seu generationis interi-
tus, augmentationis et alterationis, non tamen hæ mutationes possunt appellari Subjectum. Sententia
Secunda est Alberti Magni, quem tuentur Averroes, Alexander, Flaminius Subjectum nimirum horum
Librorum esse corpus simplex seu Elementum prout mobile ad Formam Substantialem vel Accidentariam
in re ipsa quam denominat receptam. Confirmat hanc sententiam doctrina Aristotelis qui Libro de
Sensu & Sensili cap. 4. appellat corpus simplex mobile ad Formam commentatione de Elementis. Sed hujus
Sententiæ Autores statuunt Subjectum primarium pro adæquato. Sententia Tertia est eorum qui Sub-
jectum Librorum de ortu & interitu asserunt esse corpus mistum cui propriè conveniunt communes mu-
tationes quæ in Libris de ortu et interitu explanantur, intelligunt verò nomine corporis mixti: meteora, fos-
silia, animalia, plantas. Sententia Quarta est communis Peripatetica D. Thomæ, Ægidii, Marsilii, Pau-
li Veneti, Zabarellæ, Subjectum nimirum adæquatum Librorum de Generat. et Corrup. esse corpus dis-
solubile seu caducum non ut Generationem Substantialem duntaxat sed ut alia communium mutatio-
num genera subire potest Accretionem nimirum, Diminutionem, Alterationem, mistionem, motu
Locali excepto, de quo prout corporibus simplicibus convenit disseruit Philosophus in Libris de coelo: pro-
ut animantibus, in Libris de incessu Animalium & de motu, prout verò mistis Animæ expertibus
accommodatur nulla est peculiaris doctrina; de illo enim talia mista ut et facultate prædominan-
tis Elementi motu Locali secundum naturam feruntur. Et hæc ultima Sententia est defendenda.
PRÆCOGNITUM 1mum: Nomine Subjecti non est intelligenda res quæcunque in doctrina de ortu &
interitu considerata; sed propriè illud Subjectum Librorum de Generatione & Corruptione est dicen-
dum quod à communibus accidentibus, ejusmodi sunt: Augmentatio, Diminutio, est distinctum, quodque est
sustentaculum communium mutationum. In Scientia enim contemplatrice in qualibet parte illius hæc
tria sunt discriminata: Subjectum, Principia Subjecti una cum causis, et Accidentia seu Affecti-
ones quæ Subjecto insunt per causas, et de Subjecto demonstrantur per easdem causas. Hæc tria qui Autorum
non dist.

non distinguunt Principia vel Passiones pro Subjecto ponunt non sine confusione & errore. PRÆCOGNITUM 2dum: Subjectum recentiores Physici triplex ponunt; Subjectum nimirum Informationis, Subjectum Operationis seu Usus et Subjectum Tractationis seu explicationis. SUBJECTUM INFORMATIONIS docent esse intellectum humanum qui cognitione exacta Subjecti perficitur v.g. accurata Doctrina omnium quæ continent Libri de Generatione et corruptione. SUBJECTUM OPERATIONIS seu USUS appellant omne id cui potest applicari Doctrina v.g. de Ortu et interitu applicatur verò et sacra doctrinæ et Arti medendi ut infra dicetur in præcognito de utilitate hujus Doctrinæ. SUBJECTUM TRACTATIONIS seu EXPLICATIONIS appellant illud quod in aliqua disciplina est fundamentum & fons omnium Præceptorum quæ sunt de Principiis, de affectionibus Subjecti deque Speciebus. Ejusmodi Subjectum Scholastici dividunt in adæquatum quodque latè patet atque ipsamet Scientia, in Primarium seu Principale, in Subjectum Dignitatis quo nullum dignius in disciplina, et in Subjectum Partiale. De materiali et de formali ratione Subjecti dicetur corollariis. PRÆCOGNITUM 3tium: Gradus corporum naturalium tres statuunt Physici. Primum gradum eorum ponunt quæ Aristoteles appellat æterna secundum se tota et secundum partes nulli mutationi obnoxia cujusmodi sunt corpora coelestia. Secundum Gradum statuunt corporum simplicium quæ secundum partes generantur et intereunt, secundum verò suam integritatem manent cujusmodi sunt 4tuor Elementa quæ secundum suam integritatem permanent semper. Tertium Gradum statuunt mixtorum quæ singula tam secundum partes quam secundum se tota generantur et intereunt. Ex hoc præcognito facilè quisque colliget quid intelligendum sit nomine corporis dissolubilis seu caduci. Huic præcognito adjungitur documentum de Qualitatibus Elementorum de quibus Libro 2 de Generatione ut constet ratio secundum quam Elementum est Subjectum dignitatis Librorum de ortu & interitu. Duplices igitur Elementis attribuunt Qualitates Physici motrices nimirum, cujusmodi est gravitas et Levitas, et alteratrices cujusmodi sunt calidum, frigidum, humidum et siccum. Proinde duplex quoque est consideratio Elementorum in Physica naturali. 1ma est dum Elementa considerantur ut partes universi è quibus constat mundus qui est Systema seu coagmentatio coeli, Elementorum et earum rerum quæ ibi continentur. Secundum hanc considerationem disserit Philosophus de Elementis in Libris de coelo tanquam de Speciebus corporis naturalis. 2da consideratio est dum considerantur ut sunt prædita qualitatibus alteratricibus et proxima corporis misti materia non secundum se tota; sed secundum partes, secundum quas agunt & patiuntur interventu primarum qualitatum. Nonnulli considerationem Elementorum dicunt esse in Libris de ortu & interitu pro

interitu prout non solum ipsa gignunt et occidunt, verum etiam aliis corporibus quae eorum permistione constant nascendi et intereundi vices tribuunt. Patet igitur secundum quam considerationem disserit de Elementis in Libris de Ortu et interitu; sed jam ponitur ejusmodi conclusio Librorum de Ortu et Interitu subjectum Adaequatum est corpus dissolubile seu caducum quod comprehendit Elementa et omnia mista perfecta et imperfecta. Probatur Conclusio: Quod est sustentaculum et fundamentum communium mutationum quae in libris de Generatione et Corruptione pertractant, id est subjectum adaequatum Librorum de Generatione et corruptione. Sed corpus dissolubile est sustentaculum et fundamentum communium mutationum quae in Libris de Generatione et Corruptione pertractant. Ergo Corpus Dissolubile est adaequatum subjectum Librorum de Generatione et corruptione. Minor Propositio: Corpus dissolubile quod in conclusione est declaratum tam mutationes Substantiales quam mutationes accidentarias communes subit. Ergo corpus dissolubile est sustentaculum et fundamentum communium mutationum quae in libris de ortu et interitu pertractant. Secunda Ratio: A quo habet unitatem doctrina Librorum de generatione et corruptione tum distinctionem a doctrina aliorum librorum F de Generatione et Corruptione. Sed a corpore dissolubili habet unitatem et distinctionem doctrina Librorum de Generatione et Corruptione ut patet consideranti doctrinam librorum vel de Coelo vel de meteoris vel de corporibus Animalis. Tertia Ratio: Ex ordine servato in philosophia naturali Aristotelis. Absoluta doctrina de corpore simplici aeterno, ejusmodi est coelum secundum rationem ordinis considerandum fuit corpus dissolubile cujus cognitio praecedit alias species corporis naturalis. Ergo Corpus dissolubile est subjectum adaequatum Librorum de Generatione & Corruptione. OBIECTIO contra Conclusionem: Scientia est aeternorum immutabilium et aliter se non habentium ut est pronunciatum Philosophi primo de posteriori Analysi. Sed corpori dissolubili haec non conveniunt. Ergo Illius non est Scientia; consequenter non erit Subjectum Doctrinae Acroomaticae Librorum de Ortu et interitu. Minoris Probatio ex ipso nomine dissolubilis patet. Respondendum ad minorem: Dissolubile quoad individuum et proprietates individuantes non habet illas conditiones quas debet habere res de qua est Scientia, nihilominus dissolubile ut est mente abjunctum ab individuis dissolubilibus illisque convenit dum sunt in conspectu, habet immutabilitatem. Scholastici docent quod rationem specificam & proprietates spe

F v. g. ~~Inter~~ coelum, de meteoris, de corporibus Animalis, illud est subjectum adaequatum librorum de Generat. etc.

proprietates specificas corpus dissolubile ēē immutabile non quo ad Subjectum singulare et proprietates individuantes seu charactersticas. Sequit Corollarium primum: materiale hujs Subjecti adæquati seu res considerata est corps dissolubile seu Substantia composita ex materiā horum infinitorum et Formā. Formale verò seu mods considerandi quatens habet talem naturam ut sit obnoxium communibs mutationibs, de quibs in Libris de Ortu et interitū. Sequit Corollarium secundum: Materiale hujs Subjecti adæquati convenit cum materiali Subjecti Physicæ generalis & Specialis, fortè vero est contractum ad corps dissolubile quod in his Libris consideraṫ ut Subjectum adæquatum. Deniq Sententia m Alberti potest defendi si intelligatur Subjectum partiale dignitatis quod in præcognitis est declaratum; non verò adæquatum. Tertia quoq Sententia potest defendi si Subjectum primarium seu Principale intelligaṫ. Absolute verò communis Sententia est defendenda. Ꝑ.

Præcognitum Quartum.

De Loco Librorum deq methodo seu ordine Doctrinæ.

Omnes Commentatores docent Libros de Ortū et Interitū habere locum inter libros de cœlo & Libros de mœteoris. Ratio In Libris etiam de cœlo consideranṫ præstantissima corporis naturalis species et Elementa ut sunt partes universi. In Libris verò de mœteoris consideranṫ mista quæ citò oriunṫ citò quoq intereunt. Ergo Libri de Generatione in quibus communes mutationes quæ conveniunt mistis imperfectis et perfectis consideranṫ habent locum inter Libros de cœlo et de mœteoris. Quod si quis Obiiciat: Qualitates alteratrices priores esse qualitatibs motricibus utpote cum levitas oriatur à calore, gravitas à frigore. Ergo Primo consideranda erant Elementa ut sunt prædita qualitatibus alteratricibus non vero qualitatibs motricibs, quod non est servatum à Philosopho. Respondent commentatores ordinem et artificiosam structuram à Subjectis, non ab Accidentibs sumere Aristotelem. Præterea in declarandis qualitatibs Aristoteles non ordinem doctrinæ accuratæ; sed melioris et facilioris cognitionis est secutus. Quo ad ordinem Doctrinæ, is duplex est: Generalis et Specialis. Generalis methods est Synthetica quā contemplatricium disciplinarum partes disponunṫ facto initio à contemplatione Subjecti, progress verò hujs methodi quemadmodum et Analyticorum est à generalibs ad Specialia, à notioribs ad ignotiora. Methods quoq Specialis in capitibs est observanda in quibs vel disputat Philosophs vel naturam mutationum communium declarat. Huic præcognito quarto adjungiṫ Problema breve ejsmodi: An nimirum Libri de Ortu et interitū rerum naturalium sint Acroomatici, ne ne? Libros Acroomaticos Aristotelis Scholastici appellant qui retrusam et Subtilem doctrinam continent, et qui majori studio

studio attentioneque audiendi sunt et accuratè enarrandi. Idem in ejusmodi Libris est accurata vocum et terminorum ambiguorum distinctio, sunt proxima genera, definitiones essentiales, causæ proximæ, propria accidentia, partes, diversa et opposita, non Ethymologiarum allusiones, non remota genera, non descriptiones, non causæ remotæ impellentes et moventes, non circumstantiæ Loci et Temporis, non similia et dissimilia, non comparationes, non antithesæs, nec duntaxat testimonia humana et exempla. quæ artificia appellant exoterica seu popularia. Præterea in ejusmodi Libris sunt quæstiones Acroomaticæ quæ ex natura extremorum à sensibus evinctorum habent cognitionis lucem v.g. An in corruptione rerum naturalium fiat resolutio usque ad materiam primam nec ne? Sunt denique Acroamatica quæ res rerumque naturas nudè signant sine ullo ornatu oratorio. Itaque Libri de ortu et interitu sunt Acroamatici utpote in quibus et artificia et quæstiones et verba sunt Acroamatica. Græci quoque, Arabes et Latini appellant hos Libros Acroamaticos. Quod si quis Obiiciat: Octo Physicorum Libros appellari Acroamaticos ut illorum inscriptio Græca mostrat peritis Physicis acronzos idem de Physica auscultatione. R. Appellari octo Libros Physicorum Acroamaticos 1° Quia Principia naturalis philosophiæ continent; appellari postmodum 2° et Libros Acroamaticos in quibus accurata scribendi ratio servatur quæ consistit in artificiis Acroamaticis quæstionibus, terminis et vocibus.

Præcognitum Quintum.

De Præstantia, Necessitate, Utilitate, Amœnitate et Difficultate Doctrinæ de ortu et interitu rerum naturalium.

PRÆSTANTIA Doctrinæ de communibus mutationibus Physicis ex fine est colligenda; Finis verò summus est cognitio et cultus Authoris naturæ qui incommutabilis semper manet, et omnia pro Arbitrio in tempore mutare potest; eoque movent mutationes veræ Physicæ Studiosum ut aspiret ad illam Patriam, quæ nec injuria temporis carpitur nec alternarum successione mutationum turbatur, in qua Sol est sine occasu et sine ortu, perpetuitas sine momentis, quies sine labore. NECESSITAS Doctrinæ manifesta est cum pertineat ad integritatem Philosophiæ naturalis, proinde in cursu Philosophico permultæ quæstiones proponuntur quæ pertinent ad doctrinam de Generatione et corruptione rerum naturalium. UTILITAS Doctrinæ consideranda est tum ratione mentis humanæ, tum ratione facultatum seu disciplinarum supremarum; rationem etiam humanam hæc Doctrina excolit et perficit inservitque Sacræ Doctrinæ ad declarationem rerum Divinarum subtilissimarum Generationis v.g. in divinis regenerationis et omnis transmutationis quæ fit ratione causæ. In Jurisprudentia quoque usus est doctrinæ hujus ut legum civilium mutationes, civilis status vicissitudines, imperiorum ortus et subita ruina ex mutationibus Physicis plenè intelligatur. Magna quoque pars Artis medendi ex hac doctrina promanavit. CERTITUDO DOCTRINÆ hujus

dependet sive

dependet et promanavit. Certitudo Doctrinæ hujs pendet à subjecto universali et proprietatibꝫ specificis, non etiam de hoc corpore quod interit hoc tempore et in hoc loco; sed de specie et re universali quæ appellantur propositiones mente abjunctæ à rebꝫ singulis quæ mutantur quædum sunt in conspectu iisdem conveniunt. Amœnitas præterea magna est à qua mens humana perfunditur dum cognoscens scit tot naturæ mutationes tanquam alicujs Euripi æstꝫ et reciprocationes et causas mutationum. DIFFICULTATEM deniq. hujs Doctrinæ monstrant tot quæstiones controversæ et documenta recondita, nihilominus cogitandum Aristotelis x metaphy. c.2. sapientis proprium esse scire non quævis, sed quæ sunt homini difficilia.

PRÆCOGNITUM SEXTUM.

De

Oeconomia Librorum.

Duo Libri conscripti sunt ab Aristotele de communibꝫ mutationibus Physicis ~~Substantialibus~~ substantialibꝫ & accidentariis. In 1mo refertur natura Generationis in communi una cum mutationibus accidentariis cum accretione nimirum et diminutione; cum nutritione et alteratione cum contactu Physico, Actione et Passione Physica, cum mistibili et mistione quibꝫ rebꝫ conveniat et quo pacto dari possit. In 2do Libro disserit Philosophꝫ de Elementorum mutatione et subeunt vim transmutationis physicæ secundum partes, tum de causa Generali efficiente ortꝫ et interitus rerum naturalium. His adjungetur doctrina de Generatione misti et viventium deq. putrefactione seu corruptione misti et de Temperamentis.

PRÆCOGNITUM SEPTIMUM.

De

Locis communibus doctrinæ de Generatione et Corrup.

Loci communes cuiqꝫ Disciplinæ imprimis probè sunt pernoscendi ut qui oleum et operam in discendo non perdit videat quid in disciplina sit primum, quid medium, quid ultimum, quid primarium, quid in postremis habendum ut quæ varia et multiplicia documenta quæstiones et controversias ad pauca certaq. capita tanquam ad proprios fontes reducat. Deniq. ut quæ sit Disciplinæ cui operam navat summam certâ viâ et ratione teneat, id est cognitiones suas intra certas metas contineat et ad eam dirigat quod fit dum totius Doctrinæ imaginem menti suæ impressam intuetur, deq. omnibꝫ partibꝫ doctrinæ judicat, rerum cohærentium et dissidentium Analogiam advertit ad usumq. quæ didicit transferre novit quia ad propositum scopum collimare novit. Sunt vero Loci communes doctrinæ de communibꝫ mutationibꝫ istis Generatio substantialis, Corruptio, Augmentatio, Diminutio, Nutritio seu aggeneratio, Alteratio, contactꝫ Physicꝫ, Actio Passio Physica, reactio, repassio, mistio et Elementorum in misto remanentia

remanentia, misti generatio, putrefactio, viventium generatio, temperamentum, Elementorum mutua generatio ratione partium, causa generalis efficiens, ortus et interitus rerum naturalium. Sub his Locis communibus quicquid praeclarum est apud Autores, ponendum est qui sunt memoriae repraesentaticae et ostendunt quae eruditionis opes et qui thesauri sint parati.

Praecognitum Octavum.
De
Methodo explanandae Doctrinae Aristotelicae.

2dum. Tria in explicatione contextuum sunt notanda. 1mum Artificia quibus utitur Philosophus, 2um aphorismi seu pronunciata praecipua ex singulis capitibus excerpta quorum usus est in disputationibus, in communi eloquio et scribendo; prompta etenim et oportuna citatio ejusmodi pronunciatorum dictis sententiisque nostrae conciliat fidem et Autoritatem estque testis eruditionis et ingenii exculti. 3tium Quaestiones et Problemata quae è contextibus possunt erui, notanda sunt in qua methodo et ratio cursus Analytici et hujus qui est usitatus consistit.

Liber Primus hujus Opusculi.
De Generatione et Corruptione

Liber Primus de Generatione et corruptione rerum naturalium commodè potest dividi in quatuor Partes. In 1ma est Doctrina veterum Physicorum et Aristotelis de Generationis natura deque illius discrimine ab alteratione. In 2da parte disserit Philosophus de accretione seu augmentatione, diminutione, nutritione et alteratione. In 3tia modum Actionis Physicae antiquis ignoratum declarat; tum de contactu Physico, de Actione et Passione ait. In 4ta parte Libri mistionis documenta ponit et quae sint miscibilia docet. Huic doctrinae libri primi adjungentur documenta de generatione misti deque putrefactione seu corruptione misti et de temperamentis. Et haec prolegomena seu praecognita Librorum de ortu et Interitu sunt tanquam statuae mercuriales quae monstrant quo et qua eundum seu quid sit initium progressus et exitus doctrinae de communibus mutationibus Physicis, quae corporibus dissolubilibus et caducis conveniunt.

Caput Primum
De
Generatione secundum Veterum Physicorum Sententiam deque discrimine generationis ab Alteratione.

Pars Libri Prima in quâ veterum Sententiis de Generatione enumeratis et confutatis, docet quid Generatio Substantialis sit et quomodo differat ab accidentariis mutationibus idque in capite tertio. In duobus prioribus theoriam veterum de Generatione et Corruptione refert, et qui sint errores in illa mōstrat.

De

1 De generatione autem etc. Incipit veterum sententias enumerare, monstrato doctrinæ de Gener. scopo, de quo dictum in præcognito secundo. Imprimis vero docet quod unum principium ponebant aquam nimirum et ignem, non potuisse ponere discrimen inter generationem et alterationem, qui verò plura ponebant Principia, potuisse discriminare generationem ab alteratione. Tum inculcat Anaxagoram et Empedoclem suam in philosophia vocem ignorasse. Philoponus dicit vocem suam ignorare Anaxagoram et Empedoclem quia Generationem id esse dicebat quod non est, et id non esse quod est opinabatur. D. Thomas quid sit vocem suam ignorare explicat. Anaxagoras inquit et Empedocles cum Generationem ab Alteratione discriminare possent, non discriminarunt ideoque non consequenter Philosophati sunt, idem in fundamentis et Principiis Philosophiæ quæ admittebant hallucinabantur.
2 Nam Empedocles etc. Theoriam veterum de Principiis rerum naturalium deque generatione et alteratione refert, imprimis verò Empedoclis qui materialia Principia, ignem nimirum, aerem, aquam et terram ponebat, moventia vero duo amicitiam seu concordiam quæ res in chao congregaret, et litem seu discordiam quæ easdem res inde deduceret. Anaxagoras infinita fingebat Principia similares nimirum partes carnis, ossis in chao seu sphæro seminario latentes. Democritus et Leucippus principia rerum naturalium opinabantur esse atomos seu minima corpuscula ex quorum concursu res variæ prosiliisse dixerunt. 3 Porro Anaxagoras etc. Discrimen inter Anaxagoram et Empedoclem ostendit circa Elementorum Doctrinam. Empedocles enim opinabatur Elementa esse corpora simplicia ex quibus omnia corpora componuntur, ipsa verò Elementa negabat ex aliis esse composita. Anaxagoras fingebat in aëre carnem ossaque latere et alias partes similares, proinde opinabatur Elementa esse composita. 4 Igitur ex misto etc: Eorum monstrat errorem qui unum statuebant Principium idem assertores unius Principii poterunt discriminare Generationem ab Alteratione. Ratio: Ubi etiam Actu unum Subjectum semper manet, ibi Alteratio duntaxat concedi potest, non generatio Substantialis quod sic quam brevissimè declaratur manente prorsus eodem Subjecto sine ulla facta mutatione circa Subjectum Alteratio infertur non Generatio quæ fit dum Forma Substantialis nova advenit subjecto. Proinde Generatio Substantialis est mutatio requirens Subjectum aptum ad omnes mutationes Substantiales et accidentarias recipiendas. Alteratio verò est mutatio Accidentaria cujus Subjectum est Ens Actu completum et perfectum. Ex his quæ dicta sunt facilè quis colliget discrimen inter Subjectum Aristotelis quod ipse ponebat Ens unum indeterminatum et Substantiales et accidentarias Formas recipiens et inter subjectum Veterum quod fingebat Ens certâ præditum Formâ ignem nimirum vel aquam. Qui vero etc Docet potuisse veteres plura Principia ponentes discriminasse Generationem ab Alteratione quod non fecerunt; secundum etiam illorum Generatio tum fit cum Principia in unam rem coalescunt, corruptio verò dum disiunguntur, variatio vero compositi secundum qualitates potuit à veteribus appellari alteratio. At necessario ect. multorum principiorum

principiorum assertores reprehendit qui Elementorum qualitates nunquam mutari; sed esse differentias seu Formas Specificas opinabantur et sic tollebant Generationem et Alterationem quæ non perficiuntur sine qualitatum mutatione. Illos quoque reprehendit qui unum commune Subjectum in quo contrariæ pugnant qualitates non admittebant. Empedocles igitur etc. Ostendit Doctrinam Empedoclis repugnare et Sensui quia Elementorum transmutationem negabat quæ sensu deprehenditur, repugnare et Principiis illius Philosophiæ quia Elementorum mutuam Generationem negabat, nihilominus in Seminario omnia dissipata dominis litis sursum prosilire, per Amicitiam verò coalescere fingebat. Ex qua Doctrina infertur Elementa fieri ex chao et ex sese cum omnia in chao secundum Empedoclem confunduntur, proinde fieri potest ut materia ignis Subjiciatur materiæ aquæ et contra quod est Elementa ex se invicem generari. 3 Sed et id quoque etc. Notat denique Philosophus in Doctrina Empedoclis magnam obscuritatem, utpote cum dicat Elementa ex chao tanquam informi materia per litem enasci. Facit igitur chaos Elementorum principium. Dum præterea ex Elementis per amicitiam coeuntibus seminarium conficit Elementa seminarii principia constituit.

Axiomata

1 Generatio et Alteratio sunt discriminata. 2 Vocem suam ignorat qui rem putat esse id quod non est, vel qui in Philosophandi ratione sibi non constat. 3 Subjectum unum idemque semper manet in Generatione. 4 Oportet contrariis et mutationi omni Physicæ sub utroque termino A QUO et AD QUEM commune subjicere Subjectum. 5 Secundum fabulosam Empedoclis philosophiam universa Natura coalescit per concordiam dissipatur per litem, idem res subvertuntur per discordiam; cohærent, conservantur et perdurant per concordiam.

CAPUT SECUNDUM

De Generatione secundum sententiam Platonis.

Inchoatam Veterum de Generatione Theoriam continuat Philosophus. Capitis præcepta sunt duo. In 1mo Platonis sententiam de Generatione perpendit. In 2do De magnitudine individua agit, monstrata imprimis ratione qua permoti Democritus et Leucippus Atomos invexerunt. 4 et 5 Omnino itaque etc. Primum capitis præceptum in quo sententiam Platonis de Generatione refert quem imprimis laudat quod solus de Generatione physicè disseruerit. Postmodum tres defectus in illius Doctrina notat. 1 Quod disseruerit de Generatione quoad QUID SIT, quæstione prætermissa AN SIT. 2 Quod non de omni Generatione; sed de ea duntaxat quæ est Elementorum, disseruerit. 3 Quod de Alteratione et Augmentatione nullum attulerit documentum ideoque Doctrina Platonis de Generatione est mutilata et quasi decurtata, de Alteratione verò et Augmentatione nulla. Democritus et Leucippus etc. Alterum capitis præceptum in quo antequam disserat de individua magnitudine, deturpe ostendit ex veterum sententia de generatione fieri Generationem per atomorum concretionem, corruptionem verò per disjunctionem. Alterationem denique per communicationem atomorum

secundum

secundum alium atq; alium ordinem et situm. Coeterum quoniam etc. monstrat rationem quâ moti Democritus
et Leucippus finxerunt Atomos, alias leves, alias asperas, alias rotundas, alias angulares, alias cornutas,
alias aduncas. Est vero Ratio ejusmodi: Hi duo Physici verum id opinabantur esse quod apparet. Quemadmodum et
Prothagoras 4 metaph. aliquid verum esse fingit quia homo cogitat et dicit illud esse verum. Ut igitur rationem
aliquam Generationis et Alterationis afferre possent sensum secuti atomos innumeras invexerunt et pro
principiis rerum naturalium posuerunt. Sed falsum est intellectum humanum mensuram esse omnis veritatis,
cum res ipsæ dicantur veræ objectivæ, conceptus conformes naturis rerum veri dicuntur conformative, verba et
Scriptura repræsentativè. 7 Principiorum autem etc. Disserit de Individua magnitudine, suntq; problemata
illa hæc: 1 Utrum detur individua magnitudo nec ne? 2 Utrum hæc individua magnitudo sit corpus seu superfi-
cies, nec ne? Democritus et Leucippus opinatur individuam magnitudinem esse corpus. Plato in Thymæo arbitra-
batur esse superficiem. Hæc Disputatio de individua magnitudine sic quam brevissimè declaratur: Individua
magnitudo non datur, quamdiu enim est magnitudo, retinet semper aliquid in quod possit dividi. Proinde magni-
tudo omnis divisibilis, est non indivisibilis. Omne nimirum quantum continuum divisibile est in infinitum, quod
ut intelligatur notanda est hæc distinctio. Divisio continui alia est Physica alia mathematica. Divisio physi-
ca est vel in partes essentiales vel in partes integrantes. DIVISIO MATHEMATICA fit in partes proportionales
quantitativas mathematicas quæ absolvitur non sectione aliqua reali; sed intellectuali seu imaginaria. Hæc do-
ctrina refert quid sit infinitum mathematicum; infinita v.g. Linea quæ Actu finita est, nulla tamen est tam
longa quæ non possit fieri longior per imaginationem mathematicam. Patet igitur quantum continuum di-
visibile esse in infinitum, nimirum proportionales mathematicas secundum divisionem imaginariam non re-
alem physicam. Quod ad proposita Problemata 1mum absolutè negandum cum solum punctum sit indivisibi-
le, omne verò quod retinet aliquam quantitatem quantumvis exiguam, individuum appellari non potest. Ato-
mi igitur magnitudines sunt possunt enim dividi in partes mathematicas proportionales secundum imaginationem.
Ratio: Omne enim quod est non punctum, quantumvis minimam habeat magnitudinem dividi potest mathe-
maticè in partes proportionales mathematicas. Quoad Alterum: Athomi non possunt absolutè appellari
superficies sed rectè possunt dici et dicuntur exigua corpuscula trinam dimensionem habentia. 8 etc. Porrò
ex hisce etc: Relictis compluribus quæ fingebant Antiqui hæc pauca notanda sunt de divisibili potestate de poten-
tia Syncategorematica et Categorematica, de ratione magnitudinis et infinitatis mathematicæ de punctis
secundum doctrinam mathematicam. Quo ad Primum Divisibile potestate id intelligendum quod dividen-
do nunquam absumitur sed semper restant partes quæ sine termino sunt divisibiles, potestate verò intelligen-
dæ sunt partes mathematicæ proportionales non physicæ et divisio supra dicta imaginaria nimirum. Quo
ad potentiam Syncategorematicam hæc proxima est infinito mathematico et cognoscenda est in continuo
inq; partibus continui quæ quantumvis sint minimæ divisibiles, nihilominus sunt potestate, quæ divisio continui
supra

supra iam explicata. Potentia Categorematica est potentia Physica concipiendaq est in composito Physico quod aptum est ut dividatur in partes integrantes et in physicas. Utraq potentia habet locum in philosophia diversa ratione. Nonnulli continuum docent divisibile esse distrubutivè et collectivè. Distributivè in omnem sui partem cum nulla pars designari possit quæ nequeat dividi. Collectivè dum neq totam partium collectionem divisio Actu terminat. Quoad Alterum: Ratio magnitudinis et infinitatis in continuo non est ratione materiæ, nec ratione Formæ, nec ratione qualitatum aliquarum accipienda; sed ratione quantitatis, ideoq dum continuum habet aliquam extensionem, semper manet divisibile, idem magnitudo quatenus magnitudo potest dividi in partes. Illud porrò pronuntiatum Physicum: In natura nihil est minimum, sic est intelligendum: minimum papaveris granum et partes illius divisibiles sunt in partes minutiores proportionales mathematicas imaginario modo, solum enim punctum est indivisibile. Quoad puncta docent Peripatetici illa non esse partes magnitudinis nec accidentia sed esse principia et terminos omnis magnitudinis. Eadem puncta docent iidem Peripatetici immediatè sibi non cohærere; sed inter qualibet duo puncta dari magnitudinem quæ indivisibilis est secundum omnem sui partem adhibito signo determinato quovis. Hæc verò magnitudo inter duo puncta qualibet secundum doctrinam Peripateticam est divisibilis infinitè. Sed indivisibile intelligendum eo modo qui supra est declaratus. Deniq quoad Congregationem et dissociationem Atomorum hæc est fictitia. Physica verò congregatio est eorum quæ collecta facilè tuentur suam incolumitatem et acrius adversario resistunt, dissociata verò incolumitati suæ difficilius consulunt ut patet in guttis aquæ dispersis quæ facilè abeunt in vapores. Hæc fuit Antiquorum Theoria de Generatione et Corruptione deq alteratione. Opiniones verò commemoratæ sunt non sine magno fructu et utilitate, oportet enim rectè veritatem non tantum inspicere; sed quæ ab aliis falsò dicuntur discernere. Aristobeles quoq 1 De Cœlo cap. 10 inquit: Non est æquum alios in dicta causa damnare. Dicenda enim tunc magis creduntur dum eorum dogmatum quæ in controversiam veniunt rationes prius fuerint additæ; Deniq eosq veritatem diiudicant, non adversarios; sed arbitros esse oportet. 10 Ac Simplex etc. Refutata Veterum Sententia de Generatione et Alteratione suam dicturus Sententiam in conclusione capitis istius brevissimè monstrat quæ sit Generatio Substantialis in Doctrina illius, quæ Corruptio & Alteratio. Mutationem nimirum dum novam recipit Formam materia appellat Generationem Substantialem; Amissionem verò formæ Substantialis appellat Corruptionem. Mutationem demum Subjecti secundum Qualitates appellat Alterationem, quibus de rebus infra.

Axiomata

1 Qui cum ratione in rerum naturalium contemplatione versatur, utitur principiis quæ inter se cohærent et consentiunt. 2 Qui ex permultis rationibus quæ veræ sunt haud expendunt; sed paucis inspectis citò pronunciant, facilè errant. 3 Democritus et Leucippus quæ apparent, vera esse opinabantur. 4 Magnitudinem ex non magnitudine constare incongruum est. 5 Omne corpus sensibile est divisibile. 6 Quæ congregantur, ægrè, quæ segregantur facilè corruptioni sunt obnoxia.

PROBLEMA
De cohærentia Generationis et Alterationis.
An negata Alteratione tollatur Generatio Substantialis nec ne?

Ægidius Romanus et Marsilius existimant impossibilem esse Generationem Substantialem si impossibilis sit Alteratio. In contrarium quatuor objectiones afferunt. 1ma Alteratio est Accidens cum sit in qualitate generatio substantialis est substantiale quoddam. Ergo negata Alteratione non potest negari generatio. Ratio Consequentiæ quia id quod est substantiale non pendet ab Accidente. 2da In prima rerum productione simul tempore producta est materia et Forma Substantialis. E. Ad Generationem Substantialem non necessario requiritur Alteratio cum hæc possit esse sine Generatione substantiali ut dictum est in Antecedente. 3tia Dealbatio v.g. parietis est vera Alteratio et nullam habet necessariam connexionem cum Generatione Substantiali. E. Alteratio non est necessaria ad Generationem Substantialem. 4ta: Datur aliquid Alterationis capax nihilominus tamen non generatur. Ergo Alteratio non est necessaria ad Generationem. Anteced. probatur sic: Astra dum Solis Lumen recipiunt, non sine Alteratione recipiunt, non tamen generantur. Ergo Datur aliquid Alterationis capax quod non generatur. Ut possit inferri Conclusio Problematis, proponitur ejusmodi PRÆCOGNITUM PRIMUM: In Generatione Substantiali quæ est secundum naturæ cursum præter alia plurima requiruntur dispositiones in primo Subjecto seu materia quæ non sunt illa sine Alteratione et quæ eandem faciunt aptam ad suscipiendam Formam Substantialem. Ejusmodi dispositiones revocantur ad materiale Principium de quibus longè plura in quæstione Physica de dispositionibus. PRÆCOGNITUM SECUNDUM: Alteratio Physica alia est quæ non fit inter contraria positiva; ejusmodi est v.g. illuminatio specierum in sensu et in intellectu receptio. Et hæc Alteratio solet appellari perfectiva non destructiva. Alia Alteratio est quæ fit secundum Qualitates positivas easque contrarias. Et hanc Scholastici dividunt in Primariam et Secundariam. Primariam docent fieri secundum qualitates contrarias quæ immediatè Actionem exercent ut patet in calore cujus immediata Actio est v.g. frigus. Secundariam Alterationem eam appellant Scholastici quæ fit secundum Qualitates quæ non habent immediatam Actionem ut patet in coloribus, odoribus, saporibus, hæc enim non agunt nisi ratione primarum qualitatum; sed infertur conclusio ejusmodi: Sublatâ Alteratione, nulla potest esse Generatio secundum naturæ cursum. Defenditur itaque pars affirmans Problematis supra positi.
Probatur Conclusio ex præcognito primo: Introductio Formæ Substantialis requirit dispositiones quæ non sunt sine Alteratione. Ergo Sublata Alteratione tollitur generatio Substantialis quæ est secundum cursum naturæ. Ratio Consequentiæ. Formæ enim Substantialis novæ mutatio facta in materia appellatur Generatio

Generatio Substantialis. Antecedentis declaratio est in præcognito primo, in quo brevissimè monstratum est ad Formam Substantialem recipiendam requiri dispositiones in materia quæ non sunt in illa sine Alteratione. Huic Conclusioni conjunguntur quatuor corrolaria. COROLLARIUM PRIMUM: Cohærentia Alterationis cum Generatione non est Terminus intrinsecus et specificus Generationis ut patebit in Doctrina de termino Generationis deque termino Alterationis. Sed hæc cohærentia est instar conditionis sine qua nondum modo intelligatur generatio secundùm naturæ cursum. COROLLARIUM SECUNDUM: Cohærentia Alterationis cum Generatione sic est intelligenda. Alteratio debet anteire Generationem Substantialem quæ fit secundum ratam naturæ legem cum nihil citra operam qualitatum quibus materia ad Formam recipiendam præparatur generatur. COROLLARIUM TERTIUM: Quantùmvis omni tempore et propemodum omni momento res genita natura limitatæ possit alterari, non tamen id naturæ cursus et necessitas postulat. QUARTUM COROLLARIUM: Majorem Generationis Substantialis præstantiam quam est Alterationis terminus ad quem quo æstimatur hæc præstantia monstrat. Est verò terminus Generationis Substantialis Substantia, alterationis qualitas quæ de re infra. Super est ut ad Argumenta Accedatur: Ad 1mum. Id quod est Substantiale consideratur vel quo ad Essentiam et naturam propriam una cum permanentia, vel quo ad productionem et modum productionis naturalem. Quo ad primum, non pendet Substantiale ab accidente, quod secundum dependet ut patet in productione Formæ Substantialis materiatæ quæ naturaliter non potest produci nisi primo producantur dispositiones quæ aptam reddunt materiam ad Formam suscipiendam et sustentendam. 2dum Argumentum est de Creatione, non de Generatione Substantiali quæ fit secundùm naturæ cursum. In 3tio Argumento ponitur ea Alteratio quæ nullam habet cum Generatione Substantiali connexionem, problema verò propositum est de ea Alteratione quæ habet cohærentiam cum Generatione Substantiali. 4tum Argumentum est de Alteratione quæ non habet contrarium positivum soletque appellari perfectiva, non autem de Alteratione quæ habet contrarium positivum, de qua Problema est propositum.

CAPUT TERTIUM

De

Generatione Substantiali quo ad An sit?

Veterum de Generatione deque Alteratione opinionibus accuratè expensis atque rejectis suam Sententiam de iisdem imprimisque de Generatione Substantiali refert. Capitis præcepta sunt 4. In 1 proponitur quæstio An sit Generatio Substantialis et declaratur. In 2 Caussæ continuæ et perennis Generationis atque corruptionis investigantur. In 3 Discrimen ponitur inter generationem simpliciter dictam, et secundum Quid. In 4to Tres Dubitationes quæ pertinent ad Generationem Substantialem quoad An sit proponuntur et resolvuntur. His autem declaratis etc. 1mum capitis præceptum in quo ponitur quæstio ejusmodi: An sit Generatio Substantialis

substantialis nec ne? Sensus propositæ quæstionis est: An aliqua Substantia generatur, an verò omnis Generatio et interitus sit accidentium tantum ut v. g. dum ex manu frigida fit calida an hæc mutatio et aliæ similes dicendæ sint Generationes, an præter hanc mutationem concedenda sit generatio Substantialis distincta quæ est mutatio instantanea substantialis. Tex. Nam si etc. Argumentum in contrarium affert cujus Sensus est hujusmodi: Data generatione substantiali fiet aliquid ex non Ente quod cursus naturæ et recta generatio non admittant. Ergo Generatio Substantialis non videtur esse. conseq. Generatio enim Substantialis est mutatio à non esse ad esse. Antec. probatur sic: Illud non esse seu non Ens vel est purum nihil vel simplex negatio aliqua Substantiæ v. g. utroque concesso sequetur vel generationem fieri ex nihilo vel fieri Substantiam ex non Substantia quod posterius membrum in contextu 12 impugnatur allata imprimis solutione argumenti. Sed de his etc. Solvit argumentum ex I Physicorum c 8. in quo docuit Generationem fieri partim ex non Ente partim ex Ente, idem docuit generationis terminum à quo esse partim Ens, partim non Ens quod declaratur sic: Non ens dupliciter dicitur 1mo Simpliciter et absolutè et sic est purum nihil, 2do comparatum cum Ente perfectiori et determinato et sic est Substantialis natura indeterminata apta nihilominus ad recipiendam et sustentendam aliam Substantiam perfectiorem quæ appellatur Forma. Tale non Ens secundum communem Physicorum loquendi modum appellatur Ens potestate. Idem Ens potestate appellant Physici non Ens utpote cum nullum includat Actum Formalem et Specificum intrinsecè. Respondet igitur Philosophus ad argumentum Generationem nimirum non fieri ex Ente simpliciter includente Actum Formalem Physicum neque ex non Ente absolutè quod est purum nihil; sed ex non Ente comparatè sumpto quod est Substantia incompleta, indeterminata apta subjici novæ Formæ Substantiali et tale non Ens Physici appellant materiam primam. 12 Declaratis hisce etc: Secundum membrum Argumenti superioris de non Ente quod est simplex negatio Substantiæ, ideò Philosophus si quis responderet generationem Substantiæ fieri ex non Substantia, urget talem responsionem. Non Substantia vel est aliquid summorum generum Actu et Potestate, vel nihil. Si est nihil ex nihilo Substantia producetur contra vim naturæ. Si aliquid summorum Generum Actu, seu si est aliquod accidens Actu, sequetur illud contra naturam Accidentis. Accidens cohærere vi sua naturali extra subjectum. Denique si est Ens potestate Accidentale illius quoque prius sequetur accidens non fulciri adminiculo Substantiæ. Ergo ex non Substantia nulla ratione potest fieri Substantia. De hisce igitur etc 13, 14, 15, Alterum capitis præceptum in quo investigaturus causas perpetuæ generationis et Corruptionis F impugnat Generationem continuam in contextu 16. Res continuo intereunt, interitus autem est transitus ab Ente ad non Ens, quâ ratione itaque Generatio potest esse continua à qua ratione universum hoc non consumitur. Quod si quis respondeat: Ideo non potest consumi hoc universum, quia illud est ex quo res fiunt est infinitum. Responsionem ejusmodi impugnat Philosophus sic: Hoc infinitum vel est Actu vel potestate. A primo abhorret natura. Alterum

F agit Libro secundo, de materiali verò in hoc altero capitis tertii præcepto. Ante vero declarationem causæ materialis perpetuæ generationis et corruptionis impugnat etc.

Alterum verò locum duntaxat habet in continui divisione in qua partes aliæ aliis minores mathematice concipiuntur qua de re dictum cap. 2. 2. Corpora ex tali infinito minora atque minora semper generarentur quod sensui et experientiæ repugnat. Hujus objectionis solutio infra afferetur dum declarabitur viribus agentis finiti quo ad rem destruendam. 17 Ergo præterea etc. Docet causam materialem perpetuæ Generationis et corruptionis esse materiam primam quam appellat Ens potestate. Ratio, hæc enim abeundum et succedendum formarum Substantialium vicissitudinem suscipiens perpetuo manet nec patitur intermittere seriem Generationis continuæ et corruptionis quamvis in sua Essentia Formam seu Actum Formalem et Specificum non includat, nunquam tamen dimittit Formam quin eodem modo Alterationem novam recipiat. Ergo Perpetuo manet nec patitur intermittere seriem Generationis continuæ et corruptionis. Præterea unius corruptio est alterius Generatio et contra manente semper eodem Subjecto seu eadem materia prima. Ergo Generatio et Corruptio rerum naturalium nunquam deficit. Hoc pronunciatum: unius Generatio est alterius corruptio intelligitur dum est non de Anima Libro et animalium generatione; sed de iis quæ secundum speciem sunt distincta ut v. g. mortuo homine generatur cadaver,F et corruptio cadaveris est vermium Generatio, corruptis postmodum vermibus fit resolutio in Elementa. Is igitur sensus est hujus pronunciati unius Generatio est alterius corruptio. Ex perpetua Generatione Substantiali causaque illius declarata dependet perennis Accidentium Generatio dum enim materia Accidentium Subjectum unum amittit accidens calorem v. g. alterum acquirit sæpèque oppositum frigus v. g. Denique docet philosophus agentis finiti virtutem non se extendere ad rei destructionem omnimodam. Ergo Destructo corpore viribus agentis finiti aliud statim emergit manente eadem materia. In Sacra Doctrina docetur solius Entis primi esse rei integræ productionem ex nihilo et reductionem in nihilum quæ annihilatio distincta est à corruptione rei naturalis ut infra dicetur. Patet igitur quâ ratione sit continua generatio quæ supra est impugnata à philosopho et quæ sit illius causa materialis ut ~~infra~~ supra dicetur. 18 Sed quamobrem etc. Tertium Capitis præceptum in quo recenset modos tres Generationis. Docet verò 1mum modum nasci ex comparatione Substantiæ cum accidente seu ex comparatione Entis quod non est in Subjecto cum eo quod est in Subjecto. Substantia igitur dicitur simpliciter generari aut corrumpi, accidens verò secundum quid, siquidem comparatum cum Substantia est Ens secundum quid, idem non ita perfectum ut Substantia. Ad confirmationem hujus primi modi adducit Parmenidis opinionem de Ente et non Ente quæ duo existimabat esse rerum naturalium Principia. 2dus modus generationis simpliciter dictæ et secundum quid oritur ex comparatione differentiarum nobiliorum et ignobiliorum ut docet Philosophus et ideò dum generatur aliquid perfectiorem habens differentiam, equus v. g. dicitur simpliciter generari, dum verò producitur id quod differentiam habet imperfectiorem generatio illius dicitur secundum quid ut dum generatur pediculus. Nonnulli commentatores existimant nomine differentiarum intelligendas esse differentias accidenta

F putrefacto verò cadavere prodeunt vermes aut ranæ, et ideò vermium generatio est cadaveris corruptio et corruptio cadaveris est vermium etc. vide supra.

accidentales substantiales qualitates nimirum calorem, frigus ac proinde illud pronunciatum Philosophi. Species sunt ut numeri, intelligi debere ajunt de accidentibus non de substantiis. Nihilominus intelligenda doctrina Aristotelis de differentiis substantialibus idem nobilior est differentia ignis quam aquae et forma equi quam formicae. Porro gradus differentiarum substantialium negandi sunt, qualitatum concedendi ut patet in calore trium vel quatuor graduum. 19 At plerumque etc. 3tium modum Generationis simpliciter dictae et secundum quid docet provenire ex comparatione unius Substantiae magis sensibilis cum altera minus sensibili, ideoque vulgus opinatur ea simpliciter generari quae sensibus magis sunt conspicua, ea vero secundum quid quae sensus effugiunt et quae minus sunt sensibilia. Postmodum inquit veteres nonnullos Physicos secutos fuisse hanc vulgi opinionem ideoque duo haec illorum placita dicit fuisse 1mum Animalia ideo vivere quia sentiunt. 2dum Res esse quae sentiri et sentiri possunt. Primum caret errore, alterum est commentitium. Denique in textu 20 colligit modos generationis simpliciter dictae, et secundum quid ex diversis rebus quae generantur et corrumpuntur quod supra est declaratum. 21 At vero etc. Ultimum capitis praeceptum in quo ponit tria problemata 1mum An generatio possit dici perpetua cum corruptio ducat ad non esse. R. Philosophus perpetuam esse docet, non esse, ad quod dicit corruptio esse terminum corruptionis ad quem et terminum generationis a quo, idem concomitanter se habere et terminus ad quem interitus et terminus a quo generationis. ut dum ex aqua generatur aer, non esse aquae, est esse aeris et esse aeris, non enim generatur aer nisi corrumpatur aqua. Quod si quis obiiciat: Ergo Corruptio et Generatio non erunt instantaneae mutationes substantiales haec enim particula post est nota temporis, ubi enim post non esse est esse, ibi est tempus quia successio est. R. Philosophus distinguendo hanc particulam post quae notat et temporis differentiam et naturae ordinem qui ordo non impedit mutationes instantaneas. 22 Sed quaeret etc. 2dum Problema est Num non Ens sit alterum contrarium et utrum res ex contrario generatur nec ne? Rejecta Doctrina Parmenidis qui ignem appellabat Ens, terram vero non Ens. R. Non Ens non significare purum nihil sed naturam materiam primam quae respectu formalis seu Formae dicitur aliquomodo esse non Ens et respectu privationis adjunctae quae est non Ens simpliciter. Aliud vero posterius Problema sic declaratur: Res dicuntur ex contrario fieri non simpliciter et absolute; sed quia generantur ex materia habente annexam privationem Formae et praeterea Forma adveniens abeunti quae expellitur est opposita. Patet igitur quomodo dicantur res generari ex contrario. 23. Et utrum etc: 3tium Problema est: An eadem sit oppositorum materia nec ne? R. Philosophus eandem esse: idem materia est eadem quae subjicitur unius Formae et priori expulsae et novae conjunctae cum materia. Rationes dictae sunt: 1ma Si esset materia diversa oppositarum Formarum res ex se mutuo non fierent. Ratio: quae enim communem non habent materiam, ex se invicem non fiunt quia carent subjecto quod recipiat Formam producendam. 2da Si esset eadem materia secundum substantiam formarum oppositarum quae producuntur non producerentur ex contrariis quod supra in altero Problemate est declaratum contraria enim non dicuntur quae circa eadem subjectum non versantur. Ille contextu 2do Phys. Alterius Formae et altera materia intelligendus est ratione dispositionum quibus materia praeparatur ad novam Formam, non autem ratione substantiae Substantiae quae semper est eadem.

Axiomata

Axiomata.

1 Semper ex quodam fit quoddam pusillum nimirum è magno, et magnum è pusillo, ex nihilo absolutè nihil secundum vires naturæ. 2 Est aliud quod omni tempore perdurat immobile, et aliud quod in motu semper est. 3 Non ens simpliciter est omnium abnegatio. 4 Quod in ratione rerum minime existit nihil est. 5 Sensus vim scientiæ obtinet, idem adminiculo sensuum exteriorum paratur rerum notitia si convenienti ordine à sensibus benè affectis procedatur ad rationem. 6 Generatio unius est corruptio alterius et contra. 7 Nihil est actu infinitum sed potentia tantum (intelligit Philosophus corpus et magnitudinem.

Documentum in quo declaratur is terminus Generatio.

Frequens mentio fit in contextibus hujus termini Generatio, proindè hæ notæ quam brevissimè sunt referendæ. 1mo igitur Generatio significat mutationem omnibus sublunaribus, simplicibus, mistis, viventibus et inanimatis convenientem, et secundum hanc considerationem disserit philosophus de Generatione in his Libris. 2do Consideratur Generatio secundum varias species et modos secundum quos generantur Elementa quo ad partes, meteora, fossilia, plantæ et animalia et de hac generatione disserit Philosophus diversis in Libris. 3tio Consideratur generatio prout notat tam substantialem quam accidentalem mutationem. 4to Consideratur Generatio prout est præparatio ad Formam cum materia uniendam, et sic est Alteratio. 5to Consideratur Generatio prout est viventis productio, et de hac infra dicetur. 6to consideratur Generatio prout est univoca et æquivoca. Univoca Generatio est dum simile generatur ex simili ut planta ex planta. Æquivoca verò Generatio est dum Animal mus v.g. vel planta generatur ex putri materia et hoc modo generata sterilia sunt ut docet Philosophus 1 de Anima et 2 de Generatione. 7timo Consideratur Generatio prout est primaria et secundaria. Primaria Generatio dicitur dum aliquid generatur sine putrefactione ut dum generantur meteora ex vaporibus et exhalationibus. Secundaria quando ex semente putrefacta nascitur aliquid ut ex semine tritici putrefacto generatur triticum. Deniquè consideratur Generatio prout est mutatio substantialis instantanea.

CAPUT QUARTUM

De Natura Generationis Substantialis deque illius discrimine ab Alteratione et ab aliis mutationibus Physicis.

Generatione quoad An sit declarata, declarat eandem quo ad Quid sit. Capitis præcepta sunt duo. In 1mo ostendit discrimen inter Generationem et Alterationem, ex quo discrimine colligitur Definitio Generationis et Alterationis. In 2do ponit discrimen inter Generationem et alias mutationes Physicas. 2.3 De Generatione autem etc. 1mum Capitis præceptum in quo discriminat Generationem ab Alteratione positis imprimis duobus pronuntiatis 1 est ejusmodi: Subjecta et Affectiones, seu affectus seu qualitates seu Accidentia non sunt idem utpote cum sint disparatæ rerum species, substantia nimirum et Accidens. 2 est ejusmodi: Sub.

ejusmodi: Substantiæ et Qualitatis mutatio est distincta. Positis hisce pronuntiatis discrimen Alterationis et Generationis monstrat. Alteratio inquit est dum subjecto ~~simili~~ sensili manente fit mutatio penes contrarias Qualitates v. g. dum aqua admovetur igni, mutatio in illa est penes qualitates contrarias frigus nimirum et calorem. In contextu exemplum Alterationis est de Sanitate et ægritudine quæ homini convenit dum nimirum ex homine sano fit æger et ex ægro sanus. Mutatio in homine est secundum Qualitates contrarias secundum ægritudinem nimirum et sanitatem. Generatio postmodum inquiente Philosopho est mutatio totius nullo Subjecto sensili manente ut eodem ut dum ex aqua generatur äer, non manet Subjectum sensile aqua nimirum; sed mutatur totum seu compositum et quo ad Formam Substantialem et quo ad dispositiones Formæ convenientes. Ad illustrandum hoc discrimen adducit Philosophus commun. opinionem qui arbitrabantur idem esse Ens et Sensile qua de re dictum in textu 19. Divi Thomæ non placet exemplum Alterationis in contextu positum cum Sanitas et ægritudo sint in prima Qualitatis Specie. Alteratio verò in tertia. R. Scholastici in exemplis Philosophum non quærere accuratam veritatem; sed præceptorum declarationem. Et ideò Topicorum Lib. 1. c. 8. Perspicuitatis inquit causa exempla afferri solere ex quibus res intelligatur. Ex discrimine Generationis et Alterationis supra declarato colligenda est definitio tam Generationis quam Alterationis et perspicuè declaranda. Quo ad Generationis Substantialis definitionem generatim sumptæ hæc ex doctrina superiori sic colligitur. Generatio est mutatio totius in totum nullo sensili manente ut Subjecto eodem. Declarationes istius Definitiones tres sunt præcipuè ponendæ. 1ma Totum et nullum sensile secundum complurium interpretationem intelligenda est Forma specifica et dispositiones illius omnes, nomine verò mutationis totius intelligenda est mutatio Substantialis instantanea quæ fit accessu novæ Formæ ad materiam. 2da mutatio totius in totum secundum aliquorum commutationem intelligenda est Formæ specificæ corruptio, non autem omnium quæ erant in composito Substantiali eademque manet cum ipsa materia post corruptionem secus in rei naturalis interitus esset annihilatio. Qui igitur supra dictam definitionem declarant, sic negant resolvi compositum dum corrumpitur usque ad materiam primam. 3tia mutatio totius nullo sensili manente secundum complurium interpretationem totum disjunctim non conjunctim, idem interit totum non in omnes partes et omnia Accidentia sed totum quod significet integritatem Substantiæ corporis naturalis quæ est ex omnibus partibus corrumpitur. Nonnulli nomine totius intelligunt Formam specificam à quas res composita habet Speciem et quam Formam Philosophus 2 Phys. text. 31. totum utpote quæ compositi integritatem primario constituit. Declaratur hæc interpretatio exemplo ejusmodi. Quaternarius numerus ablata unitate corrumpitur, non tamen omnia quæ erant in quaternario siquidem manent tres unitates et corrupto quaternario, alia planè numeri Species est ternarius nimirum

nimirum, ita compositum Substantiale interire dicunt hi interpretes dum Forma ultima Specifica aut
corrumpitur aut recedit hac enim pereunte aut discedente generatur alia corporis Species. Denique Scotistæ
nonnulli in dicta Definitione generationis comprehendi ajunt tam Formam ultimam Specificam quam
præcedentem Formam corporeitatis cùtriusque vero eductionem è gremio materiæ ad Generationem
quæ est adæquatè dicta Generatio requirunt. Ex tam variis declarationibus Supradictæ definitionis Sen-
sus quæstionis illius An in corruptione Compositi naturalis fiat resolutio usque ad materiam primam faci-
le colligi potest. Quo ad Definitionem Alterationis et Terminum illius, hæc ex discrimine colligitur à Com-
mentatoribus ejusmodi: Alteratio est motus Physicus secundum Qualitates contrarias eodem Subjecto
sensili manente. Declaratio hujus Definitionis sit ejusmodi: Alteratio est mutatio Subjecti Sensilis ma-
nentis secundum Qualitatem Sensilem aut mediam aut extremam, media est v.g. tepor, extrema est
v.g. frigus, calor. Ergo hujus declarationis sit calefactio aquæ quæ est motus ad calorem qui est qualitas
extremè Sensilis seu per se affectiones Sensum. Est et altera Definition Alterationis ejusmodi: Altera-
tio est motus alicujus corporis Actualis quo nova qualitas in Subjecto patiente producitur. Et hæc De-
finitio convenit tam Alterationis nimirum quæ est sine contrario is est qualitas quævis sive sit cor-
porea ut Lumen, sive Spiritualis ut Scientia et virtus, Alterationis verò quæ est intra contrarias
qualitas positivas terminus ad quem est aliqua qualitas ex primis frigus v.g. aut calor aut aliqua ex
iis qui ex primarum temperie proveniunt cuiusmodi est v.g. tepor. Hæc de Definitione Alterationis
deque termino illius. 24 Cæterum in his etc. Ponitur Objectio contra Definitionem Supra declaratam
ejusmodi. Dum ex aqua generatur äer, manet in äere generato perspicuitas et humiditas quæ fit in aqua.
Ergo Non non rectè in definitione Generationis addita est illa particula nullo Subjecto Sensili ma-
nente. Alia et alia responsio est apud commentatores ad hanc objectionem, hæc nihilominus videtur inservire
doctrinæ Aristotelis. Qualitas seu Accidentia quæ sunt commúnia genito aut corrúpto, non oportet ut
mutentur in oppositum seu non est necesse absolútè ut omnia accidentia intereant sed saltim ut Forma
Specifica cum dispositionibus et cum unione repugnans Forma prodúcta. Proindè Subjectum Sensile ut Supra
dictum appellant alii compositum, alii materiam Formæ Specificæ unitam cum dispositionibus quibus præ-
paratur ad Formam. 25 Cum igitur etc. Alterum Capitis Præceptum in quo discrimen Generationis
et aliarum mútationum Physicarum tum ratione termini ad quem, tum ratione Subjecti monstrat.
Ratione Termini AD Quem est minor vel major Qualitas, alterationis qualitas, generationis verò Sub-
stantialis est Forma vel compositum tanquam totalis et adæquatus terminus. Differunt denique mútationes Physicæ
à generatione Substantiali seu principii materialis, quia generationis principium est materiale è materia pri-
ma, mútationum verò physicarum accidentarium Subjectum est materia sub certa Forma Specifica. 2. Axiom.

Axiomata.

1 Generatio et Alteratio sunt diversæ naturæ mutationes. 2 Alteratio est quâ Subjectum sensile permans mutat in suis affectibus seu qualitatibus. 3 Dum mutatio est in quantitate dicenda est accretio vel decretio. 4 Subjectum ortus et interitus propriè est materia prima. 5 Subjecta omnia contrariorum sunt susceptibilia.

Documentum 1

In quo Generationis Definitio in communi et viventium declaratur.

Præter illam Generationis Definitionem in contextu declaratam afferunt Scholastici aliam ejusmodi dum inquiunt: Generatio est productio Entis ex Subjecto. Productio est loco generis quia convenit omni productioni generativæ ut loquuntur Scholastici. Hæc particula (Ex Subjecto) est loco Differentiæ. Creatio enim differt à Generatione per hanc particulam ut infra dicetur. Præterea hæc particula ex Subjecto notat concurrere ad Generationem non solum causam efficientem verum etiam materialem. Quo ad Definitionem Generationis viventium hæc sumitur ex 1 parte D. Thomæ q. 27. a. 2. Est verò ejusmodi: Generatio viventis est origo à principio conjuncto in similitudinem naturæ. origo est genus viventis; à vivente est Substantia propria Generationis viventium à generatione non viventium. Hæc particula in similitudine materiæ secundum explicationem complurium notat primum constitutivum quod est radix operationum et perfectionum quæ in vivente inveniuntur. Proinde natura in ea Definitione notat Substantiam viventis quæ est radix operationum vitalium. Documentum 2dum in quo Discrimen Generationis, Transubstantiationis, et Creationis declaratur: Discrimen inter Generationem et Transubstantiationem ponunt Scholastici ejusmodi. In Generatione manet materia et nulla pereunt Accidentia. In Transubstantiatione perquam miraculosa desinit Substantia panis et Vini et præservant Accidentia quæ virtute Divina sustentantur. Discrimen Generationis et Creationis multiplex refertur à Scholasticis. Generatio enim finitam et limitatam Agentis Virtutem requirit, creatio verò ex communi Theologorum sententia opus habet agentis virtute infinitâ. Et ideo docent Theologi culicem aut pulicem à dæmone non posse creari. Lombardi quoque qui 4 Sentent. asseverabat creaturam posse creare, opinio non admittitur à plurimis Theologis. 2dum: Per Generationem producitur Ens corporeum, per creationem verò etiam incorporeum Angelus v.g. 3tium Generatio fit dependenter à Subjecto creatio vero independenter idem absolutè nullum postulat Subjectum. 4tum Generatio simul est cum corruptione alterius idem ut supra dictum est, generatio et corruptio communiter se habent, creatio verò absolutè est perfectio ejus quod creatur nec simul est alterius destructio. 5tum Generatio supponit Alterationem quâ materia præparatur ad Formam recipiendam. Creatio nullâ indiget Alteratione et Præparatione Subjecti quemadmo-

quemadmodum nec ipso Subjecto. 6tum deniq: Creatio nulla dicit mutationem increata cui decretum creationis sit ab æterno executio verò illius est in tempore; sed tantaxat mutatio est in re creata quæ ante simpliciter non fuit et post existit seù cohæret in rerum natura. Generatio porrò dicit mutationem in generante et in regenito. Documentum 3tium De Discrimine Generationis, mutationis et conservationis. Præter Generationem mutationes accidentarias et Transubstantiationem Scholastici ponunt documenta de Conversione quam discriminat et à Generatione et à mutatione. Imprimisq docent non quamcunq Generationem esse conversionem præsertim totalem de qua infra. Præterea idem Scholastici docent conversionem propriè non esse omnem mutationem. Ratio. ad mutationem enim sufficere ajunt præcessisse Subjectum sine Forma. Forma de novo acquisita opposita ut v. g. Dum äer fit lucidus dicitur mutatio, Lux enim non succedit loco alterius Formæ positivæ prius in äere existentis sibiq opposita. Ad conversionem iidem Scholastici docent requiri processisse Subjectum cum Forma positiva cujus Loco nova introducitur ut patet in conversione panis in sanguinem vi naturæ. Præterea ad Conversionem requirunt iidem Scholastici duos terminos positivos inter quos conversionem debere esse docent quos terminos inquiunt esse alium à quo qui desinit, et alium ad Quem qui de novo incipit esse. Tum definit conversionem esse transitum unius rei in aliam. Quæ Definitio comparanda est cum illis definitionibus supradictis Generationis. Deniq Tria ponunt sine quibus conversio fieri non potest. 1mum Omnis inquiunt Scholastici conversio duas includit mutationes. Aliam negativam quatenus Subjectum amittit Formam quam antea habebat; aliam positivam quatenus acquirit novam. 2dum Ad conversionem requiri docent Scholastici ut inter cessationem Formæ præcedentis et productionem novæ aliqua intercedat connexio, secus si se habeant disparatè non dicitur conversio. Exemplum ponunt ejusmodi. Dum loco frigoris introducitur calor in aquam, est conversio, et quod non possit frigus expelli nisi ingrediatur calor. 3tium Ad conversionem requiri docent deniq Scholastici aliquod commune manens cum Forma de novo acquisita tresq terminos referunt qui sunt tertium commune: terminus conversus, terminus succedens, tertium commune seu aliquod commune est Subjectum seù materia prima, terminus conversus est tertius à quo seu Forma prior præcedens: terminus succedens est Forma producta seù terminus Ad Quem. Id verò quod est ex termino succedente et aliquo communi manente appellant novum concretum seù compositum v. g. Dum lignum convertitur in ignem, materia ligni appellatur aliquod commune Forma ligni terminus conversus, Forma ignis succedens terminus Ad Quem seu terminus succedens. Dum verò unitur Forma ignis materiæ ligni, novum concretum appellatur. Insuper conversionem multiplicem secundum compositorum inter quædam multiplicitatem afferunt iidem Scholastici. Aliam enim appellant Accidentalem, aliam modalem, aliam Substantialem. Accidentalem eam appellant dum accidens in aliud accidens mutatur ut calor in frigus et contra. Modalem dum Subjectum relicto uno modo acquirit alium v. g. relicta præsentia locali quam habemus in

Lectorio

Lectorio acquiremus aliam. Sed hæc conversio in sententia illorum admittit qui constituunt modos seu moda-
les Entitates distinctas à substantia et accidentibus. Substantialem conversionem dicunt esse dum composi-
tum substantiale in aliud mutatur lignum v.g. in ignem. Postmodum tam conversionem accidentalem
quam substantialem iidem Scholastici faciunt triplicem materialem, Formalem et totalem. Materia-
lem eam appellant dum perseverante eadem Forma mutatur subjectum ut patet in nutritione hominis per
quam nova materiæ pars, amissa parte præcedenti sub eadem Forma acquiritur. Formalem appellant dum
manente eodem subjecto Formæ mutatur v.g. dum Forma ligni destruitur et in locum illius succedit Forma ig-
nis. Totalem conversionem eam appellant Scholastici dum tota rei substantia, materia nimirum Forma uni[?]
et substantia in aliam substantiam totam mutatur. Et hujus totalis conversionis exemplum est in S.S. Eu-
charistia quæ conversio appellatur Transmutatio plena misterii. Accidentalem quoque conversionem iidem Scho-
lastici faciunt aliam materialem, aliam Formalem aliam totalem. Materialem eam appellant si saltim
miraculosè sub eodem accidente substantia mutaretur. Formalem eam vocant dum sub eodem subjecto muta-
tur Forma accidentariæ v.g. ex aqua frigida fit calida. Totalem eam appellant dum Forma accidenta-
lis et subjectum illius in aliam Formam accidentalem et subjectum mutantur ut patet in accidentibus
quorum subjectum est Forma quæ corrumpitur v.g. dum potentia latrandi cum Forma quæ perit mutatur
in aliam Formam cum iis accidentibus quæ in se recipit. Hæc de conversione quæ est comparanda cum Gene-
ratione substantiali et accidentaria. Documentum 4tum De Termino Generationis. Dicitur
de termino Generationis totali adæquato et proximo in exercitationibus, in eo documento quarto hæc dun-
taxat sunt notanda. Omnem nimirum productionem compositi secundum cursum naturæ includere
productionem Formæ materiatæ una cum unione substantiali et subsistentia, vel includere duntaxat
unionem, non enim Anima rationalis educitur è subjecto; sed creatur et creando infunditur. Obiicies: Si
creatur unio quæ est vinculum Animæ rationalis et subjecti an homo ille diceretur generari, an verò creari.
Rx Scholastici in eo casu debere dici illum hominem F/ Rx Scholastici problema hoc esse de nomine propositum.
Proinde vox seu terminus creatio tollit omnem difficultatem creatio enim significat productionem rei se-
cundum omnes partes creatum secundum vim creationis non potest appellari absolutè creatum; sed rectè
dici potest genitum. Documentum 5tum De Corruptione generationi opposita deque illius discri-
mine ab annihilatione. Doctrina Peripatetica patet de corruptione ex doctrina de Generatione Sub-
stantiali. Opposita enim juxta se posita clarè elucescunt. Scholastici nihilominus declarant quo ad quid
sit dum dicunt: Corruptio est desitio alicujus rei in aliam. Desitio est genus ratione corruptionis
et annihilationis, in aliis particulis est Differentia quâ corruptio differt ab annihilatione quæ diffe-
rentia sic declaratur. Res quæ annihilatur desinit in purum nihil cum nec integra maneat nec subjecto
illius

F creatum. Ratio: Partes enim compositi materia nimirum, forma et unio Sub-
stantialis sunt creata. Quodsi quis Quærat: Si unio compositi crearetur, Forma
verò materiata ab agente naturali produceretur, an compositum ejusmodi geni-
tum à verò creatum. Rx Scholastici etc.

illius nec alia loco illius producit ut si Deus annihilaret vel hominem vel Angelum. Corruptio contrario se modo habet res enim quæ corrumpitur absolute desinit in Subjectum seu manet illius Subjectum, et loco illius rei quæ est corrupta alia producit. Quod si quis quærat: An solæ res dependentes à Subjecto cujusmodi sunt Formæ materiatæ Substantiales et Accidentariæ an verò etiam independentes à Subjecto corrumpantur neo ne. Scholastici corrumpi res non solum à materia pendentes verum etiam independentes. Expositionis exemplum sumunt ex materia panis qui post consecrationem hostiæ desinit esse una cum ipsa materia quæ est independens à Subjecto cum ipsa sit primum Subjectum. Porro desitio illius materiæ non est annihilatio sed corruptio quia materia panis illius non desinit in purum nihil; sed in locum illius subit Christus consequenter non annihilatur; sed corrumpitur. Ergo corruptio est tam dependentis rei à Subjecto quam dependentis.

An corruptio possit dici Ens naturale nec ne?

Ut hoc Problema notetur duæ Distinctiones sunt notandæ. 1ma est Scholasticorum ejusmodi. Naturale usurpatur vel pro eo quod intra vires naturæ continetur vel pro eo quod convenit Subjecto. Secundum priorem usurpationem hujus termini Ens naturale omnis corruptio dicitur naturalis. Secundum posteriorem verò non appellatur naturalis cum sit destructio rei. Iidem Scholastici si corruptio consideretur ratione causarum contrariarum appellant illam convenientem et naturalem. 2da Distinctio est Peripateticorum ejusmodi: Corruptio Naturalis ea dicenda est quæ accidit secundum ratam et firmam legem naturæ ut dum viventia intereunt per mortem naturalem, mista verò producunt per putredinem. Violenta verò et non naturalis corruptio dicitur quæ præter legem et communem naturæ cursum accidit ut est v. g. mors violenta, adolescentis submersio aut combustio aut suspensio. Hanc violentam corruptionem si causa naturalis spectet, posse aliquo modo dici naturalem docent iidem Peripatetici.

Utrum corruptio per se intendat ab agente naturali nec ne?

Problematis declaratio distinctione opus habet ejusmodi. Formæ quæ corrumpuntur aliæ sunt Substantiales materiatæ, aliæ accidentariæ. Itaque 1mo dicendum sic: Formæ Substantiales materiatæ corruptio nunquam intenditur per se sed per accidens idemque quatenus introducit nova Forma incompossibilis. Probatur: materia non potest omni Forma Substantiali carere. Ergo non potest una spoliari quin aliam recipiat consequenter Formæ prioris corruptionem per Accidens propter alterius adventum. 2do Dicendum Formarum accidentariarum destructio potest esse independens à productione aliarum Formarum quæ conveniunt Subjecto ut patet in productione erroris qui est Forma Subjecto non conveniens et in dolore qui animali est ? secundum naturam. Patet igitur qua ratione corruptio intendatur per se ab agente naturali.

De Alterationis continuitate et successione deque illius minimo et maximo.

In cont.

In contextu Capitis præcedentis quid Alteratio sit et qui illius terminus dictum. Extra contextum proponitur Quæ-
stio de Alterationis continuitate et Successione eijmodi: An motus Alterationis sit continuus et succes-
sivus nec ne? ut sensus Quæstionis propositæ sit, Tria notanda sunt. Corpus, motus et Tempus. Corpus ratione
suæ magnitudinis seu ratione partium extensarum quæ sibi cohærent appellatur continuum. Alteratio quoque
ratione talium cohærentium et extensarum in quibus est appellabitur continua et successiva. Motus et
Tempus dicuntur quoque continua quatenus habent partes continuas et successivas naturæ suæ convenientes.
Igitur constat qua ratione continuitas et successio conveniat motui Alterationis. 2. qualitas quæ acqui-
ritur per Alterationem Alia est Extensiva, alia Intensiva. Extensiva est quæ extenditur ad novas Subjecti
partes ut v. g. Calor ut tria extensus per manum totam. Intensiva qualitas est in eadem Subjecti par-
tes graduales seu gradus ut dum una pars manus magis et magis coalescit. Huic qualitati intensæ op-
ponitur remissa ut dum una pars Subjecti sensim amittit aliquos Qualitatis gradus ut patet in aqua cali-
da quæ postmodum se revocat ad pristinum frigus. 3tio Continuitas et Successio Alterationis consideran-
da est vel ratione durationis et temporis, vel ratione qualitatis seu Formæ ipsius quæ acquiritur per Al-
terationem sine interruptione, vel denique ratione Subjecti. Quæ omnia sic declarantur: Ratione du-
rationis appellatur continua et successiva Alteratio dum per calefactionem v. g. producitur calor in aqua
sine ullo tempore interrupto. Ratione Formæ seu qualitatis dicitur quoque Alteratio continua et successi-
va dum calor v. g. producitur in aqua in eadem parte Subjecti intenditur vel in toto Subjecto sine ullo tem-
poris interrupti intervallo. Ratione Subjecti habet Alteratio continuitatem et successionem per con-
tinuum Formæ fluxum quo Subjectum alteratur sine ulla temporis mora interjecta. Est igitur sensus Quæsti-
onis propositæ. An continua et successiva mutatione qualitates intensæ & remissæ, tum extensæ produ-
cantur ita in Subjecto ut non interrupto temporis intervallo eijmodi qualitatum gradus seu partes graduales
aliæ post alias vel iisdem partibus Subjecti vel in aliis et aliis acquirantur nec ne? In quæstione igitur proposita
quæruntur 1mum An detur aliqua caloris pars quæ tota simul et in instanti in Subjecto producitur. 2dum An
detur pars Subjecti quæ tota simul alteretur et in instanti. 3tium An ita continuetur Alteratio ut nulla
temporis interiiciatur mora in qua cesset motus ratione Formæ seu qualitatis caloris v. g. in qua qui producitur.
Denique quæritur 4to: An continuetur Alteratio in Subjecto adeo ut nulla in parte Subjecti sistatur motus. Ut hæc
dicta declarentur 4tuor ponuntur Conclusiones. Conclusio 1ma Pars caloris minima v. g. unus gradus ca-
loris in aqua et pars illius in instanti naturaliter non producitur. Probatur Conclusio. Ubi est resistentia
ibi est et successio cum duratione; sed in productione unius gradus caloris in aqua est pars illius in instanti resistentia
naturaliter. Ergo ille gradus productio habet successionem et durationem. Major est ex terminis nota
quid enim resistit subito, non penitus vincitur. Minor sic probatur: minimum frigoris in aqua ut servet suam na-
turam resistit minimo caloris. Ergo dum producitur gradus caloris in aqua non producitur sine resistentia,
consequenter non in instanti producitur. Conclusio 2da: Nulla datur pars Subjecti quæ tota simul et in instanti
alteretur

alteret. Probat: vel illa pars habet resistentiam vel non. Si habet. Ergo successivè alterabitur non in instanti. Sin verò resistentia caret consequenter et aliæ partes Subjecti resistentiâ carebunt atq ita totum Subjectum aqua v. g. admota igni in instanti alterabitur contra experientiam. Conclusio 3tia Probabile videtur continuari Successionem Alterationis ratione Formæ seu qualitatis. Sensus conclusionis est: Probabile est post productum unum gradum caloris alium produci continuò sine ulla quiete intercepta. Probatur Conclusio: dum adest agens præsens ignis v. g. Actionem suam exercens, non potest Subjectum aqua s. admota non alterari ratione Formæ seu caloris. Sed in Alteratione calefactione v. g. aquæ agens adest præsens Actionem exercens. Ergo in Alteratione calefactione nimirum est continua successio ratione caloris qui producitur in aqua. Atq ita nulla quies cogitari poterit in productione graduū caloris, ex quibus calor totalis in aqua componitur, problematicè igitur tertia quæstio defendi potest. Conclusio 4ta: Probabile deniq videtur Alterationem continuari ratione Subjecti. Sensus Conclusionis: Postquam in parte Subjecti gradus unus caloris est productus, continuò et successivè alter producitur nulla intercepta mora. Probatur Conclusio: Partes remotiores Subjecti aquæ v. g. æquè sunt alterabiles atq propinquiores et agens naturale præsens actione suâ attingit illas. Ergo non est ponenda mora inter gradus productos et producendos quibus Subjecti pars aliqua alteratur. Ratio consequentiæ: Actio agentis quâ attingit partes Subjecti alterabiles non potest ēē sine termino cū Actio nec cogitari quidem possit sine termino. Hæc postrema conclusio problematicè quoq potest defendi sine ullo incommodo. Documentum 6tum: De minimo et maximo Alterationis. Terminum Alterationis ratione quantitatis maximæ ponūt Recentiores Scholastici qualitatem indivisibilem quæ se habet ut punctum in Quantitate. Schola Peripatetica terminū Alterationis qui est minimū Alterationis ponit partem proportionalem qualitatis Physicam qua minor nō est in qualitate v. g. in calore producto in aqua minimū caloris rectè appellabitur parta gradus minimi caloris minimæ quantitatis ratione caloris totius qui est in aqua ut 4 v. g. Maximum quoq Alterationis est totalis qualitas finita et limitata ultra quam augeri non potest quod probatur sic: Et ipsum Subjectum et ipsa qualitas et agens physicum quod producit qualitatem sūt finita et limitata. Ergo Qualitas non potest tendi in infinitum. Ratio consequentiæ: Nec enim agens in infinitū extendit se ad infinita producenda, nec Subjectū limitatæ naturæ potest in infinitum novas qualitates parter suscipere sive sint similes sive dissimiles. Hoc documentū sumptū est ex doctrina de terminis potentiæ Activæ finiti agentis ratione intensionis et extensionis, ratione resistentiæ et distantiæ et ex Doctrina de terminis potentiæ quo ad recipiendam Accidentia intrinseca secundum certos gradus. Tertium porrò potentiæ obediendialis terminū Scholastici [magis] definitū et certū negāt. Ratio recipit enim potentia obediendialis totam accidētiū intēsissimâ quātitatē idē et sine recipere potest. R.

CAPUT.

CAPUT QUINTUM

De Augmentatione et Nutritione.

PARS LIBRI PRIMI ALTERA in qua declarata Generatione Substantiali illiqq ab Alteratione di-
crimine disserit de Augmentatione deq Nutritione. Capitis præcepta sunt 4. In 1mo ponit discrimi-
inter Generationem, Augmentationem et Alterationem ratione termini et modi. In 2do quæ sit
materia Augmentationis docet. In 3tio præmissis hypothesibus modum Augmentationis declarat. In
4to Acretionis et Nutritionis discrimen monstrat. 2s Restat ut de Acretione etc: 1mum
capitis præceptum in quo ante discrimen Generationis, Augmentationis et Alterationis proponit
Problema ejusmodi: An dictarum mutationum differentia sumenda sit à termino AD quem
an verò à modo mutationis et à rebus ipsis. Rdet sumendam ee ab utroq et imprimis à termi-
no ad quem. Ratio: Generatio enim est mutatio Substantialis instantanea cujs terminus ad
quem est Substantia. Alteratio est mutatio in Qualitate cujs terminus ad quem est fragilitas
Augmentatio est mutatio in quantitate cujus terminus ad quem est certa et definita quantit.
Alterum discrimen dictarum mutationum est ratione modi cum respectu ad locum quæ enim
generant et alterant non necessariò mutant Locum; sed in quo loco sunt generata, in eodem pos-
sunt alterari quæ autem crescunt et minuunt mutant locum id est majorem vel minorem occu-
pant locum nihilominus non feruntur è loco in locum necessario. 26, 27 et 28 Atq idcirco
etc. 2dum capitis præceptum in quo antequam materiam Augmentationis declaret proponit Proble-
ma ejsmodi: Utrum vivens sumat incrementum pro id quod est Actu magnum et potestate viven-
tis corps extensionis et incrementi capax. Imprimisq dicit id quod auget vivens separatum ee seu
extrinsecum esse viventi seu viventi existere, postmodum quærit num hoc existens in vivente sit
punctum, aut vacuum aut corps sensum effugiens. Nihil horum ee respondet, non punctum quia hoc
non auget, non vacuum quia etiam hoc non admittit, non corps sensum effugiens quia Alimentū intus
susceptum quantum et coloratum ee sens sæpe discernit. Postmodum Philosophs Alimentū appellat ex-
istens in alio. Quod verò existit vel est aliquid ejs in quo existit vel nihil. Posterius dici non potest cum nihil
et existens pugnet: quod si prig concedat tria inquit Philosophs inferri possunt: 1 Generationem ee e nihi-
lo corrupto. 2 Potestate solum illud ee existens vivens et proinde posse appellari infinitū cum sit quid
continuum. 3 Generari aliquid sine ulla mutatione. Rejicit hæc tria Philosophs. Ratio: Alimentum
enim in alio existens antequam convertatur in Substantiam viventis alterat atq sic corrumpit cum non
permaneat integrum potestate quoq alimentum est vivens et partes habet finitas, mens verò humana
cogitat

cogitet saltim Alimentum illud cum sit continuum divisibile esse infinitum secundum Doctrinam de Divisione continui cap. 2 libri huius dicta. Deniq Tertium non valet cum Alimentum est et Alteratio et mutatio antequam convertatur in Substantiam viventis. In contextu 29 appellat materiam Augmentationis esse in aliquo existens tanquam pars, et eadem materia Augmentationis et etiam materia nutritionis. Materiam porro Accretionis commentatores docent aliam esse in qua, aliam ex qua. Materia in qua Augmentationis est ipsa Substantia viventis quæ incrementum suscipit. Materia ex qua remota est res corporea quæ potest converti in Substantiam eius quod incrementum suscipit. Materia ex qua propinqua est alimentum intus susceptum coloratum et Actu quantum quod initio est dissimile substantiæ viventis, in fine vero est simile. In contextu 30 docet Philosophus Alimentum coloratum esse ut Sensus et experientia testatur, esse quoq et quantum, Accretio enim viventis non potest fieri sine quantitatis novæ accessione. Ergo Alimentum quod auget vivens est et coloratum et quantum. 31. 32 Potius itaq etc. 3tium capitis præceptum in quo sunt 2 Hypotheses nimirum et modus Augmentationis. Quo ad hypotheses has tres ponit: 1ma Incrementum Viventis fit aliqua re corporea quæ est Substantia intrinsecus Accedente. 2da in quod augetur, idem manet post augmentationem quod fuit ante Accretionem. 3tia Non tantum totum vivens incrementum suscipit sed etiam omnes et singulæ eius partes. Postmodum ponit duas Obiectiones et Problema ponit. Obiectio 1ma: Si extrinsecus assumptum alimentum facit Augmentationem viventis. Ergo dabitur penetratio corporum. Ratio consequentiæ: Alimentum enim extrinsecus assumptum suscipietur intus ubi nihil fuit. Ergo Respondetur Nullam esse penetrationem dum intus suscipitur Alimentum quia in illo loco fuit äer qui alimento suscepto expellitur et postmodum alteratur, alteratum convertitur in sanguinem qui sanguis in poris corporis viventis calore nativo factis äere ex illis expulso suscipitur et poros replet inq carnem mutatur. Objectio 2da est in contex. 33 eiusmodi: Dum ex minore Substantia viventis fit major, erit refractio quod declarat sic: Dum cera particula igni admovetur, facile extenditur amplius et amplius et est refractio ita quoque dum particula amimenti additur Substantiæ viventis extenditur vivens et sic erit rarefactio, et ipsa Augmentatio non erit distincta à Rarefactione. Respondetur Discriminans Rarefactionem ab Augmentatione. In Rarefactione nulla pars materiæ novæ accedit, in condensatione nulla decedit, in Augmentatione verò propriè dicta fit accessio novæ materiæ Alimenti nimirum conversi in Substantiam Aliti, in diminutione deniq est decessio aliqua materiæ ut patet in Senibus. Quo ad Problema hoc proponit ejusmodi: An ipsum vivens incrementum suscipiat an verò Alimentum. Respondetur Vivens ad majorem quantitatem extendi secundum definitos magnitudinis terminos non Alimentum. Ratio Vivens virtute Alteratrice per calorem nativum convertit Alimentum in suam naturam. Ergo Vivens est quod augetur non Alimentum. Deinde probat experientiâ; Membra inquit viventis manus v. g. dicuntur Augeri. Ergo non Alimentum. Illustrat Similitudine Sumptâ ab Alteratione tali: Quemadmodum manus alterari dicitur non calor qui producitur in manu ita Subjectum augmentationis seu vivens augeri dicitur non Alimentum

Et hæc

Et hæc fuerunt in contex. 34 et 35. Repetit postmodum hypotheses dictas in contex. 36 et ordinem Accretio-
nis monstrat. Quo ad Ordinem Accretionis hunc talem dicit esse. 1mo in partibus similaribus, in osse, nervo
incrementum fieri docet, postmodum in partibus dissimilaribus in manu in capite inque partium omnium
structura et apparatu. Jubet quoque partes viventis quæ incrementum suscipiunt considerare et secun-
dum materiam et secundum Formam quæ ex operationibus deprehenditur. Et ideò partium similarium
difficilius discernitur ~~ordo~~ Forma à materia quia operationes partium similarium sunt obscuriores. 37 Par-
tem igitur etc. Positis hypothesibus et declaratis ostendit modum Augmentationis dum docet Augere vivens
Accessu Alimenti extrinsecus assumpti quod sic intelligendum: Dum decedit aliqua particula Substantiæ vi-
ventis seu dum consumitur calore nativo quæ consumptio fit singulis diebus, restauratur illa particula
calore nativo consumpta per novæ Substantiæ adjectionem quod illustrat exemplo ejusmodi. In vase vel in
simpulo dum plus aquæ affunditur priori crescit aqua manente eodem receptaculo: Ita quoque viventis corpus
accedente nova materia extenditur manente eodem Vivente. 38 et 39 Totum tamen etc. Conclusiones
Alimenti iam supradictas ponit dum docet. Alimentum debere esse in principio dissimile in fine vero simile
post Alterationem et Conversionem in Sanguinem. Subjungit præterea Accretionem quæ alteratur et cor-
rupto Alimento perficitur non posse dici Generationem cujus supra natura est declarata. Ratio: Genera-
tio enim est dum compositum per se consistens ut terminus generationis adæquatus producitur. Aug-
mentatio verò est dum per se consistens augmentatur ratione omnium partium tam similarium quam
dissimilarium. 40 Quantitas etc. Docet quantitatem Abstractam non extendere corpus viventis, sed
hanc quantitatem hujus Alimenti quod sic probat: quemadmodum non generat Animal Abstractum, sed
hoc Animal: ita quoque non communis quantitas seu abstracta mente, sed singularis extendit vivens
membraque illius. In Contex. 41 Docet idem Alimentum esse materiam nutritivam et augmentativam
nutrit enim vivens ad finem vitæ ut est potestate caro viventis, auget idem alimentum vivens ut
est potestate quantum corpus viventis quod augetur, alimento enim converso in sanguinem et viven-
ti adglutinato productionem novæ materiæ cum præcedenti efficitur vivens majus. 42 Quocirca etc.
Ultimum capitis præceptum in quo discrimen ponit inter nutritionem et Augmentationem et modus
nutritionis quæ accretioni opponitur, ostenditur. Quo ad 1mum Imprimis colligitur discrimen Nutri-
tionis et Accretionis ex ipsa natura harum mutationum et ex terminis consistentiæ qui conveniunt
Accretioni et Nutritioni. 1mum sic declaratur: Nutritio est Restauratio partium calore nativo con-
sumptarum in corpore viventis per Substantiæ similis novæ agglutinationem. Accretio verò est
dum vivens extenditur ad majorem et majorem quantitatem. Hæc in viris 25 ~~et~~ annorum ætate
consistit, hoc enim ætatis spatio in viris partes corporis et imprimis ossa accrescere possunt. Post-
artum indurescunt omnia ossa et ideò amplius non extenduntur corpusque humanum potest ejusmodi tempus
incrementi

incrementum ratione Quantitatis majoris habere non potest. Porrò nutritio toto vitæ decursu secundum ratam naturæ legem perdurat. In hoc primo discrimine Nutritionis et Accretionis, alterum ratione termini consistentia estque declaratum. Quo ad Alterum. Modus Diminutionis ex Sententia Aristotelis in textu is ostendit. Facultates Nutrientis et caloris nativi vis sensim languescit nec potest tantum Alimenti in Substantiam viventis convertere quantum Substantiæ in partibus viventis per calorem nativum est absumptum ideoque partes viventis decrescunt ipsumque vivens fit minus seu minorem habet Quantitatem.

Axiomata.

1 Accretio et Decretio circa magnitudinem versant, Alteratio verò circa affectum seu Qualitatem 2 Generatio, Accretio, Alteratio non solum Objecto; sed etiam ipso modo mutationis differunt. 3 Materia nec sine Affectu idem sine dispositionibus nec sine Forma Substantiali esse potest. 4 Totum vivens majus evadit accedente quopiam quod Alimentum nominatur. 5 Quod Accrementum suscipit partes ejus augentur. 6 Quod tota mole fertur locum mutat. 7 Dissimilaria augentur dum Similaria accrescunt. 8 Virtus auctrix in vivente est quod augetur. Huic Doctrinæ contextuum capitis quinti nonnulla sunt adjungenda documenta nimirum et Problemata Physica.

Documentum Primum.

De Accretione deque distinctione Generationis, Aggenerationis, Augmentationis.

Ut constet quæ mutatio appellanda sit Augmentatio Substantialis propriè sumpta ponendum documentum de illa quod et Scholastici recentiores et veteres Peripatetici dum disserunt de Augmentatione non omittunt. Itaque Scholastici recentiores et veteres Peripatetici primo appellant augmentum Substantiale dum Substantia fit major per unionem novæ Substantiæ cum alia parte Substantiæ antea producta. Intelligendum hoc Augmentum Substantiale ratione Substantiæ quæ appellatur pars materialis. 2do Iidem Scholastici appellant Augmentum Substantiale dum producitur nova pars Formæ Substantialis materiatæ ut dum ignis augetur appositis lignis producetur nova pars Formæ ignis. 3tio Appellant iidem Scholastici Augmentum Substantiale dum producitur sola nova unio Substantialis per quam continuatur et agglutinatur nova pars materiæ et Formæ materiatæ procedente. Hanc unionem Substantialem docent Scholastici viventium esse materiæ et Formæ. Veteres Peripatetici Accretionem primo usurpant pro eo augmento quod fit per alterius appositionem ut v. g. dum cumulo tritici additur aliud triticum augetur cumulus. Secundo Veteres Peripatetici usurpant Accretionem seu Augmentationem pro eo Augmento [incre] quod habet res v. g. pars ceræ vi caloris rarefacta et extensa sine ullo novo Alimento accedente seu sine alia nova cera parte. Tertio Augmentationem usurpant Peripatetici propriè pro eo viventis Augmento quod fit ex Alimento intus suscepto, et de hoc dictum in capite præcedenti. Quo ad discrimen Generationis, Aggregationis et Accretionis hoc secundum Doctrinam Scholasticorum

scholasticorum est ejusmodi: Generatio includit productionem Formæ Substantialis integræ materiatæ
et unionis Substantialis et compositi ipsiusmet quod compositum absolute materiatum secundum u-
tramq partem includit productionem, compositum verò v. g. humanum includit saltim unionis Sub-
stantialis Generationem. Aggenerationem veteres Peripatetici non discriminant à nutritione sed
recentiores Scholastici docent Aggenerationem includere productionem solius unionis continuitatis
Deniq Augmentatio propriè sumpta includit Augmentum Substantiale majus per unionem novarum præ-
cedentibus accidentium. Accretionem præterea appellant Veteres Peripatetici eam mutationem quæ
circa quantitatem majorem viventis.

Documentum Secundum
De Nutritione et Augmentatione à parilibus mutationibus discriminata.

Ut constet quæ mutationes nutrimenti appellandæ sunt, Nutritio et Augmentatio et quæ non, ponit
hoc documentum. Dum igitur Alimentum seu Nutrimentum convertitur in succum, postmodum per-
mutatur in Sanguinem. Tales Nutrimenti mutationes non sunt Nutritio nec Augmentatio, sed altera-
tiones sunt Generationes et corruptæ partes quæ ideo appellantur partes quia non totum vivens generatur
et corrumpitur. Itaq non omnes alimenti mutationes possunt appellari Nutritio et Augmentatio. Quæ
verò mutatio propriè sit appellanda Nutritio ex hoc documento quisq colliget. In viventis corpore in
omnibus illius partibus continua caloris nativi Actione consumitur humidum nativum unà cum partis Sub-
stantiæ ex qua consumptione oriuntur foramina seu pori tam in partibus similaribus quam dissimilaribus. Hæc
foramina primo replentur äere ne admittatur vacuum, post sanguine ex venis attracto in ejusmodi fora-
mina expellitur äer et convertitur sanguis in Substantiam Viventis, talis verò mutatio sanguinis in
carnem propriè appellatur nutritio quæ permanet usq ad finem Vitæ. Deniq mutatio ratione quan-
titatis appellatur Augmentatio quod sic declaratur: Intra Annos consistentiæ non solum fit mutatio vi-
ventis, non solum nutritio verum etiam Accretio singulorum membrorum et totius corporis ut vivens
debitam assequatur quantitatem intra quos annos consistentiæ calor nativus est vehemens plusq conver-
tit Alimenti in Substantiam Aliti, tum in partibus molioribus, tum in siccioribus ejusmodi sunt ossa quam
consumptum est per calorem nativum ideoq membra viventis molliora et sicciora ea redduntur secundum om-
nes dimensionis partes in longum, latum et profundum, et talis mutatio sanguinis in Sub-
stantiam Viventis ratione quantitatis et incrementi Substantialis majoris. appellatur propriè
Augmentatio seu Accretio.

Documentum Tertium.

De Concoctione Nutrimenti quod nutrit et auget vivens deqꝫ immediata materia Nutritionis et Augmentationis.

Ut intelligatur hoc Documentum, imprimis referuntur Tres Principes Facultates quæ regunt corpus humanum, Naturalis nimirum Animalis et Vitalis de quibꝫ infra. Naturalis Facultatis sunt ~~numero~~ primariæ 3 Nutrix, Augmentatrix et Generatrix. Nutrici postmodum serviunt secundariæ 4 attractrix nimirum, Retentrix, Altrix seu concoctrix et Expultrix. Concoctricis actꝫ est ipsa coctio sine qua non intelligitur planè nutritio et Accretio proxima materia nutritionis et Accretionis. Proinde quo ad institutum Physicum imprimis cognoscenda est Natura concoctionis, postmodum divisio illiꝫ afferenda et declaranda. Quo ad 1mum. Concoctionem Physici docent eē Alimenti dentibꝫ commoliti et in ventriculū transmissi ad Solidiorem Substantiam sicciorem q̃ redactionem p humidi Superflui ematurationem à calore nativo seu domestico factam. Concoctio ratione Subjecti quod est homo seu corpꝫ humanum triplex deprehenditur et deprehensa est à Physicis 1ma nimirum est in ventriculo in quo nutrimentum ope caloris nativi seu domestici in chylum seu ut physici ajunt in massam candidam quæ est instar pultium vertitur; hæc massa ex ventriculo defertur vi naturæ ad intestina graciliora in quibꝫ fit separatio succi alimentarii à recrementis. Succus eiusmodi Alimentariꝫ à nonnullis Physicis appellatur chylꝫ et p venas miseraicas ut veteres Medici docebant vel per venas Holodochas ut recentes medici observarunt ad hepar defertur ad venam nimirū portæ, postmodꝫ transmutatur chymus is in hepate seu resolvitur in quatuor humores, in sanguinem nimirum qui est calidꝫ et humidus temperatè, in Flavam bilem quæ est calida et tenuis, in Pituitam quæ est frigida et humida et in Melancholiam seu Atram bilem quæ est frigida et sicca. Facta resolutione chymi in quatuor humores et relicta Sanguinis parte in hepate quó alitur defertur Sanguis ad cor et ad omnia corporis membra per capillamenta venæ cavæ quæ capillamenta appellantur particulares venæ per totum corpꝫ dissipatæ. Hæc mutatio chymi appellatur in Sanguinem concoctio Secunda. Sanguis præparatꝫ qui est in venis particularibꝫ ex illis à Singulis membris vi facultatis Attractricis exsurgit ut convertatur in Substantiam cujꝫq̃ membri intercedit concoctio tertia cuiꝫ opꝫ est humor ex quo generatur ros Alimentariꝫ, ex hoc gluten Substantiale quod membris Singulis adglutinatur in poris seu foraminibꝫ quæ Supra sūt declarata et in Substantiam membrorū convertitur. Eiusmodi gluten Substantiale est immediata nutritionis et Augmentationis materia. Huic documento adjungitur:

PROBLEMA

An omnia membra nutriantur quemadmodum omnia excrescunt intra tempꝫ consistētiæ?

Neg.

Negantem partem Problematis defendunt recentiores Physici. Rationes præcipuæ sunt duæ. 1ma est ejusmodi: Ossa post annos consistentiæ ita exsiccantur ut pori illorum claudantur. Ergo non sumunt Alimentum conveniens, consequenter non nutriuntur. 2da Ratio: Si ossa nutrirentur quemadmodum caro, semper homo in altum cresceret usque ad finem vitæ. Sed hoc est contra experientiam et contra doctrinam omnium Physicorum. Ergo Ossa non nutriuntur. Rationem consequentiæ probant Physici sic: Eo ipso quod ossa augeantur necesse est crescere Animal. Pars Affirmans Problematis probabilior est proinde defendenda est. Ratio ab experientia: In ossibus sensus deprehendit medullam quæ nihil est aliud quam alimentum ossium. Ergo ossa nutriuntur. Respondendum verò ad primam Rationem per Negationem, non enim ita ossa indurescunt ut pori omnes claudantur; sed ita indurescunt ut iam non possint extendi. In Secundo Argumento neganda ratio consequentiæ et probatio; Alia enim est Nutritio; Alia Accretio ideoque ex nutritione non infertur Accretio. Deniq dum de nutritione documenta afferuntur Sciendum Nutriendi rationem pertinere ad conservandam valetudinem sine qua ferè nihil prodest. Porrò in nutrimento hæc consideranda jubent Physici una cum medicis: substantiam nimirum facilem ad concoquendum, quantitatem, modum sumendi, tempus et consuetudinem.

Documentum Quartum.

De Facultatibus primariis quo ad præsens institutum.

Trina concoctio Alimenti quod est materia proxima Nutritionis et Augmentationis non perficitur sine facultate cujus est Actio, proinde quam brevissimè referendæ sunt Facultates primariæ et sedes illarum. Numerantur itaque tres primariæ Facultates quibus totum corpus hominis regitur, Naturalis nimirum, Animalis et Vitalis. Ad Naturalem pertinent hæ Facultates, potentia nimirum alendi seu nutriendi, potentia Augmentandi et Potentia Generativa. Ad has referuntur quatuor hæ: Potentia Attractrix, potentia Retentrix, Potentia Concoctrix et Expultrix. Ad Animalem Facultatem refertur vis sentiendi sensusque Externi et Interni et Vis movendi à qua oriuntur omnes motus. Ad Vitalem Facultatem pertinet Vis [vis] pultrix, Vis Spirituum Vitalium, Confectrix et officina caloris nativi. F Venæ deserviunt Facultati naturali et continent sanguinem communem quem omnia membra trahunt ut Alimentum Animali Facultati inserviunt nervi. Vitali Facultati inserviunt Arteriæ quæ Spiritum vitalem et sanguinem arterialem purissimum deferunt. Hæc de NUMERO Facultatum Primarum; Sedes verò illarum sic declarantur: Declaratis Facultatibus Primariis monstranda est sedes illarum controversa inter Aristotelem, Physicos recentiores et Medicos omnes. Aristot. 3 de partibus Animalium cap. 4 existimat SEDEM Facultatum primarum esse in CORDE, consequenter docet cor esse sedem Sanguinis, Somni, sensus communis et præterea à corde oriri nervos et venas docet. quæ doctrina quâ ratione sit defendenda infra dicetur.

F Ductus seu rivuli qui inserviunt his Facultatibus primariis, sunt venæ, arteriæ, et nervi. Venæ etc.

Ponuntur verò ea quæ dubia non sunt de Sede Facultatum Primarum. Ponitur primum ejusmodi. Facultas Animalis quo ad vim conficiendi sanguinis communis sedem habet in hepate. Probatur Hepate affecto ægrè corpus alitur et ideo huic visceri curatio adhibetur ut Facultas Altrix et Vis efficiendi sanguinis corroboretur. Ergo naturalis Facultas residet in hepate. 2dum Animalis Facultas residet in cerebro. Probatur: Nervi instrumenta motus et sensus oriuntur à cerbro ut per experientiam deprehenderunt Anathomici. Ergo Animalis Facultas residet in cerebro. 3tium Facultas vitalis residet in Corde. Probatur: Cor est principium Fons vitæ Actionumque vitalium et caloris nativi officina. Ergo Facultas Vitalis Sedem habet in corde. His documentis adjungitur Problema controversum inter Physicos et Medicos.

An nimirum Principatus debeatur Cordi, an verò cerebro nec ne?

Aristoteles et commentatores Cor omnium partium dignissimum esse asserunt. Medici Cerebro dignitatem et principatum tribuunt. Utraque verò pars potest defendi hac ratione. COR ratione fontis vitæ et Actionum vitalium est dignius cerebro. CEREBRUM verò ratione fontis sensuum et Actionum Animalium omnium præfertur cordi. HECUR quoque ratione sanguinis qui per totum corpus diffunditur habet præstantiam. Quod si quis vellet defendere Doctrinam Aristotelis de origine nervorum, de sede primariarum Facultatum, de sede sanguinis, somni et sensus communis utetur his distinctionibus: Facultates primariæ habent sedem in corde ratione influxus seu ratione caloris nativi qui derivatur ad cerebrum et ad Hepar, et sine quo nec sanguis in hepate conficitur nec sensus et motus fieri potest. Et idem dicendum est de sede sanguinis communis et sede sensus communis. Quoad sanguinem Arterialem purissimum cujus sedes est in corde. Quoad Originem nervorum doctrina minimè dubia videtur originem nervorum esse à cerebro, nervarum ab hepate Arteriarum à Corde. Nihilominus defendi quoque potest sententia Aristotelis de origine nervorum secundum talem distinctionem. Origo nervorum est duplex 1ma quæ est à corde. 2da quoad manifestam crassitiem nervorum quam habent nervi in cerebro et spinali medulla; proinde quoad hanc manifestam crassitiem oriuntur nervi à cerebro.

Documentum Quintum

In quo omnes causæ Augmentationis et Nutritionis breviter monstrantur.

Ut Doctrina superior de Augmentatione et Nutritione sit plenior et uberior, causæ omnes et Nutritionis et Augmentationis sunt cognoscendæ. Porrò Augmentationem physici docent esse motum viventis quo omnes partes totumque vivens secundum omnes omnes extenditur ad majorem quantitatem factam ab Anima per calorem naturalem ex alimento intrinsecus assumpto inque partes majores viventis consumptis aliis converso ut ipsum vivens debitam assequatur quantitatem ut valeat exercere opera vitæ. In hac plena Augmentationis Definitione quatuor CAUSÆ sunt. MATERIALIS CAUSA in qua est ipsum vivens, MATERIALIS EX QUA est alimentum, Forma

Formalis causa est ipsa Essentia seu natura Augmentationis. Primaria causa Efficiens est Anima, instrumentaria causa et calor nativum finis duplex Augmentorum primus assecutio debitæ quantitatis. Secundus exercitatio seu functio operum vitæ, intelligenda verò opera vitæ Naturalis, Animalis facultatis quæ supra sunt declaratæ. Quo ad Nutrionem eam nonnulli dicunt esse repletionem ejus quod est evacuatum. Physici verò Nutritionem dicunt esse Restaurationem ejus quod à calore nativo est absumptum, idem Nutritionem Physici appellant conversionem Alimenti in Substantialem Aliti ab Anima facta ope caloris nativi. Præter has breves Nutritionis Definitiones plenam Physici tradunt ejusmodi. Nutritio est restauratio partium in corpore viventis calore nativo absumptarum ex alimento intrinsecus assumpto et in Substantiam Aliti post multas mutationes converso facta ab Anima per calorem nativum ut ipsum vivens vitam à natura ad tempus præfinitum tueri possit. Ex qua Definitione Nutritionis quisque colliget in quibus conveniat Augmentatio cum Nutritione in quibus differat, differunt nimirum Fine, conveniunt verò efficiente causa primaria et instrumentali. Differunt præterea materiâ quo ad modum cum nutritionis materia ex qua fit Alimentum potentia caro, Augmentationis verò idem Alimentum materia ex qua fit est potentia quantum vivens.

Documentum Sextum

De ratione Nutritionis deque alia et alia Nutrimenti sumptione.

NB.
Qui naturâ pituitosi sunt famem facilè et citra noxam tolerare possunt. Hinc rectè ab Hippocrate dictū est: Corporibus carnes humidas habentibus, famē adhibere convenit. 7 Aphoris. 60 Fames enim corpora siccat. Hæc Fuchsig.

Quo ad 1mum est quæstio apud Physicos. An Nutritio viventi semper sit necessaria nec ne? Inprimis certum est Nutritionem non semper habere eundem vigorem et eandem nutritionem; sed diminui propter caloris nativi debilitatem. Docent quoque physici interdum cessare Nutritionem vel quia alimentum deest vel non est satis idoneum ad alendum vel quia exigua est humidi nativi absumptio, vel quia debilitas calidi nativi magna est, vel quia denique adest humoris viscosi seu pituitæ lentæ et viscidæ copia magna quæ sensim absumitur à debili viventis calore proinde tum vivens nutrimento non indiget. Exempla apud Physicos herbarum, animalium et hominum. Quo ad Herbas referunt physici Aizoum seu Sempervivum tempore longo sine ullo nutrimento extrinsecus assumpto vivere et florere, adest enim magna copia succi pituitæ viscosæ similis et proinde fovet semper vivum sine novo nutrimento. Aloe quoque ob eandem rationem sine omni nutrimento diù vivit; et Thelephium seu faba inversa. Quo ad Animalia: Glires Serpentes sine novo Alimento hyeme pinguescunt ob humorem viscosum intra corpus collectum et idem sentiendum de ursis. Quo ad Homines: Anno Domini 1542 in Camera et Diœcesi Spirensi deprehensa puella quæ sine cibo et potū vixit triennio. Anno quoque Domini 1604 in Ditione Reipub. Bernensis puella 18 annorum triennio sine omni cibo ac potū supervixit quæ res medicos et Physicos torsit, tandem causa deprehensa.

Struthio longo temporis spatio absque cibo externo assumpto vivit, nutritur tamen ex interno alimento, nempè ex humoribus jam ante coacervatis quos iners & debilis calor lentè admodū concoquit. plura Aristot. Lib. 6 De Histor. Animal. cap. 30. et Lib. 8. ibid. cap. 12. Conimbricenses in Lib. de Gen. et Corruptione. cap. 5. Quæst. 10. Scharfig in Physica majori. p. 862.

deprehensa quæ non alia fuit quam copia pituitæ lentæ et viscidæ quæ triennio à calore debili consumebatur nec opus fuit novo Alimento ad restaurationem partium cum illa pituita in sanguinem convertebatur. Patet igitur nutritionem interdum cessare. Quo ad Alterum. Non dubium est quædam viventia crebriori Alimenti assumptione indigere ut patet in juvenibus et senibus ob calidi vitalis copiam et vigorem et ob ipsam Alimenti substantiam firmam solidamque aut tenuem. Denique ob viventis quantitatem majorem consuetudinemque sumendi cibi. Pro diversitate quoque Temperamentorum in corporibus viventibus inedia diutius vel minus diu ferri ac tollerari potest referentibus physicis v. g. corpora viventium biliosa quæ calidum habent ventriculum ante diem quartum emoriuntur ob inediam si nimirum sint sana quæ non diu possunt ferre inediam. Morbosa verò diutius. In ægris enim calor naturalis circa materiam morbi est occupatus et ita validè non potest agere in humidum nativum.

De Terminis Magnitudinis et Parvitatis quos habent viventia et non viventia.

An certi sint Termini Magnitudinis et Parvitatis omnium rerum, an vero non?

Quæstio proposita de Terminis Quantitatis rerum corporearum declaranda est positis Physicorum documentis. Documentum 1mum De Terminis magnitudinis viventium sit tale. Viventia certos et determinatos habent magnitudinis Terminos ultra quos non possunt naturaliter excrescere. Hoc documentum est philosophi et confirmatur duabus rationibus. 1ma est ejusmodi: Omnium viventium calor dum exerit vires in alimentum, hebetatur ab illo et deperdit aliquantulum propriæ virtutis. Ergo Vivens quodvis habebit Terminum magnitudinis ultra quem non poterit crescere. Ratio consequentiæ: Dum enim calor debilitatus non convertit plus Alimenti quam deperditum est in partibus viventis tum accretio viventis cessat. Ratio 2da Si corpus v. g. hominis posset esse summæ magnitudinis, distaret caput à ventriculo nimium et alimentum dentibus commolitum tardè nimis demitteretur ab ore. Ergo tunc languesceret, nec posset commodè nutriri et extendi sine impedimento. Recentiores physici certam extensionem viventis et determinatam dicunt esse propter Formam; non enim qualibet Forma potest commodè exercere suas Actiones unita materiæ alterius et alterius extensionis, v. g. Forma culicis unita corpori elephanti, et Forma elephanti unita corpusculo culicis non possent commodè exercere Actiones quæ sunt diversarum partium. Ergo justam extensionem materiæ Forma quæ unitur illi requirit. Terminorum magnitudinis certum annorum spatium in plantis et Animalibus definiri non potest, terminus Accretionis de quo disputatio est exacto annorum spatio definiri non potest, in hominibus potest, proinde Anni consistentiæ supra sunt declarati. Denique viventia alia citius, alia tardius, alia magis, alia minus augentur seu concrescunt propter diversitatem Temperamenti, sicciora enim frigidiora

Frigidiora viventia tardiusque et minus crescunt temperate humida et calida facilius et magis utpote quorum ossa extenduntur magis et citius propter humiditatem. Documentum 2dum. De Termino magnitudinis rerum corporearum quæ connexionem habent cum viventibus. Documentum hoc secundum brevissimè declarant Physici dum docent res corporeas quæ connexionem habent cum viventibus cujusmodi est v.g. cadaver hominis aut Aliarum Animantium. Determinatum ante habere terminum magnitudinis, rationem habent ejusmodi. Non potest esse cadaver hominis majus quam fuit homo vivus. Ergo res quæ connexionem habent cum viventibus determinatum habent magnitudinis Terminum. Antecedens sic probatur: Tota statura hominis et cujusvis animantis altitudo posita est in ossibus eo pactis. Ergo Non potest esse hominis cadaver majus quam fuit homo vivus. Ratio consequentiæ: Æque enim sunt ossa compacta in homine vivo et mortuo ante dissolutionem cadaveris in Elementa aut in Vermes. Documentum 3tium. De Termino magnitudinis rerum et viventium Homogenearum. Hujus Documenti declaratio apud Physicos est ejusmodi. Res non viventes Homogeneæ cujusmodi est Aqua, Ignis non habent determinatum magnitudinis terminum ultra quem crescere non possent. Rationes hujus documenti afferunt duas Physici. 1mam Aqua addita aquæ facit aquam majorem et hoc potest fieri magis atque magis. Ergo Res non viventes homogeneæ non determinant sibi certum magnitudinis terminum. 2dam Rationem afferunt ejusmodi: Si esset maximus ignis. Ergo Oppositam materiam ad concipiendam flammam facilè non combureret secum si combureret cresceret. Sed oppositam materiam ad concipiendam flammam facilè ignis comburit. Ergo non potest dari maximus ignis. Minor sic probatur: Semper ignis Actionem suam exerit in materiam sibi applicatam eamque si idonea est accendit et comburit. Limitatio Documenti hujus sit ejusmodi: Quantumvis Homogenea corpora non viventia non determinant sibi certam magnitudinem, nihilominus impediuntur ne in immensum crescant et à corporibus contrariis et præterea ob defectum materiæ quæ opponi possit et Spatii seu Loci limitationem in immensum non excrescunt. Objectio contra hoc Documentum Tertium: Ignis determinatam intensionem Accidentium ultra quam non potest crescere exigit calorem v.g. ut 6. Ergo etiam exigit determinatam extensionem et consequenter non poterit in immensum crescere ut dictum in Documento superiori. R. Neg. Consequent. Discrimen vero in eo est quia gradus intensionis in eadem parte Subjecti recipiuntur secundum determinatam subjecti virtutem ita ut non possint plures et plures recipi in eadem parte Subjecti, Extensio enim est in diversis partibus Subjecti continuis. Proindè quemadmodum primi gradus continuantur ita et subsequentes possunt continuari cum præcedentibus. Ex qua solutione objectionis quisque inferret, ignem v.g. crescere in maximum. Hæc de Termino magnitudinis. Documentum 4tum. De Termino Parvitatis rerum viventium et non viventium. Quo ad Terminos parvitatis rerum viventium, non dubitant Physici viventia habere certum parvitatis terminum. Ratio: Operationes Viventis Naturales, Animales et

Animales et Vitales requirunt corpus organicum seu variis partibus præditum. Ergo vivens requirit certum parvitatis Terminum. Ratio Conseq. Unica enim eaque exigua portio non potest appellari corpus organicum viventis, si tamen esset corpus hominis quantum est granum papaveris non posset functiones omnes Naturales Animales et Vitales exercere. Quoad Terminos parvitatis rerum non viventium recentiores Philosophi et Scholastici docent res non viventes F consistant in indivisibili materiæ puncto. Secunda ab experientia, triticum v. g. comminuitur partes ferè indivisibiles quædiu conservant suam incolumitatem. Ergo Non viventia non determinant sibi certum parvitatis terminum; sed consistunt in indivisibili materiæ puncto. Peripatetica Doctrina de minimo Physico supra est dicta v. g. Dum guttæ cadentes auferunt aliquam lapidis partem, illa portio minima potest appellari terminus parvitatis Lapidis.

Problema Physicum.

An omne vivens necessariò nutriatur an verò non?

Vide Physicam Scharfii pag. 862: Vacatio à sensus officio est somnus et à facultate Altrice seu Nutrice est mors.

Propositum hoc Problema propter recentiores Scholasticos declaratum est ut constet ut per nutritionem restauretur radicale seu primogenium humidum et præterea ut restaurentur Spiritus consumpti quod infra uberius declarabitur. Ponunt itaque duæ hypotheses quas nemo negare potest. 1ma Datur in Animalibus calor naturalis in gradu intensiori quam est frigus aut humor. 2da Dantur in Animalibus gradus aliquot frigoris et humoris secus vivens calore nimis brevi consumeretur. Hæc secunda hypothesis vim veritatis habet ex ipsa respiratione ut calor cordis nimius per aërem inspiratum attemperetur. His positis hypothesibus veteres Peripatetici docent vivens necessariò nutriri Alimento ut calor naturalis agat in Alimentum et ex Alimento quicquid consumptum est ex humido radicali restauretur per novæ partis productionem seu per conversionem alimenti in Substantiam viventis. Recentiores Scholastici Physici negant calorem nativum agere in minimum radicale quod appellant partes in prima Generatione acceptas. Dum verò veteres Peripatetici scire volunt quamobrem vivens indigeat alimento. Respondent Recentiores ut ad statum perfectum perveniat vivens, quod primam amisit contemperationem, homines nimirum intra se possident principium corruptionis. Igitur ad damnum hoc resarciendum novo opus habet Alimento vivens. Addunt secundam rationem quæ est ejusmodi. A corporibus ambientibus ab äere nimium igne Sole destruitur recta viventis temperis. Ergo Necessarium est alimentum ad eam reparandam. Tertiam adjungunt Rationem. Spiritus vitales ignei quotidie wanescunt nec possunt aliquid produci nisi detur nova Alimenti materia ex qua producitur. Ergo Alimentum est necessarium. Istæ rationes Tres concedendæ, re.

F non determinare sibi certum parvitatis terminum. Rationes sunt duæ. 1ma nulla apparet repugnantia in eo si res non viventes consistant in indivi: Ret.

concedendæ, retinenda nihilominus est Doctrina Peripatetica de consumptione humidi nativi per vim caloris naturalis. Proinde restauratur et temperies et spiritus ignei consumpti, præterea id quod est consumptum ex humido primigenio per alimentum extrinsecus assumptum. Contra veterem doctrinam Peripateticorum tria objiciunt recentiores Scholastici. 1. Si calor nativus ageret in humidum radicale, ageret in ipsum Animal quod à veritate alienum videtur. Neganda conseq. Ratio Non enim est contra naturam quod una pars calidior Animantis agat in alteram frigidiorem quod experientia confirmat, manus enim calida applicata frigidæ eam calefacit. 2 Objectio: Si calor nativus ageret in humidum radicale. Ergo sui ipsius interitum intenderet, nihil autem sui destructionem intendit. Ratio Conseq. Dum enim calor nativus agit in humidum radicale illud consumit quo consumpto vivens interit et calor nativus. R. Neganda consequentia. Calor enim intendit solam Animantis nutritionem, non extinctionem. Præterea calor Animantis dum agit in alias partes, tollit dispositiones requisitas ad conservationem Animalis, et sic vivens interit et calor quantumvis per Accidens. 3 Si calor nativus ageret in humidum radicale, mors viventis non posset appellari violenta utpote cum proveniat à calore consumente humidum qui calor est intra Animam. Ratio majoris propositionis: Violenta enim fit ab extrinseco agente quod vim confert passo. Respondendum mortem viventis posse appellari violentam, si violentum sumatur pro eo quod non est secundum tempus à natura constitutum cujusmodi est v. g. suffocatio viventis. Dicitur quoque mors naturalis viventis quæ est secundum naturæ legem certam, plura dicta sunt de morte quomodo possit dici naturalis in illo Problemate; An corruptio debeat appellari res naturalis nec ne.

An totum Alimentum convertatur in Substantiam viventis seu aliti nec ne?

Absolute Respondendum non totum. Ratio 1ma. Non omnes Alimenti partes perfectè possunt concoqui sed duntaxat puriores quæ in Substantiam aliti convertuntur reliquæ verò abeunt in recrementa. Ergo Non totum Alimentum convertitur in Substantiam aliti. Antec. experientia confirmat. Ratio 2da. Licet omnes alimenti partes æquè essent puræ et ad concoquendum aptæ, non tamen omnes æqualiter applicarentur calori nativo. Ergo Non totum Alimentum quantumvis sit purum converti potest in Substantiam viventis. Antec. Alimentum habet profunditatem ob quam partes aliæ distant à calore nativo, aliæ minus. Ergo Non totum Alimentum quantumvis sit purum converti potest in Substantiam viventis. Illud ex Sacris: Omne quod per os intrat et in ventrem vadit, in secessum emittitur. Denique non quælibet res potest esse viventis Alimentum quod experientia confirmat. Proponenda postmodum est Quæstio.

An vivens idem numero toto vitæ decursu maneat nec ne?

Ratio dubitationis. Calor nativus consumit partes viventis quæ absumptæ restaurantur per Alimentum conversum in Substantiam viventis ut supra dictum. Dubium itaque videtur an sit vivens quod partes habet novas quæ non fuerant in prima productione debeat dici idem numero toto vitæ decursu. Quo ad sententias

Sententias. Opinatur Scotus idem vivens esse per aequivalentiam quemadmodum navis cujus omnes partes putrefactae sunt et novae in locum priorum substituuntur, de eadem secundum aequivalentiam. 2da Sententia est veterum Peripateticorum qui docent partes materiales praesertim vero humidas consumi calore nativo, sed manere sicciores quae resistunt Actioni caloris nativi, formales vero partes negant absumi calore, et ejusdem Sententiae est Averroes 1mo de ortu et interitu tex 35. cujus Argumentum est ejusmodi. Si tota materia flueret, et tota etiam revocaretur, sequeretur posse Formam contra naturam separari a tota sua materia. Sed hoc falsum est cum una numero Forma unam numero materiam informet. Ergo non fluit tota materia nec reparatur. In homine dubium non est nullam esse absumptionem animae moralis per calorem nativum, cum immaterialis Anima rationalis, nutritione non indigeat, nec Actionem caloris sentiat. In aliis viventibus v. g. in equo dubium est num partes formales Formae viventis absumantur et absumptae restaurentur. Proinde recentiores Scholastici docent partes Formae materiatae nonnullas partes consumi et postea restaurari ab ipso vivente. Quo si quis quaerat: An productio prima Formae equi differat specie a secunda productione qua equus productus producit novam Formae partem. Respondendum secundum recentiores utramque productionem Formae esse ejusdem Speciei. Ratio 1ma. Nova pars Formae equi est ejusdem Speciei cum praecedente. Ratio 2da: Agens est ejusdem speciei. Ergo Dubium non videtur novam partem ejusdem Speciei esse cum prioribus partibus absumptis ut conclusio inferatur et sensus illius non sit obscurus ponitur Documentum ejusmodi: Tribus modis aliquid dicitur idem Numero 1mus idem numero illud dicitur cui nihil accedit, nihil decedit ut v. g. Orbibus coelestibus. 2dus idem dicitur numero quod in principali idem manet quantumvis partes quaedam recidant et novae accedant v. g. corpus humanum individuum Petri et Pauli idem numero est in pueritia, adolescentia et senectute licet plurimae partes decedant et novae accedant. 3tius idem numero dicitur cujus partes sunt in perpetua successione v. g. Fluvius quispiam idem est numero eo anno cum eo qui fluxit ante aliquot Annos. Patet igitur sensus quaestionis propositae ex secundo modo, secundum quem aliquid dicitur idem numero. Conclusio ponitur ejusmodi. Idem numero vivens manet toto vitae tempore. Probatur: manet eadem materia in vivente quoad partes sicciores seu in principali quae calori resistunt, manet quoque et Forma et Anima etiamsi intelligatur materiata quoad plurimas partes quae nunquam absumuntur. Ergo vivens toto vitae tempore manet idem numero. Ratio consequentiae ex documento patet in quo explicatur quid sit idem numero manere vivens toto vitae tempore. Super est ut Problema proponatur de Rarefactione distincta ab Augmentatione.

Utrum in Rarefactione acquiratur nova Quantitas, in Condensatione vero amittatur nec ne?

Imprimis quid Rarum appellant Physici et quid Densum explicandum. Rarum appellant Physici illud quod sub magna dimensione seu Quantitate materiae parum continet. Postmodum Densum illud vocant Physici quod sub exigua extensione multum complectitur materiae. Praeterea Rarefactionem et Condensationem appellant Physici motum

ad quem

ad Qualitatem quemadmodum Augmentatio, Diminutio ad Quantitatem. Quoad Sententias, Nominalistæ existimant rarefactionem et condensationem majori et minori partium unione. Idem res Rarefacta secundum illorum sententiam minus habet partes unitas, Condensata vero magis unitas quod nec Peripatetici negant. modum vero idem Nominalistæ Rarefactionis docent etiam per ingressionem aëris in foramina quæ sunt inter partes distantes, condensationem vero existimant fieri per aëris expulsionem è foraminibus, Ingressionem vero et Expulsionem aëris consequi docent majoris vel minoris loci occupationem. Et hanc Doctrinam illustrant spongiæ extensæ vel compressæ. Sed causa Rarefactionis et condensationis non est petenda ab ingressu aëris expulsione qui ingreditur ne vacuum admittatur. Quoad sententiam Peripateticorum plurimorum, ii docent nullam novam Quantitatem in Rarefactione esse nullam amitti in condensatione, sed partes Quantitatis aliter se habere in rarefactione quam in condensatione per mutationem veri locum. Ratio præcipua hujus sententiæ est dum aliquid secum se rarescit v.g. cera igni admota et extensa omnes illius partes quantumvis exiguæ fuerint, fiunt extensiores sine accessu novæ quantitatis et materiæ, majorem saltim habens explicationem et violentiam. Ergo Rarefactione non est nova quantitas. Idem quoque dicendum est de condensatione in qua sine novorum graduum additione partes omnes extensæ coarctantur et uniuntur adeo ut minorem longè quam antea habeant situm. Possunt quoque raritas et densitas absolutè esse sine majori vel minori loci occupatione ut patet in SS. Eucharistia. Denique viribus agentis Naturalis una gutta non potest rarescere ita ut adæquet magnitudinem, neque occeani comprimi ut sit tam exiguus quam est gutta. Non enim ex quovis fit quodvis natura viribus. Se ad contextus idem etc.

CAPUT SEXTUM.

De contactu Physico agit.

PARS LIBRI TERTIA in qua declaratis mutationibus Physicis sine quibus nec Actio Physica fieri potest nec generatio Elementorum in parte de qua Generatione Lib. 2 explicat Actionem Physicam exordio sumpto à contactu Physico qui est conditio sine qua non sit Actio Physica. Capitis præcepta sunt duo. In 1mo declarat contactum Physicum. In 2do moventium, agentium et tangentium genera ratione recensit. 43 et 44 Cum autem etc. 1mum capitis Præceptum in quo facta dicendorum propositione declarat contactum per distinctionem illius et conditiones eorum qui se tangunt mathematicè et Physicè. In propositione dicendorum facit mentionem quæstionum quæ in prima parte libri 2di proponuntur. An nimirum Elementa sint æterna, an vero habeant Generationem. Quoad Doctrinam contactus hæc ejusmodi est: Imprimis Philosophus distinguit contactum in metaphoricum et in contactum propriè dictum. Metaphoricum contactum docet significare Affectionem alicujus in aliquo v.g. dum quispiam dicit se tangi calamitate socii sui. Contactum propriè dictum distinguit Philosophus in mathematicum et Physicum. Ad mathematicum contactum tres conditiones requiri docet. 1ma ut quæ se tangunt habeant magnitudinem. 2da ut Loco seu situ distinguantur seu ut sint separata. 3tia Ut Extremitates illorum sint simul, quam conditionem Philosophus cap. 3 posuit dum dixit ea se tangere quorum extremitates sunt simul. Complures Mathematici

Mathematici una cum Physicis contactum mathematicum appellant abstractum materiale docentq̃ illum fieri in minimo seu in puncto, minimū nimirum secundum mathematicos unius magnitudinis tangit minimū alterius magnitudinis idem minimum unius circuli tanget minimum alterius circuli. Quo ad Physicum contactum, ad eum præter conditiones tres recensitas reperiri docet Philosophus quartam Virtutem nimirum seu vim Agentis intra Sphæram activitatis consistentem idem intra limitatum spatium intra quod virtus Agentis diffundi potest. Quæ igitur tangunt se Physicè, debent esse in aliqua loci differentia sursum aut deorsum, debent esse gravia vel levia, debent esse prædita virtute agendi idem debent esse mobilia et motiva activa et passiva et illorū extrema debent esse simul. Præter hanc Distinctionem contactus est alia dum dividitur contactus in contactum suppositi et in contactum virtutis de quo in Problemate. Cæterum etc. Alterum capitis præceptum in quo Moventia, Agentia et Tangentia declarantur. Quo ad moventia docet Philosophus moventia alia esse quæ movent et non moventur et talem primum motorem dicit Philosophus qui omnia movet, et non movetur, omnia commutare potest, et omnis mutationis est expers. Commentatores nonnulli omnes intelligentias docent movere et non moveri ut v. g. dum movent Orbes cœlestes, ipso motū Physico circuli per se et absolutè non agitantur. Sunt et alia moventia quæ movent et moventur v. g. homo et movetur et movet quidpiam. Quo ad AGENTIA hæc docet Philosophus alia esse quæ agunt et repatiuntur ut ignis dum agit in aquam repatitur ab aqua id est non solum ignis exerit vim suam in aquā, verum etiam aqua in ignem. Alia agentia sunt quæ agunt sine resistentia patientis idem dum agunt nullam sentiunt resistentiā, ut dum intellectus humanus rem quampiam objectam intelligit, nullam sentit resistentiam; sed duntaxat terminū suæ intellectionis habet qui appellatur verbum mentis quā de re Lib. 3 de Anima. Quo ad Tangentia hæc philosophus docet esse duplicia. ALIA nimirū quæ tangunt et tanguntur ut ignis dum aquam calefacit tangit aquam et tangitur ab illa. ALIA sunt quæ tangunt et non tanguntur cujusmodi Sol qui lumine suo aerem et terram tangit, nihilominus nec ab äere, nec à terra tangitur.

Axiomata.

1. Nisi ex uno esse omnia, non possent vicissim agere et vicissim pati. Hoc pronunciatum intelligendum est de communi Subjecto Actionis et Passionis. Declaratio verò illius sit ejusmodi. Unum contrarium non mutatur in aliud, idem calor non fit ex frigore; sed Subjectum commune pulso uno contrario recipit aliud ut aqua pulso frigore recipit calorem, hoc commune Subjectum materia prima; sensus igitur pronunciati est, nisi esset commune unū Subjectum, non esset Actio et passio reciproca. 2. Nec agere nec pati ea possunt quæ se mutuo tangere nequeunt. Intelligendus verò est contactus in hoc pronunciato aut suppositi aut virtutis. 3. Ea se tangunt quæ cum integras magnitudines situmq̃ habeant, extrema quoq̃ habent simul. His adjunguntur problemata.

Utrum

Utrum omnis Actio Physica fiat per con„ tactum nec ne?

Sensus Problematis, num Agens Physicum passum immutans debeat illud tangere nec ne? Negans pars Pro-
blematis plurimas habet experientias quæ monstrant posse fieri Actionem Agentis in distans seu in passum
absq contactu physico v.g. Sol agit in hæc inferiora, non tamen illa tangit. Sidera Sol aerem calefacit et
attenuat, orbes verò interjectos non. Magnes trahit ferrum et non tangit illud. Torpedo manus stuporem
affert et non tangit manum piscatoris; Basiliscus, Catoplebas aspectu enecant, et quem enecant non
tangunt. lippientes oculi lædunt sanos, lupi raucedinibus inducunt sine contactu. Tympana quoq dis-
siliunt ex una parte pellem hñs lupinam ex altera ovinam. Præterea radii Solares si inciderint in
Speculum cavum penes quod est stupa sine contactu cum äer non accendat, oleum quo charta est im-
buta comburit, non autem charta, pomum linteo circumvolutum coquit, non tamen linteum lædit,
ex vulnere interfecti si præsens adsit homicida sanguis effluit. Et hæ experientiæ ostendunt Actionem
physicam posse fieri sine contactu. Ratio ejusmodi adjungit experientiis. Si contactus necessarius est
ad Actionem ut supra dictum sequet Actionem ee solum in superficie; sed falsum est Actionem Physicam
in superficie duntaxat ee. Ergo contactus non est necessarius ad Actionem physicam. Ratio consequentiæ
In majori proportione ex conditione contactus superficierum enim est contactus. Minor sic probat: Actio phy-
sica est in tota profunditate exercet ut patet in aqua in quam agit ignis. Ergo Falsum est Actionem phy-
sicam duntaxat ee in superficie. Ut autem possint solvi experientiæ una cum ratione et ut pars affirmans
Problematis confirmet ponenda sunt nonnulla præcognita. 1mum Agens physicum habet principia Actio-
nis quibus passum seu distans immutat, hæc autem principia alia sunt primaria, alia secundaria. Principi-
um primarium est ipsa Forma Substantialis; secundarium autem est vis seu qualitas innata cujus agita-
tio est agentis Actio. Passionis quoq principium primarium est materia prima, secundarium aliud accidens.
Porrò ut Agens agat in stans seu passum, tangere illud debet quemadmodum in contextibus dictum est. PRÆcogni-
tum 2dum: Ut constet quâ ratione Agens tangat distans seu passum quod immutat ponit contactus
distinctio ejusmodi. Contactus est alius est ratione Suppositi, alius ratione virtutis. Contactus ratione suppositi
est dum Agens et Patiens secundum externa se tangunt sine ullo interjecto corpore. Contactus ratione Virtu-
tis est dum agens vim suam corpori intermedio applicando agit in passum, nihilominus virtus illa non est medii pro-
pria sed agentis et dicitur immediate tangere Agens passum ratione Virtutis non Suppositi. Præterea est
Divisio contactus apud Physicos ejusmodi. Contactus Physicus immediatus ratione Suppositi et Virtutis ut dum
ignis tangit aquam sine ullo intermedio corpore, est quoq contactus immediatus ratione virtutis, non ratione sup-
positi ut dum ignis per interpositum äerem calefacit manum. Præcognitum 3tium: Solis Actio à physicis statui-
duplex, Prima et Secunda. Primam appellant Physici eam dum Sol radiis suis omnia quæ sibi sunt subjecta collustrat
Secunda

Secundam appellant eam dum Actione suâ seu illuminatione seu lumine quo collustrat omnia, calefacit et attenuat äerem. Primâ Actione agit Sol in distantia per medium quia radii illius in Subjectis cœlorum orbibus recipiuntur. Secundâ Actione dum calefacit et attenuat äerem non agit per intermedios cœlorum orbes qui calefactionem et attenuationem non recipiunt cujus ratio sumenda est ex conditione et dispositione patientium bene dispositorum secundum illud pronunciatum Philosophi quod est 2 Lib. de Anima cont. de Anima cont. 24 Actus Agentis in patiente benè disposito recipiuntur ut calefactio et attenuatio in äere. Conclusio infertur ejusmodi. Omne Agens physicum corporeum agit per contactum mediatum vel immediatum de quo contactu in præcognito. 2dum dictum idem per contactum immediatum virtutis, mediatum verò suppositi. Probatur Conclusio: Quicquid Actionem suam exerit in aliud debite sibi applicatum agit per contactum. Sed Agens physicum Actionem suam exerit in aliud seu in passum debite sibi applicatum. Ergo Agens physicum agit per contactum. <u>Probationes minoris</u> sumendæ ex præcognitis et illustrandæ sunt exemplo ignis et aquæ qui ignis in aquam in certa distantia positam exerit vim suam. Ad experientias postmodum et ad argumentum est respondendum. Et imprimis generatim postmodum speciatim. Generalis Solutio omnium experientiarum sit talis: Actio omnis Physica et fit per medium et requirit necessario tactum, sed non eodem modo recipitur in passo et in medio ob diversam dispositionem medii et passi seu distantis. Specialis Solutio ad singulas experientias sit ejusmodi: SOL tangit hæc inferiora et orbes intermedios — immediato contactu virtutis. Sed orbes cœlestes non sunt capaces Actionis secundæ Solis de qua dictum in præcognito ultimo, ob diversitatem dispositionis et eandem Solutionem secundæ et tertiæ experientiæ, magnes enim dum trahit ferrum propter qualitatem similem et propriam tangit illud contactu virtutis. Torpedo quoque agit per contactum, sed duntaxat manus piscatoris est disposita seu apta ad suscipiendum torporem non autem rete. 4tæ Experientiæ Solutio est ejusmodi: Basiliscus et Catoblepas pestilenti afflatu äerem primo inficiunt per quem defertur pestilens afflatus ad eum quem visu enecant ac proinde est contactus virtutis. 6tæ Experientiæ Solutio est apud Physicos prudentes ejusmodi: Fascinatio fit per emissionem vaporis venenosi ex oculis qui per äerem ambientem defertur ad puerum cujus pueri Spiritus inficiuntur, et proinde contactus est virtutis. <u>Idem dicendum</u> de oculis lippientibus ex quibus vapor infectus exit et per äerem ad oculos sanos defertur quo inficiuntur. <u>De raucedine est Documentum</u> apud Physicos quod utendum Solutionis loco. Raucedo inquiunt Physici fit vel propter novam Qualitatem quâ infectus est äer et per äerem ille qui lupum conspexit. Vel propter subitum vehementemque metum qui cohibet Spiritum et hinc raucedo. De fractione tympani dicendum eam fieri ab hostili Qualitate commota dum percutitur tympanum. Illa experientia de stupa posita penes Speculum concavum in quo radii solares inciderunt et ab illis posita stupa est accensa non autem äer. Respondendum Aerem ignescere tunc; sed ob raritatem flammam non concipi. De charta & linteo dicendum, quià humore pomi et olei charta et linteum imbuuntur, ideo dum pomum coquitur, linteum non læditur, et dum oleum in charta absumitur, charta non comburitur, non enim concipiunt flammam quæ non sunt exsiccata. De cruore ex vulnere interfecti ad præsentiam homicidæ effluentis sine contactu dicendum quod probabile in eo negotio videtur: Inflammatus nimirum sanguis ad vindictam, agitatique Spiritus erumpunt in adversarium si accesserit

accesserit antequam sedeat, propter antecedentem imaginationem inimicitiæ et vindictæ à qua spiritus intra
spatio 24 Horarum et sanguis fuerunt immutati. Præterea eadem in homicida sanguinis et spirituum est
agitatio et ideò simile movet ad aliud simile. Quo ad solutionem rationis supra adductæ, neganda est conse-
quentia majoris propositionis dicendumq contactum esse conditionem sine qua non potest Agens vim suam
exercere in omnes partes passi propinquiores et remotiores. His adjungunt 4tuor Corollaria. 1mum Agens
dum agit in ~~aquam~~ passum de potentia materiæ passi educit quod passum mutat, idem ignis dum agit in aquam de
potentia aquæ educit calorem seu producit novum in aqua calorem quæ apta est ad suscipiendum. 2dum A-
gens Physicum cum finitam et limitatam habeat virtutem, certam requirit distantiam et propinquitatem
quæ sphæra Actualis dicitur ut vim suam exerat in distans, proinde nimia distantia extra sphæram Actualita-
tis agentis Actionem impedit propinquitas verò juvat. 3tium Agens physicum non eodem modo vim suam exerit
in distans cum vehementior sit Actio illius in partes propinquiores, debilior in remotiores. 4tum Corollarium
Probabile videtur in vacuo nullam Actionem fieri in distans cum desit medium per quod vis agentis attingat di-
proinde 1 meteororum cap. 3. docet Philosophus. mundum hunc superiori necessariò contiguum esse ut virtus inde in-
nis derivetur quæ derivari non posset si vacuum inter cœlum et terram esset. Proponitur et alia quæstio controver-
sa ejusmodi:

An Agens Physicum quod agit in distans debeat operari in medio nec ne?

Hæc Quæstio quàm brevissimè determinatur sic: Scotus docet posse agere agens in instans non compara-
do in medio; sed Doctrina illius procedit de agente infinitæ non autem de agente virtutis limitatæ. Proinde
schola Peripatetica Agens physicum asserit non posse agere instans nisi operetur in medio. Ratio 1ma ab ex-
perientia. Dum inter nos et Solem interponitur corpus opacum non possumus illuminari à Sole quià in medio
ob interjectum corpus opacum nihil luminis producit Sol. Ergo Non potest operari Sol in distans nisi opera-
do in medio, et idem de omni agente physico est intelligendum. Ratio 2da: Virtus Agentis physici corporei est ma-
teriata. Ergo Dum attingit distans seu passum necessariò applicatur medio per quod defertur ad passum v.g. odor
primo recipitur in äere quam in naribus. Diversitas saltim est alia ratione dispositi medii, alia ratione distantis
passi. Scholastici recentiores habent Documentum ejusmodi. Causa inquiunt creatæ possunt agere instans imme-
diatè si simul operentur in medio possunt et instans operari immediatè licet nihil operentur in medio. Experientiam ejusmodi
ponunt: Sunt quatuor arbores in linea recta versus passum, quæ si accenduntur calefacient passum. Ergo ignis pri-
mæ arboris accensæ producet calorem in passo et tamen illum non producunt in aliis tribus arboribus. Ratio: sunt non
accensæ nec recipiunt calorem à priori arbore Agens. Ergo Agens potest agere in distans quantumvis nihil opere-
tur in medio. Sed sententia Peripatetica defendenda est tamquam probabilior. Loco verò corollariorum 2 adjunguntur
quæstioni 1mum est problema: An Agens possit producere similem effectum in medio quem produxit in instanti. Respondent
complures Scholastici sufficere si aliquid producat in medio diversæ rationis tum enim producendo aliquid diversum in me-
dio potest instans operari. Alii respondent Agens posse producere similem effectum in medio quem produxit in instanti. Ita
nihil habet incommodi. 2dum Jungitur ejusmodi. De potentia absoluta potest produci aliquod agens contactu virtutis
quod possit immediatè et indistans agere nihil operando in medio, id enim non repugnat tali agenti producto. e
CAPUT

CAPUT SEPTIMUM.

De Actione et Passione Physica.

Declarata conditione prima quam requirit Agens Physicum declarat alias conditiones Agentis & Patientis. Capitis Præcepta sunt tria. In 1mo veterum sententias de conditione Agentium et patientium refert. In 2do ponit Philosophus conditiones Agentium et patientium. In 3tio Requisita Actionis et Passionis declarat. Porrò in Doctrina Physica de Actione et Passione hæc diligenter sunt notanda. 1 Quæ dicuntur Agentia et Patientia Physica. 2 Quæ sunt Principia Agendi et Patiendi. 3 Quæ requisita Actionis et Passionis. 4 Qui modus sit Actionis. 5 Quæ Actionis physicæ natura. 6 Quis Finis. AGENTIA PHYSICA appellant quævis corpora naturalia à quibus mutatio aliqua quæ est in passo tanquam à suppositis operationibus proficiscunt, cujusmodi sunt Agentia ignis, Sol. PATIENTIA PHYSICA sunt corpora naturalia in quæ Agens vim suam exerit ut est v.g. manus, aqua et præcipuè materia prima. PRINCIPIA Actionis Primaria, Secundaria, tum passiones supra sunt declarata in quæstione de Contactu Physico in præcognito nimirum primo. Reliqua enumerata in contextibus declarabuntur. 46 Deinceps etc. 1mum Capitis Præceptum in quo de conditione Agentium et Patientium Veterum philosophorum sententias exponit quorum nonnulli Agentia et Patientia dicebant esse dissimilia, quæ enim similia sunt in illis non potest assignari Ratio cur hoc sit Agens, illud patiens. Ergo Agentia et patientia sunt dissimilia. Declarabant hanc rationem exemplo flammæ magnæ extinguentis minorem propter contrarietatem seu dissimilitudinem. Secundum verò horum Physicorum opinionem inter magnum et parvum ignem est contrarietas. Notanda eo loci ratio quare major ignis extinguat minorem. Major enim ignis vel unit sibi minorem et sic minor extingui videtur, vel pabulum minori accipit quo minor ignis destitutus extinguitur. Postmodum in contex. 47 Democriti sententiam affert qui opinabatur Agens et Patiens debere esse similia. In contex. vero 48 Docet errasse veteres qui virorum quæ Agunt et Patiuntur non Accuratè scrutabant. Qui Agentia et Patientia dicebant esse dissimilia habuerunt rationem Formæ, dissimiles enim Actiones à Formis dissimilibus proveniunt. Qui Agentia et Patientia dicebant esse dissimilia habuerunt rationem materiæ quæ enim omninò diversam habent materiam non videntur posse Agere et Pati omninò invicem. Et ideò in context. 49 Omnem Actionem et Passionem docet philosophus inter contraria esse quæ sub eodem genere continentur. Idemque veterum doctrinam de conditione Agentium et patientium neque absolutè falsam neque absolutè veram; sed partim veram, partim falsam dicit esse. 50, 51 et 52 At non quodvis etc. 2dum capitis præceptum in quo declaratur conditio eorum quæ agunt et patiuntur vicissim. Docet igitur Philosophus Agentia et Patientia nec omninò similia esse nec prorsus dissimilia; sed partim similia genere nimirum, materia et subjecto, partim dissimilia specie nimirum et Forma cum gradu ~~viventis~~ virtutis majoris et minoris. Quod illustrat exemplo ignis qui agit in aquam et qui ignis similis est aquæ ratione materiæ, dissimilis verò ratione Formæ et ratione gradus virtutis majoris cum in igne major sit vis ad agendum seu ad producendum calorem in aqua quam in aqua ad resistendum. Probat quoque hoc Documentum ratione cujus~~modi~~ ~~omnia~~ modi omnia contraria genere sunt eadem, specie distincta, seu partim sunt similia partim dissimilia. Sed

quæ agunt

quæ agunt et patiunt, genere sunt eadem, Specie distincta, seu partim sunt similia partim dissimilia ut patet in igne et aqua. Ergo quæ agunt etc. Huic præcepo documenta sunt adjungenda 1mum de Contactu Agentis Physici, 2dum de Natura Actionis et Passionis deq discrimine. Quo ad 1mum Omne Agens Physicum reddere sibi simile patiens conat, ut ignis dum calefacit aquam reddit sibi similem aquam per calorem moveri aquam producit. Quo ad 2dum Commentatores Actionem inquiunt esse patientis assimilationem, et passionem esse Agentis assimilationem. sed clarior est Actionis declaratio ejusmodi. Actio est virtutis quam Agens habet efficatia et commotio virtutis calefactivæ in ignem qua applicata ad quam producit in aqua calor et aqua immutat quia ex frigida fit calida. Passionem complures Physicè præcisè non solam caloris producti receptionem; sed mutationem aquæ per calorem receptum, habet enim aqua id quod prius non habuit ideoq mutari dicit, quam mutationem complures Physici appellant aquæ passionem. Quod igit discrimen statuendum sit inter Actionem transeuntem et passionem ex hoc Documento quisq colliget dummodo perpendat quid calefactio et quid mutatio aquæ propter calorem receptum. Cæterum haud etc. 3tium Capitis præceptum in quo requisita ad Actionem necessaria declarat et Agens atq patiens revocat ad certum Genus Causæ. Quo ad requisita Actionis et Passionis hæc consistere docet in reactione et repassione seu in mutua Actione et Passione quæ infra declarabit. Philosophus declarat Reactionem coparatione Agentis cum movente sic: datur movens primum quod est primum et causa motus, datur ultimum et proximum propter quod iam non est aliud movens v. g. in homine primum movens Anima, secundarium facultas movendi, proximum nervi et membra motui distincta. Agens quoq aliud est primum aliud proximum v. g. in sanitate recuperanda medicus est Agens primum, medicamenta Agens proximum. Quemadmodum igitur movens primum dum movet potest non moveri, proximum verò dum movet movetur, ita quoq Agens primum dum agit non semper repatit, proximum verò repatit, ut Medicus curans ægrotum nihil ab eo patitur, medicamenta verò dum alterant corpus ægroti ipsa quoq Alterantur. Sed clarius Reactio et Repassio est declaranda et necessitas illius monstranda. Reactio igit est ex parte passi quod vim Agentis sua Actione quam in Agens convertit reprimere conat etiamsi sit tanta Agentis virtus ut Resistentiam patientis vincere possit, Agens non perficiet Actionem; Actio enim agentis debet esse victoria passi. Reactionem et Repassionem Physici faciunt aliam Positivam, aliam Negativam. Positivam dicunt esse eam per quam patiens Actione reciproca in Agens convertitur. Negativam verò resistentiam eam appellant dum passum seu Subjectum respuit omnem Agentis Actionem quia illius non est capax. Magna præterea est necessitas reactionis et Repassionis in natura. Ex Elementis enim mistum non fieret nisi primo per multam Elementorum Actionem, Reactionem et Repassionem qualitates exuperantes retunderent et ad justam temperiem revocarent. In contex 5 4 Infert corollarium ejusmodi Philosophus: Agentia illa patiunt quæ habent Formam in materia prima quæ est omnium contrariorum Subjectum idem quod habet Actu unum contrarium potestate

potestate aliud seu aptum est ad recipiendum aliud ut aqua quæ est Actu frigida potentia continet calorem seu est apta ut ignis ad illam applicatus producat in illa calorem quem illa recipit et sustentat. 55 Nam cum etc. Revocat Agens et Patiens ad certum Genus causæ, Agens quoq ita se habet ut dictum est in comparatione Agentium cum moventibus, intelligenda verò sunt Agentia Physica universalia et partialia. Universalia ut Sol v.g. Prticularia quæ communem habent materiam compatientem quo effectum sibi similem specie producit quod Agens Physicum non possit revocari ad causam Formalem, Finalem, Materialem sunt hæ rationes: Finis metaphorica movet Actione ut est communis sententia. Agens verò per propriam et veram Actionem operat. Præterea Formâ præsente non fit aliquid sed iam factum est, Agens verò dum operat producit effectum. Deniq materia expers est omnis Actionis Physicæ transeuntis, Agentis verò causalitas sita est in Actione. Patiens reducit ad causam materialem quià hæc est Principium patiendi præcipuum. Deniq concludens caput summatim repetit omnia quæ jā declarata sunt.

Axiomata.

1 Quod simile est omni parte, nihil à simili tali pati potest. 2 Tàm Agens quàm Patiens genere similia sunt, specie dissimilia. 3 Contraria inter se invicem agūt et patiunt cum Actio physica versat in contrariis qualitatibq. 4 Quæcunq Activa in materia Formam non habent, ea pati nequeūt, idem ab aliis quæ materiam habent.

CAPUT OCTAVUM
De modo Agendi secundum Sententiam veterum Philosophorum, in hoc capite tractat breviter.

Modum Agendi declaratus Veterum Philosophorum sententias de eodem Agendi et patiendi modo refert et postmodū refutat. Quod autem etc. Empedoclis, Leucippi, Melissi et Platonis Sententias de modo agendi refert usq ad contextum 63. Empedocles opinabat Agens physicū dum agit insinuare se in passi poros seu meatq tenuissimis corpusculis repletos quæ agent subintranti facilè dant locum. Leucippq, Parmenides et Melissq idem sentiebant de modo agendi sed poros vacuos fingebant. Plato Actionem physicam fieri opinabat p contactum superficierū et vacuos poros negabat. Ut autem etc. Enumeratarum sententiarum prolixa est refutatio usq ad contextum 76 inclusivè. Brevis refutatio sit ejqmodi: Agēs physicum vel agit p contactum ut supra dictum est, vel non. Si agit per contactū, frustra pori fingūt sine quibq Agens patienti convenienter applicatum, vim suam in passū exerit. Quod si quispiam velit negare contactum, tum exigenda ratio quæ monstret modū Actionis p ingressum virtutis Agentis in poros. Sed hæc monstrari non potest, proindè frustra fingunt pori vacui vel Atomis repleti, sufficit etenim si passum sit omni ex parte divisibile in quod sit dispositū Agens, vim suam exerit. Ergo veterū pori et ingressq virtutis Agentis in illos causa Actionis ēe non potest. De poris dictum in Augmentatione qui in viventium partibq vi caloris producunt tum ob Nutritionem tū ob transpirationē seu inutiliū rejectionem.

Axiom.

Axiomata.

1 Homo quispiam à mente eousq; discedit ut ignem et glaciem idem putet. 2 Quæ bona et honesta per Naturam sunt et quæ per consuetudinem talia quibusdam esse apparent, ob insaniam nihil differre videntur. 3 Vacuum neq; est durum, neq; molle, neq; calidum. 4 Corpora Physica omni ex parte sunt divisibilia.

CAPUT NONUM.

De Vero Agendi modo.

Rejecta Veterum de Ratione Agendi Theoria, verum Agendi et patiendi modum declarat in primo capitis præcepto. In Altero quid possit colligi ex doctrina Veterum de ratione Agendi quæ per illam subvertitur in Philosophia monstrat. 77 Quoniam autem etc. Primum capitis præceptum in quo veram Agendi rationem exponit et declarat. Agens inquiens Physicum agere ut est Actu, quod est potestate passum. Præterea agens agit secundum omnem vim virtutis suæ non secundum aliquam virtutis partem v. g. ignis ut est Actu calidus in aquam ut est potestate calida seu ut est apta ad recipiendum calorem omnem vim virtutis suæ exerit, proinde illud pronunciatum de caussis naturalibus huic præcepto recte adjungatur quod est ejusmodi: Causa naturalis agit ad extremum suæ potentiæ seu virium idem non statuit certum agendi modum, sed dum impedimentis caret vim omnem exerit ut ignis dum adest materia extremè urit et Sol illuminat. Quoad passum hoc quoq; non tantum secundum partes porosas patitur ut veteres opinabantur; sed secundum totum materia enim secundum quam passum patitur in omnibus partibus est ideoq; passum secundum omnes partes patitur. Partes verò porosæ passi non nihili conducunt celeriori et faciliori Actioni ut patet in metallis pororis. Continuo etc. Infert corollarium nihil nimirum Agere in sibi continuum idem una parte continua alteri non posse agere in alteram continuam; quod corollarium sic est intelligendum: Continuum Mathematicum seu quantitatis expers est omnis Actionis quemadmodum & ipsa quantitas quæ est natura sterilis. Continuum quoq; Physicum qualitatis seu Affectionis secundum eandem passionem et secundum eosdem gradus non agit in aliud continuum tale. Ratio: idem enim Relatum ad se secundum idem non potest esse Actu et potestate quod requiritur in Actione et passione, seu in vero Agendi modo quod supra dictum. Sed de Actione inter similia, Problema infra proponetur. Quod si partium altera fuerit calida, altera frigida vel altera plures habuerit gradus quam altera, tales partes continuæ seu sibi cohærentes habent reciprocam Actionem et passionem ut patet in partibus ejusdem animalis. Qua ratione igitur continuum agat in continuum, et non agat in hoc corollario est declaratum. Deniq; facit Philosophus mentionem distantiæ debitæ passi quæ necessaria est ad Agendum propter limitatam et finitam virtutem Agentis. At fieri etc. 2dum Capitis præceptum

præceptum in quo quid possit inferri ex veterum Doctrina supra commemorata et quid per illam subvertatur ostendit. Inferri posse inquit Philosophus patiens non secundum omnes partes pati posse, quod falsum est. In omnibus enim partibus passiva est materia proinde quoque secundum omnes partes pati potest. Monstrat præterea per Doctrinam Veterum subverti Alterationem et Augmentationem. Alteratio enim fit sine ulla divisione superficierum et sine conversione et transpositione Atomorum quibus modis Alterationem veteres fieri opinabantur. Idem enim corpus partibus sibi mutuo cohærentibus interdum humectatur, interdum exsiccatur ut eadem manus cohærentibus membris interdum est calida, interdum frigida. In Augmentatione quoque est similarium partium et dissimilarium totiusque viventis incrementum ut dictum in doctrina de Augmentatione. Veteres verò physici incrementum fieri opinabantur per appositionem Atomorum, ideoque Appositionem et Augmentationem confundebant. Hæc de Agentibus et patientibus quæ mutuo agunt et patiuntur omnemque habent materiam tum de Actione Alterativa quæ fit per primas Qualitates ut patet in calefactione quæ fit per calorem. Modus quoque declaratus est qui convenit Agenti Physico quod ex necessitate naturæ Physicæ agit vel per instinctum seu vim naturalem duntaxat ut ignis, vel cum cognitione sensuali ut Animalia vel cum ratione ut homo.

Axiomata

1 Continuum ut unumquodque existens Affectionis seu Qualitatis est expers idem Quantitatis nulla est efficatia. 2 Nihil agit in sibi continuum. Sensus pronunciati supra declaratus est. 3 Ignis non tantum dum agit in suppositum, sed etiam dum procul est calefacit, non tamen extra sphæram Activitatis. Adjungitur quæstio prima Doctrinæ cap. istius de Subjecto Alterativæ Actionis transeuntis.

An Actio sit in Agente, an vero in patiente an verò non?

Doctrinæ de Principiis Actionis de Agentibus, de modo Agendi, de ipsa Actione, de conditionibus requisitis ad Agendum, adjungitur quæstio prima de Subjecto Actionis Alterativæ quæ controversa quæstio solet proponi in Physica Generali seu in 8 Libro physicorum. Recentiores scholastici plurimi qui Actionem et Passionem solâ ratione differre opinantur de Subjecto Actionis et Passionis solliciti non sunt utpote cum ex illorum sententia sequatur idem esse Subjectum Actionis et Passionis. Docent verò Actionem Physicam esse id quo Agens producit effectum ut calefactionem quâ ignis producit calorem in aqua. Passionem verò dicunt esse id quo effectus ab Agente producitur. Hanc sententiam non defendunt veteres Peripatetici qui discriminant Actionem à passione et ideo Subjectum Actionis et Passionis non idem esse docent. Quoad Dogmaticam declarationem istius controversiæ. Probabile est Subjectum Actionis Alterativæ transeuntis, cuiusmodi est calefactio, Subjectum nimirum inhærentiæ esse materiam primam, Subjectum verò ejusdem Actionis ut quod seu Denominationis esse ipsum Agens quod probatur sic: Formaliter denominatur Agens ab Actione. Ergo Actio est in Agente non in passo

in passo. Ratio consequentiæ. Denominatio enim rei est ab aliqua Forma quæ est in re. Dicitur veri-
ctio Alterativa transiens, non quod ab Agente ad patiens tanquam ad Subjectum inhærentiæ transe-
at, sed quod per eam in passo producatur aliquid quod passum recipit et quo recepto mutatur ut per calefactionem
quæ est in igne producitur in aqua calor quo recepto aqua fit calida. Agens enim physicum dum Actu agit ali-
ter se habet dum non agit. Ergo Agere dicit quandam mutabilitatem in Agente. Quo ad Actiones Divi-
nas transeuntes cujusmodi est creatio. Iidem Scholastici docent nullum modum intrinsecum tales Acti-
ones dicere in DEO nulla enim mutabilitas potest esse in primo Ente simpliciter quod est absolute immutabile.
Huic Dogmaticæ quæstionis controversæ declarationi adjunguntur duo instar corollariorum. 1mum De Fi-
ne Actionis qui colligitur ex hoc pronunciato Actio finem habet dum dissimile agenti patiens factum
simile v.g. finis calefactionis est dum aqua similis fit igni secundum calorem in aqua productum. 2dum
adjicitur Physici Agentis ~~calefactionis est dum aqua similis~~ finis est ultima perfectio ex ipsius natura fluens
et propria illius Actio ut Solis finis est illuminatio et cursus quo dies et noctes efficit. Hominis finis contempla-
tio Dei Opt. M. cultus et ardens dilectio.

Utrum idem possit Agere in seipsum an verò non.

Scotus 1 Sent. Distinct. 29. 7 existimat idem posse agere in seipsum. Complures quoque Scholastici ad-
dunt experientias quæ negari non possunt. 1ma est ejusmodi: Aqua ab igne remota producit in se frigidita-
tem. Ergo in seipsum idem Agere potest. Consequent. Producere enim aliquid in se, est Agere in seipsum.
2da Experientia: Animal propria virtute recuperat calorem nativum ab Agente extrinseco aliquo immi-
nutum. Ergo idem in seipsum Agere potest. Pars negans est ipsius Aristotelis in cont. 48. Libri huius. Nihil
in seipsum Agere docet. Confirmatur et ratione ejusmodi: Nihil potest esse simul in Actu et in potentia ad eun-
dem effectum. Sed si aliquid ageret in seipsum, simul esset in Actu et in potentia ad eundem effectum. Ergo
nihil potest agere in seipsum. Minor sic probatur: Esset in Actu quia est Agens; esset in potentia quia simul esset
passum, quod enim in se agit est et Agens et passum. Ut constet secundum quam Actionem idem non posset Age-
re in seipsum ~~potentia~~ ponenda sunt hæc documenta seu præcognita physica. 1mum Actionum materialium duo ge-
nera constituunt Physici: quasdam Actiones appellant directas, quasdam reflexas. Actionem Directam eam
appellant quâ Agens secundum rectam lineam attingit passum. Actionem Reflexam eam vocant dum una
Qualitas obsidetur à contraria v.g. Frigiditas aquæ à calore ignis, et ob hanc circumsistentiam seu Antiperistasim
qualitas vim suam intendit ut et se conservet et hosti resistat. Et hæc reflexio est ex Actione Antiperistasis.
2dum Terminus iste in Potentia dupliciter potest usurpari. 1 prout dicit Virtutem operandi et sic stat cum Actu
non enim repugnat eum qui habet virtutem operandi simul esse in Actu operationis quia causæ omnes dum operant
simul sunt in Actu operationis et in potentia ad operandum, ideoque ab Actu ad potentiam firmissima est consequentia v.g.

v.g. scribit. Ergo potest scribere. 2 modo: Terminus is in potentia usurpatur pro eo quod est non esse in Actu, et sic simul in Actu esse in potentia repugnat. 3tium: Vis Agendi et Actio quae requiritur ad operandum non est consi-derandum respectu subjecti recipientis sed respectu causae producentis et effectus producti ut calefactio consideran-da respectu ignis et caloris qui in aqua productus est. Ponitur ejusmodi conclusio: Idem potest in seipsum agere Actio-ne quavis ratione partium vel Actione et Accidenti, vel Actione reflexa vel ea Actione quae est in Agente in quo alia est ratio Agendi, alia Patiendi. Probatur 1mum: In Augmentatione idem ratione diversarum parti-um seipsum auget. Ergo idem in seipsum agit ratione partium. Probatur 2dum: Anima immaterialis rationa-lis dum corpus movet Physicum, motu locali movetur una cum corpore. Ergo idem in seipsum agit Actione et Ac-cidenti. Probatur 3tium: Corpus luminosum intendit Actionem per lucem reflexam et calidi habitus ob circumobsi-stentiam frigiditatis augentur. Calx ita incalescit ut aqua et quivis humor frigidus effusus ferveat. Ergo idem in seipsum agit Actione Reflexa. 4tum probatum est illis experientiis aquae producentis in se frigiditatem. Ergo idem potest agere in seipsum Actione ea quae est in Agente in quo alia est ratio Agendi, alia patiendi. Denique idem in seipsum agere non potest Actione ea qua Agens agit per se primo totum. Ratio consequenti. Sic enim Agendo seipsum destrueret. Contextus Aristotelis in seipsum idem non agit explicandus est secundum hoc quod dictum de Actione qua Agens agit per se primo totum. Ad rationem illam Ideo sic: Agens et Patiens significant oppositas rationes, secundum eundem respectum proinde nihil potest comparatione ejusdem simul esse in Actu et Potentia. Patet igitur qua Actione Agens agit in seipsum et qua non agit, et quia supra mentio facta est reflexionis, ideo Corollarii instar quam brevissime declarandum in quo consistat et a quo fiat. Reflexi-onem porro Physici appellant productionem alicujus qualitatis quae ulterius tendere non potest propter corpus in-terjectum, ideoque eadem via qua venerat quasi regreditur v.g. dum speculum iterum remittit species objecti, per ean-dem viam quas in se receperat quae species intentionales propter corpus interpositum nequeunt ulterius progredi. Quoad intensiorem vero lucem ob Reflexionem quae nimirum sit illius causa non est concors Philosophorum sententia. Alii enim opinantur lumen intensius apparere nobis extensive solum, non intensive, quatenus omnes partes illu-minantur. Alii existimabant intensum lumen provenire a Sole et a luce partis perultimae aeris. Denique alii probabiliter dicunt intensum lumen ob Reflexionem a crystallo natura sua reflectente fieri a Sole posito corpore interjecto tanquam conditione sine qua non perinde quae est causa productiva intensi luminis per reflexio-nem, eadem quoque est et per viam rectam.

An simile Agat in simile?

Similitudo Agentis et Patientis dum est secundum eandem speciem et eandem qualitatem, secundum eandem Agendi virtutem et secundum eundem gradus virtutis agendi, tum nulla Actio physica potest esse ut do-cuit Philosophus in contextu 48. Ratio: Tum cessat Actio Agentis dum simile factum est passum Agenti secun-dum virtutem agendi et gradus virtutis. Ergo inter similia nulla absolute potest esse Actio. Potest quoque simile agere in simile secundum speciem v.g. minor calor intendit majorem ut experientia testatur. Denique dum est

est virtus secundum gradus major quam resistentia passi potest simile agere in simile. Probatur sic: Ad agendum requiruntur vires majores activæ quam sit resistentia passi. Ergo inter similia secundum speciem potest esse Actio, quod si major est resistentia passi quam ut possit vinci ab Activitate Agentis, tum nulla erit Actio Agentis, cum Actio sit a vincente.

An detur Reactio secundum eandem contrarietatem?

In eo Problemate notanda sunt 4 præcipua. 1. Quid nimirum sit Reactio Physica. 2. Quam virtutem requirat causa. 3. Quomodo fiat reactio secundum eandem contrarietatem. 4. Denique nonnullæ objectiones contra Reactionem sunt dissolvendæ. Quo ad 1mum Reactionem Physici nihil aliud docent quam Actionem passi in Agens à quo passum patitur ut est v.g. Actio frigoris in calorem, proinde illud est pronunciatum Physicum: Omne Agens physicum in agendo repatitur nimirum Repassio est ex parte Agentis dum Actione sua conatur superare Actionem passi, Reactionem verò ex parte patientis dum resistit Actioni Agentis. Reactio sic declarata non differt à resistentia positiva. Resistentia enim positiva est passi dum passum in Agente producit qualitatem Agentis qualitati oppositam v.g. dum frigus aquæ producit aliquos gradus frigoris in calore ignis. Resistentia negativa passi est dum sine productione oppositæ qualitatis passum ex propria natura retardat Actionem Agentis v.g. dum saxum grande impulsus impressionem non admittit. Utraque hæc resistentia pertinet ad hoc problema defendendum de Reactione. Ad Reactionem pertinet hæc quoque quæ brevissime declarantur. Primum: In mutuo contrariorum conflictu caloris v.g. et frigoris illud simpliciter appellandum est Agens physicum quod superat id in quod agit, illud verò patiens quod vincitur propter vires imbecilliores. Secundum: Agens physicum quod est diversæ materiæ seu quod non habet communem materiam cum patiente, à nullo repatitur v.g. dum Sol agit in hæc inferiora, non repatitur ab illis. Tertium: Patiens ut reagat non debent vires illius esse extra sphæram Actualitatis, sic enim reagere non poterit v.g. frigus ut unum non potest reagere in calorem ut 4. Quo ad 3tium nempe Reactionem secundum eandem contrarietatem. Reactio secundum eandem contrarietatem dum frigus v.g. aquæ producit aliquem gradum frigoris in calore ignis, quod si producat in siccitate ignis, Reactio erit secundum diversam contrarietatem, si talis reactio est concedenda. Quo ad modum reactionis, is idem est qui est Reactionis cum Reactio sit formaliter Actio quantumvis nonnulli Physici dicant reactionem addere super Actionem denominationem extrinsecam sumptam ab Actione passi quam producit qualitas aliqua in Agente, et talis Actio passi reagentis si cesset, iam non erit Reactio. Denique quo ad Virtutem in causa reagente, hæc non requiritur tanta quanta est agentis qualitate v.g. frigus aquæ ut tria potest reagere in calorem ignis ut 6 non expellendo omnes caloris gradus; sed saltim primum ut patet in aqua bulliente et fervente quæ temperatur aliqua aqua tepida non habente tot gradus frigoris quot habet aqua fervens gradus caloris. Sequitur conclusio 1ma: Datur Reactio physica. Probatur ab experientia: Dum aqua calida affunditur frigidæ et frigida calescit à calida, et calida frigescit à frigida. Et eadem est ratio in calore humano nativo dum in Alimentum agit et in omnibus corporibus qualitates contrarias habentibus quotiescunque conjunguntur. Ergo datur Reactio. Conclusio 2da: Datur Reactio secundum eandem contrarietatem

contrarietatem, et postmodum confirmanda est Autoritate Aristotelis ex 4 de gener. Animalium cap. 3 quæ est ejusmodi: Omne Agens patit à patiente qui enim secat hebetat ab eo quod secatur, quod calefacit refrigerat ab eo quod calefit. Ergo Dat Reactio secundum eandem contrarietatem. Insuper Objectiones præcipuæ contra conclusiones sūt ponendæ et dissolvendæ. Objectio 1ma: Vel Agens et passum habent eandem virtutem inter se, vel unum ex illis habet minorem aliud majorem. Si primum. Ergo neutrum in aliud operabit. Sin verò secundum. Ergo quod fortius est aget in hoc quod est debilius et patiet id quod est debilius præcisè. Ergo Nulla Reactio. ℟ Ad alteram partem sic: passum debilius reagere in fortius Agens non in totum sed in aliquid illius quod sufficit ad Reactionem. Objectio 2da. Concessa Reactione idem erit vincens et victum quià passum agit et unit, idem erit Actu et potestate quiā passum reagit et patietur. ℟ Per Negationem, reagit enim patiens sed sine victoria, proinde non potest appellari vincens. Agens verò semper Agit cum victoria. Deinde passum diverso respectu reagit et repatit. Reagit per materiam & qualitatem, patit per materiam. Objectio 3tia: Ergo non producet Agens æqualem effectum ob Reagentis reactionem quā impedit et debilitatur ne producat æqualem effectum. ℟ Licèt Agens initio pugnæ debilitet in qualitatem, manet tamen integrū quo ad Formam et ideo succumbentibus passi reagētis viribus recuperat vires et producit effectum sibi similem. Objectio 4ta: Ergo idem movebit motibus contrariis seu recipiet contrarias qualitates seu Alterabit contrariis qualitatibus. ℟ Sic idem non posse moveri motibus contrariis per se si motus localis intelligat, potest autem motibus Alterationis sed in gradu remisso non cum summa qualitatis utriusq intensione. Objectio 5ta: Ergo medium Aër v.g. per quem ignis agit in aquam & aqua in ignem calescet ab igne et simul refrigerabit ab aqua. ℟ Calescere et refrigerari äërem; sed inæqualiter et proinde medium secundum secundum inæquales gradus caloris et frigoris contrariis afficiet qualitatibus. Patet igit Agens physicum quod habet communem materiam cum passo intra sphæram Activitatis dum Agit repatit et passum reagere secundum eandem contrarietatem, proinde nec repassio nec Reactio negari potest.

Caput Decimum.

De Mistione

Extrema Pars Libri 1mi in qua post doctrinam Actionis et Passionis sine quā mistio ēē non potest, disserit de mistione Physica declaraturus Lib. 2 Elementa quæ miscent in misto. Præcepta Capitis quatuor. In 1mo Disserit de mistione quoad An sit et de discrimine illius à mutationibus Physicis supra explicatis. In 2do Mistionem physicam secundum sensum, opinionem et secundum rem declarat. In 3tio modum mistionis monstrat. In 4to Colligit miscibilium descriptionem ipsiusq mistionis. 82 Restat ut talis etc. 1mum capitis præceptum in quo Argumentum est contra mistionem et solutio istius et conditiones miscibilium ex quibus colliget discrimen inter mistionem et mutationes physicas quæ supra sūt declaratæ. Argumentum est ejusmodi: Data mistione, vel ea quæ miscent manent integra, vel alterū manet alterum interit, vel omnia intereunt. Non 1mum quià dici mista non possent cum eodem modo se habeant et ante mistionem et post. Non 2dum quià unius corruptio esset integro altero manente non mistio. Non 3tium ~~ante mistio~~ quià

quia non esset mistio, penitus enim corrupta dici non possunt permista. Solutio huius argumenti est in contex.
84. per distinctionem ejusmodi aliud esse Actu aliud esse potestate, proinde quæ miscentur aliquo modo sunt,
aliquomodo non sunt, Actu sunt, Actu non sunt. Sed mistum ex illis constitutum est Actu, potestate sunt id
quod ante mistionem erant Actu; proinde Argumentum superius negat tanquam insufficiens. Commenta-
tores explicant hos terminos potestate seu virtualiter et actu seu formaliter dum proponunt illam quæsti-
onem: An Elementa maneant in misto nec ne. Qui dicunt Actu manere, per actum intelligunt in-
tegritatem miscibilium una cum qualitatibus: qui dicunt Potestate seu virtute manere Elementa in misto
dicunt esse manere secundum secundum qualitates non secundum Formas. Nonnulli potentia docent mane-
re Elementa in misto per potentiam verò intelligunt non absentiam Formarum miscibilium; sed modum
miscibilium quo sunt in misto et non erant ante mistionem. 83 Hæc vero etc. Ut discrimen mistionis ab
omnibus mutationibus physicis possit colligi tres ponit miscibilium conditiones. 1 miscibilia non penitus
corrumpuntur seu abolentur, et ideo dum ignis corrumpit lignum, non miscetur lignum cum igne, sed corrum-
pitur. Alimentum quoque dum in corpus quod manet convertitur non miscetur cum illo quia non manet. 2 Non
omnia servant proinde dum paries dealbatur, non miscetur cum albedine quia paries et albedo manet in-
tegra. 3 Apta sunt seorsim subsistere et ideo accidentia omnia cum subjecto non miscentur quia ex-
tra illud subsistere non possunt naturaliter. Hæc conditiones monstrant discrimen inter Generati-
onem, Corruptionem, Augmentationem, Alterationem et Mistionem. Tex 84 Reprehendit po-
modum Anaxagoram qui in chao mista omnia opinabatur esse, conditiones miscibilium declaratæ refuta-
tur. 85, 86 et 87 Dubitationem Autem etc. 2dum capitis præceptum in quo disserit de mistione se-
cundum sensum, secundum opinionem veterum, et secundum rem. Mistionem secundum sensum dicit esse
in farina quæ potius est iuxta positionem particularum minimarum, non autem mistio physica. Mistio se-
cundum opinionem veterum est individuorum. Sed hæc opinio falsa; non datur enim corpus tale quod divi-
datur in partes in partes divisibiles physicas ut 6 Physicorum docuit Philosophus. Præterea non per solam divisio-
nem fit mistio. Secundum rem mistio est per unionem eorum quæ in tertiam naturam converti possunt
ut patet in Elementis in naturam misti conversis. 88 Sunt itaque etc. Tertium capitis præceptum in
quo modum mistionis conditionibus eorum quæ miscentur positis monstrat Imprimisque distinguit corpora
physica (contrariis qualitatibus) in activa et passiva quæ nisi habeant communem materiam, misceri
non possunt. Quo ad conditiones. 1ma est: ut ea quæ Activa et passiva sunt et in materia conveniunt
facilè dividi et in communi possint qualia sunt humida et mollia, non dura nimis. 2da conditio est: Ne
unum miscibile vincat aliud ingenti excessu quia id non mistio; sed conversio erit, in id quod est potentius
ut patet in gutta aquæ cado vini affusa quæ non permiscetur cum vino sed in illud convertitur. In hac condi-
tione altera docetur miscibilia debere viribus æquari quod tum fit cum unum miscibile in se non conver-
tit aliud; sed per mutuam Actionem et Passionem miscibilia tertium quid constituunt. His duabus con-
ditionibus mistionis nonnulli Physici tres adjungunt alias. 1mam ut se miscibilia invicem tangant. 2dam
ut per mutuam Actionem et Passionem alterentur. 3tiam ut comminuta miscibilia uniantur & alterentur.
Patet

8g Patet igitur etc. 4tum Capitis præceptum in quo colligitur descriptio miscibilium et mistionis Definitio. Miscibilia inquit Philosophus sunt corpora physica contrariis qualitatibus prædita vicissim Agentia et Patientia, quæ viribus æquantur idem quæ non habent vires prostratas sed contemperatas. Miscibile verò est corpus alieno termino facilè terminatum dividuum Activum et passivum ut patet in igne et in aqua. Postmodum docet Philosophus quæ faciliùs vel difficiliùs possunt misceri. Facilius inquiens possunt misceri parva cum parvis quam citius alterum alterius naturam mutat et alterat; magna verò et multa tardius mutantur, alterantur, et proinde difficilius miscentur. Humida præterea facilè ait posse misceri, non item duriora quià alieno termino facile terminantur et in minimas partes dividuntur viscosis exceptis quæ ob lenioren non facilè dividuntur, proindè conjuncta, molem potius faciunt quam mistionem. Ea postmodum non posse misceri ostendit quorum alterum vehementer agit difficulterquè patitur, alterum nimis patitur et remissè agit ut patet in liquefactione stanni et æris. In 90 contextu Aquam cum calce et cinere docet non permisceri sed abire in halitus ut dum effunditur in calcem effunditur, vel manere ut dum effunditur in cinerem. Quo ad mistionis Definitionem ut possit colligi ex superioribus. Imprimis terminus is Mistio declaratur sumitur enim tripliciter. 1. Secundum sensum vulgi ut patet in mistionibus ciborum Artificiatis et in syrupis Medicorum. 2 Pro præviis dispositionibus miscibilium cuiusmodi sunt mutuus conflictus contrariorum. Alteratio, minutim dissectio in ordine ad misti productionem. 3 Sumitur mistio physicè formaliter pro unione Physica miscibilium antecedentibus præviis dispositionibus. Colligitur itaque mistionis physicæ definitio eiusmodi. Mistio est miscibilium Alteratorum omnium unio. Intelligenda verò mistio tertio modo sumpta quæ est naturale vinculum secreti et arcani naturalis plenum miscibilium quorum conditiones supra sunt declaratæ sub una Forma Substantiali specifica totali misti alicuius. Recentiores scholastici mistionem dicunt esse corporum Alteratorum unionem quæ Definitio eadem est cum priore. Qui physici negant Elementa Formaliter manere in misto mistionem dicunt esse humidi cum sicco unionem propter convenientem caloris ac frigoris contemperationem. Et hæc est Declaratio contextuum Libri primi.

Axiomata.

1. Non sunt ea mista quæ omninò in rerum natura cohærent. 2 Non omnia misceri possunt. 3 Parva cum parvis faciliùs misceri possunt quià celeriùs sese transmutant. His adjunguntur duo quæ brevissimè sunt declaranda.

An Elementa maneant in misto Formaliter, An verò proportionaliter seu virtualiter?

In ea Quæstione hæc præcipua sunt quià sequuntur Avicennam, opinantur una cum illo Elementa manere in misto non secundum Formas integras; sed secundum remissas qualitates. Hæc sententia defendi non potest. Elementa enim in misto sunt comminuta alterata. Ergo Non eodem modo manent in misto quo erant ante mistionem. Altera sententia eorum qui virtualiter Elementa manere in misto secundum qualitates docet. Proinde Philosophus extremo capite Lib. 1. de Generatione dixit: Elementa ideo in misto manere quia illarum virtutes seu qualitates manent in misto. Tertia sententia est plurimorum Græcorum Averrois et Zabarellæ qui asserunt Elementa manere in misto, sed castigatum seu refractum Actum, non secundum integrum qui Actus refractus

nihil aliud

nihil aliud videtur esse quam modus Elementorum comminutorum secundum vires naturæ misti convenientis secundum quem modum Elementa non sunt extra mistum. Hæc sententia potest probabiliter defendi. Ratio: mistum resolvitur in Elementa. Ergo manent Elementa in misto. Quodsi quis Obiiciat: Ergo in eadem parte subjecti plures erunt Formæ Substantiales et secundum idem et multiplicis erit naturæ terrestris, aqueæ, aereæ, igneæ. R. Formas Elementares esse ut materiam misti nec habere vim termini a quo ideoque sunt tanquam dispositiones conservandæ et recipiendæ formæ totalis mistæ. Dicendum quoque mistionem habere operationes et formam specificæ proprias et eas quæ ab Elementis proveniunt potest quoque probabiliter defendi secunda sententia. Quodsi quis Obiiciat: Qualitates sunt proprietates Formarum Substantialium Elementarium. Ergo sine proprio subjecto esse non possunt. R. Experientiam monstrare frigiditatem ab aqua separari, praeterea non cum tot gradibus istæ qualitates sunt in misto secundum sunt quod in extra mistum. Illa quæ dicta sunt in context. dum explicabantur illi duo termini Potentia, Actu plurimum habent momenti in Definitione et 3tia sententiæ.

De Temperamento quod est mistionis Effectus.

Physici est nosse quid Temperamentum, Quotuplex et quidnam sit hominis temperamentum et quod idoneum ad sapientiam comparandam. Medicorum vero doctrinam de temperamento est, sine quo ægrotos sanari non possunt. Definiunt Physici Temperamentum 4tuor qualitatum primarum caloris, frigoris, siccitatis, humiditatis, contemperatio est misti naturæ convenientem. Proinde illorum opinio rejicitur qui opinabant temperamentum esse qualitatem unam a quatuor qualitatibus Elementorum distinctam. Post modum Physici distinguunt Temperamentum in Æquale ad pondus et in Æquale ad Justitiam. Æquale temperamentum ad pondus docent in quo sunt 4 qualitates secundum gradus æquales cuiusmodi temperamentum protoplastorum parentum, nonnulli docent physici fuisse. Temperamentum æquale ad justitiam physici id appellant in quo sunt quatuor qualitates primæ convenienter contemperatæ secundum misti exigentiam ut patet in temperamento hominis in quo est calor intensior quam frigus et siccitas quam humor. Temperamentum corporis Humani cum Temperamento Animantium comparatum est longe excellentius. Ratio: in homine benignius est calidum et Humidum nativum sanguinis et spirituum Temperamentum exquisitius, cor calidius, caput rotundum, erecta corporis figura, tum partium omnium proportio elaborata. Idem temperamentum corporis humani respectu individui est alterum altero præstantius et generatim tale est sanguineum benignum et blandum. Melancholicum in quo prædominat bilis atra. Biliosum seu Cholericum in quo flava excellit. Pituitosum seu phlegmaticum in quo magna humoris aquei seu pituitæ copia est. Denique Temperamentum idoneum ad ingenii acumen et sapientiam comparandam docent Physici esse Biliosum et melancholicum sed temperatum. Ratio: Tali enim Temperamento præditi facilem apprehendunt, de apprehensione judicant et celerrime discurrunt. Sed iam Libri secundi de Ortu et interitu doctrina est explananda.

Liber 2us.

Liber Secundus

Libri huius secundi Oeconomia

Mistionis Documentis una cum mutationum Physicarum Doctrina declaratis, disserit Philosophus de Elementis quæ miscibilia appellant, seu quæ sunt causa materialis mistorum, appellant quoque Elementa primo generabilia et corruptibilia. Partes Libri duæ. In Prima Elementa quatenus sunt mistorum corporum materia explanant. In altera causæ conditionales efficienter et finales omnis ortus atque interitus referunt.

Caput Primum.

De
Materiali Elementorum Principio.

Pars Libri prima in qua constituto proœmio Rationem instituti continente, veterum sententias de materiali Elementorum principio enumerat et refutat in 1mo capitis præcepto. In 2do capitis præcepto docet non esse prima Principia absolute. 1 et 2 De mistione etc. 1mum Capitis præceptum in quo ratione instituti monstrata de materiali Principio Elementorum sententias veterum refert quod Diogenes opinabatur esse Aerem. Heraclitus ignem, Anaximander medium quoddam inter Aerem et ignem per se subsistens. Parmenides ignem et Terram. Empedocles 4 Elementa ex quorum congregatione, segregatione, Alteratione prodire putabat ortum et interitum rerum naturalium. 3 Quod igitur etc. Docet recte eos sensisse qui Elementa appellarunt prima corpora sensibilia, idem quæ habent aliquam qualitatem ex primis. Reprehendit vero illos qui finxerunt medium quoddam separatum ab Elementis corpus. Reprehensionis summa est: Corpus tale medium est sensile est aliqua contrarietate præditum, idem vel absolute grave et primo siccum ut terra vel absolute leve et primo calidum ut est ignis vel per comparationem leve et grave et primo frigidum, post humidum ut est aqua et terra. Ergo corpus sensile præditum aliqua contrarietate est aliquod Elementum. 4. 5 Quod autem etc. Platonis sententiam refutat qui in Timæo principium materiale statuit omnia habens, et distinctum ne sit ab Elementis hoc receptaculum omnium rerum non docuit. Idem Plato obscuravit receptaculum hoc figuris Geometricis denominationemque illius à materia sumpsit; res vero non est à materia; sed à forma tanquam à præstantiori sunt denominandæ. Denique Plato resolvebat corpora physica in superficies mathematicas. 6 Nos autem etc. 2dum capitis præceptum in quo docet quatuor Elementa non esse Prima Principia absolute ut veteres opinabantur; sed constare Formam, materiam qualitatibus contrariis, idem calore frigore, humore et siccitate. Tum materiam primam negant per naturam aptam esse ad per se ~~suscipiendum~~ subsistendum, tandemque dicit esse subjectum contrarium contrariorum quæ contraria sibi non subjiciuntur ut subjectum sed sunt ut terminus A Quo et terminus Ad quem. Eadem materia potest appellari corpus sensile potestate non Actu. Præterea est res corporea de genere substantiæ incompletæ et distincta à primis contrarietatibus quæ requirunt tertium quippiam commune nimirum Subjectum quod contrariorum pugnam sustineat. Et ejusmodi est subjectum materia prima. Concludens caput, tollit in unoquoque Elemento esse tria, materiam, formam cum proprietatibus quæ nomine primarum qualitatum seu contrariorum significantia et ipsum suppositum quod est Elementum terra v.g. et iis Elementis ratio ortus et interitus primo convenit. Reprehendit denique in eadem conclusione capitis Empedoclem et alios qui negabant Elementa quoad substantiam transmutari. Sublata vero transmutatione tollitur Alteratio quæ præcedit Generationem.

Actiom

Axiomata.

1. Generatio et corruptio Substantialis omnibus quæ materiam constant non sine contrarietatibus seu qualitatibus primis contrariis competit. 2. Materia contrariis subjecta primum principium dicitur idem materiale. 3. Contrarietas in se transmutari non solent, idem contrarium unum non mutatur in aliud, calor nimirum in frigus; sed subjectum commune pulso uno contrario recipit alterum.

CAPUT SECUNDUM.

De Formali Principio Elementorum.

Declarat forte (male) Principium Elementorum Substantialem nimirum Formam quæ ex qualitatibus tanquam notioribus deprehenditur. Capitis Præcepta duo. In 1mo contraria enumerat quæ ad Elementorum constitutionem requirunt; In 2do Contrarietatum adjuncta recenset una cum contrarietatibus secundarus contrarietates revocat ad primas. Et igitur etc. 1mum Capitis præceptum in quo Formale Principium Elementorum dicit esse calidum, frigidum, humidum, siccum sumpto effectu proprio Formarum tanquam notiore pro ipsis Formis Substantialibus. Postmodum qualitates enumeratas sensiles discriminat ab iis quæ sub aspectum cadunt. Ponitque Objectionem ejusmodi: Qualitates quæ sub aspectum cadunt priores sunt iis quæ sub tactum cum visus prior sit quam tactus et notiorem habet operandi modum et objectum præstantius. Ergo qualitates enumeratæ non possunt dici primæ. Respondet per distinctionem. Prioritas alia est originis, Alia perfectionis et dignitatis. Qualitates verò Tactus supra enumeratæ reliquarum qualitatum fontes priores sunt prioritate originis. De his igitur, non de prioribus disserit Philosophus non habita ratione perfectionis et dignitatis. Porro ipsarum contrarietatum g etc. 2dum capitis præceptum in quo septem enumerantur contrarietates, postmodum describuntur et secundæ qualitates revocantur ad primas. Contrarietatum enumeratio est ejusmodi. 1ma contraria: calidum frigidum. 2da Humidum Siccum. 3tia Grave Leve, 4ta Molle Durum, 5ta Viscosum Aridum. 6ta Asperum seu scabrum et Leve. 7tima Crassum Tenue. Priores duas contrarietates docet habere vim Agendi et Patiendi quoad Alterationem grave verò et Leve non habere vim talem si consideretur Alteratio. Ex hoc Documento quæstio illa facilè resolvetur: An omnes qualitates primæ sint Activæ, aliquæ passivæ. Humor et siccitas solent appellari passivæ sed non simpliciter quin potius comparatè idem humor et Siccitas habent vim Agendi sed comparata cum igne frigore quæ habent majorem Activitatem, minorem habent vim Agendi ob quam dicuntur qualitates passivæ. Prætereà non ita vehementer afficiunt sensus quemadmodum priores seu quemadmodum frigus et calor. Ergo Comparativè dicuntur passivæ; Siccitatis vim testatur Sal exsiccans, humoris verò äer humectans. 9 Calidum autem etc. Adjuncta qualitatum declarat et ipsas qualitates. Calidum inquiens esse qualitatem congregantem quæ est ejusdem generis et dissimilia secernentem. Actus primus caloris calefacere, secundarius attenuare, liquefacere, rarefacere, exsiccare, coquere seu digerere. Frigus verò appellat qualitatem congregantem cognatam et diversam ut patet in aqua cujus partes una cum aliis rebus crassioribus frigore congregantur. Actus primarius frigoris frigefacere. Secundarius congregare, condensare, exsiccare. Humidum dicit esse qualitatem quæ proprio termino non facilè terminatur, alieno verò facilè v. g. Aqua se promptè effingit ad figuram vasis. Actus primus hujus qualitatis est humectare, secundarius emollire, conglutinare, levigare. Siccum dicit eam esse qualitatem quæ proprio termino promptè coercetur, alieno verò ægrè. Ignis sicco excepto qui in fornace facile terminatur non tam ratione siccitatis quam ratione raritatis. Primarius Actus in Definitione est expressus. Secundarius

secundariæ verò est exsiccare, consistentiam conciliare, exasperare. Has qualitates sic declaratas docet in se mutuo agere et à se mutuo pati ut constituant misti temperamentum. 10. Tenue etc Secundas contrarietates ad primas revocat viscosum nimirum et molle ad humidum, crassum, aridum et durum ad siccum idque in context. 11. 12. 13. In Context 14 Siccum dicit opponi Humido et ad Humidum refert udum et madidum. Udum habet in superficie alienum humorem, madidum in profunditate. In cont. 15 Docet has qualitates secundas revocari ad primas, primas verò pertinere ad tactum et ideo solent appellari qualitates tactiles. Has primas negat revocari ad priores nec ad se invicem.

Axiomata.

1. Visus Tactu prior est. 2 Elementa inter se mutuo sunt Activa et passiva. 3 Omnes differentiæ seu contrarietates secundæ reducuntur ad primas et hæ ampliùs reduci non possunt ad alias nec ad se.

CAPUT TERTIUM.

De Numero Elementorum.

Contrarietatibus Elementorum declaratis, constituit Elementorum Numerum, in primo capitis præcepto. In secundo tres Elementorum conditiones refert. 16 Cum autem etc. 1mum capitis præceptum in quo quaternarium Elementorum numerum colligit Philosophus ex quatuor primarum qualitatum copulationibus. Dum enim conjungitur calidum et siccum, constituitur Ignis; dum calidum et Humidum Aër: dum Humidum et Frigidum prodit Aqua: dum Frigidum et Siccum fit Terra. In contex. 17. 18. 19 quaternarium Elementorum numerum veterum consensum confirmat inquiens neminem veterum quaternarium Elementorum Numerum excessisse licet alii unum, alii duo esse ut in capite 1 Libri hujus dictum, opinati sunt. 2dum capitis præceptum in quo tres Elementorum conditiones recensentur et declarantur. 1ma: Elementa ex quibus constant mista non sunt simpliciter et absolutè pura; sed permista et impura. In contex 21 Hanc conditionem primam declarat sic philosophus: Ignis simpliciter purus est tantum fervor quidam caloris et siccitatis, pari ratione aqua simpliciter pura est excessus humiditatis et frigoris. Ergo ex Elementis simpliciter puris mistum generari non potest. Ratio consequentiæ. Mista enim ex excessu non prodeunt cum requirantur qualitatum temperiem ut ipsum temperamentum misti supra declaratum ostendit. Secunda conditio in Cont. 22 est ejusmodi: Quædam Elementa extremum occupant locum, ut Ignis supremum, Terra imum occupat locum. Quædam medium ut aqua et Aër. Extrema dicit esse Philosophus Elementa puriora quam intermedia si excipiatur terra superficies quam pedibus calcamus et partes illæ quas humor penetrat. Tertia Conditio est in contex. 23 ejusmodi: Duo Elementa absolutè sunt contraria Ignis nimirum et Aqua, Aer et Terra quæ sibi adversantur. Concludens caput singula Elementa duas habere Qualitates docet; sed unam magis propriam. Complures commentatores ajunt terræ magis proprium esse siccitatem quam frigiditatem, Aquæ Frigiditatem quam Humiditatem; Aëris Humiditatem quam calorem. Ignis calorem quam siccitatem.

Axiomata

1. Contraria simul copulari non possunt in Elemento; Calidum enim teste Philosopho et Frigidum idem esse impossibile est. 2 Quæ contrariis qualitatibus constant, sibi adversantur. Doctrinæ hujus capitis adjunguntur aliquot Quæstiones.

An Quatuor Elementa sint nec ne?

Valla 1 Dialecticæ cap. 7. Cardanus et Copernicius Ignem Elementarem negant. Sed falso, Ignis enim Elementaris diaphanus & Transparens non cadit sub Aspectum, cum perspicuum ut Optici docent nisi condenset, non fit visibile. Non ideo nihilominus negandus est ignis Elementaris, qui si conferatur cum nostro focali est purissimus nec pabulum seu Alimentum requirit ut condensetur. Levitas ignis non constat quominus ingredi possit mistionem. Aër enim levis est ut concedunt

concedunt qui negant ignem, nihilominus ingreditur mistionem. Denique ignis ab initio in prima rerum creatione mistis est concretus et perdurat in illis post resolutionem vero alicuius misti miscetur denuo aliis corporibus ob perpetuam rerum generationem. Itaque 4 Elementa sunt de facto, et recurrendum est ad solam Dei voluntatem qui nec plura, nec pauciora creare voluit. De possibili, non repugnat plura esse Elementa.

An Qualitates Alteratrices et Motrices Sint Principia Elementorum Formalia, seu Formæ Substantiales an verò non?

Affirmantem partem olim Alexander Aphrodiseus cum aliis Græcis tuebatur, postmodum Cremonius Patavinensis Philosophiæ Professor eandem defendebat. Refutat verò Philosophus eandem Metaph. 3 dum inquit: quæ substantiam significare videntur sunt Aqua et Ignis ex quibus corpora composita constant. Horum autem calor et frigus non sunt Substantiæ. Ergo calor et frigus non sunt Formæ Substantiales. In Libro de Sensu et Sensili ignem agere dicit Philosophus qua calidus, non qua ignis. Quod si calor esset Forma Substantialis, non dixisset Agere ignem ut calidum sed ut ignem. Refutatur quoque hæc Sententia sic: Frigus separatur ab Aqua igni admota, manente integra aqua quo ad Substantiam. Ergo Frigus non est Forma Substantialis Aquæ. Ratio consequentiæ. Forma enim cujusque rei non separatur à re sine rei interitu. Recentiores Scholastici qui Humiditatem et Siccitatem negant esse Accidentia facilè concedunt Humorem et Siccitatem vel esse ipsam corporis fluidi et sicci Substantiam vel Formam Substantialem. Sed hæc Sententia facilè refutari potest ex illa quæstione an qualitates omnes sint Activæ, An verò aliquæ sint passivæ, probatum enim est humorem et Siccitatem esse qualitates Activas quantumvis caloris et frigoris sit major Activitas. Nonnulli præterea Græci asserunt qualitates esse in Elementis Substantias in mistis verò Accidentia. Sed hi confundunt Substantiam cum Accidentibus, quod enim in uno Substantia est, in altero Accidens esse non potest. Ergo Qualitates Alteratrices sunt Accidentia non Formæ Elementorum Substantiales. Quo ad motrices Facultates Averroes opinatur levitatem mixtorum et gravitatem mortrices qualitates esse Formale Elementorum Principium. Sed Philosophus 7 metaph. tex. 11 motrices qualitates appellat Accidentia. Præterea duo tantum essent Elementa quemadmodum duæ sunt qualitates motrices. Deinde Ignis ab Aëre non differret secundum Speciem; sed secundum majus et minus ut minor et major levitas quod falsum est. Denique levitas calefaceret et gravitas frigefaceret, cum Forma Substantialis ad omnes Actiones concurrat ut Principium Principale. Levitatem verò calefacere nemo dixit. Recentiores Scholastici cum Nominalistis Gravitatem et Levitatem esse ipsamet Substantiam Elementorum seu et corporum per se immediatè inclinantem et propellentem corpus grave deorsum, leve sursum et ideò facilè concedunt qualitates motrices esse Formas Substantiales. Sed hæc Sententia defendi non potest. Refutanda verò est superioribus argumentis. Proinde quemadmodum Qualitates Alteratrices: Calidum, Humidum, Frigidum, Siccum, ita et motrices grave et leve non sunt Formæ Substantiales Elementorum sed accidentia. Contra hanc verò Doctrinam nonnullæ objectiones afferendæ sunt et dissolvendæ. Obiectio 1ma: Initio hujus Libri secundi Philosophus qualitates posuit ut Substantiale, Formale principium componens Elementa. Qualitates quoque motrices multis in Locis vocat differentias quæ notant Formas. Ergo secundum Sententiam Philosophi et Alteratrices qualitates et motrices sunt Formalia Principia Elementorum seu Formæ Substantiales. R. Ad Antecedens sic: Posuit Philosophus notiores qualitates pro Formis Substantialibus ignotioribus, et ideò considerat

considerat Elementa ut partes mundi Formas illorum designat gravitate et levitate tanquam notioribus Accidentiis. Dum vero Elementa considerat tanquam materiam mistorum ut in hoc Lib. 2 Formas Elementorum notat per qualitates Alteratrices. Objectio 2da: Operationes efficiuntur à qualitatibus, à calore nimirum calefactio à frigore frigefactio quarum operationum fons est Forma Substantialis. Ergo qualitates sunt Formæ Substantiales. Negand. Conseq. Ad Ante. per distinctionem principii operationum quod duplex est principale et remotum, immediatum et instrumentarium. Objectio 3tia: Sublatis qualitatibus Alteratricibus & motricibus tolluntur Elementa. Ergo Qualitates sunt Formæ Elementorum, sublatis enim formis Substantialibus res corrumpitur. Neganda imprimis consequentia et afferenda instantia de Temperamento quo destructo pereunt Formæ mistorum, nihilominus Temperamentum non est Forma Substantialis misti. Neg. dum Ante. Afferenda instantia de separatione frigiditatis ab aqua per calorem manente integra aqua. Quod si conferantur inter se qualitates motrices et Alteratrices habita ratione motus localis et motus Alterationis dicendum priores esse motrices ratione localis motus. Alteratrices verò esse priores ratione Alterationis quæ sine qualitatibus alteratricibus fieri non potest.

An Qualitates Elementorum singulorum sint in Summo, An verò una in Summo, altera infra summum an verò non?

Avicenna in Lib. de cælo, et Albert. M. 2 de Generat. opinantur in Elementis Extremis Igne et Terra ambas qualitates esse in Summo. In intermediis verò Aëre nimirum et Aqua utramque remissam. D. Thomas vult Terram summè esse frigidam sed minus siccam quam Ignem. Zabarella de qualitatibus Elementaribus Lib. 2 opinatur in solo Igni calorem summum esse, in sola Terra summum frigus. In duobus Elementis Aqua et Aëre utramque remissam, calorem nimirum in Aëre, frigus in Aqua. Quod autem Terra summè sit frigida probat ratione: Terra maximè distat à fonte et Principio caloris. Ergo est summe frigida. Neg. Conseq. Ratio Negationis afferenda talis: Sermo est de qualitatibus propriis quæ emanativè se habent cum omnibus gradibus suis respectu Formarum Substantialibus non de qualitatibus adventitiis quæ sunt ab extrinseco ut frigiditas in Aere potissimum mense Februario in nostra Plaga. Galenus 1 de Elementis et alii opinantur Qualitates Ambas Elementorum esse in Summo et nullas esse remissas. Ratio: Remissæ qualitates sunt per admistionem contrariarum qualitatum ut remissum frigus per admistionem caloris et ideò supponunt quæ non habet locum in Elementis tanquam in corporibus simplicibus. Ergo Qualitates Elementorum sunt in summo et nullæ sunt remissæ. Ultima sententia est Alexandri, Marsilii veneti et quasi communis Elementa nimirum unam qualitatem habere in summo, alteram in remisso. Ergo Qualitates Elementorum sic se habent ut una sit in summo altera infra summum. Sed iam ponenda sint præcognita ut constet quæ sententia possit probabiliter defendi. Præcognitum 1mum: Qualitas in summo dupliciter est intelligenda vel secundum excessum, vel secundum excellentiam seu infra summum. Ratio: Si ulla qualitas esset in summo, nulla esset Reactio, nulla contemperatio Elementorum in misto nulla denique mistio. Ergo etc.

excellentiam. Secundum Excessum illa dicitur quæ modum excedit et inimica est naturæ rei ut est calor febrilis in juvenene febricitante. Secundum Excellentiam qualitas in Summo illa dicitur quæ est excellens et eminens facitque ad conservationem rei in qua est et secundum hanc explicationem intelligenda est Qualitas in Summo in Elementis. Contrario modo qualitas in remisso intelligenda est illa quæ non habet eam excellentiam nihilominus naturæ rei non repugnat quin potius ad illius conservationem conducit ut est v. g. Secundum Sententiam communem calor in äere, humor in aqua, frigus in terra. Præcognitum 2dum: In ea quæstione magna habenda ratio illius divisionis qua Elementa dividuntur in pura et impura. Pura appellant nonnulli Philosophi Elementa quæ qualitatibus propriis sunt prædita Äer v. g. Calore et Humore; sed ab extraneis sunt libera ut Äer à frigiditate. Impura vocant Physici Elementa ea quæ admittunt qualitates peregrinas cum naturis suis non pugnantes, et sic aqua admittit caliditatem, Äer frigiditatem. Nonnulli Elementa puri appellant quo ad Substantias et Qualitates quas ex natura postulant dum sunt extra mistum. Impura verò dicunt ea quæ cum aliena substantia comparantur et mistum componunt. Sed prior explicatio commodior est. Conclusio ponitur eiusmodi: Si Elementa considerentur in sua puritate, utraque Qualitas in Summo illis non repugnat ut v. g. Igni calor et siccitas in summo: in misto verò qualitates Elementorum sunt secundum gradus contemperatos naturæ misti v. g. in hoc individuo est contemperatio est quatuor qualitatum naturæ individui conveniens quemadmodum dictum in doctrina de Temperamento ad justitiam. Potest quoque tertia Sententia probabiliter defendi, pertinere enim videtur ad ordinem et varietatem universi ut singula Elementa superent et superentur idem Ignis superet calore Äerem. Äer humiditate Aquam, Aqua frigiditate Terram, Terra Siccitate Ignem. Ergo In Elementis una Qualitas est Excellens, alia infra excellentem. Ut verò respondeatur adillud: si esset una in remisso qualitas, Elementa non essent corpora simplicia cum remissa qualitas habeat per contrarii admistionem. Respondendum sic: Remissa qualitas vel acquiritur per motum alterationis vel est per naturalem emanationem cum tanta remissione vel intensione seu cum tot et tot gradibus, proinde remissa Qualitas in Elementis cum non acquiratur per mixtionem Alterationis nulla habet contrarii admistionem. Præterea distinguenda est consideratio qualitatum primarum quæ considerantur vel ratione Elementorum extra mista, vel ratione mistorum. Qualitates primæ in mistis sunt ut in subjectis ab Elementis verò sunt à Principiis, consequuntur enim Formas Elementorum tanquam Principia Formalia et ideò ex se sunt remissæ sine contrarii admistione. Avicennæ sententia defendi non potest probabiliter qui opinatur Qualitates Elementorum Alteratrices provenire ~~à cælo cum sint~~ à coelo cum sint emanativæ à Forma. Negandum quoque Terram esse frigidissimam quia usui Elementorum inservit

inservit, summum verò frigus est inimicum vitæ. Huic quæstioni adjungitur breve Problema. An Symbola qualitates calor v. g. in Igne et Aëre sint ejusdem speciei, an verò diversæ, nec ne? Affirmans pars Quæstionis illius est defendenda; Effectus enim similis est symbolarum qualitatum ut v. g. Æquè calor Aëris calefacit atq calor Ignis quantumvis magis calefacit calor ignis quam calor Aëris, sed magis et minus non variat speciem. Rationes verò pro contraria parte sumptæ ex diversis Subjectis, facilè possunt solvi, in diversis enim Subjectis possunt recipi Formæ ejusdem speciei, duo quoque Accidentia possunt esse in diversis Subjectis.

CAPUT QUARTUM.

De Reciproca Elementorum Transmutatione.

Numero Elementorum et Qualitatibus declaratis mutuam eorundem Transmutationem declarat. Capitis præcepta quatuor sunt. In 1mo Generatim probat Elementorum dari transmutationem. In 2do De Transmutatione symbolorum et asymbolorum Elementorum ait. In 3tio Probat ex Asymbolis facilius tertium generari quam unum ex altero. In 4to Ostendit pereunte utroque Elemento et manente una qualitate non posse tertium generari. Tex 24 Cum autem etc. 1mum capitis præceptum in quo probat Elementa omnia ex se mutuo generari. Inter qualibet contraria Activa et Passiva potest alterna fieri commutatio. Sed Elementa sunt contraria. Ergo Quodvis Elementum in quodvis converti potest. Major sic probatur: Contraria apta sunt ut se invicem transmutent ob mutam Actionem & passionem, ut: calor immutat frigus et hoc calore. Ergo inter qualibet contraria Activa et Passiva etc. Minor sic probatur: Elemento est contrarium Elementum vel ratione unius qualitatis ut patet in aqua et in Aëre quæ contraria sunt ratione frigoris et caloris, vel ratione utriusque qualitatis ut patet in aqua et igne. 25 Differunt etc. 2dum capitis præceptum in quo probat faciliorem esse transmutationem Elementorum Symbolorum quam Asymbolorum servata proportione. Symbola verò Elementa sunt quæ unâ qualitate pugnant; sed in altera conveniunt quæ est tanquam commune quoddam Symbolum ut aqua et Aër conveniunt in humiditate quam pro communi obtinent Symbolo. Asymbola præterea Elementa sunt quæ utraque qualitate pugnant, ut: Ignis et Aqua. Calor enim contrarius est frigori, et siccitas humiditati ideoque pugna est inter has Qualitates contrarias. Quo ad Rationem, quam probat id quod dictum, in hoc altero capitis præcepto hæc est ejusmodi: Longè promptius et expeditius unius qualitatis contrariæ quam duarum pugna superatur ut patet in generatione Aëris ex Aqua quæ ut sit sola frigiditas est vincenda. In asymbolis Elementis duæ qualitates pugnant et duæ per se extinguuntur ut patet in igne dum ex eo generatur aqua. Ergo Symbolorum Elementorum

Elementorum transmutatio facilior est, asymbolorum difficilior. 26, 27 Sin verò etc. 3tium capitis præceptum in quo ostendit ex Elementis Asymbolis faciliùs tertium generari quam unum ex altero. Quod probat sic: In Transmutatione duorum Asymbolorum in unum tertium, non est necesse ut ab utroque duæ qualitates pellantur, sed ut singulæ à singulis. Sed in conversione alterius Asymboli in altero duas qualitates ab uno expelli est necesse, in transmutatione verò duorum Asymbolorum in unum tertium. Ergo Ex Symbolis Elementis faciliùs tertium generatur quam alterum ex altero. Ad minoris declarationem adducenda Aqua et Ignis quæ Aqua faciliùs mutatur in ~~ignem~~ Aërem tanquam in tertium quam in Ignem tanquam in alterum asymbolum. In context. 28. Ex Terra et Aëre fieri Ignem dicit præsertim cum flamma sit ignis quædam species terræ exhalationis et generatur ex terra et Aëre ex hoc contextu colligunt commentatores quæstionem ejusmodi:

An calor Elementaris, Cœlestis, Animalis, Vitalis sint ejusdem Speciei infimæ nec ne?

D. Thomas, Alexander, Ægidius affirmantem partem defendunt tanquam probabiliorem dum asserunt omnium calorum unam eandem esse naturam et unam Speciem ultimam. Ratio: Uniuscujusque caloris est calefacere et congregare homogenea quantumvis secundum magis et minus. Ergo sunt ejusdem naturæ et Speciei. Præterea concessa distinctione Specifica inter calores supra enumeratos uni frigori plura erunt contraria. Deinde calor calorem non poterit augere quæ omnia recta ratio admittit, unum enim uni secundum Speciem est contrarium unus v. g. Calor uni frigori. Calor quoque additus calori facit intensionem non facerent verò si distinguerentur Specie, quæ enim Specie differunt, nec in una conveniunt natura Specifica sese successivè augent. Dum Philosophus species ignis numerat, ignem nimirum in propriam materiam seu Elementarem Ignem flammam ratione materiæ raræ, Ignem Carbonem ratione materiæ densæ non Specificam distinctionem assignat seu Accidentalem ex tali materiæ dispositione provenientem. Quo ad Actionem Ignis Infernalis intensissimam quæ sermone humano referri non potest, hanc Theologi docent provenire ex Supernaturali virtute quatenus nimirum Deus igne illo tanquam suæ justitiæ instrumento utitur ad puniendas damnatorum Animas. 29. 30 Porrò in hisce etc. 4tum capitis præceptum in quo ostendit ex duobus Elementis Symbolis altera qualitate in utroque pereunte non posse generari Elementum. Ratio: Qualitas enim una quæ relinquitur calor v. g. in Igne et äere pereunte siccitate et humiditate Elementum constituere non potest et idem sentire jubet Philosophus de aliis Elementis Symbolis. etc.

Axiomata.

1 Corpora simplicia seu Elementa mutuam subeunt Generationem. 2 Omnia Elementa habent inter se contrarietatem. 3 Celeriùs, Tardiùs, Faciliùs, Difficiliùs alia quam alia Elementa subeunt transmutationem. 4 Quæ symbolum inter se habent horum celerior fit migratio uti: v. g. Aër et ignis habent Symbolum calorem nimirum, proinde horum celerior fit migratio seu facilè ex Aëre generatur ignis. etc.

Docum

Documentum de Elementorum Transmutatione.

In eo Documento necessitas transmutationis et CAUSA declaranda est, postmodum Ratio ostendenda secundum quam Asymbolum Elementum mutatur in Asymbolum. Est vero Necessitas transmutationis Elementorum perpetua ut rerum universitas conservari mistorumque constitutio continuari possit quod fieri non posset si Elementa invicem non transmutarentur. Ejusmodi transmutatio oritur à Formali Principio Elementorum tanquam à causa efficiente principali remota proximè à qualitatibus inter se pugnantibus. Quo ad 3tium hoc declaratur sic: Dum duo Elementa Activa et Passiva utraque qualitate inter se pugnant ut ignis et Aqua tum immediatè unum ex altero fieri non potest ut ex aqua immediate fit Ignis sed mediate idem ex aqua fit äer, ex Äere ignis. Transmutatio praeterea ejusmodi non est totius Elementi in totum totius nimirum Aquae in totum Äerem, sed partis Aquae in partam äeris secundum proportionem de qua in cap. 6.

CAPUT QUINTUM

DE

Corpore quodam intermedio quod refutat Philosophus hic.

Ut constet Elementa quae ex se quo ad partes vicissim oriuntur communia esse mistorum Principia, rejicit Philosophus Veterum Theoriam de corpore quodam intermedio. Capitis praecepta sunt duo. In 1mo Ostendit non dari corpus intermedium quod sit Elementorum materia, probatque unum Elementum non posse esse alterius Principium. In 2do Docet in Elementis in infinitum non dari quo ad qualitates et quo ad ipsamet Elementa. 31 Attamen etc. 1mum capitis praeceptum in quo impugnat corpus intermedium quod fingebant Veteres Elementorum et mistorum materiam esse. Ratio ejusmodi est: Vel esset unum ex Elementis, vel duo vel plura vel distinctum à quatuor Elementis. Sed nihil horum potest esse. Ergo Ejusmodi corpus non datur. Non 1mum quià tolleretur generatio, si enim Äer Actu existens subjiceretur tanquam materia. Ergo Dum ex illo fierent alia Elementa, non esset Generatio; sed Alteratio dum enim subjectum manet idem quo ad Formam et Materiam et mutatur secundum qualitates tum est Alteratio, non generatio. Non 2dum, nempe duo nec plura quià subjiceretur Forma ut materia et ut non materia, quod repugnat, subjiceretur ut materia quià sic supponunt Veteres, non subjiceretur quià cum sit Ens in Actu, materia dici non potest. Non ultimum. Tale enim corpus distinctum à 4 Elementis ponebant principium Veteres Elementorum, supra autem et materiale et formale principium Elementorum sunt declarata. In context. 32 Corpus medium inter Ignem et Äerem igne crassius, et medium iter Aquam et Terram tanquam confictum rejicit. In cont. 33 et 34 Platonem refutat qui in Thimaeo opinabatur Terram non mutari. Refutationis ratio est: Omnia Elementa transmutantur ut supra dictum. Ergo et Terra.

Postmodum

Postmodum infert materiam quæ omnibꝫ formis substantialibꝫ subest cum sit Potentia nequaquam in numero Elementorum posse haberi. In context. 35 Probat Elementum non posse esse Elementi Principium ob mutuam conversionem. Ratio dum enim Elementa in se mutuo convertunt nulla ratio est cur hoc Elementum sit Principium illius non verò alterius aquæ nimirum Aëris non verò Ignis. Ergo Elementum non potest ēē alterius Elementi principium. 36 Sed fieri etc. Alterum capitis præceptum in quo infinitum progressum in Elementis tam versus partem inferiorem quam versus superiorem negat infinitasq qualitates in Elementis impugnat. Quo ad 1mum Ponit duo quæ supra sunt declarata. 1 Unumquodq Elementum in aliud convertit. 2dum Elementum è certo Elemento contrarium Ignis v. g. Aquæ. Ex his infert versus utramq partem superiorem et inferiorem partem non dari infinitum in Elementis ratio: Conversio enim et contrarietas seu oppositio finita sunt et interfinita. Quo ad infinitas qualitates, in uno Elemento si essent, et Elementum esset ignotum et alterū non generaret ex altero et omnia essent unum quod fieri nequaquam potest. Esset ignotum Elementum quià infiniti comprehensio addatur, non generaret alterum ex altero quià dum unum Elementum generat ex altero, contraria quæ sunt in Elemento abolent, infinita verò quemadmodum pertransiri, ita et aboleri non possunt. Essent omnia unum quià dum infinitæ qualitates uni conveniunt et in ipsa qualitatum substantia conveniunt, omnia essent unum Elementum infinitum.

Axiomata.

1 Ex contrariis alterum est Privatio idem privatio absq altero contrariorum in subjecto sed materia non datur. 2 Elementa necesse est in se mutari quo ad partes. 3 Non omne Elementum æquè celeriter ex alio nascit ob communis Qualitatis seu Symbolæ penuriā et defectum.

CAPUT SEXTUM.

In quo refutantur Errores Empedoclis de Elementorū transmutatione et de rebꝫ Physicis.

Ut certa sit Doctrina de Elementorum Transmutatione In 1mo capitis præcepto refutat Errorem Empedoclis qui negabat Elementa transmutari. In 2do refutat errores illius de Accretione, de Generatione, de mundi ortū et rerum procreatione. In 3tio Ostendit prætermissum discrimen ab eo quod est inter effectꝫ naturales et fortuitos, et gravem de Anima errorem refutat. 37 Mirabile porrò etc. 1mum capitis præceptum in quo monstrat Philosophꝫ pugnantem doctrinam Philosophis de Elementis. Negabat Empedocles mutari Elementa, eadem verò inter se comparabat ob æqualitatem. Repugnantiam vero sic colligit Philosophꝫ. Quæ comparari possunt, mutabilia ēē videntur. Ergo si Elementa comparari possunt, et mutari possūt. In Antecedente comparatio est intelligenda non omnis sed ea quæ est

est ratione virium et potentiæ secundum quam in uno corpore moles tantâ continet virtute quantâ in alio ut in uno pugillo terræ virtute continent 10 pugilli aquæ quade re infra in Documento de proportione Elementorum ratione Transmutationis. Ex tali comparatione quæ est inter ea quæ habent communem materiam sequit mutatio et ideò dum Elementa inter se comparant habent ejusmodi proportionem, dum verò agunt et patiunt per qualitates Alteratrices transmutant. Ergo Transmutatio Elementorum negari non potest. 38 At vero etc. 2dum capitis præceptum in quo reprehendit Empedoclis doctrinam de Augmentatione, de Generatione, de Elementis, de coelo, de mundi et de rerum procreatione. Augmentationem Empedocles fieri putabat per accessionem unius corporis ad alterum ut dum Ignis addit Igni. Physica verò Augmentatio est dum Alimentum alterat et alteratum in substantiam viventis convertit. Generationem opinabatur fieri quod est in contex. 39 et 40 per Elementorum commistionem. Ad veram autem generationem Elementorum non sufficit commistio; sed requiritur Forma substantialis et certa qualitatum temperies, nec sufficientem causam dicit esse generationis litem et concordiam. In contex. 41 Unumquodque enim generat sibi simile propter Formam substantialem quod Empedocles fortunæ tribuebat. Idem Empedocles Elementa vocat DEOS, et coelum appellat Deum et opinabat Elementa priora esse coelo et coelos ex Elementis coaluisse. Mundi ortum tribuebat liti quæ Elementa in sua secrevit loca, rerum procreationem Amicitiæ seu concordiæ adscribebat, quam fabulosam Theoriam de rebus Physicis refutat Philosophus. 42 Præterea de motu etc. 3tium capitis præceptum in quo reliquos errores Empedoclis recensent de motu nimirum litis et concordiæ, de confusione effectuum naturalium cum fortuitis deque ipsa Anima. Fingebat Empedocles litem et concordiam esse Principia moventia; quo pacto verò moveant non docebat, et ideò in tex 43 Dividit motum in Naturalem quo levia, in superum, gravia in primum ferunt locum; et in Violentum quo levia in infimum inferum, gravia in supum tendunt locum. Tum quærit ex Empedocle Lis et Amicitia moveant ne naturaliter, aut violenter. Postmodum reprehendit Empedoclem et ostendit Litem Amicitiamque non esse prima moventia nec esse causam absolutè motus cum naturalis motus principium sit intrinsecum, violenti verò extrinsecum. In contex 44 discrimen effectuum naturalium et fortuitorum quod non agnoscebat Empedocles certum dicit esse, qua de re 2 Physicorum in quo effectus merè naturales et fortuiti declarant. In contex. 45 gravem Empedoclis errorem de Anima rejicit, fingebat verò Empedocles Animam aut esse compositam ex Elementis, et ideo secundum talem fabulosam doctrinam deberet esse Anima corporea et Element affectionec habere.

Axiomata.

1 Omnia quæ naturâ gignunt, aut semper, aut plerumque fiunt. 2 Quæ nec semper, nec plerumque sunt, casu et fortuito fieri Philosophi inquiunt. 3 Fortuna secundum Christianorum Philosophiam, intelligenda est providentia Divina quæ est super et præter hominis cognitionem, et ideo quæ bona nec semper, nec plerumque fiunt, Divinæ providentiæ tribuenda sunt, non Fortunæ nec casui.

Dolum.

Documentum.
De
Proportione Elementorū et Rati-one Transmutationis & Rati-one magnitudinis.

Peripatetici Elementorum proportionem deducendam ẽẽ colligunt ex context. capt. praecedentis in quo dictum est in uno pugillo terræ virtute contineri 10 pugillos Aquæ. Hæc Doctrina Peripateticorum de dupla Elementorum proportione ratione Transmutationis non potest confirmari aliquā ratione firmissima; sed tantum experientiā Artis Chimicæ et Artis destillatoriæ. Deprehendunt enim Chimici ex modica Aquæ quantitate maximam vaporum copiam fieri qui vapores ~~dicunt~~ vertunt postmodum in Aerem secundum longè majorem copiam ut recta ratio id admittit. Nonnulli talem Elementorum proportionem negant ẽẽ. Rationes illorum sunt: Si Terra esset ut unum, Aqua ut 10, Aer ut 100. Ignis ut 1000; Elementa nullam haberent proportionem ad Agendum & patiendum. Præterea Ignis dudum Aquam et Terram consumeret. Alias Rationes afferunt ex Geometria ex proportione diametri ad proportionem Sphæræ. Respondendum ad istas rationes sic: Valent istæ rationes si sermo fiat de proportione magnitudinis, non de proportione Transmutationis quam Peripatetici in Elementis deprehendunt. Proportio verò hæc Transmutationis in Elementis decupla consideranda est ratione partium idem ratione partæ Aquæ, Terræ, Aeris et Ignis, non autem ratione totiꝰ Terræ, totiꝰ Aquæ. Quod proportionem magnitudinis Elementorum, hanc Geographi docent esse ejusmodi: Diametrum terræ inquiunt seu Lineam rectam à summa parte terræ per centrum usq̃ ad imum extensam ẽẽ milliarium Germanorum mille septingentorum et decem octo. Ambitum verò quinque millium et quadringentorum milliarium Germanicorum. Aquæ profunditatem seu maris dicunt ẽẽ 30 stadiorum, summā verò profunditatem duorum milliarium et medii, quanta æstimatᵣ ẽẽ summa montium altitudo. Sed ad littora Norvegiæ et in oceano Indiæ orientalis et occidentalis maris profunditas nondū est explorata Proinde Joannes Levig c. 2. navigationis in Brasiliam dicit in Oceano Occidentali fundum non posse deprehendi. Illud Solini cap. 54 et Plinii Lib. 6. c. 2. mare est imperscrutabile intelligendū est de certis oceani locis qui sunt supra dicti. Aeris profunditatem iidem Geographi docent continere 25 millia Germanorū milliarium. Ignem deniq̃ 12 millia quingenta septuaginta octo milliarium Germanorum. Hæc de proportione Transmutationis Elementorum & magnitudinis.

CAPUT SEPTIMUM.
De modo quo Elementa concurrunt ad misti constitutionem.

Decla

Declarata mutua Elementorum Transmutatione quo pacto concurrant ad mistum constituendum docet. Capitis praecepta Duo. In 1mo Refutat Empedoclis doctrinam de compositione Elementorum in mistis. In 2do modum declarat quo Elementa concurrunt ad mistum constituendum. 46 et 47 De mistis autem etc 1mum capitis praeceptum in quo refutat Empedoclem positis imprimis duobus brevissimis documentis. 1 Est hujusmodi: qui fatent Elementa habere communem materiam, admittere debent mutuam illorum transmutationem. 2 Materia una communis Elementorum est tanquam subjectum transmutationis. Postmodum reprehendit Empedoclem qui negabat Elementa transmutari concedebat vero misti concretionem ex Elementis et opinabat Elementa misto ita esse ut lateres in pariete quod impugnat Philosophus sic: Non ex qualibet misti parte posse extrahi Elementa quemadmodum non ex qualibet parte parietis educi possunt lateres. Praeterea docet post resolutionem misti ex qualibet misti parte quodvis Elementum prodire quemadmodum ex qualibet cerae parte qualibet figura potest formari. Pari modo 48 etc. 2dum capitis praeceptum in quo docet quomodo Elementa ad mistum constituendum concurrunt, in eo verò praecepto capitis sunt haec notanda. 1mum qualitates intenduntur et remittuntur ut calor est major vel minor: de causa intensionis et remissionis qualitatum in quaestione dicetur. 2dum: Calidum et Frigidum aliud est simpliciter secundum totam qualitatis latitudinem. Aliud verò est quod habet calorem vel frigus secundum aliquos gradus v.g. in misto calidum est et frigidum secundum certos gradus juxta existentiam misti. 3tium: Elementa miscentur dum contraria secundum mutuam Actionem et Passionem certant. In eo verò certamine primae qualitates revocantur ad mediocritatem seu ad temperamentum quod est contemperatio Qualitatum pro diversitate mistionum et pro diversitate partium diversarum multiplex et varium; idem in oculo alia est contemperatio Qualitatum, alia est in cerebro, alia in corde, alia in homine, alia in equo etc. Proinde Temperamentum mistorum non ita se habet in misto quemadmodum se habet medium mathematicum quod pari proportione ab extremis distat. 4tum: In misto una Qualitas magis minusve intensa esse potest, et ideò unum mistum alio est calidius vel frigidius secundum tamen certam proportionem quâ una qualitas aliam vincit. 5tum: Elementa ex quibus mista constant educuntur è mistis per resolutionem misti in Elementa, mistum verò fit ex Elementis per Elementorum contemperationem.

Axiomata

1 Mista ex contrariis et Elementa ex iisdem mistis, contrariae qualitates sunt in Elementis. 2 Ipsa contraria pati solent quia Actu calidum, potentiâ frigidum. 3 Primo Elementa transmutantur, deinde ex hisce ad mediocritatem redactis, caro ossa fiunt. 4 mediocritas seu temperamentum qualitatum multiplex est nequaquam indivisibile. etc.

An in

An Intensio et Remissio qualitatum fiat per radicationem majorem in subjecto, An verò per Additionem gradûum ad gradus, seu per productionem novi caloris qui conjunctus priori intensiorem efficit calorem?

1ma Sententia est Durandi et Nyptii qui docent in calore intensiori non esse plures gradus; sed calorem intensum destructis prioribus gradibus produci. Ratio: Duæ qualitates ejsdem speciei, non sunt in eodem subjecto v.g. duo calores. Sed hæc ratio intelligenda est de duabus qualitatibus ejusdem speciei, quæ non sunt in eodem subjecto non de duabus partialibus ex quibus una totalis coalescit quæ possunt esse in eodem subjecto. 2da Sententia est D Thomæ et Thomistarum qui ex 1 2dæ quæst. Art. 1. colligunt intensionem Qualitatum majorem v.g. calorem aut frigus fieri per majorem radicationem in subjecto hanc radicationem docent nonnulli consistere in nova existentia qualitatis intensæ in subjecto. Alii in majore contrarii carentia. Alii radicari calorem in subjecto dicunt nihil aliud esse quam fortius stabiliri et formari in subjecto. Sed ejusmodi ratio non est causa intensioris caloris; sed tantum præstat ut calor intensior minus facilè develli possit à subjecto. 3tia Sententia est Scoti et Scotistarum estque communis intensiorem nimirum calorem fieri per additionem gradus ad gradum idem per multiplicationem novarum Entitatum partialium seu gradualium. Et per hanc redditur vera et proxima causa intensioris Qualitatis caloris v.g. et minus intensioris in eadem Forma Accidentaria totali. Itaque admistio contrarii majores vires agentis subjecti et partium illius dispositio. extensio, densitas non sunt causa proxima intensionis sed requiruntur ut conditiones et causæ remotæ ad majorem vel minorem intensionem. PRÆNOTIO 1ma Qualitatum intensio est mutatio accidentaria successiva per quam producitur nova pars qualitatis, seu novus gradus, seu nova Entitas quæ conjuncta cum priori magis magisque perficitur in eodem subjecto secundum eandem subjecti partem ut patet in calore intenso in eadem parte manus remissio qualitatum contrario modo est intelligenda. PRÆNOTIO 2da. Gradus istos, seu partes, seu Entitates similes esse specie et perfectione probabile videtur cum positis pluribus gradibus similibus in manu ponatur major calor. Conclusio ponitur ejusmodi: Intensio qualitatum fit per additionem gradus ad gradum seu multiplicatione novarum Entitatum seu partium gradualium. et sic defendenda sententia tertia. Probatur conclusio: major calor in manu v.g. non fit nisi per Actionem Ignis cujus Actionis debet esse terminus, cum nulla Actio possit esse sine termino. Ergo Intensio caloris per additionem gradus ad gradum qui prioribus adjuncti efficiunt calorem intensiorem. Sunt duæ objectiones contra conclusionem, prima: Novi isti gradus sunt ejusdem speciei et solo numero distincta nec possunt esse

ēē in eodem Subjecto cum individuatio Accidentis ex Subjecto sumat. R. Individuatio extrinseca Accidentium est à Subjecto, Formalis verò et intrinseca ab ipsa Entitate Accidentium distincta à Subjecto. Secunda Objectio: Essentiæ rerum sunt indivisibiles seu consistunt in divisibili. Ergo Intensæ qualitates non possunt ēē ex pluribꝰ gradibꝰ, secus essent divisibiles. R. Ad Anteced. Essentiæ rerum metaph. sumptæ sic se habent, Physicè verò divisibiles sunt. Hominis v.g. Essentia physicè componitur ex Anima & corpore. Essentia quoq̃ totalis caloris ex pluribꝰ gradibꝰ qui unum totale constituunt. Deniq̃ Cajetanꝰ docet D. Thoman per radicationem non tollere novas Entitates partiales; sed potius ponere quas appellat majorem radicationem. Quod si D. Thomas per radicationem intelligit novas Entitates, inter eum et Scotum controversia est de verbis, seu de modo loquendi. Scotus enim ponit novas Entitates partiales quas appellat additionem gradꝰ ad gradum.

CAPUT OCTAVUM.

De Compositione corporis misti Perfecti ex quatuor Elementis.

Modo quo Elementa miscentur declarato, probat in 1mo capitis præcepto 4 Elementa ēē in misto perfecto. In 2do Num Ignis verè nutriatur, et num sit maximè formalis seu Activus. 4g Omnia autem etc. 1mum capitis præceptum in quo probat duabus rationibꝰ in quolibet misto pfecto quatuor contineri Elementa. Ratio 1ma. Mista corpora perfecta terrestris naturæ constant terrâ et Aquâ. Ergo et Aëre et Igni. Ratio consequentiæ: Qualitates enim Terræ et Aquæ ad mediocritatem revocantur per Actionem qualitatum Ignis et Aëris. Ergo Ubi est Terra et Aqua ibi necesse est ut sit Ignis et Aër. Ante. Omnia mista perfecta feruntur à Terra motu locali ut experientiâ constat. Ergo constāt Terra. Conseq: Unumquodq̃ enim ad illud quod sibi simile est, et cognatum fertur. Quod autem Aqua sit in misto perfecto, ita probat: Terra in misto sine aqueo humore in pulverem dissiparetur, non enim sine aqueo humore partium conglutinatio in misto ēē potest. Ergo in misto pfecto necesse est ut aqua contineatur. Ratio 2da Mista viventia nutriuntur Alimentis quæ constant 4 Elementis. Ergo In mistis pfectis continentur omnia 4 Elementa. Consequentia: Unumquodq̃ enim nutritur iis ex quibꝰ constat. Anteced. ita declarat Philosophus: Stirpes, Segetes atq̃ Herbæ feliciq̃ è Terra proveniunt. Agricolæ Terram lætamine pinguefaciunt tanquam nutrimento et Aquis irrigant. Ergo Signū est viventia nutriri iis quibꝰ constant. Cum autem etc. 2dum capitis præceptum, in quo 2 problemata proponuntur & declarantur. 1mum est An Ignis nutriatur nec ne. 2dum Est: An Ignis sit maximè formalis nec ne? Quo ad 1mum: Vulgus et nonnulli veterum Physicorū opinabantur ignem nutriri. Rationes sunt duæ 1 Apposito pabulo crescit Ignis, remoto decrescit. Ergo Ignis nutritur. 2 Exhalat Ignis fumum tanquam ex Alimenti decoctione. Ergo Ignis nutritur. 1ma

ratio sic

ratio sic dissolvenda est per distinctionem Nutritionis. Nutritio est duplex: Alia vera et Physica; Alia similitudinaria. Vera est dum Alimentum intus susceptum alterat et concoquit etenim in substantiam viventis seu Aliti convertit, et hæc fit in viventibus. Similitudinaria fit per appositionem unius corporis ad aliud et hæc potest tribui Igni. 2da Ratio est dissolvenda sic: Fumus cum Igni conjunctus ex partibus crassioribus terrestribus lignorum quæ in Ignem verti non possunt est. Sed ex fumo non rectè infertur vera nutritio, ita Ignis verè nutritur; sed similitudinariè. Quo ad 2dum Problema, hoc explicatione saltem indiget. 1ma Explicatio est ejusmodi: Ignis dicitur maximè Formalis, quià evolat ad concavum Lunæ sive cœlestis orbis qui se habet respectu inferiorum ut Forma et ideò Ignis ad orbem cœlestem tendens potest dici quodammodo maximè Formalis. Altera explicatio est commodior ejusmodi. Ignis dicitur maximè formalis seu Actuosus quià superat Activitate caloris reliquorum Elementorum Activitates. Hinc illud: Ignis omnia consumit, et nunquam dicit, sufficit.

Axiomata.

1. In omni misto perfecto 4 Corpora simplicia insunt. 2. Omnia iis aluntur quibus constant. 3. Ignis est maximè Formalis seu Actuosus. 4. In suum quoque locum fieri natum est.

CAPUT NONUM

De

Causis universalibus rerum Naturalium ortus et interitus.

PARS Libri secundi de Generatione ULTIMA in qua causæ universales ortus et interitus recensentur et declarantur idque in 1mo capitis præcepto. In 2do veterum sententiam de causa Efficiente generationis refutatur. Cum autem etc. 1mum capitis præceptum in quo causas universales ortus et interitus dicit esse: Materiam, Formam et Efficientem. Probatio est ejusmodi: Quemadmodum in corporibus cœlestibus materia et Forma non sufficiunt ad motum orbium cœlestium, sed oportet adesse tertium quod movendi vim habeat intelligentias nimirum ut 8 Phys. putat se demonstrasse Philosophus: Ita in iis quæ ortum et interitum subeunt non sufficit materia et Forma; sed requiritur Agens quod materiam immutet ut Formam suscipere possit. Ad Formam nonnulli commentatorum revocatam esse causam finalem à Philosopho docent. Ratio. Forma enim potest habere rationem Finis et Formæ. Habet Rationem Finis prout est cujus gratia Agens operatur. Habet rationem Formæ quatenus rei tribuit esse specificum. Ut plenior sit Doctrina hujus præcepti declaranda est causa Universalis, materialis et Finalis Generationis. Formalis enim causa generationis est ipsius Quidditas et Essentia dum definitur Generatio sic: Generatio est mutatio totius in toto nullo sensili manente ut subjecto eodem quæ definitio in Lib. 1 de Generat. est declarata. Quo ad causam materialem Generationis, hanc Physici dividunt in Communem, Remotam et Proximam. Remotam dicunt esse materiam primam quæ nequit existere sine

sine Forma, proinde recedente una Forma, recipit alteram, idem materia prima est causa adæquata ut Generatio esse possit, et ut possit esse perpetua, non autem est causa æquata generationis. Proximam causam materialem generationis mistorum 4 Elementa dicit esse Philosophus. Quo ad Causam Finalem Universalem generationis hanc docent esse Physici conservationem Specierum secundum præcipuam naturam universalis institutam ad mundi hujus Perfectionem et ornatum. Probatur individua perpetuo generantur et corrumpuntur, etinterempto hoc individuo mysteriali modo ejusdem speciei generatur. Ergo causa finalis Generationis non alia videtur esse secundum Physicos quam Specierum in natura conservatio per generationem perennem Physicam.

Quod omnes etc. 2dum capitis præceptum in quo imprimis errorem Platonis refutat qui ideas seu Formas exemplares, materia expertes statuerat causas effectrices generationis per impressionem Formarum talium in materia. Sed tales Formæ non dantur, ideæ nimirum. Præterea in Arte propter materiam est Efficiens v. g. propter sanitatem et morbum est medicus. Ergo Quoque in natura propter materiam danda est causa Efficiens cum Ars sit æmula et imitatrix ratione. Postmodum in contex. 53. 54 et 55 refutat veterum errorem de causa Efficiente Generationis, quia materiam Qualitatibus instructam principium efficiendi fingebant. Rationes sunt tres 1ma est potentia passiva. Ergo illi non convenit Actio. 2da Vivens quodvis ab aliquo efficiente et experientia & ratio docent. Ergo Præter materiam requiritur efficiens. 3tia Qualitates quibus materia est instructa ad Agendum sunt tanquam instrumenta. Ergo Requiritur Principale Agens quod per hæc instrumenta producat opus. Consequentia. Instrumenta enim non per se, sed manu Artificis moventur ad conficiendum opus. Denique hi veteres quos refutavit Philosophus ignorarunt alias causas sola materiali causa contenti.

Pronunciata Capitis.

1 Necesse est ut Generatio et corruptio circa id sit, quod esse vel necesse potest. 2 In omnibus quæ materiam constant, et quæ ab Arte proficiscuntur hoc Agens dicere consuevimus quod movendi vim continet. 3 Pati et moveri materiæ est. Agere vero atque moveri alterius potentiæ.

Caput Decimum
De
Causa Universali Efficiente ortus et interitus rerum naturalium.

Universalem causam Effectricem æquatam et remotam Generationis atque interitus declarat in 1mo capitis præcepto. In 2do Causam Finalem monstrat. In 3tio De motu cœlesti disserit 56 Præterea etc. 1mum capitis præceptum, in quo docet ortus et interitus rerum naturalium causam Efficientem esse motum Solis sub aliquo circulo seu Zodiaco qui motus est duplex Diurnus seu communis ad raptum mobilis, et proprius seu secundus quem habent singuli orbes astrorum ab occidente in orientem. Et hunc posteriorem intelligit Philosophus quem docet esse causam universalem et remotam ortus & interitus rerum naturalium. Dum enim

Sol

Sol nostro verticali puncto prior est, radiis suis calorem efficit in his inferioribus, quæ calefacta, exerunt vim generationis, dum verò Sol ab eodem puncto verticali recedit, removet radios directè sparsos et consequenter calorem et tunc subsequitur frigus rebus generandis inimicus. 57 Quocirca etc. Generationis et corruptionis æqualia tempora dicit esse quià recessus Solis à puncto verticali sex mensibus fagitur, et totidem accessus ad punctum verticale. Ergo Generationis et corruptionis æqualia sunt tempora. Subjicit postmodum vitam viventium aliquo modo ex influxu cœlesti dependere, celeriores verò et tardiores generationes ex facilitate et repugnantia materiæ. Deniq in contex. 58 Experientiâ confirmat universalem causam effectricem Generationis et Corruptionis, dum Sol appropinquat puncto verticali, tunc viventia generantur, dum recedit non generantur. Ergo Universalis causa effectrix generationis et corruptionis est Sol seu motus Solis sub Zodiaco. 59 Nam etc. 2dum capitis præceptum in quo causam Finalem perennis Generationis dicit esse ut unumquodque eo modo quo potest, perpetuitatem retineat, et ideò quodque vivens insita proportione fertur in id quod est melius et nobilius, est vero melius Esse quam non esse cum sit participatio quædam naturæ divinæ, ideò igitur perpetuæ generationis et corruptionis finis nunquam intermittitur. Superius quoq declarata est causa finalis Generationis perpetuæ. Quocirca 60 etc. 3tium capitis præceptum, in quo de motu circuli disserit ostendens eum imitari generationem sublunarium, causam illius extrinsecam efficientem referens continuitatem et quid habeat peculiare. Quoad 1mum. Lationem circularem docet imitari generationem sublunarium quæ est ob eodem versus idem, ut dum ex Aqua generatur Aër, ex Aëre Ignis, et rursum ex Igne Aër. Motus enim circularis ab eodem puncto ad idem est vel ab eodem puncto Aëris ad Idem. Tum addit Elementa in misto secundum natura impetum habere vim ut moveantur in proprium locum post misti dissolutionem. 61 etc. Quoad causam motus cœlestis circularis efficientem, hanc dicit esse Philosophus plures motores quos existimat esse sub uno primo motore quemadmodum omnia mobilia sub primo mobili. Hunc motum perpetuum esse opinatur Philosophus sed demonstrasse ex tempore æterno cum motus non possit esse sine tempore. Sed nec motus, nec tempus, nec mundus æterna sunt cum mundi initium secundum creationem certum sit ex fide. De possibili vero, An nimirum potuit esse ab æterno controversia inter Scholasticos. Quoad continuitatem motus circularis, hanc colligendam esse docet in contex. 62 ex parte subjecti seu mobilis quanti, non ex termino ad quem. Deniq peculiare omne circuli lationi cœlesti dicit ut ferat suæ magnitudinem, seu in circulo initii finisq expertem.

Axiomata.

1 Latio seu motus circularis cœlestis continuæ generationẽ facit ideò quià admovet et amovet id quod Agendo vim habet. 2 Idem eodem modo se semper habens, idem facere est natum. 3 Contrariorum causæ sunt contrariæ. 4 In omnibus quod probabilius est, naturã semper expetitur. 5 Cuiusq Spiritus et vita numerum habet numeroq definitur.

Cap.

CAPUT UNDECIMUM.

De Necessariis et Contingentibus Generationibus deq progressu earundē.

Ortq et Interitq perpetuitate declarata, in extremo capite necessariam et contingentem Generationem declarat et illq progressum. Capitis præcepta sunt duo. In πmo est problema ejqmodi: Num res producta per Generationem sint necessaria, an verò contingenter se habeant nec ne? in 2do De duplici generationū progressu disserit. 63, 64, 65, 66 Cum autem etc. πmum capitis præceptum in quo respondet ad problema in œconomia capitis propositum allata distinctione ejusmodi: Quædam Generationes necessariæ sunt, quædam non. Generationes rerum ~~naturalium~~ singula si spectent quatenq per eas species conservant quæ species per se ad ordinem, perfectionem, pulchritudinem et confirmationem universi requiruntur necessariæ sunt secundum Philosophum. Sin verò Generationes spectentur singularium in se consideratarum; contingentes à Philosopho appellantur quià singularia mista corrumpunt et tā non ēe quàm esse possunt. Et eodem modo effectq ꝑ generationem productos se habere inquit Philosophq. 67 Sic igitur etc. Ostendit motum necesse ~~ēe~~ ex conditione convenire Substantiis compositis quæ necessitas appellat Physica ut ignis v. g. necessariò urit ex conditione naturæ talis enim ordo divinitq est institutq. Quod deorsū. etc 2dū capitis præceptum in quo declarat rectum et circularem progressum generationum. Rectum enim dicit esse dum in materiam Formæ recipiunt quæ inter se specie differunt v. g. dum materia amissa forma canis recipit Formam equi. Circularem progressum generationum dicit ēe in iis, in quibq eadem specie Forma redire videtur ut dum ex vapore fit Aqua, ex Aqua vapor, fit regressq ad Formam quæ est ejqdem speciei, et talem progressum Elementorum in generatione dicit necessarium esse ad perennem rerum generationem. In contextu vero adfert rationem quamobrem quædam in circulum ex se mutuo oriant quæ est ejqmodi. Quandò restaurant eadem specie non nūero, in illis circularis reciprocatio admittit, in naturalibq verò quià necesse est idem numero et specie re~~ꝑ~~parari. Ideò impossibile idem numero reduci ex ternis receptis solo v. g. quoddam nūero redit ad idē punct à quo recesserat.

Axiomata.

1. Ex Entibq nonnulla ēe et non ēe contingit. 2 Infiniti non est principium. 3 Anni tempora marculure fiunt redeuntq.

An viventia naturæ conditione necessario extinguantur an verò non?

Nonnulli Chimici per Aurum colliquatum et 6tam Essentiam docent posse arcere senectutem ob vim colliquati Auri et Sexta Essentiæ quæ relucent in restaurando calore nativo ꝑ Alimentum hebetato. Nonnulli Physici recentiores dicunt interire homines ideò quià deest ꝑfecta herbarum cognitio et Alimentorū quæ restaurent calorē nativum debilitatum. Pars affirmans problematis certa est, vana enim pollicitatio Chymicorum qui aū colliquatū aurū ad colendum calorem nativum adhibent, exsiccant humidū nativū atq ita non arcent senectutem per aurū colliquatum, proindè certum est singulis diebq calorē alimēto debilitari, hebetari, et tandem extingui. Quod ad notitiam herbarū et alimentum, hæc facit ad conservandā sanitatem justo tēporis intervallo non ad arcendā senectutem et mortem repellendam.

An

An idem corruptum numero possit redire per vim naturæ an verò non

Scotus dist. 43. q. 3 et 4 Sent. Docet aliqua corrupta redire posse eadem numero per Actionem Agentis naturalis. Argumentum sumit ex 8 metaph. Si Agens est idem et materia eadem, effectus quoque erit idem cum non sit diversitas effectus nisi propter diversitatem efficientis et materiæ, sed possibile est idem efficiens esse et eandem materiam respectu effectus retroducendi v. g. inclusus ignis in aliquo vase corrumpitur et ex eo generatur Aër, ex Aëre postmodum generatur ignis manente eadem materia. Ergo per Actionem Agentis naturalis aliqua corrupta redire possunt eadem numero. Sed Argumentum hoc sufficiens non est cum Philosophus in metaph. intelligat reditum effectus secundum speciem non numero eandem, exemplum verò innuit redire corruptum idem specie, non numero eundem, necessaria enim est ad effectum singularem eundem numero reducenda sunt. Agens nimirum idem numero Actio eadem agentis et circumstantiæ eadem temporis, et loci eadem numero, quæ omnia si semel evanuerint per vires naturæ restitui non possunt. Sentiendum itaque cum D. Thoma qui eundem numero effectum corruptum habent, redire negat. Intelligenda verò est corruptio plena dum destruitur vivens et facultatem illius. Quod virtutem Divinam non repugnat ex parte infinitæ potentiæ Divinæ neque ex parte ipsius rei eundem numero effectum redire. Ex parte potentiæ Divinæ est de fide, neque quisquam debat metiri potentiam DEi decempeda ingenii humani dum corrumpere non potest modum reuniendæ Animæ corporis in cineres dissipato quod postmodum integrum reproducitur. Quod autem non repugnat ex parte ipsius effectus corrupti sic probatur: Res non magis habet non esse post corruptionem et annihilationem quam ante productionem et creationem. Ergo quemadmodum per creationem producitur et extrahitur de non esse ad esse; ita quoque post annihilationem potest reproduci de non esse ad esse. Sed haec omnia quæ dicta sunt in utroque Libro de Generatione et Corruptione rerum naturalium DEO inaccepti O. M. sunt referenda. Quisque præterea accuratè perpendat perpetuam rerum mutationem et vicissitudinem et aspiret ad illam beatorum civium Rempub. quam neque angustia temporis carpit neque Alterantium mutationium successio perturbat. e.

FINIS

Tractatus de Generatione et corruptione.

Hic Tractatus in Celeberrima Academia Cracoviensi ab Excellentiss. D. Gregorio Modlinsky Professore Regio ad calamum publicè dictatus. Scribebantur Ao. 16[illegible] 11 Septemb.

x

Cum bono Deo Commentarii in Libros de Generatione et Corruptione, et in Libros Meteororum.

Duos Libros Aristot. conscripsit de Ortu et interitu, seu de Generatione et Corruptione. Objectum horum Librorum est corpus Naturale mixtum perfectum. In Libro primo agit de Generatione et corruptione, Alteratione, Augmentatione & Contactu, Actione, Passione, in fine libri de mixtione. In Libro 2do agit de Elementis in quantum sunt Principia corporis mixti. Nam in quantum sunt species corporis simplicis, actum est de illis in Libro de Mundo et coelo. Idem Aristoteles scripsit Libros 4 quos Meteora [?] in sublimi pendentia vocavit. Agitur in his libris de corporibus mixtis imperfectis, quae communiter in sublimi nempe in äere generantur, ut sunt: Nebulae, nives, fulmina etc. Nos methodo nostra insistentes totam istorum librorum Doctrinam in aliquot disputationes partiemur, et quidem agemus 1. De Generatione Conversione et Corruptione. 2 De Nutritione seu Aggregatione et Augmentatione. 3 De Alteratione. 4 De Elementis et primis qualitatibus eorum. 5 De Qualitatibus motivis. 6 De Transmutatione Elementorum et Mixtione. Denique 7 De mixtis imperfectis seu de Meteoris. Quae omnia melius intelligantur, praemittimus illis Disputationem Proemialem.

Disputatio Proemialis.

In hac Disputatione agendum est de Contactu et Dissimilitudine Agentis in passo, de sphaera Activitatis, de Antiperistasi, de Resistentia, sed haec in libris Physicis expedita sunt. Agitur ergo hic de Actione et Reactione ad intelligendam successionem Alterationis et Transmutationem Elementorum. De Quantitate ad intelligendam Augmentationem. Sequitur deinde Doctrina de Raritate et Densitate in ordine ad meteora percipienda. Porro agetur de Inceptione et Desitione rerum. De ~~[illegible]~~ Terminis magnitudinis et Parvitatis, nec non de Intensione.

Articulus Primus De Actione et Reactione

Suppono 1mo Sicut de motu lapidis deorsum, ita dicendum est de calefactione et similibus similium agentium Actionibus quod non continent 1mo non continuo exerceant, sed per morulas quasdam interrumpantur ut apparet si ex alto loco chartam demittas, ea, etiamsi quietissimus

äer

aer fuerit, interdum videtur subsistere in aere. Hoc totum provenit inde, quia ejusmodi agentia
non habent summam vim agendi, et omnia sibi obsistentia superandi. Porro ad causam primam
spectabit in qua temporis mora actio sit, in qua non sit sed discontinuetur. Sicut ad causam pri-
mam pertinet determinare in quas partes seu scissuras discedere debeat, vas aeque forte in om-
nibus partibus dirumpi illud contingat. Vide Arriag. in lib. de Generatione et corruptione di-
sp. 3a. Suppono 2do Quando aliquid agens divisibile agit v. g. Quando globus calidus manum
calefacit, tunc distincta calefactio elicitur è globi partibus passo propinquioribus ea calefactione
quae elicit à partibus remotioribus; idem est dicendum de causis partialibus, ut: quando duo equi unum
trahunt currum: Tales enim causae non subordinantur sibi in agendo ut diximus de
causa efficiente. Suppono 3tio. Propter contrarietatem terminorum dari contrarios mo-
tus seu contrarias actiones, sic contraria est calefactio frigefactioni: quia calor contra-
rius est frigori. Unde non simul potest esse naturaliter in eodem subjecto, calefactio et frige-
factio, odium et dilectio ejusdem objecti motus sursum et deorsum ejusdem rei. Hoc tamen
advertendum quod calefactio et frigefactio possunt simul exerceri in eodem subjecto si e-
manative procedant, et sic forma aquae simul in suo subjecto emanat calorem ut 8
et frigus ut duo. Caeterum calefactio et frigefactio ab extrinseco venientes simul esse
non possunt quia non datur subjectum carens frigore et calore, sed semper si est capax caloris
est vel summe calidum vel semicalidum et semifrigidum. Si ergo ad tale passum agens ca-
lidum accesserit quantum ex calore producet, tantum ex frigore perimet, quod si accesserint
duo agentia unum calidum et aliud frigidum, utrumque aliquid in illo passo producet, non tamen
simul et semel caeteris partibus ut infra apparebit. Hic duo obiici solent: 1mum Anima
eadem simul et semel deorsum et sursum movetur. Ergo simul et semel in eodem passo duo motus
incompossibiles seu contrarii esse possunt naturaliter. Probatur Antecedens: Quando Petrus dextram
manum elevat, et sinistram demittit, tunc eadem Petri anima eodem tempore in manu dextra
sursum, et in manu sinistra deorsum tendit. R. Ista objectio non urget quia anima rationa-
lis indivisibiliter locum divisibilem occupans, quasi replicat in loco virtualiter, plures locos ha-
bet. Unde quia in manu dextra ratione unius loci, et in manu sinistra ratione alterius loci mo-
vetur, non erunt in dicto casu motus contrarii. 2dum est: Rusticus fertur in navi orientem
versus defluente, ipse interim ad puppim à prora currit per navim occidentem versus. Item cae-
lum Solis, seu Sol motu diurno seu naturali seu raptus fertur ab oriente in occidentem, motu annuo
seu naturali ab occidente in orientem promovetur. Ergo idem potest moveri motibus contrariis simul.
R. Ad hoc: Si ita cito rusticus latera navis percurrit, sicut navis ipsa ripas fluminis, tunc rusti-
cus non movetur, nec amittit locum; quod ostendi potest: Quia si quis ex ripa signum aliquod im-
mobile supra caput rustici teneat, sub illo rusticus currens manebit, navi interim abeunte, sub

pedibus quos rusticus currens elevat, alternatim. Si navis velocius movetur quam Rusticus, tunc rusticus in navi movetur orientem versus licet non tam cito seu quantum moveretur si quiesceret in navi quia per illum suum motum impeditur rusticus ne continuo a navi portetur. Ita Arriag. d. 12 Physicorum. 18. posset etiam dici cum motu localis illius navis communiter, non est enim velocissimus tunc eo instanti quo motus navis versus orientem interrumpitur rusticus versus occidentem se promovet alternatim cum navi motum suum perficiendo. Idem de coelorum seu Solis motu dicendum.

Dico 1mo Reactio est Actio passi in Agens, unde Agens reactionem excipiens dicitur repassum; nihil enim est reactio nisi Actio connotans seu denotata extrinsece ab altera Actione contrarii. Dico 2do Datur Reactio. Illa est communis sententia non secundum sed contra Calculatorem. Probatur experientia. Si enim aquam calidam nimis aquae frigidissimae affundas, et calida frigescit a frigida, et frigida calescit a calida, aqua evadit aqua tepida id est semifrigida et semicalida, id est: calida ut 4, et frigida ut quatuor. Idem evenit intra omnia corpora contrarias qualitates habentia. Hinc etiam oritur hominis mors, extinguitur enim calor hominis nativus; nam dum frequenter in alimentum operatur, frequenter etiam ab alimento Reagente repatitur et attenuatur eousque ut non sit sufficiens ad retinendam animam in corpore. Dices 1. Eo instanti quo aqua calida agit in frigidam, seu eo instanti quo ignis agit in nivem, ignis agit ab omnibus gradibus caloris sui in nivem. Ergo eo instanti non potest ullum gradum caloris amittere. Ergo eo instanti non potest repati a nive. Idem argumentum fit de omnibus instantibus aliis, in quibus ignis agit in nivem. R. Eo instanti quo agit ignis, non repatitur; sed eo quo quiescit instanti, repatitur ignis. Nix vicissim eo instanti quo patitur non reagit; sed eo instanti quo non patitur quiescente igne ab Actione ut in supponendo dictum est. Dices 2 Vel agens et passum habent aequalem virtutem Activam, et ita neutrum in aliud operabitur vel unum ex illis habet majorem, et aliud minorem virtutem Activam, et sic tantum operabitur illud quod fortius est, quod aut debilius praecise patietur, et nullo modo reaget. Ergo non potest fieri Reactio. R. Neg. Anteced. Quando enim contraria sunt aequalia, utrumque operatur in aliud mutua Actione; quando sunt inaequalia in ratione Actualitatis, et quod est debilius agit seu potius reagit in fortius seu contra fortius, nam frigidum ut tria potest agere in calidum ut 8, non quidem expellendo ex eo omnes gradus caloris; sed tantum octavum vel nonum ad summum gradum interimendo. Ratio est quia ad producendum unum gradum frigoris sufficiunt tres gradus frigoris quod etiam in rebus aliis cernitur, quantumvis enim fortior quis cum debiliori homine congrediatur, neque a debiliori possit superari, tantum repatietur et saltim vulneratus a pugna redibit debiliori oppresso.

Dices: Quando contraria sunt aequalia, tunc quantum unum agit, tantum aliud resistit

resistit impediendo ne quid illi adimat. Ergo inter æqualia contraria non datur Reactio. R. Etiamsi plus resistat quam agens affert et tamen non impediet Actionem vel Reactionem inter contraria, siquidem debilius etiam potest fortiori aliquid adimere ut patet experientia quando tepida aquæ calidæ affunditur. In eo autem casu quando sunt agentia æqualia quod illorum prius agere debeat siquidem alternatim eorum Actio procedit DEUS seu causa prima. Determinabit contrarium Anag. tenet docendo in eo casu neutrum in aliud Acturum. Instabis: Dictum est supra quando aliquod corpus habet qualitates contrarias quarum una est magis intensa, tunc debet Actio procedere à magis intensa cum à portione majoris inæqualitatis Actio procedat. Hic autem dicitur quod corpus hominis 3 gradus frigoris licet 5 gradus caloris habeat possit operari in calidum ut 8 inducendo in illud saltem unum vel alterum gradum frigoris. R. Verum est quod à proportione majoris inæqualitatis procedat Actio, hic autem non de Actione; sed de Reactione dicimus. Et deinde cæteris paribus intelligendum est quod Actio procedat à proportione majoris inæqualitatis; requiritur enim ad hoc ut Qualitas magis intensa Agentis in Passo inveniat contrarietatem, quæ in isto casu quando calidum ut quinque reagit in calidum ut octo, non reperitur ratione intensionis Qualitatis, sed tantum ratione remissionis, nempe ratione frigoris ut tria reperti in calido ut quinque. Dices: Si datur reactio. E. idem passum movetur motibus contrariis id est idem subjectum simul Actiones contrarias recipit quod tamen supponitur negatum naturaliter posse fieri. Probatur sequela: Inter nivem et ignem est modicum aëris, ignis ergo in nivem dum agit, per calefactionem äer ipse debet et recipere calefactionem, iterum nix dum reagit in ignem per frigefactionem idem ille ipse äer seu id passum motibus contrariis movebitur, seu Actiones contrarias simul recipiet, nempe calefactionem et frigefactionem, hoc est præcipuum Calculatoris argumentum. R. Neg. Sequelam Antec. Ad Probationem ejus R. Si äer medius plus habebit ex calore quam ex frigore, tunc cum igne unum agens constituet et cum igne nivem calefaciet, et quia ea calefactio non fit continenter sed interuptim, vicissim äer cum igne repatitur nimis reactione, quod si äer æquè fuerit calidus atque frigidus, tunc tantum calefaceret nivem cum igne quia calor est Activior qualitas quam frigus ut experientia docet: citius enim et vehementius sentimus calorem rei calidissimæ quam frigus rei frigidissimæ, quod si caloris Activitas in äere compensetur aliunde (v. g. per excessum gradualem frigoris) ita ut æquè äer ille sit calefactivus ac frigefacticius fortiori se adjunget. Nam Qualitas fortiori fortibri sua contiguitate non tantum in Passum sed etiam in medium prænatere debet, quod si ille äer fuerit magis calidus quam frigidus, tunc cum nivibus unum passum sal deagens constituet. Instabis R. Sed tunc quando ignis aget in nivem, aget etiam et in äerem. E. Äer tunc non constituet unum agens cum igne. Probatur Anteced. Quia licet äer ille plus habeat caloris quam frigoris

frigoris, minus tamen caloris habebit quam ignis habet. Ergo ignis aget in ipsum. R. Ad Antecedens et probationem ejus, Nego conseq. Nihil enim impedit aerem caloris aliquantum ab igne recipere tunc, quando cum igne agit in nives. Instabis 2. Ignis sic et in nives, et in aerem aget. Ergo simul in aere producet quinque gradus caloris ut suppono, et nives nullum. Atqui hoc dicere est inconveniens. Ergo. R. Neg. minorem cum caloris gradus omnes sint Homogenei id est similes, imo etiamsi essent Heterogenei seu dissimiles, nullum esset inconveniens, siquidem et una, eademque anima simul et semel diversos effectus producere poterit, ut patet multis instantiis. Nam Lux simul et semel illuminat et calefacit, homo ambulat et cogitat. Instabis 3. Videtur quod aer sic consideratus et constitutus, non possit repati a nivibus quia ignis defendit aerem ne nix in eo frigoris quippiam producat. R. Neg. illatum quia ignis non potest seipsum defendere quin repatiatur a nivibus. Ergo multo minus poterit defendere aerem ne aliquid patiatur a nivibus. Instabis 4. Videtur quod aer non possit calefactionis quicquam accipere in casu. Si enim ignis non potest defendendo aeris calorem antiquum conservare ne a nivibus reagentibus aliquid ex eo destruatur quodammodo poterit producere novum gradum caloris in aere. Satius enim erat antiquum gradum caloris in aere conservare quam postquam destructus est novum substituere. R. Si ignis non potest tueri suum calorem ne aliquid ex eo a nivibus destruatur multo minus calorem aeris defendet, potest nihilominus ignis idem restaurare calorem suum et calorem aeris, quia sic natura ipsa ~~cum~~ vim Activorum attemperavit.

Dices: Data Reactione, sequitur agens sibi non posse assimilare passum. Nam calidum ut octo agendo in frigidum amittit gradum unum et alterum caloris, non poterit Ergo facere aliud illud assimilando sibi. R. verum est quod calidum ut octo agendo in frigidum etc. calidum ut octo agendo in frigidum amittat aliquem gradum caloris; sed ubi victoriam de Passo id est de frigido obtinet, tunc cessat ab Actione in illud et reducit se ad amissos gradus caloris sive per emanationem, sive per Actionem vigorosam partium remotiarum a passu non violatorum per Reactionem. Sic restitutum Agens de integro sui caloris, totis viribus denuo agit in passum illudque penitus sibi assimilat. Ita Conimb.

Articulus Secundus

De Quantitate.

Dico 1mo: Quantitas est Accidens Absolutum distinctum realiter a materia.

Hæc est communis sententia contra Nominales et Arriag. qui sentiunt a materia non distingui nisi ratione tantum. Probationes quas hic adferre possemus conveniunt, sed quia etiam adversa sententia non cruentat, imo in explicando obscurius procedit

insistemus

insistemus. Dices Si quantitas distinguitur realiter a materia, separetur per Dei potentiam a materia: proposito materia illa v. g. quæ est in Petro, eodem modo locum occuparet atque occupabat habendo quantitatem et unitam. Ergo non fuit necessaria illi quantitas superaddita. Resp. Ne. Quod eodem modo Materia Petri existeret sine quantitate et cum quantitate. Nam imprimis illa materia cum omnibus corporibus obviis penetrari se possit. Unde ablata a Petro Quantitate non posset securi vulnerari Petrus quia securis penetraret se cum capite Petri, proinde vulnus seu discontinuationem facere non posset. Idem esset si a securi quantitas auferretur, certè talis securis nos vulnerare non posset quia cum carne materia se penetraret. Adde quod Petrus ablata quantitate a nullo teneri vel ligari possit, quia funes et manus ligantis Petrum penetrarent, non secus ac si Angelum aut animam rationalem ligarent. Præterea Petrus ablata quantitate statim terram penetraret, et usque ad centrum terræ defluerat quia ex una parte gravitas, quæ cum Petrum versus centrum inclinaret, ex altera p. terra eum sustinere non posset, siquidem cum eo se penetraret quod si ab Angelo Petrus ablata quantitate in pedes erectus staret, tunc caput intra pedes deflueret gravitant enim partes istæ magis v. g. caput, pectus, non reduceretur tamen totum corpus Petri ad punctum unum spatii, quia non est agens quod corporis partes in unum punctum compingeret, posset tamen ab Angelo fieri ita connaturaliter. Item si Petrus ablata Quantitate per viam incederet, non esset necesse cedere de via, nam cum omnibus ex adverso venientibus se penetraret sine eorum et sui læsione. Utrum autem Petrus ablata quantitate si in ignem iniiceretur comburi posset, magis est contrarium. Probabilius puto posse comburi connaturaliter; non enim videtur ratio quominus calor in materia carente quantitate produci possit. Proinde forma precedens corrumpi seu expelli, et alia induci.

Dico 2do Quantitatis Effectus est materiam seu Subjectum reddere aptum seu tale reddere ut connaturaliter illud subjectum partes suas integrantes petat extra se esse impenetrabiliter.

Est communis Sententia. Explicatur Conclusio: Verum enim quod non tantum Quantitas sed etiam materia prima et omnis Forma materialis, tam Substantialis, quam Accidentalis sint divisibiles, id est habeant partes extra partes id est tales sint ut una pars v. g. Albedinis non sit idem quod altera pars eiusdem albedinis, una pars materiæ non sit altera pars. Proinde verum est quod habeant istæ partes extra partes quoad Entitatem, unde etiam dicuntur habere partes entitativas. Quantitas autem habet hoc totum similiter id est habet et partes entitativas, seu videlicet Entitatis propriæ; sed ultra partium entitativarum habitionem habet ultra quod partes istæ entitativæ quantitatis petant connaturaliter proprietatem quandam, quæ dicitur impenetrabilitas, per quam ita sint illæ partes extra se mutuo ut secum, et cum partibus alterius quantitatis penetrari non possint naturaliter. Ista tamen formalis

formalis impenetrabilitas proinde et loci occupativitas est proprietas ut dixi Quantitatis quantitativæ. Ergo Partes dicuntur esse quarum una extra aliam est quoad entitatem cum radicali id est aptitudinali immediata impenetrabilitate. Dices 1. Materia prima habet suas partes extra partes quoad Entitatem, et petit eas connaturaliter esse impenetrabiliter. Ergo Partes quantitativæ non distinguuntur partibus Entitativis. R. Suas partes materia petit mediate, non autem immediate id est petit mediante quantitate existere impenetrabiliter. Instabis: Et quare non petit immediate sed mediante quantitate istam impenetrabilitatem. R. Id tantum à posteriori colligimus mixte ex miraculis in venerabili Sacramento. Materia enim ex natura sua petit potius penetrationem siquidem debet compleri et informari penetrando se cum variis formis materialibus proinde si quam impenetrabilitatem debet versus alia corpora exigit id mediante quantitate, et præterea adhuc mediante impenetrabilitate ipsamet quantitas de facto se non penetrabit cum alia Quantitate. Nam existente Christo Domino Sacramentaliter existente, quantitas et tantum Christus Dominus in Sacramento penetrat se cum Quantitate specierum Sacramentalium. Dices 2. Siquidem Quantitas habet partes integrantes, videtur non esse Ens per se, proinde in Prædicamento non posse poni. Probatur sequela. Quia si ulna in duas partes dividatur, illæ partes erunt entiam completam atque una ulna erat Ens completum. Ergo Ulna ex duabus dimidiis ulnis utpote Entibus completis consurgens, non erit Ens per se; sed quod ex duobus incompletis componi debet. R. Esto dimidiæ duæ ulnæ sint Entia completa, quando tamen ex iis una ulna coalescit, consurgit unum Ens completum, quia illæ dimidiæ ulnæ materialiter sunt unibiles et sunt ejusdem rationis.

Dico 3tio Dantur Partes Actu in Quantitate distinctæ. Est communis sententia contra Scotum Durandum.

Probatur: Quia partes Quantitatis in ligno v. g. possunt ad invicem separari per quam separationem non producuntur. Ergo Ante separationem præfuerunt. Confirmatur 1. quia una pars continui est interdum causa Efficiens, altera pars ejusdem continui effectus alterius compartis. Ergo Partes continui sunt realiter distinctæ, siquidem causa et effectus realiter distinguuntur. Antecedens patet in igne seipsum agente in animalibus ex alimento crescentibus. Confirmatur 2. Quia duæ partes aquæ, antequam univerentur erant distinctæ realiter. Ergo. Postquam coierunt habet partes realiter distinctas Actu. Probatur consequens: Quia quando duæ partes aquæ in unam continuam aquam abeunt, non amittunt priores existentias et quantitates, implicat semel distinctas identificari. Confirmatur 3. Post divisionem alicujus continui in duas partes, partes eædem sunt diversæ iam quæ erant in continuo nondum divisæ. Ergo. Sicut post divisionem sunt realiter distinctæ ita ante Divisionem. Consequentia clara. Anteced. patet, quia ut diximus per divisionem non producuntur partes illæ, alias enim quando securis materiam primam in ligno dividit, crearet partes materiæ. Confirmatur 4. Res quæ uniuntur sunt Actu distinctæ. Sed partes continui uniuntur. Ergo. Partes continui sunt Actu distinctæ. Major Probatur: Corpus et Anima uniuntur, et sunt Actu distincta. Accidens et subjectum uniuntur et sunt Actu distincta. Ergo illa quæ uniuntur sunt Actu distincta. Minor autem sensu patet, quando ex duabus partibus aquæ fit una aqua. Et præterea Aristoteles sic ait: Continuum est cujus partes communi termino copulantur. Confirmatur 5. Quia de essentia Quantitatis est habere partem extra partem. Ergo De essentia ejus

Essentia ejus est habere partes Actu distinctas. Si enim partes quantitatis non sunt distinctae, quando una erit extra aliam. Confirmatur 6 Quia si continuum non haberet partes Actu distinctas, sequeretur aquam quae est in littore Rigensi esse idem Realiter cum aqua quae est in littore Japonensi vel Indico. Continuatur enim haec aqua cum illa. Confirmatur 7 Quia sequeretur maris aquam non esse majorem aqua unius piscinae, nam unum indivisibile non est majus altero, neque valet quod mare plures possit habere partes. Nam si Actu non habet plures quam piscina partes aquae. Ergo Actu mare non est majus quam piscina. Confirmatur 8 Quia una pars continui distat ab altera. Ergo Distinguuntur ab altera. Ergo Dantur Actu partes distinctae in continuo.

Respondent ad probationem 2am confirmationem primam et ultimam. Antequam ego in aqua continua (et par ratio de aliis continuis) vel voce, vel INTELLECTU vel aliquo alio modo quocunque designabo partes duas vel tot quot voluero continuum illud nullas habet partes Actu sed est Entitas simplex, postquam designavero iam illae Entitates discernuntur, et quaevis accipit suum terminum proclamatur, incipiuntque illae Entitates esse Actu quae erant potentia, tum quando ergo prima probatio debet partes continui, possunt separatim existere, eo ipso illas partes designat et facit distinctas. Item quando dicitur in confirmatione 7tima Pars aquae in littore, haec non est aqua alterius littoris. Similiter evenit designatio ac proinde distinctio. Item quando in 2ma confirmatione dicitur: Pars una continui est causa, pars altera effectus, tales partes etiam nobis non cogitantibus distinguuntur per rationem causae et effectus, item per rationem durationis, prius enim communis est pars creans quam pars creata. Contra 1 Quia cognitiones nostrae in re cognita non possunt distinctionem realem, sed tantum rationis vel denominationem extrinsecam. Contra est 2 Designatio per intellectum facta circa partes continui vel faceret eas partes ~~continui~~ iam in perpetuum distinctas Actu vel realiter vel pro tunc tantum. Contra est 3 Quando dico de aqua, sic (aliqua pars huius aquae, non est quaelibet pars) verum dico, et tamen nullam partem designo, quia nullam certam determinatam, sed indeterminatam pono, ut ex verbis patet. Contra est 4 Saltim Deus qui omnia semper intuetur habet hunc Actum, aer qui est Vilnae, non est aer qui est Varsaviae, vel certe hunc Actum: aer qui est Vilnae non idem in re quae Varsaviae. Contradictoria oppositio non est vera. Ergo Prima est vera. Ex illa autem sequitur siquidem ante omnem designationem aer Vilnensis non est Varsaviensis aerem continuum partes habere Actu realiter distinctas. Respondent ad confirmationem 2 et tertiam. Partes continui quae erant ante continuationem eaedem sunt quae in continuo quo ad substantiam, sed non eaedem quoad modum, ante continuationem habebant enim suos terminos ratione quorum una pars non erat altera, pars et una negabatur de alia in continuo autem, sed post continuationem habebant terminum communem unum ratione cuius una pars non negat alteram neque negatur de altera. Contra est si quoad substantiam manent partes in continuo. Ergo substantia partis unius non est substantia partis alterius, licet modus dictarum substantiarum sit unus. Si ita est. Ergo. Substantia partis unius realiter est distincta a substantia partis alterius, et modus tamen partis utriusque non distinct

non distinctg. Ergo Dantur partes realiter Actu distinctæ communi termino copulatæ in conti-
nuo, et hoc est quod volumg. Confirmatur quia ante confirmationem essentialis ista erat prædi-
catio Aqua A non est aqua B quoad substantiam. Ergo siquidem substantiam in continuo re-
tinet etiam prædicationem essentialem retinebunt. Rdent ad Argumentum hoc: Una pars
continui non est altera pars modo indivisibili, Conc. Una pars non est altera pars mo-
do divisibili Nego. Explicant modo indivisibili ēē idem et neq per Dei potentiam posse sepa-
rari in plura realia, ēē autem modo divisibili est ita identificari sibi in ratione alicuig termini
ut possint illu amittere et acquirere terminos proprios secundū quos de se negent invicem
quod modg indivisibiliter existendi est distinctio potentialis, non actualis. Contra est. Er-
tantum una pars aquæ non est altera pars modo indivisibili. Ergo. Una habet negationem alte-
rius modo indivisibili id est verum est dicere pars aquæ una non est altera pars ejusdem
aquæ realiter, sicut non est verū dicere rationale non est realiter animal in homine. E.
Una aquæ pars realem distinctionem actualem habet ab altera parte ejsdem aquæ: Nā
realiter distingui est hoc non ēē hoc, seu illud realiter vel certe ēē hoc et hoc realiter
sicut non distingui realiter est ēē hoc et hoc realiter v.g. Reale ēē animal realiter in
homine. Contra est. Iste modg divisibilis est existendi in quo partes continui sūt unum
seu iste communis terming (ut ipsi vocant) Ratione cujg una pars pōit negationem alterig esse
ne quid realiter Actu distinctum ā partibg ipsis continui videtur deberi dici quod sit quid Rea-
le positivum partibg superadditum quia negationes illas in partibg tolli si est quid superad-
ditum reale vel est modale, vel est absolutum sive hoc dicas sive illud partes continui sunt
ne cum isto suo modo seu termino communi identificatæ in continuo p alium terminū
communem, seu p alium modum divisibilem existendi. Rdent ad Confirmationē Ne-
gando Paritatem Heterogeneis et Homogeneis. Quia partes heterogeneæ sunt dissimiles
talis est anima et corpg. Partes Homogeneæ similes. Contra. Sicut Heterogeneitas unig
totius non potest ēē sine distinctione partium, ita homogeneitas. Nam sicut partes similes
ita partes dissimiles requirunt distinctionem. Rdent ad Confirmat. 8 Sufficit ad fundan-
das relationes distinctio potentialis Contra est 1 Si ante omnem designationem una pars aquæ est
alteri similis aquæ. Erg. Una pars est talis realiter Actu qualis est altera pars realiter Actu. E.
ibi est pars actu altera et altera. Contra est 2 Si Distinctio ista potentionalis sufficit ad Re-
lationes fundandas; Quæro in linea palmari quot Relationes fundentr. Non potest dicere
quod una aut duæ, sed infinitæ, quia ibi dicis partes potentionales ēē infinitas. Rdent ad
Confirmationem 5tam. Quando dicimg quantitatem debere habere partem extra par-
tem exemplo designamg partes et distinguimus unam ab alio. Contra est: Si per istam propo-
sitionem (quantitas habet partes extra partes) designant a nobis partes et distinguunt quot par-
tes p istam propositionem dignantur duæ aut 4tuor. Sive unam, sive duas dicas, false di-
cis. Falsum enim est quod ratio quantitatis sit habere duas aut 4 partes extra se partes positas,
cum ibi partes et decem, et centum designantr. Erg. Restat designari partes infinitas actu
distinctas. Dices: Aristotel. 8 Physi. t. 68 et 38 dicit infinita in continuo non ēē Actu
sed potentia. Erg. Arist. non tenet partes ēē Actu in continuo sed tenet eas ēē in ~~actu~~ potentia
R. Tenet Arist. partes infinitas ēē in continuo potentia ad hoc ut sint distinctæ N. Tenet ~~infinita~~
infinitas ēē potentia ad hoc ut sint separatæ seu divisæ, Conced.

Dico 4

Dico 4to Non dantur partes æquales infinitæ in continuo. Est communis sententia.

Probatur: Quia quod haberet partes certæ alicui quantitati æquales infinitas esset simpliciter
infinitum. Atqui hoc est absurdum quod una ulna simpliciter sit infinita. C. Probatur sequela
majoris: quia per hoc moles infinita differret à re finita, quod hæc habet partes certas finitas,
illa infinitas.

Dico 5to Nequaquam inæquales seu communicantes sunt infinitæ in continuo.

Est contra Aristot. Hurtadum et ferè omnes præcipuos Philosophos. Probatur 1º Testimonio
ipsorum adversariorum. Hurtadus ad initium disp. de continuo sententiam in continuo partes
communicantes infinitas assignantem ipsemet tenens dicit esse imperceptibilem, et quo plus
ei explicandæ operæ impensum fuerit, plus fatigationis accessurum. Nam infinitæ
inquit partes istæ dolorem sibi infinitum facient. Probatur 2º Negantur ab omnibus com-
muniter partes infinitæ determinatæ in continuo. C. Et proportiones infinitæ sunt
negandæ: Nam et illæ in continuo essent determinatæ et infinitæ. Probatur hoc: Si enim
DEUS dividens chartam hanc ejus medietatem post coelum Empyreum projiceret, et rur-
sus medietatem medietatis. Argumentatur sic: In hoc continuo sunt Actû infinitæ par-
tes hoc modo projicibiles post coelum Empyreum. Sed partes hoc modo projicibi-
les sunt determinatæ. Ergo Hic sunt partes determinatæ infinitæ. Consequentia est
evidens. Major est certa juxta ipsos adversarios: quia si DEUS dividat aliquam rem quan-
tam, et projiciat unam partem, habebit in altera parte quod dividat et projiciat per totam
æternitatem. Ergo sunt tales partes in continuo infinitæ actû et declarantur: Si ex
uno sacco in perpetuum sine fine possent nummi extrahi, etiamsi unus esset minor
altero, evidens est lumine naturæ ibi fuisse infinitos nummos. Venio jam ad minorem
probandam quæ adhuc est certior. Quia quælibet pars quæ projicitur debet esse determinata.
Nam indeterminatum non potest tangi, signari, nominari etc. Sunt ibi Ergo partes de-
terminatæ. Erg. Actû in hac charta dabuntur, dabuntur partes determinatæ infinitæ non
communicantes. Non enim ex projectis illis partibus prima projecta secundam includebat
neque illa, tertiam. Confirmatur: Quia concessis partibus proportionalibus infinitis con-
ceduntur uniones earum infinitæ. Erg. Dabitur numerus unionum infinitus Actû. Ergo
Partium numerus infinitus non enim plures sunt ibi quam partes. Respondent: Esse partes et
uniones in continuo infinitas; sed rem finitam constituentes. Unde non infinitas sim-
pliciter; sed infinitas secundum QUID: siquidem partes illæ non designantur à toto. Con-
tra est 1º Si sunt infinitæ determinatæ partes in continuo, C. Non finitam sed in-
finitam rem faciunt. Nam ipsi docent non dari partes determinatas infinitas; quia
facerent rem infinitam. Contra est 2º Quia non est apta ista argumentatio par-
tes rel-

partes rem finitam constituunt. Ergo Non debent dici simpliciter infinitæ, etiamsi tot sint ut successivè acceptæ, nunquam exhauriantur. Nam ineptè arguares sic: Lapidea est una Ergo et lateres ejus cuius coalescit non sunt plures sed unus. Nam lateres omnes non distinguuntur à lapidea quam componunt tanquam partes. Probatur 3 Datis partibus infinitis in continuo unitis per uniones qualescunque destruat DEUS omnes unione ita ut solæ partes maneant, quod autem id possit facere patet. Quia omne divisibile saltim DEUS potest dividere. Sed quod habet unionem est divisibile. Ergo potest dividi ut unionem omnem amittat. Et præterea quia omnes uniones continui realiter seu modaliter distinguuntur à partibus. Posito Ergo quod DEUS continuum in omnes partes diviserit, illæ partes vel sunt adhuc divisibiles vel non. Si divisibiles, Ergo non divisit in omnes omnem unionem tollendo. Si indivisibiles. Ergo Continuum constabat ex partibus infinitis et indivisibilibus non communicantibus quod ante negabant. Rdent: Negando posse continuum dividi in omnes partes et posse destrui omnem unionem in continuo quando destruantur ipsæ. Et non obest inquiunt distinctio modalis à partibus quia implicantia sequeretur. Nam essent partes, et non partes essent partes, ut supponis, non essent, quia essent jam non divisibiles. Contra. Ista solutio solvit per objectionem. Hoc enim aptum positum est contra ipsos. Et deinde nulla est implicantia quam adfert n an parti, Ratio indivisibilitatis non repugnat neque etiam quantitas petit componi ex quantis. Sic homo non petit componi ex hominibus, murus non petit componi ex muris. Probatur 4 Quia si in linea una sunt partes communicantes infinitæ. Ergo et uniones earum infinitæ distinctæ ab eis. Hoc posito: Uniones istæ partium lineæ suntne ipsæ divisibiles seu indivisibiles? Hurtadus et alii passim dicunt esse indivisibiles, et vocant uniones partium nomine punctorum seu indivisibilium. Supposita hac doctrina ipsorum quæro: Inter extremum punctum lineæ, et inter omnia alia puncta per totam lineam occurrentia estne aliquid reale, vel nihil? Si nihil. Ergo in linea illas nihil est nisi puncta seu punctum post punctum immediatè. Si est aliquid reale, erit pars. De hac parte mediante inter punctum extremum et omnia alia quæro: estne indivisibilis? Si non est divisibilis. Ergo et ipsa est punctum. Si est divisibilis. E. Habet intra se alia puncta. E. Inter punctum extremum et omnia alia non rectè mediantem entitatem assignastis. Rdent communiter: Post punctum quodcunque assignatum non dari in linea aliud punctum, id est non posse assignari in linea post primum secundum quintum sileant puncta infinita, sicut etiam non dari in eadem linea partem primam quando in illa parte et secunda et tertia in infinitum involvatur. Hanc solutionem ipsa ejus difficultas satis oppugnat. Probatur 5 Datis punctis unientibus partes infinitas ista puncta unientia recipiunturne in partibus quas uniunt, ita ut interjaceant inter partes vel recipiuntur penetrando se cum partibus quas uniunt? Soarez Dicit puncta esse interjacentia inter partes et aliis unionibus univi partibus. Hurtadus et communior iam sententia

sententia dicit ipsa puncta esse modos seu uniones ipsas in partibus receptas utrumque hoc est
inconveniens. Probatur Cons. contra Soarez quia punctum tangendo partem unam eo ipso
tangit eam (ut infra contra Zenonem, Zenones ipse probat) Ergo punctum non interjacet inter
partes siquidem penetrat secum illis. Si autem puncta penetrant secum partibus imo continentia sunt
in Quantitate nisi adhoc ut sint uniones ipsæmet. Contra Hurtad. est primo quia multi cum Hurt.
hic sentientes negabant alias unum modum in duobus substantiis reperiri; iam vero in Quantitate
concedunt unum modum unionis nempe punctum recipi in duabus partibus. Secundo quia sequitur
ex doctrina ejus quod pars Quantitatis penetret se cum altera. Probatur Sequela: Quia lineæ par-
tes duæ antequam discontinuarentur erant in eo loco ubi unio earum. Ergo se penetrabant. Respondent
Hurtadistæ quidam unionem in una parte fuisse inhæsive, in altera tantum adhæsive.
Contra est imo quia non est ratio quod in hac sit adhæsive, in illa parte est inhæsive. Con-
tra est 2do quia etiam cum illa parte in qua est adhæsive debet unio se penetrare. Nam indi-
visibile non est extra illud quod tangit ut ipsi docent. multo magis non est extra illud cui adhæ-
ret. Respondent 2 Unionem illam esse in utraque parte proinde in duobus locis. Contra. Eadem res
non potest esse naturaliter in duobus locis adæquatis? Et præterea si illa unio est in duabus partibus, vel est in
illis ita ut occupet in singulis earum locum divisibilem, vel indivisibilem? Si unio illa in quavis par-
te ex illis duabus occupat locum divisibilem taxando ipsas partes divisibiliter dicitur quod re-
pugnat quia pars divisibilis continet uniones proinde unio quæ perit post discontinuationem
lineæ penetraret secum aliis unionibus quæ manserunt in medietatibus lineæ divisæ, cum autem esse u-
niones diversarum partium, non poterant secum penetrari quando penetrarent se et ipsæ partes. Si unio
illa seu punctum attingit partes ut indivisibiles. Ergo Dantur partes indivisibiles ut Zeno vult et
illi negant. Respondent 3 Unio seu punctum tangit partes divisibiles. Contra; quæro hoc quod tan-
gitur ab illo puncto continetne in re divisibile an indivisibile? Si indivisibile. Ergo
Dantur partes indivisibiles. Si divisibile. Ergo Tangitur quod est, neque enim cogitationi hoc Hurtadus
concedit ut tangat rationale sine animali in homine, multo minus debet concedere id unioni ut tan-
gat hoc quod est divisibile essentialiter indivisibiliter, et præterea non ad rem solutio quia et-
iamsi unio illa non tangat divisibiliter partem hanc et illam; partes tamen tangunt illud pun-
ctum totum. Ergo se penetrant in illo puncto, sive parum, sive multum; data autem aliqua
penetratione omnis potest dari. Respondet Soarez ad impugnationem contra se factam
quia alias non posset sphæra tangere planum si in plano sphæra esset, non esset puncta
interjacentia. Nam sphæra juxta nullam partem adæquatur parti plani. Plani enim par-
tes sunt rectæ, sphæræ partes obliquæ. Multum hic fatigant se Authores communis sententiæ
quomodo, quando movetur sphæra per planum tangat puncta et partes illius. Alii
dicunt quod possit partem tangere in motu, sed in quiete non. Alii dicunt quod sphæra planum
non tangat; sed etiamsi fuerit gravissima supra illud in äere pendeat. Contra siquidem
punctum istud quod asserit Soarez non possit esse extra partes ut probabimus, igitur sphæra in plano
tangit partes et non puncta. Probatur 6 quia ex hac sententia sequitur aquilam non posse
moveri velocius quam testudinem. Probatur Sequela: incipiant enim movere se loco, aquila im-
mediate post instans et tunc singulis partibus temporis partes spatii transibit et singulis momen-
tis se-

momentis seu instantibus puncta spatii. Testudo similiter faciet immediatè post illud ipsum instans moveri incipiens. E. Æqualiter movebuntur, simile argumentum contra eandem fieri potest ex corpore denso et raro. Si enim se invicem tangant puncta punctis et partes partibg respondere debent oreteng hocipsu explicabit. Probatur 7 Ita cognoscit Deus divisiones possibiles circa hanc chartam, ut præter eas quas hodie in hoc momento cognoscit nulla alia sit possibilis, nam non debet cognitionem eig fugere ulla pars separabilis. Hoc posito sequit evidenter cognosci à Deo partes indivisibiles quia restaret alias partes, cognoscendæ sunt multæ aliæ contra hanc rationes ex sententiam intellectg opprimentes.

Dico 6to Quantum non componitur ex Physicis seu inflatis punctis.

Probatur quia illa argumenta quæ Aristoteles attulit contra spatium istud quod à punctis istis inflatis occupatur adferri possint. Confirmatur quia punctum tale haberet ubificationem, vel divisibilem, vel indivisibilem. Si divisibilem quero in quot partes infinitas tunc redis ad Aristotelicam scientiam. Si infinitas. Erg. Componitur ex indivisibilibg non occupantig divisibile spatium et coincidis cum Zeno. Si autem in partes finitas occupantes nihilominus spatia divisibilia tunc accipio unam partem illig ubificationis et eandem partem faciam quam feci de tota ubificatione puncti inflati. Quod si autem dicas ubificationem puncti inflati esse indivisibilem licet divisibile spatium occupet hoc est difficile cum ubificatio illa divisibilis spatio respondeat, et spatii vel modicissima pars ita cum ubificatione sit connexa ut implicet illam ubificationem alteri spatio connecti. Confirmatur 2 quia si istud punctum inflatum moveret incidit in illam difficultatem de motu tardo et veloci et præterea quando moveret, posset in instanti mediam partem spatii acquirere. Quo posito, quæro: Quando mediam partem spatii deseruit, priusne quartam partem deseruit quam mediam? Dices: Quia sic est. Rursus quæro priusne octavam partem deseruit quam quartam? Et sic ulterig quæram. Nam spatium istud eoum est in infinitum divisibile, unde ulterig inferam: quando punctum istud commovetur infinitas ubicationes ab eo haberi et amitti: nam ad quamvis minimam partem spatii derelicta alia et alia ubicatio in illo puncto succedere debuit. Confirmatur 3 Quia punctum istud inflatum divisibile spatium occupans quod est minus et minus spatium in infinitum occupare. Demus quod per Dei potentiam occupet tam parvum spatium ut minus occupare non possit, quæro istud spatium estne indivisibile? Si ita Ergo potig dic puncta omnia spatium indivisibile de facto occupare. Nam quando sic compressum punctum moveretur utig in sequenti spatio, spatium etiam immediatè indivisibile inveniret. Proindè spatium ipsum ex punctis non inflatis sed omnimodè indivisibilig coalesceret, et debes concedere quod possit punctum inflatum ad punctum mathematicum id est omnimodè indivisibile redigi. Nam inter omnia possibilia spatia minora datur minimum id est ad quod si redigeret ens aliquod amplig non posset stringi. Istg vero minimum spatium si esset divisibile, non esset minimum quia haberet adhuc minus intra se. Confirmatur 4 Quia isti Autores non consequenter loquunt: in permanente enim quantitate dicunt inflata puncta esse, tempg vero seu motum ex instantibg non inflatis componunt.

Dico 7

Dico 7timo Quantum seu continuum permanens componitur ex indivisibilibus mathematicè sumptis.

A non fecit majq. E. quantitas non coalescit ex divisibilibq. Co. est evidens. Antecedens probatur Indivisibile additum indivisibili

Id est ex indivisibilibq spatium indivisibilia occupantibq. Dices: π Cum Aristot. 6 Phys. Indivisibile additum indivisibili se toto tangit illud ita ut nihil sit in hoc indivisibili quod non tangatur ab altero indivisibili. Ergo se tangunt penetrando adinvicem. Ergo non faciunt rem extensam. E. non componunt quantitatem. Neg. Antecedens R. Ad probationem autem R. Concedo punctum unum cum altero ita esse ut unum si toto tangatur ab altero. Et Neg. Consequens quod se penetrent. Punctum enim se toto tangi ab altero est totum punctum esse penes aliud totum ita ut nihil intercedat non autem penetrari unum ab altero. Illustratur: Dato puncto indivisibile vel superficie indivisibili si versq illam aliquid ab oriente accedat et aliquid ab occidente quis negabit posse ista ita ad se accedere ut tantum illud punctum seu illa superficies mediet inter ea, ecce ista duo ad se accedentia sunt puncto illi seu superficiei contigua et neutrum secum ea penetrat. Confirmatur ista responsio quia juxta adversarios duae superficies se non penetrant. E. Et duo puncta se non penetrabunt. Instabis: Punctum unum quando tangit aliud punctum, totum tangit et spatium puncti totum. Erg. est in spatio puncti alterq. Quando enim potest spatium alterq puncti tangere totum in quo non esset. Si autem unum punctum est in spatio alterq puncti et alterum punctum, tamen non cedit ex eo evidens est quod se illa puncta penetrent. R. Concedo non tantum alterum punctum sed et spatium ejq, totum tangi à puncto priore, et Nego quod punctum priq sit in spatio puncti alterq; non enim requirit ut is qui tangit spatium indivisibile totum sit in illo spatio indivisibili toto; sed sufficit quod sit mediatè penes illud. Dices 2 Ex non quantis non potest esse quantum, sed quodvis indivisibile est non quantum. E. R. Ne. majorem. Nam quamvis unitas non est pluralitas, seu non est quantitas discreta, imò negat eam, et tamen ex unitatibq pluritas seu quantitas exsurgit. Dices 3 Puncta ista ex quibq quantitas coalesceret haberent inter unionem si haberent, unamne duo puncta haberent an duas? Utrumq est inconveniens: si una inter ea esset unio, esset in duobq locis nempè in uniq et alterq puncti spatio, cum tamen illa unio sit quid indivisibile. Si duae uniones. Erg. deberent istae ipsae uniones uniri inter se p aliam unionem. R. Haec objectio est communis aliis sententiis solvenda. Dico in hac sententia fore duas uniones inter puncta duo et dicere ipsas inter se univi sed nonnisi seipsis siquidem nec divinitus una unio sine altera posset esse. ita Arriag. d. 16. Phys. n. 108.

Dices 4 Si daretur quadratum ex quatuor punctis, tunc Diagonis esset aequalis costae quod est contra omnem sensum et experientiam. Ergo. Probatur sequela quia quadrati ejusmodi duobus punctis constaret costa, Diagonius similiter duobq constaret. R. Ne. Sequelam Majoris. Si enim daretur quadratum ex quatuor punctis deberet in medio esse vacuitas saltem uniq puncti capax. Unde ergo naturaliter posse dari quadratum ex quatuor punctis. Ratio est: quia si unum par punctorum Diagonaliter oppositorum sibi unitur ut supponis, certum est quod aliud par Diagonaliter oppositorum non uniatur, quando enim una unio per alteram unionem saltaret, et quando inter puncta immediatè sibi adjacentia alia puncta connaturalia sibi immediatè adjacere possent in ordine ad unionem mutuam. Erg. Puncta si darentur seorsim, vel certè si assignabuntur in aliquo plano.

Rhombum

Rombum non ver quadratum efficient. Instabis. C. Nunquam daret tali ratione perfectum quadratum.
R. Nego illatum. Satis enim perfectum quadratum erit etiamsi uno et altero puncto deviaverit insensibi-
liter. Dices 5 Data linea sex punctorum, erigatur sup. eam Pyramis cuius latera sint decem punctorum
sequitur lineas intra Pyramidem inclusas esse longiores ipsa basi, quod est inconveniens. Erg. Probatur Sequel.
Quia sub vertice ipso pyramidis incipiendo transversas ducere lineas, ipsa prima linea constabit duobus pun-
ctis, et quia inferior debet esse linea major superiori; 2da constabit tribus, 3tia quatuor punctis. 4ta quinque
punctis. 5ta sex punctis, 6ta septem punctis, et sic deinceps usque ad decimum, nam singula puncta
laterum possunt transversas lineas jungi. Hinc autem apparet penultimam et antepenultimam lineam trans-
versam plurimis constare punctis quam ipsam basin. R. Hæc objectio etiam ab adversariis solvi debet inte-
rim Ne. Sequel. Ad probationem ejus Dico non posse a singulis punctis pyramidis transire lineas propter
obliquitatem punctorum in pyramidibus lineis inclinatorum. Unde lineæ aliquæ transversæ ad duo hinc, et
inde duo puncta terminabuntur. Dices 6 Quia quando rota in circum volvitur, sequitur tamen spatium
confici a puncto quod est in circumferentia ipsa rotæ, et a puncto quod est prope centrum rotæ, quia dum
movetur rota punctum superius uno instanti antiquum spatium deserit et novum adæquatum acquirit, eodem
instanti punctum inferius, seu id quod est prope centrum acquirere debet, et totum novum spatium, non
enim medietatem spatii quia suppono spatio indivisibili indigere sicut punctum superius, vel certe debet dici
quod quando movetur rota moto puncto superiori non moveatur sed quiescat interdum punctum superius inde,
atque consequenter punctum superius migrare et discontinuari ab inferioribus punctis, istud argumentum debet
utrinque esse insolubile. Sed quia commune est inquit omnibus sententiis, non est cur propter illud ab hac senten-
tia discedamus. Zeno illud argumentum vocat Achillem. Unde mos in scholas irrepsit argumenta validiora
Achilles vocandi. R. Ne. Sequel. ad probationem ejus R. Licet punctum supius et inferius punctum eodem
tempore moveantur et iisdem morulis quiescant, non est necesse ut tantum spatii a puncto inferiore con-
ficiatur quantum conficitur a puncto superiore, unde moto puncto superiori in rota, non quiescit id quod est in-
ferius ob dictam rationem; sed licet spatium non mutet positionem tamen in eo mutet punctum inferius ac
proinde ubicationem toties mutat quoties mutat et punctum superius siquidem autem distantia tam pun-
cti inferioris quam puncti superioris invariata manet, non discontinuantur. Instabis. Quando distantia
invariata manet, et quomodo non discontinuantur dicta puncta siquidem superius punctum sæpius spatium
adæquatum mutat quam punctum inferius. R. Ideo distantia non mutatur et non discontinuantur dicta pun-
cta, quia punctum inferius licet non tamen sæpe mutet spatium tantum virtualiter mutare illud
intelligitur, siquidem novam et novam ubicationem in eodem spatio acquirit. Instabis Quare id quod non
mutat spatium debet mutare ubicationem ex eo quod circa se habeat puncta mutantia spatium
unita sibi. R. Ideo quia in puncto illo spatium antiquum retinente est unio una versus punctum dextrum
et alia versus punctum sinistrum amittente autem puncto dextro et sinistro, ubicationem antiquam con-
naturaliter uniones earum quæ versus ista puncta habebant ubicationes antiquas amittere debent; posito au-
tem quod uniones in puncto medio receptæ ubicationes mutet et subjectum illarum, id est punctum medium
ubicationem mutabit, cum illæ uniones non tantum sint modi punctorum collateralium, sed etiam
puncti ipsius medii antiquum spatium retinentis. Instabis: Quando novam ubicationem acquiret siquidem
antiquum spatium non deseret. R. Propter unionem cum punctis exterioribus motis cum illis debent moveri
vel saltim ubicationem mutare ea quæ sunt unita cum illis. Unde et centrum ipsum, circa quod sphæra
volvitur

volvit etiamsi spatium non mutet tamen ubicationem perpetuo in motu sphaerae novam et novam acquirit. Instabis: Jam apprehendo quod punctum licet spatium non mutet possit novam ubicationem acquirere; sed illud est difficile moto puncto superiore in rota ex spatio indivisibili in immediatum spatium indivisibile inferius punctum cum minus conficere debeat suo motu eodem tempore et indivisibili spatio minus non detur quomodo et quando inferius punctum ad novum spatium migrabit. R. moto superiore puncto ad spatium immediatum inferius punctum non transibit ad spatium immediatum, ubicationem tamen juxta dicta mutabit. Quando autem in eo casu punctum inferius debeat ex antiquo spatio indivisibili in immediatum indivisibile transire? Probabiliter posset dici tunc, quando periculum discontinuationis incipiet puncti inferioris ab aliis punctis. Credibile autem est periculum discontinuationis intervenire tali modo si punctum superius duplo majus spatium ad conficiendum habens jam ad tertium punctum transiverit incipere periculum discontinuationis, ac proinde punctum inferius debere migrare in novum spatium immediatum, quia tunc notabilius punctum superius elongare se incipit a puncto inferiore. Dixi notabilius, quia ingenue fatendo et tunc quando superius punctum transit ad secundum spatium punctuale elongat se aliquantulum ab inferiore puncto quiescente in antiquo spatio, jam enim tunc punctum superius punctum inferius, et punctum centrale non essent in ~~recta~~ recta linea et prima linea per ista puncta currens evaderet longior non ob elongationem superioris puncti a puncto centrali. Ergo ob elongationem aliquantulam a puncto inferiori; sed quia ista elongatio est modica non careret discontinuatione sed tantum intensione seu compressione imperceptibili punctorum seu partium in illa rota existentium, non est autem inconveniens etiamsi ex solidissimo corpore rota fuerit posse in ea unum punctum aliquantulum elongari ab altero siquidem intra ipsa videmus posse aliquantulum comprimi vel dilatari sine fractione. Haec quidem sunt satis difficilia; sed quia in omnibus sententiis idem vel certe aliquid difficilius dici debet ad hanc objectionem, ideo sententiam Zenonisticam non debet suspectam facere. Dices 7 Quia sequitur tot esse puncta in circulo minori contento intra circulum majorem quot in ipso circulo majori. hoc autem est inconveniens. E. Probatur sequela: quia a majoris circuli punctis lineae ducantur ad centrum circuli utriusque utique transeundo illae lineae per minorem circulum secabunt illum in alio ac alio puncto. R. Haec objectio magis Aristotelicam sententiam urget, interim nego sequelam et dico lineas ab exteriore circulo currentes aliquas in punctis minoris circuli concidere aliquas etiam ante circulum minorem imperceptibilem enim videtur ut unum punctum centri excipiat et uniat tot lineis currentibus quot puncta sunt in circulo a quatuor ergo vel quinque vel ad summum ab octo punctis centrum seu punctum circuli medium tamen attingi. Dices 8 Qualibet linea potest in partes aequales dividi. Si autem linea ex punctis constaret, hoc non verificaretur, nam posset illa linea tribus vel septem punctis constare; sic autem in duas partes dividi non posset aequales. R. Ne. Antec. Instabis: Illud est Axioma Mathematicum. E. non est negandum. R. Verum est Axioma Mathemat. sed non est in eo rigore, in quo tu sumis illud, enim satis aequales partes erunt etiamsi una pars unico puncto excesserit cum ejusmodi excessus non sit reprehensibilis, siquidem neque hic quod constat centrum punctis sub visum humanum cadere posset propter puncti modicitatem.

Dices

Dico 8tavo Quantitas successiva non est divisibilis in infinitum sed constat ex instantibus seu mutatis esse finitis sibi sucedentibus.

[illegible]ita Zeno contra Aristotelem hanc defendit Arriag. et omnes ii fermè qui quantitatem ex punctis infla[illegible]s componunt. Probatur: quia sequeretur quod Deus non posset creare immediate Angelum unum post alterum; cum enim unum creaverit in instanti temporis indivisibili, et post illud indivisibile instans non [illegible] indivisibile temporis sed pars divisibilis in qua Angelus utpote ens indivisibile creari non potest, deberet Deus expectare aliud instans idque tanto tempore ut infinitum minori et minori expectari, [illegible] quae sunt vix perceptibilia. Huc pertinent rationes ferè omnes quas contra infinitas partes proportionales attulimus revocare. **Dices 1.** Cum temporis instantia id est durationes tempus componentes una post aliam existant uniuntur inter se, sicut uniuntur puncta quantitatis permanentis per se immediate existentia. R. Non uniuntur. Impossibile enim est id quod est univi cum eo quod iam non est. Durans autem tempus componentes ita sunt, ut quando una est praeterita iam non sit neque futura adhuc sit. **Instabis:** Ergo non datur tempus continuum seu quantitas continua successiva. R. Conced. de tempore et de quantitate continua ex eo constante. **Dices 2.** Si motus non habet partes infinitum divisibiles, sicut et spatium non habet partes in infinitum divisibiles. Ergo motus equitis et testudinis erit aeque velox. R. Neg. sequel. Motum enim esse tardum nihil est aliud nisi mutata esse ex quibus coalescit cum interruptionibus sibi notabilioribus succedere, et quidem quo majores interruptiones fuerint, eo tardior motus erit; velocem aut motum esse et mutata esse ex quibus motus coalescit cum interruptionibus modicis seu rarioribus produci, et quidem quo rariores interruptiones fuerint, eo velocior motus erit; si nullae interruptiones fuerint id est si indivisibile motus post aliud immediate successerit, motus erit velocissimus quo velocior dari non potest, naturaliter tamen talis fortè non datur. **Instabis:** Si motum esse tardum est indivisibilia eius sibi non immediate succedere inter singulare indivisibilia motus interruptiones dantur. R. Sive inter singula sive non inter singula dentur pridem. **Instabis:** Ergo quando lapis cadit deorsum non continuo movetur, sed interdum quiescit. R. Conced. Nam vis motiva [illegible] ita est comparata. Infertur et mundi totius puncta ex quibus materia eius coalescit vel quantitas esse finita, esto absoluta tamen potentia sicut infinita quantitas, ita et puncta infinita dari possunt cum non implicet supposito quod infinitum Categorematicum sit illud quod habet in se totidem partes tot, ut si successivè accipiantur seu notentur nunquam ad ultimum pervenias, inde ulterius deducit unum infinitum potentiale esse majus altero, neque inde sequitur minus infinitum fore finitum [illegible] ubi enim excedi a majori inciperet, ibi terminaretur, nam iste terminus esset materialis. Caeterum minus infinitum hunc formali termino careret quia habet partes tot ut si successivè accipiantur nunquam ad ultimam pervenias sicut neque in majori infinito pervenies.

Articulus Tertius.

De Raritate et Densitate.

Dico 1. Rarum est quod sub magnis dimensionibus parum habet materiae. Densum vero est quod sub parvis dimensionibus multum habet materiae. Ita Aristot. explicatur. Rarum est quod parum habet materiae substantia[illegible] in se tamen multum loci occupat ut apparet in cera liquefacta fervente quae multum loci occupat, licet

expar

ex parvo frusto duriores ceræ diffluerit. Densum verò quod multum habet tantum per unum locum occupat ut patet in ferro cuius substantia, etsi unius ulnæ fuerit, certum est habere plus materiæ quam duas ulnæ vel aquæ, unde autem ulterius deducitur dari de facto corpora alia rara, alia densa, hoc indubitato illud controversum quid sit corpus ex denso fieri Rarum, vel ex raro densum, per consequens quid sit raritas et densitas.

Dico 2 Quando corpus ex denso fit rarum, non acquiritur tunc nova quantitas, sicut neq amittitur antiqua Quantitas seu aliquid ex antiqua Quantitate, quando ex Raro fit Densum.

Est communis sententia Scotistarum contra alios. Probatur quia nova Quantitas per rarefactionem producta careret subjecto quod naturaliter repugnat. Probo sequelam. Nam nova illa Quantitas per rarefactionem producta in corpore denso non reciperetur in ulla parte materiæ densæ, quia in singulis partibus suis materia densa habuit quantitatem, non autem possunt duæ qualitates unam materiam informare. Non etiam per rarefactionem produceretur in corpore denso Quantitas nova cum materia prima nova quia hoc naturaliter fieri repugnat ut materia prima producatur ab aliquo Ente creato. Ergo Quantitas per rarefactionem producta, esset sine subjecto. Confirmatur: quia licet concederemus quantitatem per rarefactionem produci subjecto carente, non sequitur tamen tunc materiam modicam fore sub magnis dimensionibus quia materia modica similiter atque ante contineret se in modico spatio, et Quantitas nova aliud spatium occuparet multo minus idem sequeretur si quantitas per rarefactionem producta se cum Quantitate præcedente penetraret.

Dico 3 Sicut per Rarefactionem ita per condensationem non producitur in corpori ~~corpus~~ modus quidam positivus seu Quantitas quæ dicitur raritas vel Densitas.

Quia producta in corpore eadem illa materia ac eadem quantitate incipiat plus vel minus spatii occupare. Ita Triaq. cum aliquibus et contra Soar. Pons. 5 Met. c. 13. §. 4. lib. 1 de Gen. q. 17 a 3 et idem contra Hurtad. Probatur quia quantitatis antiquæ pars qualibet ante rarefactionem manet in loco sibi adæquato. Si ergo inducta raritate majorem locum occupat, sequitur quantitatem post refractionem fore in duobus locis, quod est inconveniens. Sequitur etiam quod et Angelus qui in modico aliquo loco se contraxerat, quando se dilatat, rarefiat, siquidem in hac sententia rarefieri est majorem locum occupari ab eo qui minorem occupat. De condensatione simile argumentum formari potest condensationem quantitatis pars quælibet in loco sibi adæquato manet, si autem acquisita qualitate quodsupra rejecimus vel quantitatem penetrationis partium suarum adinvicem amittere quod etiam supra rejecimus quando de loco et quantitate disputamus. Confirmatur Conclusio Raritas et qualitas materialis. Ergo Quando in materia seu quantitate recipitur pars raritatis in parte materiæ seu quantitatis recipitur, ita ut quot fuerint partes Raritatis informantis, tot Quantitatis vel materiæ subjectantis, alias enim aliqua pars raritatis esset sine subjecto quod non concedit Accidentibus. Hoc posito sic argumentor: Partes Raritatis siquidem omnes taxant sibi, seu etiam petunt respondere a partibus Quantis in numero non apparet quando dilatent, seu ut ita dicam fermentent partes Quantitatis. Sicut enim punctum Raritatis non est majus puncto Quantitatis, ita pars Raritatis informantis non est major parte Quantitatis subjectantis. Ergo non trahet neq extendet ~~formantis~~ quantitatem ut majorem locum secum occupet. Simile de densitate fieri potest argumentum, neq satisfacit

Satisfacis si dicas partem raritatis ee ejg naturæ quod quoad Entitatem parvam magnu locum petat. Siqui-
dem quandò se partes Quantitatis vel Raritatis non penetrant ut duplum locum occupant, sicut Quantita-
tis Raritatis partes partibg spatii, puncta punctis spatii in communi sententia respondere debent, nisi quan-
titatem ex in conflatis punctis componas quod supra rejecimg.

Dico 4 Rarefactionem fieri per introductionem aliquorum corpusculorum seu Atomoru
intra poros corporis ratione quorum corpus illud majorem locum occupat quam ante, in Densi-
tate autem foras expelluntur corpuscula ideoq minorem locu occupat corpg. ita Gabriel in Can. lect.
45 Valesig 4 Physico. 14. 84 Arriag. d. 16. Phys. n 195. et multi recentiores. Probatur quia ex communi appre-
hensione condensatio dicit majorem unionem partium, è contra Raritas Discontinuationem. Unde Angelg si
minorem aut majorem locum occupet non dicit rarefieri neq condensari. Spongia sive comprimat sive dilatet
non dicit etiam condensari neq rarefieri, quandò enim comprimitur, non uniuntur partes ejg, consequenter quan-
do dilatatur non disuniuntur; indè etiam est quod uter coriarig quandò inflat, rarefieri non dicat. Confir-
matur 1mo ab impugnatione aliaru Scientiarum. Confir. 2do Experientia: quia undè ad notitiam Rarita-
tis devenimg est aqua bulliens, quo autem magis aqua bullit, eo majores bullas in ea äere plenas videmg ra-
refieri. Et. aqua est intra se minutas äeris partes admittere, rarefieri lignum est minutas partes aquæ
intromittere etc. Lutum enim condensat evaporatione aquæ, coria similiter; idem et in variis fructibg
cernimg. Carnes animalium et ipsæ per humoru exsiccationem contrahunt seu condensant. Confirmat
3tio Quia in hac sententia facilè solvunt quæ in aliis maximam difficultatem habent, difficulter solvitur
in aliis sententiis quandò unum corpg condenset quin aliud rarefiat, et aliud rarefiat quin alterum
condensetur, quis autem cogit ut rarefacta aqua äer condenset. Sicut enim aquam calor rarefacit, ita
eodem tempore idem calor äerem calefacere potest. Debent autem aliæ sententiæ admittere ad conden-
sationem unig alterig corporis rarefactiones alias deberent dicere quod corpora se penetrent ut discur-
renti patet, aqua enim rarescens locum occupat majorem. Et. pellit ex eo äerem, äer pulsg recedit, vacu-
us ocg in mundo non dat, restat quod condenset, vel certe aqua majorem locum occupans penetrat äerem,
in nostra sententia hic optimè solvit, aqua calefit, quia in poros suos quos calefacit minutas äeris parti-
culas admittit, proinde majorem locum petit aqua, äer è contra diminuitg per particularu substractionem
minorem locum postulat. Difficulter solvit ab aliis quare aqua rarefiat, ferrum non, siquidem in illorum
sententia rarefactio non per discontinuationem fit. At verò nos dicimg ferrum non rarefieri ob durationem,
discontinuationem in aliquibg saltim partibg non admitti, nisi ingens calor accesserit. Dices 1. In oleo nulla
est pars quæ non sit rara etiam inter porum. Erg. Raritas non consistet intromissione corpusculorum in-
tra poros. R. Neg. Antecéd. Non enim ideo oleum dicit ee rarum quod etiam minimæ ejg partes sint ra-
ræ; sed quia in eo pori sint frequentissimi, ideo dicitur rarum totum. Quare autem non intra omnes partes
corpuscula intrent Ratio est: Quia non omnes partes habent poros, sed tantum aliquæ. Poros verò non omnes
partes habent sed aliquæ tantum quia calor non in omnes partes æquè agit, undè non omnes æque discon-
tinuat. Et licet æque agitet in omnes partes id tamen non sequitur; quia licet omnes partes æquè sint calidæ
tamen videmg partibg bullas apparere; item vasis vitrei licet omnes partes sint æquè debiles, tamen quandò
frangitur vas vitreum, non in omnes partes frangitur. Dices 2. Nuces et ova quando assant, frangunt
quod non fit per expulsionem corpusculoru, non enim per putamina poterant ejgmodi corpuscula è nucleis egredi.
R. Frangunt quia cortices sicut et testaceæ nec non vitrea vasa semper copulant inter se aliquo humido, quo
recedente propter ignis activitatem rumpunt. Sicut murg agit rimas quandò vehemens calor ej applicat. Hinc ap-
paret quare cortices in aqua calidissima non rumpant, inde etiam et quod vasa testacea quando in ejs aqua
congelatur rumpant; quia videlicet frigore nimio ipsa vasa cum condensant rimas agunt. Instabis: Vitrum
si aqua

F non omnibg.

si aqua frigida plenum applicat, non frangitur etsi bulliat in eo aqua. Item si vitrum in frigidam repositum coquas, non frangitur. Frangitur autem si in fervente illud derepente immittas et tamen in utroque casu calor intrinsecus vitrum illud condensando ad fractionem urget. E. Apparet non bonam causam fractionis vasorum fictilium et putaminum. R. In vitro est quandam peculiarem rationem ob ejus naturæ subtilitatem quod sensim si calefiat non frangatur, si derepente frangitur, sic si lignum sensim inflectas, non frangitur, secus frangitur. Instabis: Putamen ovi in igne, vas aqua plenum in gelu franguntur quia aqua frigore sicut cum calore condensatur, proinde minorem locum occupare incipit deserendo aliquod spatium intra vas seu intra putamen, quod spatium quia non est quo impleatur ob periculum vacui intercedere quia vas etiam apertum ut est pelvis si in ea aqua congeletur, frangitur imo et sine aqua si nimium frigus fuerit idem cum putaminibus divisis idemque fieri in calore magno, deinde quare vas clausum oleo liquefacto plenum, si oleum congeletur, non frangitur ob periculum ejusdem vacui. Instabis: Quando chyrurgus vitream cucurbitam carni applicat cum igne, igne extincto, et aere converso quia aer est densior, minus spatii petit quam ignis occupabat, quare ad replendum vacuum quod ignis rarus occupabat, caro elevatur seu attrahitur. E. Idem de vase in qua aqua congelatur est dicendum. R. Neg. Ante. Si enim ad vacuum implendum quod ignis facit, caro assurget in instanti repleri vacuum illud deberet, cum neque per minimam temporis partem natura vacuum patiatur, cum tamen videmus sensim in dicto casu in carnem cucurbitam intrari, fit ergo hoc precise quia per calorem apte sunt pori carnis et per illos intromittitur aer paulatim et caro ascendit ad replendum locum relictum ab aere. Calor enim habet vim sejungendi et resolvendi partes enim inter se constringendi aut non nisi per accidens, humorem videl. extrahendo ut patet in luto et massa quavis. Frigus e contra habet vim partes uniendi. Dices 3 Et ipsa corpuscula sunt capacia raritatis. E. alia corpuscula rarefierent, et debis aliis eadem gessisset, et sic in infinitum. R. Exinde aliquibus tandem ad tam pauca corpuscula ut naturaliter discontinuari non possint, seu poros habere naturaliter non possint, unde ex nullo latere possent admittere intra se aliud corpusculum et indivisibile. Dices 4: Rarum est quod sub magnis dimensionibus parum habet materiæ. Posito autem quod rarum sit per intromissionem corpusculorum non parum materiæ sub magnis dimensionibus sed tantum materiæ quantum dimensionis haberet. R. Non parum haberet materiæ continuæ et continentis in se et corpuscula si comparetur cum dimensione totius aggregati ex materia et corpusculis. N. Non parum haberet materiæ, sed tantum, quantum et dimensionis aggregati in materiam cum corpusculis sumendi, Concedo. Simile argumentum de denso fieri poterat, sed similiter solvendum est videl. densum sub parvis dimensionibus multum habet materiæ licet in modico spatio habet materiam non distinctam seu non distractam proinde copiosam. Dices 5 Si corpus rarum est per intromissionem corpusculorum per poros. E. Erant ante pori in illo corpore, non erant autem illi pori vacui. Ergo impleti. Ergo ante intromissionem corpusculorum per poros corpus erat rarum. R. Ante intromissionem corpusculorum erant pori, sed non tam multi, idque illi pori erant aliqui pleni compressi nihil intra se admittebant antequam calor rarefaciens poros dilatans adveniret. Infertur 1 Densitatem et raritatem formaliter in ipsa actuali minore vel majore extensione seu dispersione quoad locum consider. Dices: Caro Christi est rara in Eucharistia, ossa sunt densa, et tamen ibi neque caro neque ossa habent extensionem actualem quoad locum, sed tantum exigentiam extensionis. Erg. Hæc exigentia non vero ipsa actualis extensio erit raritas. R. Neg. Anteced. Cum enim corpus Christi in Euch. non habet parum materiæ sed magnis dimensionibus raritatem et densitatem non habet. Infertur 2 Radicem densitatis et raritatis esse qualitates primas calorem frigus, humiditatem. Calor causat raritatem, frigus densitatem. Dices: ignis condensat lutum, rarefacit butirum. E. R. Per accidens ignis lutum condensat expellendo videl. humorem ex luto per se non rarefacit butirum cujus poros aperit ut recipiat corpuscula quos poros frigus constringendo butyrum clauserat.

niri tamen deve

Articulus

Articulus Quartus De Inceptione & Desitione.

Suppono dici res incipere vel intrinsecè vel extrinsecè, sicut et desinere vel intrinsecè vel extrinsecè. In-
cipere rem intrinsecè id est incipere per primum sui esse id est incipere intrinsecè est esse in eo statu ut tunc possit
vere de ea re dici: Nunc primo res haec est et immediatè ante non fuit. Sic dies incipit eo instanti quo Sol
apparet. Primo incipere autem res extrinsecè per ultimum sui non esse id est incipere rem extrinsecè est esse eam
in eo statu, ut tunc de illa dici verè posset. Nunc ultimo res haec non est, et immediatè post erit si dies in-
cipit eo instanti quo nox ultimo durat. Brevius explicando intrinsecè rem incipere est incipere instanti quo exclusivè
durat res. Desinere vero rem intrinsecè est desinere per ultimum sui esse id est desinere intrinsecè rem est esse
eam in eo statu, ut tunc de illa re verè dici possit: nunc ultimo res haec est, et immediatè post non erit, sic
dies desinit ultimo instanti solis apparentis. Desinere rem extrinsecè est desinere per primum sui non esse id est
desinere rem extrinsecè est esse rem in eo statu ut de ea verè dici possit: Nunc primo res non est, et immediatè
ante fuit. Sic dies desinit primo instanti noctis existentis. Brevius explicando: intrinsecè res desinunt in
instanti durationis suae inclusivo. Extrinsecè verò instanti exclusivo durationis suae.

Dico omnes res creatae sive permanentes sive successivae incipiunt et desinunt
tam intrinsecè quam extrinsecè. Ita Arriag. Probatur: Linea habet ultimum sui non esse nempe punctum
quod est immediatè ante ipsam, quod punctum dici potest extrinseca lineae inchoatio; habet etiam eadem linea pri-
mum sui esse, nempe punctum primum inter ea ex quibus componitur, quod punctum dici potest intrinseca lineae in-
choatio seu inceptio. Item eadem linea habet primum sui non esse nempe punctum rei alterius quod est immediatè post
ipsam quod potest dici extrinseca terminatio seu desitio lineae aut potius desinentia. Habet etiam eadem linea
ultimum sui esse nempe punctum ultimo eam complens, quod potest dici intrinseca eius terminatio seu desinen-
tia. Hoc exemplo posito, proportionaliter discurri debet de cuiusvis rei duratione secundum quam res incipere
aut desinere dicuntur. Cum autem in omnibus rebus duratio possit eiusmodi explicationem recipere, sequitur
omnem rem posse incipere et desinere tam intrinsecè quam extrinsecè. Dices 1. Si Angelus unico instanti
tantum duraret, non posset de eo dici quod incipiat et desinat intrinsecè. Ergo non omnes res incipiunt
et desinunt intrinsecè. Anteced. Probatur quia si Angelus unico instanti tantum duraret, non possemus de eo e-
nunciare sic: Nunc primo et nunc ultimo Angelus iste est. C. Si Angelus unico instanti duraret non inciperet et
desineret intrinsecè. R. N. Anteced. Ad probationem eius R. N. etiam Anteced. Nullum est enim inconve-
niens dicere de aliqua re quod nunc primo, et nunc ultimo sit. Primum enim et ultimum diverso respectu illi
rei tribueretur, esset primo in quantum ante non fuit, esset ultimo in quantum post non erit. Dices 2. Mo-
tus non potest incipere intrinsecè. E. Non omnis res potest incipere et desinere tam intrinsecè quam ex-
trinsecè. Probatur Ante. Non potest de motu ita enunciari: Nunc primò motus est, et immediatè ante non
fuit. E. Motus non potest incipere intrinsecè. Probatur quod non possit sic enunciari de motu; quia motus est
quid indivisibile in eo quae sibi in duratione succedunt. Nam id, cuius partes una post aliam existunt non
est nunc, siquidem nunc est indivisibile. Et ergo in parte temporis indivisibile. Erg. A primo ad ultimum dicen-
dum motus non potest incipere intrinsecè; sed tantum extrinsecè ita ut de eo incipiente possimus dicere: Nunc
ultimo motus non est, et immediatè post erit in tempore divisibili. Haec obiectio est communis sententiae do-
ctrina componentis tempus ex partibus in infinitum divisibilibus. R. N. Anteced. et probationem ~~eius~~ eius ad
hoc autem

hoc autem additur id quod constat ex partibus succedentibus non existit. Nunc distinguo non existit nunc quoad partes plures, Concedo. Non existit nunc quoad partem unam, Nego. Imò hic omnis sententia videtur non consequenter loqui siquidem in tempore NUNC post Nunc id est instans post instans non concedit. Probo hoc ex Aristot. quia propositio de præterito et de futuro resolvitur per suum De hic et nunc id est de præsenti. Neque enim potest dici Petrus fuit, nisi aliquando dici potuerit Petrus est. Sequitur Ergo ad verificandam explanationem inceptionum et desitionum quod in tempore sit Nunc.

ARTICULUS QUINTUS
De
Terminis Magnitudinis et Parvitatis.

Suppono 1. Magnitudinem esse Triplicem. Alia est PERFECTIONIS: Alia Molis seu EXTENSIONIS Alia INTENSIONIS. Suppono 2. Terminum Magnitudinis alium esse Intrinsecum, alium Extrinsecum. Terminus intrinsecus ab Aristot. vocatur maximum quod sic id est Terminus intrinsecus magnitudinis est extensio seu intensio maxima quæ haberi ab illa re potest connaturaliter. Et sic homini terminus magnitudinis est esse v. g. plus minus trium cubitorum vel etiam quatuor. igni terminus intrinsecus magnitudinis in ratione caloris octo gradus ex calore. Terminus magnitudinis extrinsecus vocatur ab Aristot. minimum quod non id est: Terminus magnitudinis extrinsecus est pars illa quantulacunque ultra terminum intrinsecum quem res illa attingere non potest, et sic magnitudinis quam habet calor ignis terminus extrinsecus est pars aliqua seu punctum caloris ultra octavum gradum caloris. Terminus parvitatis alius est item intrinsecus, alius extrinsecus. Terminus intrinsecus parvitatis vocatur ab Aristot. minimum quod sic. id est: Terminus parvitatis intrinsecus est Extensio seu Intensio tam parva quam haberi minor connaturaliter non potest, et hominis terminus parvitatis est una septimana v. g. quia si minus corpus esset forte pro recipienda anima, non sufficeret. Terminus Extrinsecus Parvitatis vocatur ab Aristot. maximum quod non, id est: Terminus Extrinsecus parvitatis est tota illa magnitudo infra parvitatem alicujus descendens, et sic hominis terminus parvitatis extrinsecus est media spitama staturæ humanæ. Hæc tantum notitiam vocum serviunt. Dico 1. Viventia omnia tam in statu primæ suæ productionis quam in statu consistentiæ seu maturitatis habent certos terminos magnitudinis et parvitatis tam intrinsecos quam extrinsecos. Probatur experientia. Neque formica elephantis magnitudinem, neque Elephas formicæ parvitatem habere potest naturaliter, neque pulex hominis, aut homo pollicis statura continetur. Similiter gramen non excedit quercum, nec quercus demittit se ad parvitatem graminis, sive ista considerentur quando nascuntur, sive tunc quando jam non amplius crescunt. Confir. Ratione quia formæ vitales requirunt corpus organicum instrumentis plenum ad functiones varias. Ergo debent habere subjectum certæ magnitudinis, id est neque valde parvæ, quomodo enim in modico spatio tot instrumenta sensuum clauderentur, neque nimis vastæ, quia partes nimis distarent proinde una alteri non deservirent commode. Dico 2. Ferè omnia quæ connexionem habent cum viventibus habent certos terminos magnitudinis. Nam cadaver tantum est quantus homo, caro, ossa similiter. Dixi ferè omnia, nam oleum et vinum fit ex viventibus, adeps similiter non habent certum magnitudinis terminum. Dices 1. Ergo quare ossa animalis habent certum terminum magnitudinis, et adeps non habet. R. Quia ossa non sunt continuabilia, sicut oleum, vinum, adeps et similia quæ per solam juxtapositionem continuari possunt. Dices 2. De facto Gygantes fuerunt et monstra nata sunt vastæ magnitudinis. Ergo Homo non habet certum terminum magnitudinis et parvitatis quia legimus natos homines magnitudine grandi heroici vis

hordei vix attingentes & Gygantes pro illo tempore quo fuerunt, erat vis grativa vivatior in hominibus; un-
de etiam tunc homines naturaliter plurimis annis vixerunt, proinde illis temporibus terminus staturæ huma-
næ erat longe major; illi vero homines de quibus testantur historiæ quod magnitudine granum hordei non
excesserint, id ut ipsa historia refert præternaturaliter in pœnam parentum evenit. Dico 3. Viventia
in nutritione habent terminos certos magnitudinis et parvitatis. Probatur quia vis nutritiva est
limitatæ perfectionis. Ergo certæ magnitudinis alimentum assumit. De unione parvitatis idem patet quia
datur minima pars alimenti quam potentia nutritiva convertat in substantiam viventis. Dices: Potentia
nutritiva est limitatæ virtutis requirat ergo certam magnitudinem alimenti quam appropriari viven-
ti hic et nunc possit tamen successive poterit augeri vivens in infinitum. R. Neg. illatum, quia ubi vi-
vens homo v.g. ad 25 annum pervenerit ossa et nervi ejus ita indurantur per calorem naturalem ma-
jorem ut crescere non possit amplius, et præterea quantum ex alimento calor naturalis tunc agge-
rerat, tantum deperdit ex substantia viventis, unde jam in tali statu vivens non crescet. Dico 4.
Corpora non viventia, ut: Elementa, lapides, metalla, ita corpora liquida non ha-
bent terminum certum magnitudinis, parvitatis terminum habent. Probatur quia etiamsi mare
vastissimum sit, nihil impedit quominus illi alterum mare continere non possit. Idem de aliis dicendum.
Licet ergo ejusmodi corpora non habeant ab intrinseco præscriptos terminos magnitudinis tamen impediunt
a contrariis et a totius universi exigentia ne in infinitum excrescant. De termino parvitatis patet quia
naturaliter sub duorum forte aut trium punctorum magnitudine forma substantialis materiam informare
potest. Dico 5. Qualitates naturales recipientes intensionem habent certos terminos intensionis
tum quoad magnitudinem quam quoad parvitatem. Probatur quia quodlibet subjectum habet limitatam
vim sustentandi quodvis accidens. Sic asser habet limitatam vim ad pondus sustinendum etiamsi sustineat
hominem, non sequitur quod possit sustinere equum aut currum; ita etiam de qualitate quoad intensio-
nem dici debet. Licet enim parvula pars subjecti punctum v.g. materiæ possit recipere caloris gradus
octo, non sequitur quod possit recipere 9. De parvitatis termino probatur quia quando ignis calorem
in lignum inducit antequam introduceret ultimum indivisibile caloris in lignum erat in ligno
unum indivisibile frigoris. Item lucerna intra suam sphæram illuminans, si per unum punctum spatii
mota fuerit unicum indivisibile lucis in aëre collucet. Ergo qualitas quoad intensionem potest esse sub
tam parva intensione naturaliter ut sub minore esse possit. E. habet terminum parvitatis. Dices 1. Si
ignis habet certos terminos intensionis in calore, ergo habet certas extensiones in quantitate. R. Non
est paritas quia calor quoad intensionem in eadem parte subjecti crescendo debet se accommodare limitatæ
virtuti subjectivæ. Quantitas autem continuando præcedenti quantitati per additionem nullam vim
peculiarem petit in eo cui continuatur. Dices 2. Etiamsi subjectum caloris esset capax caloris in infinitum
non ideo esset illimitatum et infinitum. Adhuc enim esset defectibile. Ergo ex limitata virtute receptiva subjecti
non infertur posse non recipere calorem infinitum. R. Non repugnat quidem hoc ex ratione limitatæ vir-
tutis ut sic, nam posset dictus creatura talis dari quæ caperet calorem infinitum; sed repugnat ex ratione
virtutis limitatæ hujus: materia enim moderna sublunaris non tantum est limitata ex eo quia est
creatura, sed limitata etiam est ex eo quia inter creaturas non vilior. Dices 3. Non potest qualitas ex-
tensionem habere naturaliter tantum unius indivisibilis. Ergo neque intensionem indivisibilem na-
turaliter. Er. Non datur terminus parvitatis quoad intensionem. R. Transeat ante. Neg. Cons. Dispa-
ritas est quia extensio qualitatis sequitur extensionem subjecti. Cum autem subjectum in solo puncto
naturaliter existere non possit, ob defectum forte dividentis naturalis et separantis illud ab aliis pun-
ctis neque qualitas poterit quoad extensionem unico puncto esse contenta. Intensio vero hoc non requirit.
Dico 6. Qualitates supernaturales communiter non habent certum terminum magnitudinis, parvitatis
forte habent. Probatur quia subjectum ad qualitates supernaturales recipiendas elevari debent elevabilitatem
tamen non habet terminos infra naturam.

Disputatio

Disputatio secunda.
De
Generatione, Corruptione et Conversione.
Articulus primus
Quid sit Generatio et Corruptio.

Suppono 1mo Generationem varie accipi 1mo Accipitur pro qualicunq; cujuscunque rei productione (loquimur autem de Generatione creata) et sic dicitur ignis generare ignem, generare calorem lucem etc. Deus dicitur generare coelos, mundum, Angelos &c. Sic generatio sumpta involvit in se etiam creationem cujuscunque rei. 2do Generatio strictius accipitur pro sola eductione cujuscunque rei ex subjecto. Sic generatio supra contra distinguitur à creatione. 3tio Adhuc strictius Generatio accipitur pro substantiali eductione cujuscunque formæ. Sic generatio accepta non tantum opponitur Creationi sed etiam omnibus mutationibus seu Actionibus Accidentalibus. 4to Generatio accipitur strictissime Substantiali Actione eductiva, ita tamen ut in subjecto illo præcesserit privatio Formæ quæ educitur, id est accipitur pro Actione substantiali quæ sit simul vera mutatio. 5to Generatio accipitur vulgari sensu pro sola viventium productione ut quando bos bovem, arbor fructum generat. Hic loquemur de Generatione 3tio modo accepta. Suppono 2do Corruptionem etiam accipi (1) Latissime pro desitione rei qualicunq;, et sic coelum si desineret, diceretur corruptum, Angeli similiter, calor, Loco, Lux similiter) Sic corruptio etiam annihilari et cujuscunque formæ tam accidentalis quam substantialis substantiali servit. (2) Corruptio strictiur accipi potest pro desitioni cujuscunq; formæ à subjecto dependentis. Deniq; (3) pro desitione formæ substantialis è subjecto eductæ. Suppono 3tio Generationem ab Arist. hic t. 23 his verbis definiri: Generatio est mutatio totius in totum nullo sensibili manente ut subjecto eodem. Hæc Definitio est Generationis 4to modo in supponendo primo acceptæ. Dicit primo Aristot. Generatio est mutatio loco Generis. Dicit secundo Totius in totum, loco differentiæ. Quando enim Accidens [illegible] producitur calor v. g. in ligno est mutatio ligni quia non transit de non calido in calidum; sed non est mutatio totius in totum, tunc enim compositum lignum secundum esse prioris compositi desinit et secundum esse naturæ compositi incipit, licet materia prima eadem remaneat utrobiq;. Dicit Tertio: illam mutationem esse (nullo sensibili manente ut subjecto eodem) Ex his ultimis verbis plurimi arripuerunt occasionem doctrinæ ejusmodi, quod quando ex composito uno aliud generatur, nullum accidens manet prioris corrupti in corrupto noviter producto. v. g. quando ex ligno generatur ignis, tunc in igne illam nec quantitatem, neque Qualitatem illam quæ fuit in ligno manere. Ita Thomistæ docuerunt, quos complures sequuntur. Et hoc est quod alii dicunt in Generatione fieri resolutionem usq; ad materiam primam sed frustra id asserunt dicti Autores, quæ enim est necessitas ut quando ex bove vivo cadaver fit, pereat tunc et calor statim qui fuit in bove vivo, et substituatur novus calor et nova quantitas. Cum ergo supra docuerimus materiam primam esse subjectum inhæsionis respectu Accidentis, et compositum esse subjectum Denominationis respectu eorundem. Per sensibile hic Aristot. intelligit subjectum Denominationis seu compositum totum quod ipsa ejus sequentia verba innuunt quando dicit (non manente ut subjecto eodem) ut sensus sit Generatio est mutatio compositi in compositum aliud, ita ut non sit idem subjectum Denominationis licet sit idem subjectum inhæsionis. Quænam autem sit Terminus Formalis Generationis supra docuimus. Suppono 4to Sicut Annihilationem creationi; ita Corruptionem Generationi oppono. Dico 1mo Generatio est productio substantiæ ex subjecto. Productio ponitur loco Generis abstracti tam à Generatione quam à Creatione. Reliqua verba Definitionis Differentiæ locum habent

habent per hoc enim Generatio a creatione differt. Dices 1mo Melius erat ita definire: Generatio est productio Entis ex Subjecto. Nam sic Generatio à Creatione distingueretur; sed etiam ad productionem Accidentium ex Subjecto extenderetur. R. Neg. Antecd. Nam hic generationem strictius sumptam definimus prout non tantum à Creatione sed etiam ab Alterationibus, ab Augmentatione, à motu Locali etc. distinguitur. Dices 2. Melius saltim definire erat sic: Generatio est mutatio substantialis: nam idem Generatio quod mutatio substantialis. R. Generatio Aristotelicè sumpta, prout illam in Suppos. 2. Aristot. definit est mutatio. Nos verò hic laxius Generationem quam Aristot. accipimus prout etiam extenditur ad Formas cælestes quarum privatio in materia non præcessit. Hoc autem ideo facimus quia de Generatione ut mutatio est satis in Physica egimus ad initium t. 1mi.

Dico 2do Corruptio est desitio Rei Genitæ.

Desitio est loco Generis abstracti ab annihilatione et corruptione, reliqua sunt loco Differentiæ: quia annihilatio est Desitio Rei creatæ id est per creationem productæ. Quamquam et formæ accidentales in subjecto non impropriè corrumpi dicuntur licet generare propriè non dicantur, ratio horum est quia productiones Accidentalium habent sua nomina peculiaria. Productio Qualitatis vocatur Alteratio. Productio Quantitatis majoris vocatur Augmentatio. Productio novi loci vocatur Latio. Desitiones autem Accidentium non habent peculiaria cognomina, ideò non impropriè corruptiones dicentur.

Dico 3tio Generatio differt à Corruptione ut quid positivum à negativo.

Generatio enim est Actio positiva, Corruptio est quid negativum seu negata Generatio id est subtractio Generationis conservativæ. Unde illud Axioma: Unius Corruptio est alterius Generatio; non arguit corruptionem esse quid positivum: Distinctum enim est sic: Unius corruptio est alterius generatio formaliter N. Est causaliter seu occasionaliter sumpta Concedo. Si enim corrumpis frigus occasionem das productioni caloris. Vel è contra si producis frigus occasionem desitioni caloris.

Dico 4to Corruptio ab agentibus naturalibus non intenditur communiter, nisi per se secundario.

Probatur: Res aliqua ab Agente intenditur per se Dupliciter: Semel per se 1mo Quando intenditur ut Finis propter quem Agens agit. Sic ignis ligno approximatus intendit calorem ligno inducere per se 2do Quando agens intendit rem ut Medium vel conditionem requisitam ad finem. Cum autem ignis non possit inducere calorem per se primo intentum nisi corruperit prius frigus, sequitur corruptionem Frigoris ab Agente naturali intendi per se 2do seu intendi 2dario non primario. Quamquam aliquarum formarum corruptio per se primo intendi potest ut corruptio doloris ab animali ab intellectu et Actuum aliquorum voluntatis vel aliarum potentiarum à Creatura rationali. Potest enim creatura rationalis solam privationem horum affectare Actuum non affectando alios Actus, inde etiam solvitur de Corruptione, quod corruptio sit naturalis.

Articulus Secundus
Utrum Corruptio sit prior Generatione?

Dico 1mo

Dico 1mo Corruptio seu Excussio Formæ præcedentis et generatio seu introductio formæ subsequentis sunt simul tempore.

Probatur: Quia si prius tempore Forma præcedens corrumperetur, daretur in aliquo instanti subjectum sine ulla Forma. Si verò corruptio præcedentis Formæ est posterior tempore, tunc in instanti ante corruptionem immediatè in eadem materia essent simul forma noviter introducta et forma antiqua illi contraria. Undè dicendum est quandò forma nova incipit intrinsecè eodem instanti, forma antiqua desinit seu corrumpitur intrinsecè id est quo instanti verum est dicere, nunc primo calor est in hoc ligno, eo instanti verum est dicere nunc primo frigus non est in hoc ligno.

Dico 2do Corruptio Formæ præcedentis est posterior naturâ; quam Generatio Formæ novæ seu sequentis. Ita Arriag. Dis- put. 8 Phys. n. 31.

Probatur: Quia non ideo Forma nova introducitur quod antiqua expellatur. Sed potius ideo antiqua expellitur quia nova introducitur. Docuimus autem ad prioritatem naturæ requiri rationem causæ seu Principii. Dices 1 Corruptio formæ præcedentis prærequiritur ad introductionem novæ. E. corruptio est prior naturæ quam Generatio. Antecedens Probatur: quia ad introductionem formæ ignis non minus prærequiritur corruptio formæ ligni in materia ligni quam calor ejusdem ligni. R. N. Antec. et N. Cons. Sicut enim ad productionem Formæ ignis calorem prærequisitum sufficit eo instanti quandò est Forma ignis, ita sufficit corruptionem seu absentiam formæ ligni (quam dicis prærequisitam) esse eo instanti quo est Forma ignis! Cæterum non sicut calor naturâ præcedit Formam ignis, ita corruptio Formæ ligni præcedit Formam ignis; quia calor est causa formæ ignis, expulsio autem formæ ligni est potius effectus idque secundarius formæ ignis ut diximus de causa Formali, et præterea ab igne agente in lignum primaria Forma ignis in ligno secundario corruptio formæ ligni intenditur ut supra dictum. Dices 2 Si tunc est corruptio Formæ ligni quandò est generatio Formæ ignis. E. saltim eo tempore erit forma ignis et forma ligni in eodem Subjecto. R. Neg. Sequelam. Eo enim ipso quo corruptio formæ ligni sit simul tempore cum generatione ignis, eo ipso forma antiqua jam non est. Nam quando est corruptio Formæ, non est amplius Forma. Si enim esset corruptio ejus non esset; sed esset ejus conservatio.

Articulus Tertius

An omnia Viventia Lege naturæ corruptioni subjaceant, et quæ causa mortis Animalis?

Suppono 1 Respectu Dei nullam creaturam esse incorruptibilem. Omnes enim potest corrumpere seu annihilare. Sed hæc corruptibilitas est creaturarum alterior, de ordinaria seu naturali est sermo. Corruptibile ergo naturale est illud quod potest ab aliqua causa creata connaturalem vim adhibente destrui. Suppono 2 Mortem viventis esse privationem unionis inter animam et materiam ejus. Suppono 3 Humidum radicale esse partes rei viventis viscosiores quæ maximè vitam seu animam retinent. Calorem vero naturalem esse qualitatem caloris in aliquo certo gradu rei viventi debitam.

Dico 1

Dico 1mo: Omnia viventia sublunaria sunt corruptibilia.

Ratio est: Quia nullum animal, et nulla planta est talis, quæ vel vulnus, vel venenum vel compressionem vel humidi radicalis destructionem, vel caloris naturalis extinctionem recipere non possit. Dices 1. Homo si in paradiso non peccasset, immortalis fuisset. E. Aliquod vivens sublunare ex natura sua est corruptibile. R. Homo in paradiso vivens immortalis fuisset ex singulari providentia DEI, Conc. Ex natura sua N. Nam homo etsi non peccasset, vulnerari, comburi, comprimi potuisset. Igitur ex natura sua mortalis et corruptibilis fuisset, nihilominus providentia tales casus ab hominibus avertisset. Dices 2. Homo etiam post peccatum si ex ligno vitæ comedisset mortuus non fuisset. Ergo non ex providentia; sed ex natura sua mortalis fuisset. R. Conced. Ante. et N. consequens. Hoc ipsum est enim specialis providentiæ, quod procudisse talem fructum qui non tantum sufficienter hominem nutrisset; sed etiam vires omnes si eas vel morbus vel senectus attenuasset, restaurasset. Ita Soarez lib. 5 de opere sex dierum c. 14 et 15 ubi fusè de statu hominum si in innocentia permansissent, disputat. Dices 3. Omnis res desiderat ex natura sua perpetuare se. Non autem gratis natura hoc desiderium rebus affixit. E. Perpetuitas est rebus connaturalis. R. Omnis res desiderat perpetuare se ita ut potest. Cum autem non possit absolutè se perpetuare in individuo suo, non appetit hoc, maximè in rebus sublunaribus quæ habent materiam indifferentem ad varias formas.

Dico 2do Mortis in viventibus 2dum Aristot. lib. De morte et vita duplex causa assignatur.

Prima est actio caloris naturalis in humidum radicale per quam actionem humidum exsiccat. Inde est quod puer ossa habeat molliora, vir factus duriora, ac proindè amplius non crescentia. 2da causa est Actio Alimenti in viscera viventis. Dum enim calor naturalis receptum infus alimentum calor recoquit, alimentum vicissim calorem illum per Reactionem sensim attenuat donec tandem currentibus annis extinguat. Indè est quod in juvenibus concoctio cibi sit facilior, in senibus non item. Potest addi et 3tia causa mortis in viventibus sed illa est non ab intrinseco verum ab extrinseco. Talis causa est vulneratio, compressio, adustio vel summa frigefactio. etc. Cæterum si vis extrinseca non accederet, et homo aliquis herbarum notitiam habet, posset se fortè perpetuare connaturaliter. Nam una commestio ex humido radicali vel calore naturali destrueret hoc, altera repararet. Et sic pomum ligni vitæ de facto in paradiso fecisset cum hominibus. Dices 1. Aqua si non impeteretur ab Extrinseco, perpetuò duraret. Ergo homo, et par ratio de aliis viventibus nullam causam mortis habebit. R. Conced. Ante. N. Cons. Disparitas est quia aqua partibus Homogeneis, viventia Heterogeneis constant. Undè una pars viventis in aliam agendo utpote illi dissimilem, alterat ipsam et destruit. Dices 2. Si mors à calore naturali seu innato procedat. E. Mors non erit violenta, nam violentum est quod ab extrinseco procedit passo non conferente vim. R. N. Sequelam: Quia licet mors sit à calore nativo intrinsecè in vivente recepto; tamen quia hoc est contra intentionem naturæ quæ in hoc calore nutritionem viventis intendit dicetur mors violenta, non conferet enim passum ad eam siquidem præter intentionem ejus fiet undè et quasi ab extrinseco. Nihilominus vulgo mortem naturalem dicimus eam quæ provenit à calore naturali humidum depascente, vel ab alimento calorem naturalem extinguente id est mortem eam quæ à morbo vel senectute accidit. Violentam verò mortem vocamus quæ infertur ab extrinseco per vulnerationem v. g. submersionem, combustionem, suffocationem, venenum etc.

Dico 3

Dico 3tio Signa propriè morituri hominis hæc communiter assignantur:

1mum Est ex Facie quandò in morbo nasus acuitur, tempora collabuntur, cutis frontis duratur et extenditur, oculi introrsum recedunt, si albumen oculorum rubescit, si inter dormiendum oculi integri non clauduntur; sed albumen apparet, si inter aspiciendum stupefacti oculi in alior. defiguntur. 2dum signum est ex Defectu sensationis et situ membrorum, ut si æger molestè ferat loquentes, difficulter notas agnoscat, signum enim est ægrum destitutum calorem ad sensationes peragendas. Si æger jaceat supinus genua ad pedum detrahendo et semper in lecto deorsum descendendo. 3tium Signum est ab intra; si frigidum aerem æger expiret, si frigidus sudor emanet, si somnus laborem et defatigationem inducit, si derepentè æger melius valere, esurire incipiat, signum enim est naturam ultimo tendandam proindè brevi superandam si respiratio incipiat gravior cum phlegmatis murmure. 4tum signum Quandò digiti nigrescunt et ungues pallescunt, quandò æger manibus circa caput elevatis muscas abigit, aut floccos aut stragulos [illegible] pariete carpit. Hoc enim tunc æger facit in externo subjecto quod intus experitur quia tunc morbus eo corpus deduxit ut sæpè partes corporis inter se divellant, vel certè partes alimenti aggenerandi non adhærescunt, aut postquam adhæserunt, resiliunt

Articulus Quartus
De
Conversione.

Dico 1mo. Conversio est transitus termini à quo positivi ad terminum ad quem positivi non disparatim, remanente aliquo quod utrique termino sit positivum.

Dicitur 1 Est ~~terminus~~ Transitus loco Generis: nam etiam Generatio et aliæ mutationes sunt transitus. Dicitur 2 Transitus termini A quo positivi, hoc iam est loco Differentiæ, quia in Generatione et Mutatione sufficit terminum A quo qui deseritur esse Privativum, ut quandò ex tenebroso fit lucidum, ex non calido calidum in conversione non sufficit terminus à quo positivus; sed quoniam etiam id quod deseritur terminus positivus sic fit quando ex frigido fit calidum, frigus enim tunc est terminus à Quo positivus, an autem requiratur hoc ut in conversione terminus A Quo positivus omninò pereat ita ut non sufficiat eum ex subjecto tolli et alibi conservare, controversum est. Arriag. d. 1. de Sacr. n. 16. dicit non sufficere et probat quia anima rationalis non dicitur conversa in cadavericam formam licet hæc succedat in locum animæ in eadem materia cujus non potest esse alia Ratio, nisi quia anima rationalis absolutè non corrumpitur. Sed hæc ratio non convincit cum fortè probabilius forma cadaverica sit quid commentitium. Dicitur 3 Ad terminum ad Quem Positivum. Requirit enim in vera conversione ut loco terminorum A quo Positivi distincti vel avulsi à subjecto verè aliquis alius terminus producatur id enim significatio dictionis Conversio innuit. Ita Soarez 2 tom. 3. in 3 p. d. 50. Hurtad. n. 19. ub. sup. n. 17. est contra Vasq. et Scotum qui docent ad conversionem sufficere ut terminus A Quo destruatur verè, et terminus ad quem non producatur, sed productus iam ante alibi, indè adducatur, et in locum termini A Quo destructi substituatur. Et sic dicunt quando panis convertitur in corpus Christi, panis verè destruitur, et corpus non producitur sed tantum adducitur, id est præsentia sola ejus in speciebus panis ponitur, est quæstio de nomine cum Soario tamen potius tenendum, alibi docuimus corpus Christi verè produci non tantum ejus præsentiam in speciebus Sacramentalibus. Nam ibi est conversio substantialis

substantiæ in substantiam, non in præsentiam accidentalem, unde et Transsubstantiatio dicitur. Dicitur 4. Non disparatim, id est terminus ad quem conversionis non debet disparatè sed conversè produci post desitionem termini a quo, id est ex vi desitionis termini a quo. Unde si tunc quando aer fit calidus lucem deperdat, non est conversio, cum inter desitionem lucis et inceptionem caloris non sit connexio. Inter desitionem verò frigoris et inceptionem caloris est connexio, proinde et conversio. Hinc illud Axioma: Unius corruptio est alterius generatio. Id est quando in subjecto aliquo forma aliqua destruitur, eo ipso altera positiva forma ominis cum præcedente vel ex natura sua, vel ex ratione dispositionum combinationem debet in eodem subjecto poni. Dicitur 5. Remanente quod utrique termino sit commune, et sic quando aqua in vinum est conversa, mansit materia prima aquæ, forma aquæ destructa est, et forma vini producta, proinde vera fuit conversio. Quando uxor Loth in statuam salis conversa. Similiter dicendum quando lignum in ignem convertitur. Idem est dicendum quando lapis frigidus fit calidus similiter sentiendum. Item quando panis in corpus Christi convertitur licet ibi non maneat, sed pereat etiam materia prima panis, quia tantum manent accidentia panis, est vera conversio. Si autem ex Angelo fieret lapis non esset, non esset vera conversio, quia totum id quod in Angelo fuit destrueret, et totum id, quod in lapide est produceret. Unde unum in aliud non converteret, sed uno annihilato, aliud quid disparatum crearet.

Dico 2do Conversio alia est Accidentalis, alia Substantialis.

Accidentalis est quando termini accidentales convertuntur, ut quando ex frigido fit calidum, ex superiore inferius, ex quadrato rotundum, ex alto demissum etc. Substantialis est quando termini substantiales convertuntur in se, ut quando ex ligno fit ~~lignum~~ ignis, ex igne aer etc. Iterum conversio tam accidentalis quam substantialis seu conversio ut sic Triplex cogitari potest. 1ma materialis quando perseverante eadem forma mutaretur subjectum, ut si huius albedinis subjectum Deus destrueret et novum productum ei subjiceret. Talis conversio naturaliter evenit in Nutritione hominis: antiqua enim materia calore naturali rejicitur, et nova ex alimento substituitur eidem animæ. 2da Conversio est Formalis, quando manente eodem subjecto, formæ mutantur, ut quando ex frigido fit calidum, ex ligno ignis. 3tia Conversio Totalis quando tota substantia materia videl. forma et unio in aliam materiam, formam et unionem convertitur manentibus eisdem accidentibus, et talis conversio vocatur Transsubstantiatio, sic contingit in venerabili Sacramento, ibi enim materia, forma et unio substantiæ panis destruitur, et materia, forma et unio vivi corporis Christi subrogatur seu substituitur manentibus accidentibus substantiæ panis videl. calore, figura, sapore et quantitate etc. Quod si autem ut dixi aliquod ita totum corrumpatur ut ne accidentia quædam maneant et aliud producatur totum et nihil ominis ex præcedente annexum non erit conversio, sed simplex corruptio et annihilatio, et simplex productio seu creatio. Unde conversio duo dicit corruptionem unius et alterius productionem connexum aliquo tertio.

Articulus Quintus.

Quid sit Generatio viventium et quæ causa Efficiens eorum.

Dico 1mo Generatio viventium est origo seu processio viventis à vivente ut principio conjuncto in similitudinem naturæ.

3ta

Ita Philosophi et Theologi cum D. Thoma prima parte q. 27. Art. 2. Dicitur Generatio et origo loco Generis ad quamvis productionem. Omnis enim causa non tantum causalis sed et originalis ut supra docuimus. Reliqua sunt loco Differentiæ. Nam vivens ut dicatur vere generari à vivente Activè. Unde Adam non generavit Evam. Esto ex costa illius sit facta, proinde ea non fuit, nec dici potuit filia Adami propriè. Item vermes qui ex sudore animalis nascuntur, generantur proprie, nec filii animalis dici possunt ob eandem rationem. 2do ea quæ generantur generatione viventium debent esse à vivente ut principio conjuncto, non per approximationem causæ ad effectum sed per impertitionem sui ipsius id est debet esse aliquid substantiæ in Generato seu Genito quod fuit in generante, taliter in hominibus, plantis et animalibus genitis, est pars substantiæ quæ fuit in generantibus sub forma seminis. In Deo autem Filio est natura eadem quæ in Deo propriè quam propriè ei communicat. Unde geniti ex incubis, non sunt filii incuborum quia non habent quicquam ex substantia eorum; sed habent ex substantia illorum quibus incubi semen sunt suffurati. Item avis excludens pullos ex ovis alienis non est mater pullorum illorum ob eandem rationem. Item Sol ex mutri materia mures et vermes varios producendo non est eorum proprie ob eandem rationem. Denique generationis Terminus debet esse in similitudine naturæ id est Genitum Generanti debet assimilari generati natura ex vi generationis. Unde S. Sanctus procedens à Patre et Filio licet eis similis sit, quia non ex vi productionis quæ à Patre procedit ei similis est, non dicetur Filius Dei Patris, neque Filius Dei Filii. E contra 2da persona dicitur Filius quia ex vi suæ processionis est imago seu similitudo Patris. Sciendum autem est genitum debere habere naturam generanti similem, non in Speciem Atoma, quia alias mulus non esset Asinæ filius, neque debere esse similitudinem in generatione aliquo generaliori. Nam sic omnia ferè producta haberent rationem filii respectu suarum causarum; sed debet esse similitudo in genere aliquo ultimo.

Dico 2do Pater non concurrit immediatè Activè ad ipsam Substantialem generationem Filii.

Ita Arriag. et Hurtad. Probavimus hoc quando docuimus Accidentia Substantiarum productivè immediate non attingere. Dices ergo? Pater non ~~concurrit~~ potest dici Pater, siquidem non generat filium Activè. R. Negillatum; sufficit enim quod generet illud concurrendo mediatè ad dispositionem materiæ filii pro recipienda anima. Nam semen paternum habet vim ut contemptum materni seminis crassiores partes componat pro carne, ossibus, nervis, et tandem pro Anima. Instabis. Ergo semen aget in seipsum. Dum enim propriam materiam disponit pro recipienda Forma filii agit in seipsum et molitur sui destructionem. R. Cum Hurtad. In semine dantur duæ partes. Alia est magis Activa. Alia passiva, Imag proinde in hanc aget.

Dico 3tio Foemina concurrit immediatè Activè ad Generationem filii producti in visceribus.

Infertur I in generatione Plantarum totam hanc doctrinam non omnino et ocurrit. Arbor vel planta verè semen decidat ex quo similis planta pullulet, tamen vicem matris, terra ipsa obiit semen illud recipiendo, fovendo et in plantam promovendo, quæ planta non est similis quoad naturam terræ, licet similis sit alteri plantarum ex cuius semine o- ~~similis~~ ritur. Infertur 2 Multo minus procedere hanc doctrinam de muribus, vermibus et aliis animalibus

animalibq ex putri progenitis. Infertur 3 Perfectiora animalia connaturaliter requirere concursum
maris et foeminæ Activum à quibq in similitudinem naturæ procedant. Dices 1mo Avicenna do-
cebat etiam ex ipsa terra sicut herbas posse nasci homines, siquidem natura ipsa providit ut si casu aliquo
homines morerentur vel tollerentur omnes non desistat præcipuæ speciei supra terram generatio. Ean-
dem sententiam videtur sequi Albert. Magnq, et passim historiæ aliquæ referunt vivos homines vomeribus
è terra erutos. R. Hæc doctrina Avicennæ falsa est et doctrinæ Theologiæ adversa, homines enim
sponte è terra nati utiq non essent progenies Adami, proinde non essent peccato originali obnixi, conse-
quenter neq à Creatore redempti. Fides autem docet omnes homines esse natura sua peccatores et à
Christo redemptos. Historiis siquidem circumferuntur fides non est adhibenda in talibq. Fabulæ enim
sunt similes Deucalionis lapidibq et aliis poëtarum figmentis. Dices 2do Plutarchq dicit vir-
ginem pulchram ex Asina genitam. Apud Belgas dicitur non prig vir pig ex vacca natq. E.
Ad generationem animalium perfectiorum non est necessariq concursq Maris et Foeminæ ut ab eis
in similitudinem naturæ effectq procedat. R. Conced. Anteced. Neg. Cons. Tales enim proge-
nerationes esto non miraculose interdum fiant, sunt tamen præter naturam ex detestando humanæ
speciei cum belluina congressu. Ex simili causa Centauri prodierunt, Fauni etiam et Satyri
vid. Eusebium Norimbergium c. 10 et 9. In talibq communiter effectibq anima rationalis non
est, possunt tamen dici verè filii suorum progenitorum, sicut mulq est filiq Asinæ et Equæ. Dices
3tio. Nymphæ, Syrenes, Nereides etc. similia quæ humanam majori ex parte speciem præse
ferunt dantur ne de facto? et utrum ex simili causa prodierint. R. Dantur ut plurimis testimo-
niis dignissimis passim Autores probant. Testatur Cornelius non pridem in Scotia Nimpham captam
in mari diu inter homines vixisse, et nere didicisse. Hæ tamen non prodeunt active ab homi-
nibq; sed sunt in sua certa specie aliis piscibq ingeniosiora, quod autem figuram humanam præ
se ferant ex hoc nihil argui potest, multa enim animalia specie distincta aliorum animalium
specie à se distinctorum figuram præ se ferunt, ut patet inter lupos et canes, inter equos et
asinos. Dices 4to Joannes Saxo et Olaus Gothq narrant Reges uniq regni non adeò remoti
ursum progenitorem habuisse. Antonius Turrecremata ex simio et foemina aliquot filios, Jo-
annes Baro ex cane foemina filios susceptos item affirmant idq homines veros. E. Ad gene-
rationem prolis in animalibq non requiritur duplex principium Activum in cujq similitudinem pro-
les appareat. R. Historiæ istæ dubiam fidem apud multos habent. Si sunt veræ, idem responden-
dum est ad superiorem objectionem. Dices 5to Dantur aliquæ nationes quæ in omnibq sunt
homini similes nisi quod caninum caput habeant. Unde et Cynocephali vocantur, habent suum
Regem sagittarii sunt optimi, pagos et oppida incolunt, nisi quod sermone humano careant. Dantur
et aliæ nationes hominibq per omnia similes etiam loquelam aliquam habentes sed staturæ admodum
exiguæ, unde et pigmæi vocantur id est cubitales homines, hos omnes videtur magis certum ab homini-
bq prodiisse. E. quæ per generationem fiunt, non est necesse ut in similitudinem naturæ prode-
ant. R. Multi graves Autores cynocephalos dari sentiunt, sed eos mera bruta esse affirmant, quod
autem Regem habeant, non ex eo sequitur ratione eos uti. Nam et apes Regem habent; de casto-
ribq idem affirmatur, neq usq sagittarum rationem eis attribuet, siquidem et ursi baculis et
lapidibq pugnantes visi sunt, multo magis simiæ. De Pigmæis Alb. Magnq et Borriq dicit quod sint ex
specie seu generatione simiorum bruta animalia. Alii multo plures humanam naturam illis attri-
buunt, pro qua re etiam Ezechielem Prophetam citant, quicquid fuerint et simiæ ab hominibus si-
ve aliunde prodierint, similis præcedentibq Responsio danda est.

Articulq.

Articulus sextus
De
Materia Remota
Viventium.

Dico 1mo Materia remota Foetus seu viventium est semen Animalis et menstrua.

Porrò semen Animalis est corpus humidum et fluidum album ex reliquis sanguinis in testiculorum elaboratum generationi foetus serviens, unde et dicitur excrementum utile. Ita communiter à Philosophis describitur. Quando enim animal cibum in stomachum mittit, cibus ille vi caloris stomachalis coquitur ita ut subtiliores partes ejus in substantiam vertant quae vocatur chylus, crassiores partes in stercus vertunt et in secessum abeunt. Aliae verò crassiores partes in aquam vertuntur, per venes et postea in vesicam abit vocaturque urina seu lotium, Ex chylo si est in copia manet quod satis est in stomacho, quod abundat, intrat in jecur stomacho adjacens, jecur chylum intrat suam venam satis amplam praecipit suo calore coquit iterum et immutat in sanguinem quod vel inde apparet quia jecur est rubicundum et sanguinolentum, sanguinis quantum sufficit manet in jecore reliquum in vena ejus quae dicitur cava magna. Reliquae partes sanguinis in varias corporis totius regiones abeunt, inque vel in ossa, vel in carnes, vel in nervos convertuntur. Sanguis qui in ubera intrat melius adhuc ibi coquitur et dealbatur in lac quando in lumbos intrat et postea per venas in testiculos eorum calore in semen convertitur tam in maribus quam in foeminis, inde est quod pueri et senes semine careant quia sanguine non abundant et calore intensiore carent. Unde etiam est quod semen hominibus ad vires sit proficuum, siquidem senes, pueri et libidiosi sunt debiliores semper. Cum enim semen sit substantia ex praecipuo sanguine cocta, multis spiritibus vitalibus abundat, venas omnes immò totum hominem vegetant praecipuè cerebrum, propterea libidioni communiter rudes et stulti sunt. Scaliger censuit semen esse animatum et concessit animal esse vivum, sed doctrina ejus inepta est. Semen enim est corpus omogeneum, animal vero indiget partibus eterogeneis. Menstruum sunt sanguis incoctus animali non necessarius, proinde è venis in matrice translatus singulis mensibus uno et altero die, aliquando et pluribus diebus prodiens, quo abeunte animal non debilius sed fortius evadit. Quam diu menstruum profluit nec ex naribus, nec ex aliis partibus sanguis, nec ex mamillis lac manat, non nisi aetate nubili incipiunt, et non nisi aetate sterili desinunt menstrua. Foetus ut concipiat in utero, necesse est ut semini addatur sanguis menstruus, unde etiam est quod post conceptum foetum menstrua cessent, et non redeant nisi post partum sanguis menstruus habet in se qualitates noxias, herba quam attigerit emoritur, solis autem foeminis inest, quia illae minus caloris habent, proinde sanguinem incoctum magna ex parte quem ejicere debent, alias quando id praestare non possunt, mors est certissima.

Dico 2do Etiam à Foeminis derivatur Semen quod simul cum semine virili concurrit ad Generationem.

Hanc sententiam tenent omnes Medici contra Aristotelem et plurimi Theologi contra D. Thomam. Probatur quia omnes Anatomici docent in mulieribus dari eadem vasa et organa quae in viris ad producendum semen, et quia non tantum viri; sed etiam foeminae polluunt. Unde foemina et mas

mas sunt eiusdem speciei ita ut anima Foeminæ indifferens fuerit ad corpus virile et à DEO tantum solo ad corpus sexus foeminei alligata. Quamquam ut Galenus docet etiam corpus Foeminæ à corpore viri sit, tantum membrorum differt, ut quæ masculis prominent ob caloris vehementiam, ea foeminis sunt intra. Unde alii censent quod ex foemineo sexu deinde transitus in virilem. Ita Hippocrates, Plinius, Livius. Fulgosius qui plurimas in hanc rem referunt historias. Deliq et non pauci alii ad allatas à dictis Autoribus historias dicunt quod illi homines fuerint Hermaphroditi utriusque sexus homines, quos plurimos esse in novo orbe testatur Eusebius Norimbergius lib. 8. Dicitque valde esse exosos aliis hominibus ita ut loco jumentorum ad onera eis utantur cum sint robustissimi. DICES: Ex hac doctrina sequitur sufficere solam foeminam ad filii generationem cum materiam foetus nempè semen et causam effectivam immediatam nempe animam habeat. Confirmatur: Quia vultures sine coitu alias aves excludunt, idem de rubellionibus piscibus narratur; passim etiam historiæ narrant ex foeminis tam humanæ quam alterius speciei natos Dracones, serpentes et similia. R. N. Ans seu illatum quia semen foeminæ non est ita Activum dispositione requisitorum pro originis ratione corpusculi. Vultures loco seminis masculini dicuntur accipere calidiorem ventum temporibus certis flantem; de rubellionibus simile quid etiam dici potest. Dracones et serpentes ex foeminis nascuntur per opera incuborum è putredine intra viscera concipiuntur, cum Dracones et serpentes non tantum ex aliis serpentibus et draconibus; sed etiam ex putri materia generentur sicut muscæ et ranæ.

ARTICULUS SEPTIMUS.

De modo quo Fœtus in utero concipitur.

Dico 1mo Omnes Principales partes corporis humani simul efficiuntur.

Ita Hurtadus d. 2. De Gen. n. 97. estque communis Stoicorum opinio contra Galenum et Medicos qui omnium primo hepar effici docent contra Aristotelem qui omnium primum cor effici docet, item contra aliquos qui spinam dorsi prius ut carinam in navi ponunt. Probatur: quia principales partes communiter hepar mutuo pendent à reciprocatione. E. simul fiunt. Ans à corde enim calefit cerebrum, à cerebro temperato calor cordis et pulmonis hepar indiget ventriculo à quo alimentum accipiat, non prius Ergo unum quam aliud efformatur. Dices 1 Galenus dicit se vidisse dum Anatomiam exerceret iecoris lineamenta et nulla alia. Aristoteles dicit cordis lineamenta et nulla alia. E. R. sit penes illos fides, et deinde potest fieri ut lineamenta cordis vel hepatis prius appareant, non sequitur tamen hæc prius efformanda, quam cerebrum pulmones. Dices 2 Cor ultimo moritur, ergo primo efformatur. R. Negant aliqui Ans. Refert enim Josephus A Costa lib. 5. historiæ Indicæ c. 22. juvenem locutum post extractum cor. Et Galenus refert se vidisse victimam ambulantem extis jam extractis. Esto tamen, verum est Anteced. Consequentia ita non ideò debent concedi, posset enim etiam tale argumentum formare. Cor ultimò inter partes animalis moritur. E. Et ultimo inter eas vivere incipit.

Dico 2do ~~Homo~~ Fœtus in utero materno tali modo concipitur:

Semen virile foemineo mixtum et ne diffluat triplici membrana involvitur. Cum enim calor admotus res humidas et viscosas exsiccet pelliculamque illis superinducere soleat ut videre est in lacte et ovo calor uteri materni cum semine idem in se contento facit. Et membrana quidem prima à Medicis vocari solet vitta seu peplum cum quâ membrana non rupta si fœtus egrediatur felicitatis signum vulgo censetur. Officium hujus membranæ est sudorem è fœtu prodientem recipere. Secunda membrana est

est quae dicitur Secundina totum etiam foetum ambiens. Tertia membrana dicta intestinalis
quia est ad modum farciminis admota verecundis partibus foetus cuius in se totum et sordes excipit
per has autem membranas variae arteriae et nervi ab utero materno transeunt ad foetum cuius um-
bilico nectuntur. Ubi enim sufficiens materia pro foetu fuerit, foetus concipitur, id est clauditur dictis
membranis. Dico 3tio Signum quod foetus conceptus est hoc: Si menstrua fuerint compressa masculum
conceptum esse, signum est mamillae dextrae tumor ex qua lac expressum aqua supernatat, abortus signum mamilla-
rum extenuatio et lactis aquositas. Dico 4to Perficitur foetus ad animam recipiendam in utero
his temporibus: 1mo Materia intra membranas non clausa manet non mutata ad septimum vel fere nonum
diem et vocatur genitura. Post septimum diem incipit apparere distinctio pro hepate, cerebro, corde et aliis
partibus principalioribus usque ad diem circiter trigesimum et vocatur Foetus. 3tio post trigesimum diem
alia membra formantur. Si masculus fuerit ad 40 circiter, si foemina ad octoagesimum usque. Ubi autem om-
nia membra confecta fuerint, incipit ille foetus vocari Embrio et est corpusculum non vivum ex materia
prima et forma ossis, carnis, nervis compositum. Interea Deus Ter Optimus Maximus animam creat
et corpusculo illi seu Embrioni infundit, evaditque homo vivus. Dico 5to Situs hominis infantuli in utero ma-
terno constituti describitur ab Aristot. sic: Totus Foetus est contractus, talos ad nates applicat, manibus genua
tenet, ad genua caput mittit ita ut oculi manuum pollicibus adhaereant et nasus inter genua sit. Dico 6to
A conceptu ad partum novem mensium tempus eorum elabitur. Nascitur tamen aliquando foetus septimo,
aliquando decimo, immo et undecimo mense sed cum periculo magno matris, eo quod foetus major creverit quam
ut facile exeat est necesse. Dico 7imo Ubi Foetus animatus eam vim habere inceperit ut alimentum
copiosius poscat et aërem pro respirio ~~poscat~~ quaerat, invertat se in utero pedes sursum tollendo et ca-
put collo matricis offerendo. Hoc facit uno mense vel duobus ante partum, instante tempore infans ca-
lidior factus agitare incipit ab membrana manuum pedumque impulsione rupit. Subito autem tempus mater
maximos dolores patitur. Post haec ruptis membranis in uteri seu matricis capacitatem defluit, cumque nihil
sit quo amplius utero materno inhaereat excidit ut pomum solutum maturum ab arbore. Dico 8avo Difficul-
tas in partu evenit vel ob angustias uteri materni, vel ob debilitatem foetus quod non valens membranas cito
rumpere matri dolores diuturnas facit, vel quia non capite prodit foetus; sed manum vel pedem offert, et
tales foetus Agrippae vocantur id est aegri partus. Natus infans plorat statim quia lucem et aërem fere
non assuevit. Vide plura apud Hurtad. et Conimb. Dico 9no Signa longioris vitae in homine commu-
niter ista censentur modo libidini non indulgeat. Unde philosophi docent Animalia salacia citius senescere. 1mo
Dentium multitudo, unde qui pauciores habent 32 brevis sunt vitae, quia ossa dentium in cranium
abierunt, creberque respirationem facile negant. 3tio durities cutis, talis enim melius internum calorem
servat. 4to Colli latitudo, nam colli gracilitas phthisin designat. 5to Vocis amplitudo. Nam vocis exili-
tas non bonam praecordiorum cohaerentiam designat. 6to Moderata statura quia melius a na-
tura regitur. 7imo Ex Aristot. pars umbilico subjecta qualis interstitio ab umbilico ad pectus. 8avo
Frequentior respiratio quia significat calorem naturalem et sufficientem.

Disputatio Tertia
De
Nutritione et Augmentatione.

Articulus Primus
De
Natura Nutritionis et Augmentationis

Suppono 1. Unionem substantialem esse duplicem Aliam Essentialem dictam; Aliam Continuativam
seu ut

seu ut Integrantem. Essentialis est inter partes Essentiales, nempè inter materiam et formam substantialem. v.g. inter materiam primam aquæ et formam substantialem aquæ. Continuativa est inter partes integrantes substantiam, nempè inter partem unam substantiæ et alteram partem v.g. inter partem aquæ unam et alteram partem aquæ. Ejusmodi uniones esto in una Substantia inveniantur, Specie differunt quia habent terminos Specie diversos, et modum uniendi Specie diversum. Sicut unio Substantialis, ita et unio Accidentalis proportionaliter loquendo alia est essentialis; alia continuativa. Essentialis est v.g. inter Quantitatem et materiam primam. Continuativa inter partem quantitatem unam et alteram. SUPPONO 2. Augmentationem aliam esse Substantialem quæ propriè dicitur Nutritio seu Aggeneratio. Aliam Augmentationem Accidentalem quæ Accretio potest dici, propriè tamen dicitur Augmentatio, quia licet ista communiter simul sint, neque enim potest Aggenerari variè nutritionem Substantiæ quin quantitas etiam illius Substantiæ aggregata copuletur aggregatæ quantitati. Neque è contra Quantitas copulari possit quin Substantia id est subjectum ejus copuletur; tamen quia aliud est quod substantiæ ad Substantiam unio, et aliud Quantitatis ad Quantitatem accessio Substantiæ amplioris acquisitio dicitur Nutritio; Acquisitio vero Quantitatis dicitur Augmentatio. SUPPONO 3. Augmentatio Alia est Propria; Alia Impropria. IMPROPRIA est quando corpus aliquod crescit per juxta positionem alterius corporis sive uniatur cum eo sive non. Sic augetur aqua in stagno rivis accurrentibus, acervus lapidum saxis appositis. Augmentatio PROPRIA est quando corpus aliquod acquirit aliquid Quantitatis non per juxta positionem sed per intus susceptionem alicujus Extrinseci et conversionem illius cum convertentis distensione in omnem dimensionem, et talis augmentatio in viventibus tantum reperitur Nutritionis comes. SUPPONO 4. Augmentationem Propriam aliam esse Essentialiter sumptam, aliam Accidentaliter sumptam. Essentialiter sumpta est novæ Quantitatis ex conversione Alimenti acquisitio. Accidentaliter sumpta est novæ Quantitatis ex conversione Alimenti acquisitio connotando tantum hoc quod in acquirente novam hanc Quantitatem minus perdat ex antiqua Quantitate, et talis Augmentatio est in juvenibus crescentibus. Nam in senibus est etiam Augmentatio quoad suam Essentiam, est enim etiam in illis Quantitatis alimentitiæ appropriatio. Sed quia interim ob defectum caloris nativi plus Quantitatis antiquæ in sene perit, ideò senex non dicitur crescere sed minui. Vir autem quia quantum acquirit ex nova Quantitate tantum amittit ex antiqua et dicitur esse in statu consistentiæ. Suppono: 2pliciter Nutritionem contingere posse. Vel enim vivens ita sibi alimentum aggenerat ut in alimento quatuor Actiones exerceat nempè producendo formæ similis partem in alimento, uniendo eam materiæ alimenti, postea uniendo suæ materiæ materiam alimenti, et suæ formæ partim formæ in alimento productæ; sic equus facit. In avena enim in stomacho cocta et per venas distributa producit partes animæ equæ, unit eam materiæ avenaciæ, et postea sibi tam materiam avenaceam quam etiam partem formæ equæ in ea productæ. Vel ita vivens in alimentum agit ut animæ seu formæ partem non producat sed hanc quam habet ad materiam alimenti suæ materiæ antiquæ. Sic contingit in homine, quia homo habet animam indivisibilem idque ejus natura ut in minore et majore loco possit esse, extendit eam ad alimentum. Verum jam per Antecedentes Actiones dispositæ nempè per formam sanguinis, carnis etc. Porrò in appropriando Quantitate Alimenti unica ferè Actio intercedit nempè continuatio Quantitatis alimentitiæ cum quantitate Alimenti. DICO 1mo Nutritio est motus ad substantiam ex conversione Alimenti. Augmentatio verò est motus ad Quantitatem ex conversione Alimenti. Patent ex dictis Definitiones istæ. DICO 2do Terminus Nutritionis Formalis est continuatio materiæ alimenti, undè nutritio dicitur Aggratio. Totalis autem terminus Nutritionis est major substantia seu compositum ex præexistente vivente et parte aggregata per nutritionem. De Augmentatione proportionaliter dicendum. DICO 3tio Nutritio differt specie à prima Generatione. Ita Hurtadus et Arriag. Licet enim in nutritione cum ea sint multa eadem nempè vis nutritiva quæ non differt à vi generativa (ut communiter docetur) termini etiam sunt ejusdem Speciei, nempè forma Substantialis et unio, tum quia in prima Generatione modus est diversus agendi à modo agendi in Nutritione, Signum est Actiones istas Specie

distingui

distingui. Dico 4to Quandò in Nutritione producitur etiam Forma substantialis in materia alimenti et eadem materia continuatur Alito, neutrum ex istis est prius natura nempe formae productio et materiae continuatio. Nam neq continuatio materiae est causa Formae productae, potest enim forma produci in subjecto discontinuo, neq Formae productio est causa continuationis materiae. Potest enim materia continuari sine forma producta ut apparet quandò aqua aquae affunditur, imò primo sine omni forma cuicunq materiali composito adhaereret ejusq materiae forte continuaretur. Dices: si non habent istae prioritatem naturae ad invicem. E. sunt simul natura adinvicem. R. Neg. illatum. Illa enim quae sunt simul natura debent esse talia ut unum sine alio utrumq concipi adaequate non possit, quod hic non intervenit.

Articulus Secundus

Quomodo et quando fiat Nutritio et Augmentatio.

Dico 1mo Omni Viventi sublunari convenit Nutritio & Augmentatio.

Quia non in quolibet vivente est humidum radicale id est in ejus corpore ossibus nervis succus quidam oleo consimilis qui quamdiu debitè durare potest vivit, quando absumitur, moritur vivens. Est praeterea in quovis vivente calor naturalis qui sensim istud humidum radicale exsiccat. Ne ergo tandem facile illud exsiccet, natura alimentum providit ut circa illud se calor naturalis occupando minus in humidum radicale agat, ex alimentoq si quid de humido radicali perdit restauret, unde deducitur semper vivens quando vivit nutriri seu alimento egere et deficiente leo deficere. Dices: Legimus in historiis homines aliquos diutissimè sine cibo vixisse. Deinde ursi tota ferè hyeme non commedunt sed in speluncis pedis plantam sugendo longo satis tempore vivunt. E. R. Homines si diuturna inedia fuit miraculosè vixerunt, si aliquod habebat inadavum potuit fieri ex complexione pituitosa, tunc enim stomachus habebat quod concoqueret, et hoc est in ursis qui sugendo plantam suam humores pituitosos quibus abundant provocant, et in stomachum mittunt eisq hyeme nutriuntur.

Dico 2do: In omnibus partibus Viventis fit Nutritio quam diu vivens crescit.

Patet id experientiâ quia majora sunt omnia membra in homine procero quam fuere in eodem dum fuisset parvus. Ubi tamen animal fuerit in statu consistentiae ut homo v. g. annorum 25, ab eo tempore partes durae ut ossa et dentes non nutriuntur quia pori eorum ita indurantur et clauduntur ut alimentum recipere non possint. Undè iam homo in altum non crescit, sed neq in latitudinem tunc ossa crescunt sed sola ob eandem rationem. Altitudo etiam hominis desumitur tantum ex ossium longitudine à cornio supremo ad plantarum ossa. Quandò autem nutritio pagatur, insinuatum supra. Vid. Conimb. 1 de. Genc. 5. q. 3. Art. 2. Hic quaeri solet utrum vivens, siquidem alias partes deperdit, alias nutritione acquirit idem numero maneat toto vitae tempore. Sed hic iam satis factum est.

Dico 3tio Elementum non est purum proximum alimentum viventis.

Ita Aristot. Ratio: quia in nutritione partes utiles alimenti ab inutilibus secerni debent. Undè alimentum proximum alias debet habere partes crassiores, subtiliores alias, quod in puro Elemento non est immò neq mixta omnia possunt esse Alimentum viventis, ut sunt: saxa, ferrum. etc. Dices: Bos aquâ quam bibit, Cameleon aëre vivit. E. Purum Elementum potest esse Alimentum viventis. R. Neg. quod aquâ nutriatur bos aliquâ. Aqua enim juvat facit concoctionem, non convertitur autem in substantiam bovis

bovis; vel certè aqua in stomacho bovis cum cibo mixta evadit in distinctam substantiam ab Elemento puro. Camaleon verò non äere, sed acupio muscarum in äere vivit ut Scaliger docet: vel dicendum vivere cum äere impuro. Dices: Strutio ferrum comedit. E. Quodvis mixtū potest ēē alimentum viventis. R. Conced. Ante. N. Cons. Licet enim Strutio ferrū comedat, non sequitur quod ferro nutriat. In stomacho enim strutionis non in substantiam ejs ferrū vertit, sed rubigine adsumit.

Dico 4to Accidentia non nutriunt.

Probatur quiā Nutritio et Aggeneratio est substantiae, non autem accidentium. Dices: Potest quis nutriri pane Eucharistico et tamen tantū ibi sunt Accidentia. E. R. Postquam in accidentia Eucharistica introducta fuerit sufficiens dispositio ad substantiam sanguinis vel chyli, tunc miraculosè materia substantialis dictis Accidentibg substernit recedente substantia Corporis Christi. Dices Plinig lib. 7. c. 2. Dicit ēē gentem circa fontes Gangis quæ odore tantum vivit, infirmi etiam quandò deliquium patiunt odoribg revocillant. E. Accidentia possunt nutrire. R. Odor vel accipitur pro ipso Accidente vel pro tenuiore substantia ex re odorifera produnte. Odor ergo 2do modo consideratg alere potest.

Dico 5to: Ad nutriendum illi cibi sunt optimi qui ad calidam et humidam complectionem accedant.

Ita Aristotel. cum docet quod dulcia maximè nutriant, et cibos albos docet etiam ēē saniores, qui videlicet melig sunt concocti. Quia verò cibi in particulari sint saniores. Hoc ad medicos spectat. Consule Scholam Salernitanam.

Articulus Tertius

Quid sit Fames et Sitis?

Dico: Fames naturalis est sensio divulsionis stomachi ad quam sequitur tanquam effectg appetitus cibi, seu appetitg calidi et sicci ut Aristot. naturâ sic ordinante. Sitis verò Naturalis est sensio siccationis in faucibg et esopago seu orificio stomachi ad quam sequit appetitg potg, seu appetitg Frigidi et Humidi: ut Aristoteles dicit natura sic ordinante.

Explicatur Definitio. Dicitur 1mo Fames Naturalis. Nam est quandoq Fames et Sitis irregularis quæ etiam pleno ventriculo contingit vi alicuig noxi humoris aut flavæ bilis vellicantis ventriculum vel orificium ejus; talem famen communiter habent pregnantes unde carbones aliosq insolitos cibos appetunt. Dicitur 2do Sensio ad distinctionem ejs famis qm videnti etiam arbores et plantæ habere. Illa enim est mera indigentia alimenti vel humoris. Dicitur 3tio Sensio divulsionis stomachi seu siccationis Esopagi. Absente enim alimento ventriculus contrahit et una pars ejs in aliam agit, proindè stomachg actionem illam sentit quæ sensio phantasiam animalis movet ad desiderandū cibum. Dicitur 4to Sequitur appetitg cibi, ut innuatur appetitum ipsum sibi ēē effectum famis seu sensionis, non autem ipsam famem. Dicitur 5to Calidi Sicci quiā maximè fami medemur alimento calido et non potabili sed densiori. Siti vero maximè occurrit liquore frigido. Dicitur 6to Natura sic ordinante. Ut enim vivens se alimento conservaret, natura non tantum cibis sapores delicatos ad appetitum provocandū dedit, sed etiam ipsum animal p sensionem dictam ad alimentum accipiendū instigat. Dices: Aristotel. 2 de. An. t. 23. Famem ita definit. Fames est appetitg calidi sicci. Sitis verò est appetitg cibi sensionem consequens. R. Aristotelis Definitio est p effectum pathis non p essentiam. Fames enim formaliter consistit in dicta sensione, sitis similiter.

Disputatio Quarta De Alteratione.

Articulus Primus

Quomodo fiat intensio Qualitatis.

Suppono Alter

Suppono Alterationem esse motum ad Qualitatem. Motus loco generis ponitur. Ad qualitatem loco Differentiæ. Per hoc enim Alteratio à Generatione, Nutritione, Augmentatione, Latione differt. Porro Alteratio alia est Corruptiva; Alia non corruptiva. Alteratio corruptiva est motus ad Qualitatem habentem contrarium, talis calefactio, frigefactio. Alteratio non corruptiva est motus ad qualitatem non habentem contrarium, talis est illuminatio, intellectio, Volitio, visio etc. Iterum alia Alteratio est extensiva, alia Intensiva. Alteratio extensiva est motus ad Qualitatem in alia et alia parte subjecti producendum. Alteratio intensiva est motus ad qualitatem in eadem parte subjecti; de Alteratione intensiva proportionaliter atque de Augmentatione dicendum. De intensiva Alteratione est hic sermo quam dari non est Dubium. Videmus enim äerem eundem, modo magis, modo minus lucidum esse, multum autem ista differunt intendi et extendi Qualitatem. Extensio enim sumitur juxta diversitates subjecti. Intensio juxta eandem partem subjecti. Intensio Qualitatis fit quando pars una Qualitatis parti uni subjecti, altera alteri respondet. Intensio in parti subjecti multæ partes qualitatis insunt quæ partes communi Philosophorum consensu in 8 gradus dividuntur. Hæc sunt certa. Illud est controversum inter Autores quando ista intensio Qualitatis fiat. Cæterum intensio Qualitatis remissio qualitatis opponitur, estque attenuatio Qualitatis in eadem parte subjecti.

Dico 1mo Intensio Qualitatis non fit per productionem novæ Qualitatis perfectioris cum destructione præcedentis perfectionis in eadem parte subjecti.

Hæc sententia est contra Albert. Magnum, Durandum et alios. Probatur: Quia nova qualitas perfectior per intensionem producta vel est ejusdem speciei cum priore, vel diversæ. Si ejusdem non erit perfectior. Si diversæ possunt simul manere sicut calor cum albedine. Confirmatur 1mo Quia habitus intenduntur sine amissione partis præcedentis. Quia enim pars præcedens habitus est causa efficiens Actûs, proinde debet esse tunc quando illum elicuit. Rursus Actus ille suum illud habitum eodem momento quando est intendit; non enim expectat aliud instans. E. Præcedens habitus non corrumpitur in intensione. E. idem dicendum est de intensione aliarum qualitatum. Confir. 2do Quia in remissione præcedens perfectior qualitas corrumpitur, et minus perfecta producitur. Ergo Quando nix ferrum calidum sensim remittit corrupto perfectiore calore debebit in ferro imperfectionem producere, quis autem dicat à nive calorem etiam minus perfectum produci. Item quando homo perfectum bonum attenuat habitum vitiosum, deberet ipse illum actum destructo habitu vitioso intensiore produci vitiosus habitus remissior. Quando verò Actus bonus etiam minus intensum vitiosum habitum producet.

Dico 2do Intensio non fit per majorem radicationem ejusdem Qualitatis.

Est contra Thomist. à quibus hæc radicatio major et minor variè explicatur. Alii docent eam consistere in majore carentia contrarii in suo subjecto. Alii in perfectiore unione ejusdem Qualitatis cum eodem subjecto. Alii in nova existentia ejusdem Qualitatis in eodem subjecto. Probatur contra primum modum. Quia falsum supponit existentiam videl. modaliter distingui à re. Et licet existentia esset modus, tamen ego non albedinis aut lucis existentiam viderem; sed albedinem vel lucem existentem. E. Intensio lucis vel albedinis non consistit in diversis existentiis earum. Probatur contra 2dum modum: Quia Accidentia existentia sine subjecto habent intensionem ut patet in Eucharistiæ Accidentibus. E. Intensio non consistit in perfectiore unione Qualitatis cum subjecto. Probatur contra 3tium modum: Quia qualitates non habentes contrarium, capaces sunt intensionis, talis est lux, visio, auditio etc. E. Intensio non consistit in majore expulsione contrarii. Confir: quia expulsio contrarii est effectus intensionis formæ. Ergo Intensio non est formaliter expulsio contrarii. Cons. evidens. Anteced. Probatur. Quia sequitur hinc in omnibus in justis esse æqualem gratiam, cum omnes justi peccato gratiæ contrario omnino careant; hoc autem dicere, est in fide inconveniens.

Dico 3tio Intensio fit per additionem novæ Qualitatis ad præcedentem in eodem subjecto. Remissio verò fit per amissionem alicujus partis ex illa Qualitate.

Dices 1.

Dices 1. Essentiæ rerum sunt indivisibiles. C. Intensa qualitas non potest coalescere ex pluribus partibus Qualitatis. R. Essentiæ rerum sunt indivisibiles metaphysicè Conced. Ante. Non possunt enim metaphysici gradus ab invicem separari. Essentiæ sunt indivisibiles physicè. N. Ante. Sic homo dividitur in corpus et animam. Dices 2. intensio est motus. C. terminum a quo debet abjicere, Hic autem non est aliquis nisi Qualitas remissa. C. In intensione qualitas destruitur. R. Neg. in intensione terminum a quo non esse aliud præter Qualitatem remissam. Est enim privatio intensionis Qualitatis à qua procedit motus ad intensiorem Qualitatem. Dices 3. Gradus per intensionem additi vel essent ejusdem speciei, vel diversæ à præcedentibus. Si ejusdem. C. iam plura accidentia solo numero distincta esent in eodem subjecto. Si diversæ speciei. C. inter se illi gradus non unirentur. R. Etiamsi isti gradus essent specie distincti, adhuc possent uniri inter se, quia 2dus esset per modum formæ, primus per modum subjecti. Et sic deinceps ad 8avum gradum. Deinde quis alibi dixit intensæ qualitatis gradus debere inter se uniri.

Articulus secundus.

An Gradus qui in Intensione adduntur sint ejusdem speciei?

Dico Omnes Gradus Qualitatis secundum quos fit intensio sunt ejusdem rationis, non secus atque sunt inter partes Quantitatis continuæ.

Ita Ruvius, Arriag. Conimb. contra Soarez et Hurtadum. Probatur: Quia mutatio intensiva est ad unum majus et minus. C. Non debet esse per diversas specie formas, sive per diversos specie gradus. Confir. 1. Quia magis sentiretur calor si ex eo duo gradus essent quasi unus, et tamen tunc non sentiretur tanquam major intensivè intellectus majorem calorem in eadem parte subjecti vocat intensionem non tanquam major extensivè. C. Tan[tum] extensionem qualitatis. Confir. 2. Vinum rubrum si misceatur aqua, minus rubet, non ideo quod rubedo ejus ab aqua sit sublata, nam aquæ color non est contrarius rubedini; sed ideo quia tunc disjunguntur et sparsim esse incipiunt vini rubri partes. C. iidem gradus qualitatis quo sunt conjunctiores, melius apparent. C. A fortiori magis apparerent, si se penetrarent, quod fit in intensione ubi Qualitatis partes se in eodem subjecto penetrant. Confirmat. 3. Tanquam gravat libra straminis, quantum libra ferri. Ergo si gravitas libræ straminis poneretur in parvo aliquo subjecto, similiter gravaret, tunc autem deberet se penetrare, proinde intensionem facere. Confir. 4. Quia nulla est necessitas inter se gradus distinguendi.

Dices 1. Octavus gradus est perfectior quam primus. C. est specie distinctus à primo. R. Transeat Ante. N. Consq. Nam non omnis perfectio arguit specificam distinctionem. Sed respondere debet melius Neg. Anteced. Solum enim verum est octo gradus esse quid perfectius quam unum gradum caloris, octavum vero gradum, primo gradui esse in perfectione simillimum. Dices 2. Magis operatur calor ut 4 in parvo subjecto existens quam calor ut duo in majore subjecto, et tamen tantum est caloris in calido magno ut duo quantum in calido parvo ut quatuor. C. apparet dictos gradus specie distingui. R. Concedo totum Antec. et Neg. Conseq. propter illud Axioma: Virtus unita fortior. Dices 3: Si in intensione partes qualitatis sunt similes. C. Non magis intensio quam Extensio qualitatis subjectum perficit. R. Neg. Sequelam: quia in intensione non eodem modo se habent partes qualitatis atque in Extensione: ibi enim sunt magis unitæ, proinde magis efficaces, et suo modo subjectum magis efficientes. Dices 4. Si gradus intensæ qualitatis sunt similes. C. A calido ut unum potest calefieri calidum ut Duo. Potest enim tertius gradus produci ab eo in calido ut duo. R. Neg. Sequelam. Quia calidum ut unum à calido ut duo potius calefieri petit, non autem illud calefacere cum actio procedat à proportione majoris sine Qualitate. Dices 5: Gradus 8 caloris est inductivus in subjectum Formæ v.g. Ignis, primus vero gradus caloris non. C. distinguntur gradus caloris specie differunt. R. Gradus 8avus præcisè sumptus esse inductivus formæ ignis N. Ante. Gradus 8 cum primo et reliquis sumptus est inductivus Formæ ignis Conced. Anteced. et N. Cons. Sic enim tam primus quam 8tavus

octavus gradus caloris sunt aequales facultatis, per accidens autem est quod hic gradus sit primus ille octavus: est mere denominatio posteritatis, quod hic prius quam sit productus in eadem parte subjecti. Dices 6 In remissione non est ratio quis ex dictis gradibus deberet prius corrumpi. R. Deus sicut in intensione ut hic prius sit, ille secundus; ita in remissione determinavit, ut hic prius, ille posterius desinat. Dices 7 Si duae partes caloris in una parte subjecti faciant intensionem. C. duae partes quantitatis in una parte subjecti facient intensionem in quantitate; quod est inconveniens. R. Neg. Sequelam quia quantitas id non haberet ex natura sua sicut calor. Dices 8: Duo accidentia similia non possunt esse in eodem subjecto. C. Duo gradus similes caloris etiam non poterunt esse. R. Neg. Ant. Nam duae cognitiones possunt esse simul in eodem subjecto ... in anima. Dices 9 Magis pugnant inter se 8to gradus caloris cum 8 frigoris quam 4tuor et 4tuor. R. Ne. Cons. Hoc enim non ex diversitate specifica, sed ex majore efficatia ab unione plurium ... tium procedendo. Dices 10: Non apparet modus quomodo uniantur dicti gradus inter se et cum subjecto suo. R. Quodvis punctum qualitatis intensae habet suam unionem ad punctum subjecti. Ratio est: quia qualitatis illius puncta unum post aliud producitur et unitur. Item. Unumquodvis punctum qualitatis intensae cum quovis alio puncto peculiarem suam habet unionem, et hoc in vis est ad legendum quod qualitas intensa ... arcte unita quod extensio qualitatis non habet. Hic enim punctum unum tribus aut quatuor punctis ... tur tantum. Dices 11: Non apparet modus quo dicti gradus producantur. R. Quivis gradus habet ad huc gradus divisibiles infinitas, sicut de continuo diximus. Quod si intensio qualitatis est absque contrario, omnes partes et omnes gradus simul producuntur; quod si intensio qualitatis habet sis contrarium sit, successiva illa intensio interpositis morulis peragitur.

Articulus Tertius.

Quae sint capacia Intensionis?

Dico 1mo: Non omnis qualitas est intensibilis. Et id patet in potentiis animae si distinguuntur ab ea. Sic in charactere in ipso animae natura dictarum qualitatum sic postulante, neque alia ratio horum dari potest. Dico 2do: Quantitas non est intensibilis. Ratio est habere impenetrabilitatem, intensio autem requirit ut gradus unus cum alio penetretur. Dico 3tio Ubi et Duratio non sunt intensibilia. Ratio quia non apparet quomodo uno tempore possit unus magis quam alter durare. Item quomodo uni spatio unus magis quam alter possit assistere. Dico Substantiales formae non sunt divisibiles. Probatur: quia sequeretur unum ignem posse dici magis ignem quam alium. Ratio: alia quippiam efficax hic dari non potest quia nisi de facto nullam necessitatem videmus asserendi formas substantiales intendi; posse tamen formas tales dari nil repugnat. Dico 5to Actio et passio sunt intensibiles improprie tamen. Ratio est: quia dantur termini actionum intensibiles, actiones autem sequuntur in hoc suos terminos: nam in eadem parte subjecti cum suis terminis recipiuntur, non proprie tamen actio et passio intenderentur: quia pars actionis parti actionis non uniretur, sicut unitur pars qualitatis intensae cum alia. Dico 6to Relationes aliquae intenduntur. Ratio est quia unum est magis simile alteri quam aliud.

Articulus Quartus

Quomodo per Reflexionem intendatur Qualitas.

Suppono:
dari reflexionem: quando enim radii solis in crystallum vel in speculum impingunt, redeunt suo modo et augent lucem in aere. Idem calor etiam pro idem proportionem alicujus corporis in medio facit, ut experientia constat. Reflexio ergo est productio amplior qualitatis alicujus ad oppositionem obstaculi spharam activitatis coarctantis. Hoc est certum; illud valde controversum. Ex intensio per reflexionem procedens a quo fiat, utrum ab ipso obstaculo? utrum ab ipso directo agente.

Dico 1mo

Dico 1mo: Qualitas in Reflexione intensior non producitur ab obstaculo seu corpore agente opposito.

Sta Ariag. contra Hurtad. et plures alios. Probatur: quia quando in aere lux aut calor intenditur per reflexi-
onem non est ratio quare ab obstaculo et non potius ab ipso Sole vel igne directe agente proficiscatur
praesertim quia obstaculum non habet majorem lucis vel caloris capacitatem quam medium. Imo Crystal-
lus v. g. per quam maxime Adversarii probant contra nos, minus est capax lucis quam aer medius. Ob-
scurior enim est crystallus, et non ita diaphana seu transparens atque aer ut patet si crystallum supra
papyrum ponas. **Dices 1.** Cristallus et similia obstacula sunt densiora, proinde plus accipiunt lucis vel
caloris quam aer, prout igitur agere in aerem, lucem et in eum intendendo. R. Transeat Ans. N. Cons.
Nam calidum densum non agit in calidum rarum si intensio utrobique eadem fuerit. Potest etiam negari
Antecedens. Quot enim in denso, quot raro corpore partes luminis sint caeteris partibus. **Dices 2.** In cri-
stallo et in speculo soli exposito, Sol ipse apparet et perstringit oculos quod in aere non est. Ergo in oppositis
corporibus plus qualitatis est productum quam in medio. Ergo Oppositum corpus aget in medium.
R. In cristallo et in speculo quod Sol appareat et perstringat oculos non provenit hoc a majore luce ibi pro-
ducta; sed a speciebus intentionalibus in speculo productis: quia si ibi esset Lux vera solem imitans vi-
deretur ab omnibus planitiem illius speculi cernentibus; atque non videretur, nisi ab iis qui sunt in linea
recta ad eam partem qua species Solis reflectuntur. **Dices 3.** Ecce cristallum si inter Solem et lignum
interponas, nimia luce accendetur lignum. E. Apparet majorem lucem in cristallo quam in aere producta.
R. Conced. Ans. Neg. Cons. Si enim major lux in cristallo quam in aere produceretur, et quadrata cri-
stallus ligni interposita, deberet ignem accendere; de facto autem tantum rotunda, vel convexa aut concava
ignem producit. Productio E. ignis in ligno ex intensione cristalli proveniens refundenda est in solem.
Convexitas autem cristalli erit per modum conditionis: quia enim lux pro tali modo figuratum cristal-
lum non potest recta intrare, operatur ideo Sol in unam partem mediam, et augetur lux, aucta
autem luce calor augetur ab ea, ad cujus augmentum forma ignis consequitur. Instabis: Lux non
perit per motum localem. E. Radii solis non conjunguntur in medio Cristalli. R. Conc. Ans. Ne. Cons.
Non conjunguntur in medio crystalli radii Activitate N. Cons. Non conjunguntur loco. Concedo Cons. Posita
enim tali figura in cristallo tanquam conditione radii Solis magis agunt in medietatem quam in extre-
mitates cristalli. Quaeres: Quare ergo ad cristallum fit reflexio et ad aerem ac plurima alia cor-
pora non fit. R. Quia aer est perfecte diaphanus seu transparens ideo non impedit lucem, quare nec
obstaculum esse potest. Alia corpora quamvis non sint diaphana, nam quia non sunt longa tam, non
serviunt ad reflexionem.

Dico 2do. Reflexio procedit ab ipso Agente Directo, dicitur tamen Reflexio quia oppositum corpus tanquam conditionem requirit ut magis agat in medium.

Disputatio Quinta.

Articulus primus. De Elementis

Quid, Quotuplex, Cujus figurae, Magnitudinis sit Elementum.

Dico 1mo

Dico 1mo Elementum est corpus simplex in quod alia corpora resolvuntur.

Ita conimb. Explicatur Definitio: Elementum est corpus, loco generis; nam sub corpore continentur corpora mixta et Elementaria. Dicitur simplex loco Differentiæ à corpore mixto quod ex Elementis coalescit, ipsam simplicitatem tamen istam non negatur Elemento composito ex materia et forma substantiali et compositio partibus integrantibus omogeneis. Dicitur in quod alia corpora resolvuntur quia mixta corpora ex Elementis coalescunt et resolvuntur in Elementa. Dices: Arist. lib. 5 Met. c 3 Elementum Definit sic: Elementum est ex quo primum insito ac indivisibili Specie in aliam Speciem aliquid componitur. E. Alimentum supra definitum non habet debitam definitionem. R. Conis Ante. N. Cons. Idem enim verba ista Aristot. sonant, quod nos diximus, sed quia verba Aristot. sunt obscuriora minus ea curamus quando rem tenemus.

Dico 2do Quatuor tantum sunt Elementa Terra, Aër, Aqua, ignis.

Probatur: Quia nullum aliud experimur præter ista quatuor, rationes quas hic aliqui congerunt ex quadruplici combinatione qualitatum primarum carent efficacia quia multi negant quatuor qualitates dari in Elementis plura E. Elementa dari non repugnat, de facto tantum quatuor esse experientia docet; quare autem 4 tantum sint producta cum plura esse poterant, ratio alia excogitari non potest, quia nisi Deus noluit.

Dico 3tio. Elementa Figuram certam non exigunt: cum enim Elementa sint mixtorum Semina, debent se mixtorum figuris accommodare; in quantum tamen Elementa sunt partes universi Figuram habent hanc:

Terra cum Aqua unum constituunt globum ut probant Mathematici ex Ecclipsi Lunæ. Ab initio tamen conditi mundi aqua totam terram occupabat suumque globum peculiarem supra terram infra se contentam faciebat sed in utilitatem nostram aliquot post primam creationem diebus Deus compressit terram Aridam faciendo ut scriptura loquitur, et sic montes assurrexerunt et locum ubi maria et flumina delitescerent præbuerunt. Ita S. Damascenus. Aër terræ globum circulariter ambit. Ignis circulum suum amplissimum facit ambientem tria Elementa.

Dico 4to Terra major est quam aqua ut experientia ostendit tam ex superficie Aridæ quam ex profunditate terrea.

Aër major est quam Terra et aqua ut ex latitudine ejus et altitudine colligi potest. Ignis amplior est omnibus fortè tribus istis simul sumptis. Sed horum coagulatio ad mathematicum pertinet.

Dico 5to Perfectior ignis inter Elementa esse videtur.

Colligi id potest ex præstantia Qualitatis quam habet nempe Lucis, et etiam ex efficacia agendi. Terra utilissima videtur quamquam aër magis necessarius in ordine ad usum hominis. Nam etiamsi terra, aqua et ignis non essent. Homo vel aliud aliquod animal in centro universi aliquando viveret modo aërem haberet ad respirandum. Dico 6to In universo nullum Elementum est integrè purum quia mutuo in se agunt. Et cum alia Elementa sint densa, alia rara, corpusculis permiscent ad invicem extractis. Dico 7timo Situs Elementorum Terræ et Aquæ et Aëris est notus. De igne dicendum quod sit supra Aërem sub concavo Lunæ. Est contra Arias. qui negat ibi esse ignem. Probatur. Quia creatis aliis Elementis congruum erat suo loco etiam creari, nullus autem locus commodior pro igne assignari potest quam ille supremus

supremus ad quem continuò tendit ut patet experientiâ. Neq est necesse alimentum igni sub concavo subministrari siquidem ignis alimento indiget seu potius fomento quandò est extra proprium locum neq etiam periculum est obscurationis stellarum et Solis, siquidem ille ignis subtilissimus et transparentissimus. Neq etiam periculum est combustionis mundi: nam äer continuâ reactione sufficienter igni resistit. Hic aliqui quæstionem introducunt utrum äer sit navigabilis v. g. si supra sphæram äeris navis aliqua ita collocaretur, sicut de facto collocatur supra sphæram aquæ. Probabile est, esse navigabilem. ita Francis. Mendoza in Viridario. Ratio est: ideo enim navis navigat supra aquam quia haberet in se leviorem aqua. E. etiam navis aliqua navigaret supra äerem, quia haberet in se ignem leviorem äere.

ARTICULUS SECUNDUS
De
Natura Primarum
Qualitatum.

Dico 1mo: Dantur qualitates Positivè Activæ quæ vocantur Primæ qualitates distinctæ Realiter à suis subjectis et sunt hæ: Calor, Frigus, Humiditas, Siccitas.

Hæc Sententia est contra Ariag. qui humiditatem idem esse cum corpore fluido, et siccitatem cum corpore non fluido docet lib. de Gen. d. 4. n. 9. Est etiam contra Cardanum qui frigus dixit esse privationem caloris, siccitatem autem privationem humoris. Probatur 1mum videl. quod dictæ qualitates dentur: quia experimur corpora calida, frigida, humida et sicca. Probatur 2dum: videlicet quod dictæ qualitates sint Entia Positiva quia possem dicere calorem esse Privationem frigoris sicut Cardanus dicit Frigus esse privationem caloris, sicut enim calorem, ita frigus sentimus. De siccitate et humiditate similiter arguendum: quia Frigus producit aliud frigus, privatio autem nil reale producit, imò neq privativum. Probatur 3tium contra Ariag. Quia inter Accidentia Eucharistica est humiditas et siccitas, et tamen non est substantia fluida. Neq valet quod Arig. dicit Accidentia illa manere fluida sicut fuissent si cum substantia mansissent, quia sequeretur humiditatem non tantum esse substantiam frigidam; sed etiam Accidens fluidum, et hoc est quod volumus. Quod autem et Calor et Frigus realiter distinguantur à suis substantiis, evidens experientiâ quotidiè docenti nam facilè à suis Subjectis separantur. Dices 1: Humidum non aliter humectat nisi intrando in corpus siccum, et nihil siccat nisi per expressionem substantiæ humidæ. E. Humiditas et siccitas non est Activa idest, non est productiva humiditatis et siccitatis alterius. E. Non sunt distinctæ ab humido et sicco corpore, frustra enim darentur. R. Ne. Ante. Alias sequeretur quod res de toto humectari non possit, nisi per penetrationem si tantum res humectarentur per intromissionem humidi intra suos poros. Dices 2: Experientia docet etiam à toto Oceano non humectari rem si vitro modico se claudat: E. Humiditas est Activa. R. N. Ante. Humectabitur enim licet valdè modicè ob magnam vitri resistentiam. Neq enim ea tantum humida dicimus ex quibus aqua exprimi potest. Dices cum Themistio ex Alexandro: Qualitates istæ sunt ipsæ Formæ Elementorum. E. Non sunt ab Elementorum formis realiter distinctæ. R. Neg. Ant. Quia id quod uni est Accidens, non est alteri substantia. Sed calor v. g. est aquæ Accidens. E. Non est igni substantia. E. Calor non est forma ignis.

Dico 2do: Calor Activior est quam Frigus, Frigus quam Humiditas, Humiditas quam Siccitas.

Probatur: Quia calor citius Subjectum mutat quam frigus, frigus quam humiditas, hæc quam Siccitas. Citius enim aquæ humiditatem quam terræ siccitatem percipimus. Dico 3tio Siccitas et humiditas sunt magis resistivæ quam

quam calor et frigus. Probatur: quia aquæ frigus ab ignis calore facilè fugatur. Humiditas à siccitate ignis non item. Dices: Hoc non ex majore resistentia procedit; sed ex debilitate siccitatis in agendo. Ergo Humiditas non est magis resistiva. Resp. N. Ans. Si enim debilis in agendo esset, debilis in resistendo tunc quando aqua igni admovetur, æquè citò calefieret et æquè citò siccaretur. Probo hanc sequelam quia sicut frigus et calor essent fortiora in agendo; ita fortiora in resistendo. Ergo luctaretur diu. Iterum sicut siccitas et humor debiliore in resistendo, ita debiliore esset in agendo. Ergo Etiam æquè diu luctaretur; et sit simul ignis quam calefaceret et siccaret perfectè, cum tamen contrarium experientia ostendat.

Dico 4to. Qualitates de quibus loquimur dicuntur Primæ, et quatuor tantum sunt.

Ratio primi quia istæ qualitates nullas alias qualitates præsupponunt sicut aliæ qualitates. Gravitas enim præsupponit Frigus, Levitas calorem, proindè etiam omnes aliæ qualitates vocantur qualitates secundæ, solæ autem istæ 4tuor vocantur qualitates primæ. Ratio 2di quia non apparet ulla alia Qualitas quæ supponatur aliis qualitatibus præter istas 4tuor. Ergo Quatuor primæ sunt 4 qualitates. Dices 1. Siccitas præsupponit calorem, nam calor siccat. Ergo Siccitas non est prima qualitas. Resp. N. Antecedens. Calor enim siccat per accidens videlicet rarefaciendo corpus ut deindè siccitas facilius in illud agat; sic autem et frigus causat siccitatem, constringit corpora per quam compressionem ~~corpora~~ partes humidæ exeunt è corpore. Dices 2. Non omnes qualitates dictas 4 præsupponunt. Ergo vel hæ quatuor dicentur primæ qualitates vel plures ad suum admittent. Antec. probatur: Figura est ex prædic. Qualitatis, et nullam ex quatuor qualitatibus dictis requirit gravitas et levitas similiter; colores similiter quia variam quatuor qualitatum dispositionem promiscuè vagantur. Nam licet nix sit frigida, calx calida, utrumque tamen albescit. Rosa est frigida, sanguis calidus utrumque tamen rubescit. Resp. N. Ans. Ad probationem Resp. Figura non est qualitas Activa, dictæ autem qualitates dicuntur Primæ inter Activas, Gravitas et levitas ex primarum qualitatum tempie oriuntur. Colores licet iidem reperiantur in frigidis et calidis subjectis, fit hoc ex varia attemperatione qualitatum primarum. Albedo enim non à solo calore et frigore, sed vel à calore cum tali additamento qualitatum primarum; vel à frigore cum alio additamento cæterarum qualitatum.

Articulus Tertius.

Utrum Singulæ Primæ Qualitates sint benè Ab Aristot. definitæ?

Suppono potuisse Aristot. Qualitates Primas definire per Effectus primarios sic: Calor est qualitas calefaciens. Frigus qualitas frigefaciens, et sic de cæteris; ille tamen sic definivit Text. 8. hic et Text. 54 Calidum est quod congregat Omogenea et disgregat Eterogenea. Frigidum est quod congregat heterogenea et homogenea. Humidum est quod est interminale proprio facilè terminabile termino alieno. Siccum facilè terminabile proprio, difficulter alieno termino.

Dico 1mo Proportionatè primas Qualitates Aristot. definit hic in quantum ad mixtionem serviunt.

Probatur: Quià calor rarefaciendo res Homogeneas seu partes illarum ligat, separat Heterogeneas seu dissimiles

dissimiles. Frigus condensando et stringendo omnia ligat tam partes Heterogeneas quam Homogeneas. Rursus quia humiditatem fluidita sequitur, fit ut facile scindi et terminari ab alio humido possit, difficulter à se ipso. In siccitate contrarium evenit. DICES: Calor sua Activitate Resinam, Serum et similia in unum compingit, et ista sunt heterogenea. Calor partes aquæ subtiliores rursum evocat, crassiores mittit deorsum. E. Calor congregat heterogenea et disgregat homogenea. Frigus sanguinem emissum afficit, aliæ partes ejus nempe crassiores fundum, subtiliores summa petunt; idem frigus lacrymas exprimit ex oculis. E. Frigus disgregat homogenea et heterogenea. Glacies est humida, et tamen difficulter alieno termino terminatur. E. R. Resina, Cera et similia quia in fluiditate conveniunt modo rarefiant etiam calore ea non congregante se ipsa congregabunt; præter intentionem ergo caloris talia uniuntur. De aqua rarefacta idem dicendum. In sanguine disgregatio humorum per Accidens à frigore procedit, dum enim una pars magis congelabilis congelatur, altera minus congelabilis alio cedit. Idem de lacrymis dicendum. Glacies licet sit humida quia est densa per Accidens non est facile terminabilis termino alieno. Cineres sunt res discontinuæ vel certè rarefactæ, in particulari adhuc melius dictarum qualitatum effectus examinantur.

Dico 2do: Caloris effectus primarius est calefacere. 2darii effectus sunt isti: Homogenea congregare et heterogenea disgregare, ex natura sua Concreta dissolvere, dura emollire.

Patet hoc in mollificatione metallorum. Liquida et mollia indurare, ut patet in ovo asso vel cocto cujus humidiores partes à calore evaporant. Dura et densa frangere ut patet in vitro gravia alleviare. Dum enim humiditas per Actionem abscedit, res attenuatur, proindè et gravitas minuitur. Undè mortuum corpus est gravius jejuno, item quia et frigidum est spiritibus vacuum. Calor item cibos et fructus maturos reddit, acetosa in dulcia & acida vertit. Res vivificat, undè hyrundines, muscæ, et similia æstate reviviscunt. Dico 3tio Frigoris effectus primarius est frigefacere; secundarii effectus sunt isti: Res conservat ne calore majore diffluantur. Ideo cadavera in fornicibus monita citò corrumpuntur. Omnia condensat tam homogenea quam hetero genea, ad centrum enim omnia deducere contendit cum sit qualitas terræ et aquæ propria sicut calor omnia à centro dimovet cum sit qualitas aëris et ignis, res albefacere facit. Hinc ursi, lepores et lupi in septentrionalibus partibus passim sunt albi. Dico 4to Siccitatis primarius effectus est siccare. Secundarii effectus sunt isti caloris est lima quia cum siccitate calor viribus vehementius agit, res attenuat et consumendo humiditatem eandem ob causam res indurat, asperat, inducendo in superficie inæqualitatem, senium accelerat, sitim provocat, vocem impedit, caput decalvat, artus contrahit ut videre est in Physicis. Dico 5to Humiditatis effectus primarius est humectare. Secundarii effectus sunt: Rebus vigorem dat, res tractabiles et figurabiles facit, partes terreas conjungit, omnia enim in arenas abirent sine humore.

ARTICULUS QUARTUS.

An? quæ? et quorum Elementorum ex dictis Qualitatibus sint Proprietates?

Dico 1mo Dictæ qualitates sunt Proprietates Physicæ Elementorum.

Probatur: Quia convertibiliter possunt dici de Elementis v.g. Calidum et ignis, Frigidum et Aqua, humidum et Aër. Dices: Etiam de aëre dici potest calidus aër. R. Dici potest calidus in gradu remissiore

remissiore Conced. calidus in summo Neg. Vel sic: Aër dici potest calidus et siccus N. Calidus et Humidus
Conced. Et Ne Cons. Nam dictæ qualitates in quantum sunt proprietates, in quantum sunt in
summo, seu in quantum sunt combinatæ tali vel tali modo. Dices 2: Proprietates debent esse inse-
parabiles naturaliter. Sed Frigus in summo, imo et ut combinatum cum humiditate potest natura-
liter separari ab aqua si eam igni applicueris. C. R. 1mo Proprietates contrario carentes sunt insepa-
rabiles naturaliter; Antecedens transeat. Habentes contrarium Neg. Antecedens
et conseq. R. 2do Licet frigus in summo possit separari ab aëre, tamen combinatum cum humidita-
te potest. Non potest enim aqua manere sine frigore, omnes tollas et humiditatem. Deinde
istæ qualitates non sunt tam rigorosè in ordine physico proprietates sicut est visibilitas in homine,
impenetrabilitas in Quantum, nam simul hæ qualitates sunt dispositiones ad Formas Elementorum
et præcedunt eas in subjecto et ut dixi habent contrarium, quod in aliis proprietatibus physicis non
invenitur.

Dico 2do: Nulli Elemento nisi una
in summo ex dictis qualitatibus
competit.

Probatur: quia terra vocatur Arida. Non diceretur autem si ignis in summo esset calidus et Aridus seu
Siccus. Dico 3tio Aqua est frigida in summo; Humida in Excellenti id est frigida ut octo, Humi-
da ut Sex; ita enim ejusmodi intensio vocari solet. Et communis sententia contra Arriag. qui
cum Cardano docet lib. de Gen. Disp. 4. n. 29 Aquam non esse Frigidam in summo. Probatur quia
frigidam esse et humidam experientia docet, ex maxima verò ejus cum igne contrarietate colligitur magis fri-
gidam esse quam humidam, si magis frigida cum igne pugnaret, non extingueret siquidem humiditas
est debilis in agendo. Dices: Aqua eo ipso quod habeat summum frigus congelatur; dici autem non potest
aqua sua esse congelata, nam piscibus esset inepta et irrigabilis plantarum attamen ad hæc ex natu-
ra ordinetur. R. N. Anteced. Ad congelationem enim aquæ non tantum summum frigus sed etiam
exhalationes terræ requiruntur quæ hyeme per Antiperistasin in aquam prodeunt ut patet ex aqua
brumali tempore fumantem. Hinc Disces congelationem non qualitatem aquæ superadditam
sed esse unionem partium atque cum resistentia in ordine ad discontinuationem quæ resistentia pro-
venit ex frigore aqua permixta cum exhalationibus terreis facilius alleganti. Unde est quod gla-
cies supernatat, terreis enim illis exhalationibus quibus est commixta, levitas inest. Dico 4to Aër est in
summo Humidus, calidus in excellenti. Probatur quia Aër humidior est quam Aqua. Cum sit terminabi-
lior alieno termino quam aqua calorem vero illi etiam connaturalem levitas ejus docet. Dices Phi-
losophus Aerem vocat frigidum. Deinde media Aëris Regio remotior a contrariis est summa frigida
C. Apparet Aëri connaturali esse frigus. R. Philosophus de aëre impuro aqueis frigidis exhalationibus
permixto loquitur ob eandem causam in secunda Regione frigidior quia reflexio Lucis ob elongationem
ejus ab obstaculo non potest attingere, et calefacere infrigidatam ab exhalationibus in infima Aëris re-
gione ad connaturale frigus se reducentibus. Dices 2 Aer æstate clausus est frigidior. C. habet
a natura sua. R. Transeat Ans. Neg. Cons Aer enim tunc non à se ipso frigus habet; sed à terra
infrigidatur, discontinuus enim ab alio äere calido facilius à terræ frigiditate superatur. Dices 3 In
septentrione äer frigidior est quia distat magis à calore solis. C. Äer ex natura sua est frigidus.
R. Conced. Ans. Neg. Cons Non ideo ex se emanabit frigus quod magis distet ab Activitate
sed ideò liberius cum aqua et terra infrigidabit. Dices 4 Äer motus flabello refrigerat. C. R.
Aer purus N. quod refrigerat, äer infrigidatus aliundè concedo quod refrigeret, et N. Cons. Dices 5
quando homo

Quando homo patitur Colicam, äer in visceribus calaususque frigore vexat hominem, nam non nisi rerum calida-
rum applicatione curatur. C. Aer ex natura sua est frigidus. R. Transeat Ans. N. Cons. Aer enim ille non ab in-
trinseco, sed aliundè frigus participatum habebit. Dico 5to Ignis est calidus in summo, siccus in excellenti.
Probatur quià ignis calor est vehementissimus, siccitas verò magis terræ competit. Dico 6to Terra est sicca
in summo, frigida in excellenti. Probatur quia difficilè alio termino terminatur, et S. Scriptura terram Aridam
vocat. Dices: Ignis maximè siccat. C. Non terra sed ignis est in summo siccus. R. Ignis maximè siccat
per Accidens videl. Rarefaciendo occasionemque dando ut humidiores partes evaporent, per se autem non siccat
ita, ut Terra.

Articulus Quintus.
An qualitates singu-
læ in Elementis
Specie differant?

Suppono Qualitates Symbolas vocari, calorem ignis et äeris, frigus aquæ et terræ. In Calore enim ignis
cum Aere. In Frigore Terra cum aqua, conveniunt aliquo modo seu simbolizant. Quæstio ergo est utrum
calor ignis sit ejusdem speciei cum calore äeris: Siccitas ignis cum siccitate äeris: Frigiditas terræ cum
frigiditate aquæ: Humiditas aquæ cum humiditate äeris. Dico Sunt ejusdem speciei. Probatur: quia
calor ignis auget calorem äeris, et deindè sequeretur non quatuor sed octo qualitates esse primas in Ele-
mentis. Dices 1: Ignis et äer substantia calorum dictorum sunt diversæ specie. C. Et calores specie erunt
diversi, pari modo argumentari potest de siccitate ignis et terræ, humiditate aquæ et äeris, frigore ter-
ræ et aquæ. R. N. Ante. quià ignis ut est subjectum caloris, materia enim prima et ejusdem speciei in
istis, et in materia calor non in toto composito recipitur ut docuimus. R. Transeat Ans. N. Cons.
Sicut enim in materia ejusdem speciei possunt formæ diversæ recipi, ita in subjectis diversis possunt
ejusdem speciei formæ recipi. Dices 2 Humor aquæ extinguit ignem, äeris humor non. C. Spe-
cie differunt. R. Humor aquæ ignem extinguit quià est in subjecto denso et viscoso quod pabulum igni
datum oblinendo impedit ne ex eo vapor descendat pro flamma. Flamma enim est vapor seu fumus
accensus. Dices 3 Humor olei (quod est aereum) pascit ignem, humor vini extinguit. C. isti humores specie
differunt. R. Non humor olei sed partes siccæ pascunt ignem, quæ, quia in vino non sunt, humor ejus
contra ignem vino prævalet. Dices 4 Parvam candelam accensam si igni propiùs admoveris, extingue-
tur, et tamen utrumque est calidum. C. multo magis calor ignis cont. R. Extingui modicam candelam
tunc quià ignis magnus äerem circa se movet qui flammam excutit fumum ejus abiendo à ligno, in carbonibus
contrarium est ubi ventus ignem auget quià in carbonibus non ex fumo; sed ex ligno intus pascitur, modicam
ergo illam flammam ventus in carbonibus ad intra producit sicque carbo magis excandescit. Dices 5: Calor Ani-
malis specie differt à Calore Elementi. C. Calor ignis specie differt à calore äeris. R. Ne. Ans ob similem
rationem quià calor Animalis ponetur à calore Elementari. Fusè hac de re Conimb. c. 3. q. 7. Dices 6 Calor
à Cœlis proveniens differt specie ab eo qui ab Elementis procedit. C. Ante. Probatur: quià candela parva asta-
tem à radiis solaribus extinguitur. R. Ne. Ante. ob similem rationem insinuatam. Ad probationem R. A
radiis solaribus calore äer movetur qui flammam candela excutit. Dices 7: Calor in igne quandò remittitur
fit hoc per frigus in productum at verò calor qui est in äere licet sit remissior nempè ut sex non habet sibi
annexum frigus ullum. Probatur hoc: quia sequeretur unum Elementum äeris tres qualitates: humo-
rem, calorem, siccitatem, quod si aliquid ex humore remiserit, iam äer quatuor qualitates nempè ad-
mittendo etiam aliquid siccitatis quod tantum solis mixtis conceditur. R. N. Ans. Cum enim calor ignis
et äeris sint ejusdem rationis utrobique si remissus fuerit per frigus complebitur, ad illud autem quod additur
solis mixtis competit 4 qualitates habere, quatuor qualitates notabilitas refractas seu castigatas Conced.
Non refractas autem possunt et Elementa habere.

Disputatio Sexta
De Qualitatibus Motivis Elementorum.
Articulus Primus
Quid sit Gravitas et Levitas, et quomodo à Subjecto distinguantur.

SUPPONO dari Gravitatem et Levitatem. Patet Experientiâ quià alia corpora sursum, alia deorsum feruntur, undè hæc gravia, illa levia dicuntur, idq quia terra ita deorsum fertur, ut subsit omnibus Elementis, ignis verò ita sursum fert ut supemineat omnibus Elementis. Terra gravis simpliciter. Aer levis simpliciter dicitur. Seu terra dicit habere gravitatem simpliciter, ignis levitatem simpliciter. Deinde quià äer sursum quidem fert sed ita ut subsit alicui nempè igni: Aqua deorsum sed ita ut supemineat alicui, ideo äer levis secundum quid, aqua gravis secundum quid dicit. SUPPONO porrò Leve ab Aristotele definiri sic: Leve est quod natum est ferri ~~medium ad~~ à medio id est sursum ad centrum. Grave vero sic: Grave est quod natum est ferri ad medium id est sursum ad centrum quod et medium universi. Leve simpliciter definit sic: quod fertur à medio ad extremum id est ut nulli subsit. Grave simpliciter quod ad medium fertur omninò. Leve secundum quid quod fert à medio ita ut subsit. Grave secundum quid fertur ad medium ut supereminet.

Dico 1mo Gravitas et Levitas sunt qualitates distinctæ Realiter à Subjecto.

Probatur: quià vapores terrei et aquei sunt substantialiter terra et aqua, et tamen non habent gravitatem terræ et aquæ. C. Apparet quod gravitas sit distincta à terra et aqua. Ant. est certum quod vapores illi feruntur sursum, non deorsum. Confirmatur: quia Accidentia Eucharistica gravitant et levitant, et tamen ibi nulla est substantia elementaris. C. DICES 1. Non sunt multiplicanda Entia sine necessitate. E. Hæ qualitates non sunt distinctæ à suis Subjectis seu Elementis. Prob. quia optimè omnia sine istis qualitatibus fieri possunt. R. Transeat Antecedens. quia multum probaret enim argui [illegible] illud neq. calorem ad igne esse distinctum, cum posset dici ignem sua met substantia posse calefacere. Nego Cons. R. quia levitatis et gravitatis necessitas colligitur ad ex p. in vaporibus et Accidentibus Eucharisticis. DICES 2. Cum in vaporibus sit substantia terræ vel terræ vel aquæ, et gravitas est qualitas vel proprietas terræ vel aquæ distincta ab eis, quare ergo non amant vapores illi gravitatem tanquam proprietatem suam.

Dico 2do Gravitas et Levitas producuntur effective à primis qualitatibus certo modo combinatis supposita tamen Densitate vel Levitate.

Et ita in igne Levitas maxima est à calore et siccitate, in äere levitas secundum quid à Calore et humiditate. In terra gravitas simpliciter seu mixta à siccitate et frigore. In Aqua gravitas secundum quid à frigore et humiditate patet experientia. Ideò enim terra in vapore facta ex ea gravitatem amisit et levitatem amisit quià primæ qualitates sunt alio modo in ea dispositæ et combinatæ quia videl. calor frigiditatem temperavit et raritatem effecit. DICES 1. Gravitas in aqua est à frigore & humiditate. Sed äer est frigidus et humidus aliquando, et tamen non gravidat! E. Non est bona causa gravitatis assignata in aqua. R. Gravitas in aqua est à frigore et humiditate tanquam à causa adæquata, Neg. tanquam à causa inadæquata

inadæquata Concedo. Requiritur enim præterea Densitas, quæ cum in äere non sit, humiditas et frigiditas ejus non causabit frigiditatem in eo. Dices 2 Glacies frigida est, densa et humida, et tamen non gravior sed levior quàm aqua cui supernatat. C. R. Quia vapores in glacie leviores prævalent, ideò frigiditas, humiditas et densitas gravitatem suam non ita exerunt. Porrò licet Densitas in nostra sententia sit qualitas sed concentratio partium, istam tamen concentrationem dicimus esse conditionem ad hoc ut gravitas major vel minor in subjecto à primis qualitatibg producat, levitas è contra. Dices 3 Gravatio et Leviatio ab ipsis certo modo primis qualitatibus cum Densitate et Levitate procedere immediatè poterit. C. Frustra asserit gravitas et levitas distincta tam à qualitatibg primis quam substantia Elementorum. R. Ne. Ant. quia qualitatibus primis omnibg, locg est naturalis, non item gravitati et levitate. Deinde terra igni non opponeret in motu, siquidem utrumq est siccum, et præterea terra calefieri intensè potest. Igit Gravitas et Levitas non erunt aggregata; sed effectg dictorum aggregatorum.

Dico 3tio ~~Gravitas et~~ Levitas ignis sunt et äeris qualitates Specie distinctæ.

Quià si äer eet levis, levitati simili, levitati igneæ. C. Semp in locum ignis tenderet licet tardig: non enim eet ratio quare requiesceret nisi quià determinat suam specularem levitatem ad talem locum. Dices 1 Simpliciter tale secundum quid tale specie non differre; sed levitas ignis et äeris etc. C. R. Simpliciter tale, et secundum quid tale quoad intensionem et extensionem specie non differunt, Con. majorem. Secundum quid tale et simpliciter tale quoad perfectionem essentialem specie non differunt N. majo. Minori applicanda est distinctio et sequel. Neg. Dices 2 Levitas ignis intendere potest levitatem äeris. C. Specie non differunt istæ levitates. Ante. Probat quia igne äer rarefiet et erit levior quam fuit. R. N. Antec. Ad probationem ejg R. in eo casu levitatem äeris destruendam et levitatem igneam inducendam propter aliam combinationem qualitatum. Inst. Adhis: Aristotel. dicit: Unum uni contrarium. Hic autem levitati äeris, contrariaret gravitas terræ, gravitas aquæ et levitas ignis. Neq enim se compatiunt in eodem subjecto. R. Unum est uni contrariu quandò sunt contraria effectivæ se ex eodem subjecto pellentia Conc. et talis contrarietas est inter primas qualitates. Unum uni est contrarium quod sint contraria formaliter se tantum ex subjecto pellentia. N. Disparata enim potius dicent, et talis est levitas ignis et äeris; gravitas similiter; neq enim levitas levitatem producit, neq gravitas gravitatem. Dices 3 Terminus gravitatis aquæ et gravitatis terræ est idem. Nam aqua ad centrum sicut terra tendit. R. N. Ante. Ad probationem enim ejg R. Aqua tendit ad centrum sed ita ut supra terram sit; p accidens autem eet si foramine facto in terra usq ad centrum tenderet. Dices 4 Levitas äeris est quid compositum. C. Habet in se Gravitatem et Levitatem. R. Est compositum ex partibg Homogeneis tam extensivè quàm intensivè. Sic enim et calor est quid compositum; est compositum ex partibg Heterogeneis gravitatis et levitatis sicut tepor et ex calore et frigore: corpori enim simplici, quale est äer qualitas simplex competit.

Articulus secundus
De Effectibus Gravitatis et Levitatis.

Dico 1mo Elementa non moventur à generante sed à se ipsis. ita contra D. Thomam, Conimb. Fonsec. Ruu etc.

Probat

Probatur: quia Aristot. dicit Natura est Principium motus et quietis ejus in quo est. Sed generans in Elemento non est. C. Confirmatur: quia omnis effectus Actualis debet habere causam Actualem. Confirmatur deinde: quia sequeretur ignem ex attritione genitum moveri à ligno vel atterente. Dices 1 Arist. 8 Physicorum docet. t. 27 Omne quod movetur, ab alio movetur. C. Elementa non se ipsa movent; sed alio moventur, alius autem iste commodius non potest ostendi atque generans seu causa efficiens illius Elementi. R. Explico Aristotelem. Aristoteles hoc dicto intendit omne quod quomodocunque movetur habere aliquem primum motorem qui ab alio non moveatur, nempè Deum. Vel certè Aristoteles est explicandus omne quod movetur ex inanimatis, ab alio movetur, id est ab alio ad motum explicatur. Sola enim animalia moveri à seipsis propriè dicentur, quia se ipsa per cognitionem ad motum applicant. R. Dices 2 Aristoteles dicit motum esse Actum non mobilis sed moventis. C. Motus non procedit ab Elemento mobili. R. Motus est Actus moventis, ut Actio est Concedo. Ut est transitus seu passio est Actus moventis Ant. et Conseq. Dices 3 Si Elementa non moverentur à Generante, Motus Localis non haberet causam Principalem. R. Ne. Seq. Habebit enim causam principalem ipsam formam substantialem Elementi quæ simul cum gravitate vel levitate elicitivè concurrit ad motum localem.

Dico 2do Gravitatis effectus est motus deorsum simpliciter, si gravitas fuerit terræ competens: si verò gravitas aquæ competens fuerit, effectus ejus erit motus deorsum secundum quid: De Levitate äeris et ignis proportionaliter disserendum. Dico 3tio Inter corpora quod est gravius movetur citius deorsum, et quod est levius citius sursum cæteris paribus.

Probatur: quia citius lapis deorsum quam lignum cadit supposita eadem magnitudine figura. Confirmatur quia corpus grave imprimit äeri impulsum, ut sentimus quando manu impetuosè movemus. Atqui corpus gravius majorem impulsum imprimit äeri per quem fertur quam corpus minus grave, ex quo corporis gravioris vi äer citius cedit locumque velociori motui concedit. Dices 1 Cum Aristotel. Experientia discimus frustum panis imò calamum scriptorium ex alto simul demissum cum saxo cujuscunque magnitudinis fuerit, eodem momento ad terram pervenire seu cadere. C. Graviora corpora non citius quàm minus gravia moventur. R. Ne. Istam experientiam. Citius enim cadit hoc quod est gravius sed non percipitur anticipatio: quod si ex nimis alto loco experientia probaretur, notabiliter prius caderet id quod est gravius. Instat. Neque percipio quod non citius cadat id quod est minus grave, et ideo non affirmo minus grave citius cadere. C. Quia non percipis citius cadere id quod est gravius, nolis etiam affirmare quod citius cadat. R. Negatur paritas: quia ab unde experior minus gravem cartam sensim deorsum ferri, laminam non item; et deinde è id quod est calidius citius calefacit. C. Etiam quod est gravius citius movet. Dices 2 Modicum plumbi mergitur in aqua, tota arbor non mergitur etsi sit gravior. C. R. Ratio hujus est: quia arbor in suis poris multum habet ex äere conti[nens] quod impedit ne arbor mergatur id est impedit sua levitate gravitatem arboris.

Dico 4to Gravia et Levia citius in fine moventur

Probatur: quia Lapis de alta turri cadens, magis feriet in terra stantem quam ex fenestra ejusdem alta ejusdem turris prospicientem. Dices non est ratio quare debeat citius moveri in fine quam ab initio lapis descendens. Respondent non pauci recentiores rationem esse præcedentem motum ampliorem quia per modum conditionis et dispositionis ad velociorem in fine motum. Sed hæc ratio est difficilis, cum enim præcedens motus non sit quomodò hic et nunc ad velociorem motum disponet? Respondeo ergo 2do id provenire quia grave quando movetur deorsum ab initium motus nullum adhuc ab äere

aere impulsum accipit, ideo à sola sua gravitate movetur, in fine autem ab aere sciss-o - et irruente propter periculum vacui grave illud accepit impulsum, deinde duplici causa urgente nempe gravitate et impulsu in fine velocius movetur. Dico 5to Elementa in locis propriis neq gravitant neq levitant in actu 2do. Probatur: Quia finis qualitatum motivarum ultra quem non tendunt et in loco proprio Elementum ponere si extra illum sit detentum vergere ad locum proprium, et ita lapis in tecto gravitat, in terra non. Confirmari potest: quia homo in fundo aquæ positus, non sentit pondus aquæ. Dices seu potius quæres quid et lapidem in tecto gravitare? R. Est imprimere impulsum tecto sicut v. g. idem lapis imprimit impulsum manui si eum in äere detineas cui impulsui manus continuò debet resistere et fatigari. Dices 2 Lapis supra terram positus si jaceat diutius, tandem in terram mergitur. E. Gravitat in terra. R. Quia eminebat supra terram, ideò gravitabat, non enim in proprio loco existebat. Dices 3 Aqua in superficie maris existens non est in proprio loco. E. Gravat aquam in fundo existentem. Ante. Probatur: Aquæ supremus locus est proprius super terram iacere. E. R. N. Antec. Ad probationem ejus R. N. item Ante. modo enim nullum aliud corpus levius aquâ aquæ sit collaterale, vel inferius aqua censetur in suo loco esse, id autem aqua in superficie maris existens habet. Instabis: Urna aqua plena si ponatur in puteo, vel piscina, mergitur in aqua piscinæ usq ad os urnæ, et tamen tunc aqua recepta in urna habet sub se etiam ad latera corpus levius nempe vas ligneum? E. Responsio est nulla. R. N. illud vas mergendum usq ad os seu orificium, eminebit enim aliquantum cum ipsa aqua in se clausa nisi vas ligneum sit terra vel alio modo gravatum. Aqua enim inferior attolletur aliquantum à vasis ligno leviore, quod si non attolletur, non gravitabit illa aqua quia in eadem altitudine erit cum altera aqua quod illi sufficit, maximè cum vas sustineatur ab aqua inferiore, neq enim aqua potest gravitare ut sit infra aquam. Dices 4 Plumbum et Lapis minus gravitat in aqua quam in äere. Hoc fortè ideo, quia quo propior res est suo loco, eo minus gravitat; et ideo etiam quando in loco proprio est, minus gravitat. R. Non ideo: nam res modo extra locum sint, eodem modo gravitant, et sic quod ponderat libram in tecto, etiam sub tecto libram ponderabit. Sed hoc est ideo quia aqua est viscosior quam äer ideo unitur fortius resistitque magis quam äer plumbo vel lapidi deorsum tendenti. Dices 5 Trabs in parva aqua magis mergitur quam in magna. E. quo res loco suo est vicinior, magis gravitat. R. Id fieri quia aquæ parvitas minus resistit trabi prementi ideoque facilius diducitur utpote fermè levior vel vix gravior ipsa trabe. Dices 6 Trabs super magnam aquam non tota mergitur. E. Non gravitat licet non sit in proprio loco. R. Lignum est levius quam aqua, quia tamen habet aliquid ex aqua seu humida substantia petens quoad locum consistere aptè aliquantum mergitur, non omninò tamen obsistente äere incluso.

Articulus Tertius

De Impulsu seu Principio motus Violenti.

Dico Projecta quandò moventur, habent sibi impressam qualitatem à proiiciente quæ qualitas dicitur impulsus.

Ita Arriag. lib. de Gener. d. 4. s. 5. Soarez d. 35. s. 6. n. 24 Ruv. 8 Phys. tr. 2. Conimb. 7 Phys. c. 2 q. 1. art. 8. Estq iam communis sententia contra Arist. q. 8 Phys. c. ult. et lib. 3 De Coelo docet q äerem à proiiciente Recensum defenni. Probatur quia non potest commodius explicari motus projectorum quam si dicatur in ipso projecto produci qualitatem quæ dicitur impulsus. Nam de äere eadem est quæstio quomodo äer deferat lapidem cum ipse äer debeat ab aliquo pelli ut rem gravem sursum ferat. Confir. quia globus explosus si q tenuem

si per tenuem asserem transeat modico foramine facto volat ultra asserem magno impetu. Quando autem aer ille qui globum ad intro detulit per foramen tam citò insecutus est globum ut eum ulterius deferret.

Dices: multa sunt in isto impulsu difficilia 1. quomodo incipiat et desinat. 2 quare non ab initio sed paulò post fortius agat. 3 quare in hanc et non in illam partem corpus moveat. 4 Utrum semper corpus in quo moveat. 5 Utrum sit connaturalis qualitas. R. Impulsus incipit sicut aliæ qualitates, successive produci solitæ, et ubi cessat proiiciens impulsum imprimere durat aliquantisper, postea sensim corrumpitur sic natura eius petente, et Deo accommodatè ad naturam ipsius concursum subtrahente. In medio projectum magis movetur quia in medio impulsus augetur ab aëre quoque impellente. Quod autem non in omnem partem sed in certam projectum moveat, in naturam eius id rejiciendum est. Sic enim et objecta visibilia non in omnem partem videntur per suas species. De connaturalitate impulsus dicendum est quod sit non propriè connaturalis quia à principio extrinseco, calor in aqua, unde è et motum violentum efficit in projecto. Quod autem interdum impulsus imprimatur rei etiamsi illa non moveatur patet, quia quando sustineo in manu lapidem, sentio impulsum etiamsi manum immotam teneam resistendo impulsui.

Disputatio Septima

De

Transmutatione Elementorum et Mixtione.

Articulus Primus

Quæ, et quomodo Elementa in se invicem transmutentur?

SUPPONO 1. Elementa alia dici Symbola, alia Asymbola. Symbola sunt quæ in qualitatibus symbolizant id est conveniunt, ut ignis cum aëre in calore, aër cum aqua in humiditate, aqua cum terra in frigiditate, terra cum igne in siccitate. Asymbola Elementa sunt quæ non symbolizant in qualitatibus, ut ignis et aqua, aër et terra. SUPPONO 2. Transmutationem Elementi posse esse immediatam vel mediatam. Immediata esset si ignis agendo in aquam destructa forma aquæ statim formam ignis induceret. Mediata esset si destructa forma aquæ formam aëris, et postea, ~~et postea~~ ea ipsa forma destructa formam ignis in materiam induceret. DICO 1mo Probabile est omnia Elementa Symbola posse invicem immediatè transmutari. Probatur quia ista Elementa taliter se habent quod unum in aliud suas qualitates facilè possit inducere, consequenter etiam formam substantialem ad quam illæ qualitates disponunt. Materia autem Elementi cuiuscunque formæ est capax. Et sic ignis aërem in se et hic ignem vertere potest immediatè, aër aquam, hæc aërem, aquam terra, terram aqua, ignis terram, terra ignem. DICO 2do Nullum Elementum potest aliud immediate in se mutare mediate potest. Probatur: quando enim ignis in aquam agit, calorem inducit sufficientem, humiditatem non facilè exsiccare potest. C. Ex aqua aërem citius quam ignem facit; è contra aqua in igne calorem attenuat, et siccitatem tollit. C. In ~~ea~~ aëre vertet prius quam in aquam. Aër cum terra similiter procedit. DICO 3tio Quandò Symbolorum Elementorum unum in aliud agit, immediatè vertitur tantum ita Aristot. t. 29. neque enim ignis ex aëre aut aqua terram faciet, neque aqua ex aëre ignem aut terram.

Articulus Secundus

Quid sit mixtio, ex quibus, et quomodo fiat?

Dico 2do

Dico 1mo. Mixtio est miscibilium alteratorum unio. Sta Arist. Unio hic ponitur pro unitione loco generis. Nam etiam Augmentatio est quantitatis Unitio. Loco Differentiæ addit miscibilium alteratorum id est corporum quæ facilè minutatim permeare se valent et alterari quoad qualitates suas invicem. Unde inter aquam et aquam non est Philosophice accepta mixtio licet se permeeant partes et unient tamē pars partem non alterat in ordine ad novam formam recipiendam. Inter Accidentia etiam non est mixtio quia non alterant sed communiter pereunt quandò in compositionem alicujus tertii conveniunt ut patet in coloribus duobus albo v. g. et nigro in tertiū griseum degenerantibus.

Dico 2do Ad mixtum producendum non sufficit unum Elementum nisi admisceatur aliud. Probatur: Nullum enim animal ex terra nascetur si aquæ humiditas non accesserit, neq ex aqua piscis aut vermis si terrea massa se non miscuerit. Perfecta autem mixtio ex omnibus quatuor efficitur. Dices: quandò piscis vel vermis in fundo fluvii nascitur ex putredine, quomodo in hoc mixtū ignis veniet. Resp. Sunt in aqua exhalationes igneæ, illæ ergo veniūt in mixtionem tum terræ poris. Dico 3tio Etiam ex ipsis mixtis potest fieri mixtio. Si enim misceatur vinum cum aliquo succo vehementi, prodibit tertium aliquod compositum spetie ab utroq diversum. Dices quando vinum aquæ miscetur, vel vinū aquam convertit in se, vel non, vel aliquod tertium ex eis resultat; neutrum dici potest. Ergo. Ex mixto non potest aliud mixtum provenire. Probatur minor quoad primam partem quia experientia constat aquam ex igne extrahi posse; 2dum quia in calice consecrato siquidem aqua affunditur, deberet non manere vinum sed aliquid à vino distinctum. Resp. Si aqua est modica, convertitur in vinum sicut vinum in aquam si illa copiosior fuerit. Si æqualiter, diu in se agent, et tandem alterum superabit vel specie distinctus liquor prodibit. Dico 4to Mixtio ita peragitur: Elementa minutatim commiscentur ita sicut solet commisceri balsamū cum Resina liquefacta. Sic commixta Elementa in se invicem agunt ac agendo ac reagendo qualitates primas in se remiscunt seu refrangunt; earum qualitatum refractione posita, resurgit ex illis sic refractis complexio seu temperamentum mixti quod non est quid distinctum ab aggregatione quatuor ~~Elementorum~~ qualitatum primarum refractarum. Hoc Temperamento posito per rationem insinuationis seu refractionis qualitatum in illis Elementis ita conditis forma substantialis distincta à formis elementalibus producitur, quæ forma mixti vocatur. Hæc Elementorum illorū materiis unita constituit compositum mixtum, ut est aurum, ferrū planta, animal etc. Dico 5to Temperamentum aliud est æquale ad pondus, aliud æquale ad justitiam. Æquale ad pondus dicitur in quo omnes 4tuor qualitates gradibus sibi sunt similes, nempè in quo calor ut 4 Siccitas ut 4, humiditas ut 4. frigus ut 4 reperitur cum tali temperamento mixta dari non repugnat, et fortè de facto dantur. Temperamentum Æquale ad justitiam illud dicitur quod licet non in æqualibus gradibus qualitates primas habeat, habet tamen eas in gradibus iis quos de facto exigit, talia mixta ferè omnia sunt.

Articulus Tertius.

An in mixto formaliter Elementa maneant?

Suppono sensum quæsiti esse hunc: Quandò in Elementa inter se commixta et alterata forma nova, nempè forma mixti introducitur. Utrum Formæ substantiales Elementorum ipsis Elementis propriæ maneant cum ista forma nova, an verò pereant sicut forma ligni succedente forma ignis. v. g. Aurum est corpus mixtum habens formam mixti id est hominis forma substantialem distincta specie à quavis forma cujusvis Elementi. Quæritur ergo Utrum cum ea forma propria ipsi auro etiam ibi sit loco dispositionis vel alicujus conditionis requisitæ forma terræ, forma aëris, forma aquæ, et forma ignis? Brevius quæri solet utrum ibi sint Elementa formaliter id est quoad

id est quoad suas formas substantiales, vel certè virtualiter tantum id est quoad suas primas qualitates ex quibus temperamentum mixti coalescit. Dico Elementa in mixto virtualiter tantum manent seu quoad idem est Elementa in mixto non manent Actu sed potentia propter qualitates enim primas in mixtum ad temperamentum venientes facilè est ex mixto Elementa iterum fieri, seu facilè est mixtum in Elementa resolvi. Probatur: quia si Elementa Actu et formaliter in mixto manent vel se adinvicem penetrant, vel non. Non potest dici primum quia quodvis Elementum habet suam quantitatem. Si secundum dixeris, ergo in homine vel ligno una pars est tantum terra, altera tantum ignis, tertia tantum äer, quarta tantum aqua; quod falsum esse experientia docet. Quis enim non videt omnes partes ligni esse lignum, omnes partes papyri esse papyrum. Deindè ubi est calor ignis in papyro, ubi äeris subtilitas in ferro etc. Præterea si in pulvere tormentario est ignis formaliter, quare non accenditur? Si in carnibus est quarta pars ignis, quare illas coquimus et assamus? Si in homine est äer, ignis, terra, quare non potius sursum cum äere et igne, sed deorsum cum terra cadit. Dixi tamen in mixto virtualiter Elementa manere seu potentia, quia virtutes seu qualitates Elementorum quæ facilè formas suas recuperare possunt, manent in mixto nempè primæ qualitates, imò etiam 2dæ ut est gravitas et levitas. Nam mixta ipsa alia sunt gravia magis, alia minus ut patet in plumbo et pluma. Dices 1: Mixtio est miscibilium alteratorum unio. Si alteratorum. E. Non destructorum. Ergo miscibilia manent in mixto tantum alterata. E. Actù manent quoad substantiam. R. mixtio est unio miscibilium alteratorum efficaciter, ita ut ex alteratione miscibilium tanquam ex causa efficaci substantiarum formarum mut. consequatur. Con. Ante. Mixtio est unio miscibilium alteratorum inefficaciter id est ita ut miscibilia alterata per qualitates quibus alterantur non producant formam mixtam destructis formis Elementalibus Ne. Ant. & Conseq. Dices 2: Etiamsi efficaciter miscibilia alterentur sufficit formam mixti produci, non est autem necesse formas Elementorum corrumpi. Nam formæ Elementorum sunt subordinatæ formis mixtorum. R. Ne. Formas Elementorum subordinari formis mixtorum. De facto enim aliquæ Formæ mixtorum aliquorum sunt viliores Formis Elementorum quis enim dicat formam fimi, non esse viliorem formâ ignis. Dices 3: Si Elementa Actu non manent in mixto. E. Mixtum erit æquè simplex corpus atque Elementum. R. Non erit æquè simplex substantialiter quia habebit materias Elementorum; neque erit æquè simplex accidentaliter quia qualitates habebit omnium Elementorum in suo Temperamento. Instabis: materiæ Elementorum sunt ejusdem rationis atque est materia unius Elementi. Accidentia Elementorum omnium possunt esse in uno Elemento tam aqua cum non sit humida in summo habet humiditatem et siccitatis aliquid si illam aliquantum calefacias habebit præterea frigus et calorem. E. mixta æquè erunt simplicia atque Elementa. R. Etiamsi materia Elementorum sit ejusdem rationis, tamen in mixtum ita veniunt ut non fuerint ejusdem rationis completæ, nam specie completa differebant per formas Elementorum quandò in mixtum veniebant, quod sufficit ad tollendam simplicitatem substantiæ rigorosam. De Accidentibus R. In uno Elemento posse omnia reperiri; sed non ita castigata seu refracta sicut in mixto. Et deinde non est etiam certum quam mixtum debeat esse minus simplex quam Elementum. Dices 4: In mixto manent Dispositiones sufficientes ad formas Elementorum conservandas. E. In mixto manent Formæ Elementorum. Ante. probatur in fervente oleo est calor magnus et siccitas pro ignis forma, est humiditas et calor pro aeris forma. R. N. Ante. Ad probationem R. Licet in oleo calor fortè sit sufficiens, siccitas non est sufficiens et raritas pro forma ignis. Hæc in libros de Generatione.

Disputatio Octava
De
Meteoris

Immediatè

Immediate ante egimus de mixto Perfecto in quo formis Elementaribus ascendentibus nova forma Substantialis introducitur. Hic agemus de mixtis imperfectis in quibus formæ Elementorum non corrumpuntur, neque novæ formæ substantiales introducuntur. Est tamen notabilis varietas in qualitatibus primis, in Raritate et Densitate, in Gravitate et Levitate, ejusmodi mixta vocantur meteora id est in sublimi pendentia conspicua quia in aëre maximè generantur. De his Aristot. quatuor libros conscripsit. Nos totam Doctrinam unicâ hac Disputatione absolvemus.

Articulus Primus
De
Causis, Locis et Temporibus Meteororum.

Dico 1. Causa Meteororum materialis, alia est remota; alia proxima. Causa Remota est potissimum Terra et Aqua quia ex istis potissimum extrahuntur vapores et exhalationes. Materia proxima Meteororum sunt vapores et exhalationes. Jam verò vapor est corpus subtilius humidum et calidum virtute Solis ex aqua aut alio corpore humidum extractum in aëris regionem infimam et mediam. Exhalatio autem et corpus subtilius siccum et calidum in solis ex terra extractum. Differunt ergo specie Vapor et Exhalatio quia exhalatio est Substantialiter Terra, vapor substantialiter aqua vel corpus aliquod humidum. Differunt item accidentaliter quia vapor est humidus, Exhalatio sicca. Loco Generis vapori et exhalationi ob penuriam vocum vapor seu Exhalatio ut sic assignari solet. Dico 2 Causa Formalis Meteororum nulla est peculiaris. Nam illa quæ ex solo vapore fiunt, sunt substantialiter formaliter aqua, quæ ex exhalationibus sunt, formaliter terra, quæ ex utroque sunt formaliter aggregatum ex terra et aqua. Ex quo patet meteora accidentaliter differre ab Elementis, nempè figura, varitate & similibus. Dico 3: Causa Efficiens Meteororum præter causam primam est etiam cœlum et astra quæ terram et aquam calore vel aliis influentiis rarefaciendo subtiliores partes quas vapores seu exhalationes vocamus evocant sursum utpote leviores vel certè dicta astra Elementum adstringendo vapores et exhalationes exprimunt ut fortè hyeme cum aqua contingit, ipsæ etiam formæ substantales Elementorum quando se reducunt ad connaturalem statum, imò primæ ipsæ qualitates Elementorum sunt quandoque causæ Meteororum Vapores et Exhalationes dictas producendo. Antiperistasis similiter Angeli item boni et mali Activa passivis applicando meteororum causa efficientes esse possunt, unde veneficii ventos et pluvias excedunt. Dico 4: Causa Finalis naturalis meteororum est expurgatio Elementorum. Vaporibus enim evocatis aqua et terra evadit purior. Est item causa Finalis terræ fertilitas, ex vaporibus enim evocatis pluviæ fiunt terræ fœcundantes. Finis præternaturalis seu supernaturalis Meteororum est cognitio potentiæ et Magnificentiæ Divinæ, præcognitio futurorum. Unde quando cometam videmus, mala omnia ominamur. Dico 5: Locus ubi meteora nascuntur maximè sunt tres Regiones aëris. Aër enim in Tres Regiones dividitur. Una est suprema Regio sphæræ igneæ adjacens et deorsum versus descendens seu protensa. Porrò tantum protenditur quantum calor Solis è vivis attingit ex aëre vehementius illum calefaciendo. Unde Regio ista non est æqualis crassitiei. Nam versus Boream et versus Polum Antarcticum est tenuior ob majorem Solis calefacientis distantiam. In hanc Regionem ascendunt exhalationes sicciores quæ eam magis adhuc madefaciunt. Infima aëris Regio est terræ adjacens sursum ascendens tantum quantum reflexio radiorum Solarium ascendit. Hæc regio communiter est temperata, hyeme tamen ob Solis distantiam frigidior: neque hæc est æqualis crassitiei ob reflexionis exiguitatem in partibus Borealibus et Antarcticis. Hæc Regio abundat vaporibus et Exhalationibus è terra aquaque per eam sursum ascendentibus. Denique est tertia Regio aëris media inter

Tres Aëris Regiones.

inter infimam et supremam perpetuò frigida, attingunt ea montes altissimi perpetuis
frigus in ea Regione creatur à vaporibus ad frigus connaturale se ibi reducentibus, tum eam Regionem
neque reflexio radiorum attingat, neque sphæra ignea et Solita bene in eam sicut in supremam Regio-
nem agat, recipit et hæc Regio Vapores et Exhalationes ascendentes. Dixi meteororum Locum
maximè esse aëream, nam nascuntur in terra sulphurea meteora, in aquis salsa, nitrosa, in ignea Regione
quia vapor et exhalatio est gravior quàm ignis Meteora locum non habent, in cœlo multo minus quia
incorruptibilitas et densitas nullos vapores admittit. Dico 6 Tempus meteoris generandis aptum
et Autumnus quia æstate vapores et exhalationes nimio calore vix à terra elevati consumuntur, hye-
me pori in terra et aqua clauduntur, ne vapores et exhalationes facilè mittant, quanquam etiam
certa meteora æstate nascantur, ut pluvia, fulgura, hyeme verò glacies, nives.

Articulus Secundus.

De Meteoris quæ ex Vaporibus prodeunt.

Nubes: Materia earum est Vapor, efficiens Sol calore vapores in mediam aëris Regionem trahens et
frigus mediæ Regionis vaporem addensans per Antiperistasin in rotundam Figuram se nubes colligunt, vel
communiter sphæricam figuram imitantur, et ita nubes est vapor frigore addensatus. Calor nubium est
triplex. Primus Albus, tales nubes sunt steriles quia habent admixtas exhalationes vaporibus, unde carent
mole sufficienti ad progenerandam pluviam et gravitate ad eam præcipitandam. 2dus Niger quan-
do in Nube vapor est magis densus et exhalationem supra se habet et non ita benè permixtam, tales nu-
bes grandinant et tonant. 3tius Puniceus quandò prævalent exhalationes, tales nubes fulgurant et
tonant. 4tus Subviridis habens cum exhalationibus sulphureis vapores et nitrosis; tales nubes sunt
fulminum feraces. 5tus Rubeus quæ est ob repercussionem radiorum; solis Serenitatem despondet.

Pluvia: Materia pluviæ sunt Nubes, Efficiens causa est Frigus, Aëris vaporem nubis condensans et ad pri-
stinum statum aquæ reducens quæ aqua orbiculatim cadit quia per Antiperistasin vapor se in sphærulas colligit
rat. Pluvia est duplex. Alia vocatur imber et est pluvia minuta. Alia vocatur Nimbus et est pluvia habens gut-
tas grandiores. Cadunt quandoque cum pluvia pisces vel ranæ, ferrum, lapides ut passim Historici referunt.
Hoc fieri potest ex varia permixtione vaporum. Possunt enim in secunda aëris Regione varia mixta etiam
perfecta ut est ferrum et lapis, possunt item et animalia quæ ex putri nascuntur, coalescere. Quandò sangui-
ne vel lacte pluisse dicitur, non fuit tunc verus sanguis vel lac; sed tantum pluvia rubei vel albi coloris
qui rubor vel albedo ob permixtionem qualitatum primarum debitam potuit in illa pluvia suboriri. Signa
pluviæ ex Conimb. colligi possunt hæc: 1 Sol Serenus oriens vel occidens Serenitatem significat. 2 Si par-
tem orientis Rubedo manè colorat cum aliqua Nigredine pluvia indicatur. Si vesperi rubedo stringit occa-
sum, Serenitas Speratur. 3 Sole pallescente pluvia Speratur, pallor enim hic ex repercussione est ad nubes ro-
cidas. Solis et Lunæ Rubedo significat ventos propter exhalationes adustas activè venti causa.
Albedo Solis est candor nativus serenitatem designat, unde illud:

Pallida Luna pluit, Rubicunda flat, Alba serenat.

4 Sol quandò grandiusculus apparet vel stellæ majores quam alias, pluvia erit. Hoc enim fit ex vaporum
copia. Sicut enim per perspicilia, ita per vapores Sol et stellæ majores apparent, inde etiam est quod
Sol quandò oritur major appareat quàm quandò est in meridie. Idem est quandò Sol altius Solito super
horizontem

Ante adventum meum huius cursus initium est factū nempe in Majo Anno 1644. Sed ego hoc anno Cracoviā veni; in Octob. D. 29.

228

CURSUS

PHILOSOPHICI ARISTOTELICO-SCOTISTICI.

In Illustrissima et Florentissima Universitate Cracoviensi ad Veram Germanamq́ Aristotelis et Subtilis Doctoris Scoti mentem traditi

PARS PRIMA CONTINENS

LOGICAM

et ea quæ purè ad eam referri possunt

A B

Excellentissimo & Doctissimo

M Luca Piotrowskij.

~~Dictata ...~~

Anno Post mundum Redemptum 1641.

Die. 10. Mensis Aprilis.

Sub Auspiciis Per Illustris et Admodū Reverendi Domini D. Jacobi Najmanowicz J. V. D. Can. Cracov. Vniū Recto: Vigil. qui hoc ipso anno Inter mortales ēe desiit.

Symb.

DEUS ADIUTOR MEUS.

Vivit post funera Virtus.

Sum Christophori Schurabii. Dantiscani Prut.

X

Σὺν τῷ θεῷ καὶ χριστῷ

PRÆFATIO

Antequam tuo genio, cui nostrum correspondere ardet ingenium Audit. Optim. aut famelico lautas et exquisitas cum Evandro vel Alcinoo instruere epulas: aut sitibundo liquefactas cum Cleopatra propinare gemmas, aut curioso tanquam Homerico Heroi artificiosa quibus tui reoverentur oculi et delectentur affatim cum Menelao pro onere opera aut vera non vana gloriæ. Solidæ non fucata scientiæ pergvam, studiosos sibi singulos triumphantes modum ac rationem monstrare incipimus, antequam scilicet ipsa Philosophiæ nostræ Arcana ad honorem DEI, Ecclesiæ Decus, tuam utilitatem ac delectationem toto coelo favente tradenda et explicanda accedimus, hæc pauca quæ tibi nostri animi canit Orpheus accipe præludia cum Deo bono.

Quid Philosophia, Philosophus quis verè dicatur.

Inter alias Definitiones Philosophiæ, quales sunt istæ: Philosophia est Amor Sapientiæ. Philosophia est mortis contemplatio. Philosophia est Divinarum Humanarumque rerum cognitio. Philosophia est laudatarum artium fasciculus. Philosophia est perfectio Animæ humanæ. Philosophia est Entis Scientia et veritatis cognitio etc. magis nobis placet ista: Philosophia est rerum sicut sunt, cognitio. Similiter Philosophus est ille qui rerum cognitionem ita ut sunt, non autem alio modo sibi comparavit. Verborum (sicut sunt) triplex est sensus. Unus: rerum ut sunt id est rerum in communi et universali, seu rerum universalium, quia res universales sunt perpetuæ, singulares verò sæpè intereunt. 2dus rerum ut sunt id est rerum per sua attributa et prædicata essentialia. 3tius cognitio rerum ut sunt id est per suas causas et principia. Nam res creatæ sicut habent suum esse per causas, ita etiam tunc cognoscuntur ut sunt cum per easdem causas cognoscuntur seu: cum earum causæ intelliguntur quia nosse causam rei alicujus est illam verè cognoscere sicuti est. Hic tertius sensus rem maximè nostram explicat, nam philosophari nihil est aliud quam cognito effectu causam ipsius indagare: sicut admirari nihil est aliud quam nosse effectum, causam verò ipsius ignorare. Et certè ipsa Philosophia hinc ortum suum accipit juxta illud (Post admirari cœperunt homines philosophari) id est ex notitia effectuum et ignorantia causarum incœperunt causas illarum indagare rerum. Porrò hanc Doctrinam quam nos vocamus Philosophiam, græci vel veteres vocabant Σοφίαν et quos modo appellamus Philosophos, eos illi appellant Sophos id est Sapientes.

mutationis

mutationis autem istius in his nominibus Author fuit Phythagoras Samius. Hic enim primus videns nomen Sophi non carere arrogantia et odio quum Rex Philasiorum Leontius admiratus ejus orationem doctam et eruditam quam coram ipso habuit, quæreret ex illo in quanam Arte esset Sophus vel Sapiens. Redit modeste se non esse Sophum ut Sapientem; sed Philosophum id est Sapientiæ studiosum. + Atque hinc nomen Sophi in nomen Philosophi, et nomen Sophiæ ⊕ mutatum hucusque retinet. ⊕ in nomen Philosophiæ

+ Nam φίλος amorem et σοφία sonat Sapientiam.

Circa quas Philosophiæ Partes et quanto Tempore morabimur.

Philosophia juxta plurimos in practicam et Speculativam dividitur. Sub Practica continetur Ethica, Politica, Oeconomica et Aliæ. Sub Speculativa autem: Physica, Metaphysica, Logica et omnes Mathematicæ Disciplinæ. Nos intermissa Philosophia Practica et omnibus mathe. disciplinis (Neque enim intra cursus Philosophici Vladislaviani cancellos claudunt) Circa Logicam, Physicam & Metaphysicam toto isto biennio (si primo rerum PRINCIPI placuerit) versabimur, et quidem Logica 1ma. Physica cum Libris de Cœlo, de Generatione et de Anima secundam cum tertia: Metaphysica 4tam commutationem consecrare statuimus. Ita ut secunda commutatione Libri 8 Physicorum, 3tia verò Libri de Anima absolvant. Libri autem de Cœlo et Generatione aut in fine 2dæ, aut ab initio 3tiæ commutationis pro opportunitate Temporis tradant.

Quas materias et quæ dubia simus traditur.

Qui dixit illud (Ars Longa, Vita brevis) admonuit nos ne simus plus quam necessarium est prolixi. Sicut igitur fuerit sicut Rationes et Objectiones potiores atque firmiores adducere; ita etiam magis controversas et quas sæpius exercent ingenia tradere atque proponere materias. Neque propter hoc quispiam suo succumbat Animo, nam licet non omnia à nobis acceperit (quia hoc etiam ex impresso Authore haberi non potest), tamen per hæc quæ habuit ad alia quæ prætermittentur omnia intelligenda + quam fiet idoneus. Uti nec nobis omnibus quondam pueris totus Tullius, aut Virgilius aut Livius fuit explicatus, et tamen modo + ea quæ declarabant etiam illa quæ sunt prætermissa rectè cognoscimus.

Quæ sit nostra futura Methodus.

Quamlibet totius operis nostri partem (volumus autem esse quatuor scil: Logicam, Physicam, de Anima et Metaphysicam) in controversias dividemus. Nam quod aliis est disputatio, id nobis erit controversia. Deinde quamlibet controversiam per (plura) theoremata non tam divisam quam potius decisam et determinatam esse curabimus. Porrò magis nobis Theoremata arrident quam ipsæ quæstiones, propterea quia cum quæstio utramque partem contradictionis in se involvat, et dubium adhuc in Animo nostro re

nostro relinquat. Theorema verò unam tantum contradictionis partem arripiat et quasi definitivam Sententiam ferens, mentem nostram ad eã determinat, longè citiùs et facilius unusquisque opinionem nostram seu Sententiam statim ab initio ex ipso theorematis Titulo advertet quam si ipsam in contextu sub titulo (quaestionis) dubius et suspensus quaerere cogatur, praeterea ex Theoremate licet, si placet, facere Quaestionem praeposita particula, Utrum. Iam verò Theorema in 3 partes secabimus. In 1ma Notanda. In 2da Probationem Theorematis. In 3tia Objectiones et Solutiones afferemus. Praestat enim cuilibet Objectioni statim suam subjungere Solutionem quam Lectori ut ab una carta ad aliam volvat imponere necessitatem.

Quid in tradendo et docendo simus Servaturi.

Etsi Magnis et gravibus Viris sufficit ipsam Rationis seu Argumenti medullam et ipsum fundamentum etiam extra Formam Syllogisticam innuere, facilè enim ipsi possunt ex uno verbo caetera colligere, supplere et ad Formam revocare; tamen tyronibus quorum fauces necdum solidis cibis assuetae†, unde dabunt nobis veniam magna et excelsa ingenia, si autem aequipollenter nonnunquam propositiones ad probandum adduxerimus aut in disponendis et deducendis Argumentis paulo prolixiores fuerimus. Nam neque etiam nos id perpetuò sumus facturi, cogitamus quippe et tempori consulere et ipsi Auditori, exercendi ingenii facultatem relinquere. quoniam juxta Philosophum 3tio de Anima (necesse est intelligentem phantasmata speculari) unde est Animus nonnulla ubi opus erit similitudinibus et Signis exterioribus nonnunquam declarare.

† adeò durum obiicere solum non convenit, unde etc.

Axioma.

Quid in Auditore nostro requiramus.

Cupimus et medullitus exoptamus, illum esse 1. Probum quia in malevolam Animam non intrabit S. Sapientia, nam initium ipsius est timor Domini. 2 Laboriosum quia Superi omnia laboribus vendunt. 3 Vigilantem quia sicut iura vigilantibus favent, ita etiam Philosophia. 4 Attentum quia explicatio est lumen Lectionis et utique melior est vox viva Professoris quam sua mortua sunt scripta. 5 Assiduum†. Nam una Lectio alteram illustrat, et gutta cavat lapidem. 6 Facilem quia discentem credere oportet. 7 Patientem, nemo enim de repente doctus, paulatim summa petuntur:

† sanè desipit quisquis non ut audiat sed ut scribat venit, utique etc.

Qui cupit optatam cursu contingere metam
Multa tulit, fecitque puer, sudavit et alsit.

8 Fortem et Magnanimum quia: Tendit in Ardua Virtus itaut ei nulla via sit invia. 9 Ad Disputandum promptissimum tam privatim quam publicè quia vexatio dat intellectum vide monitum 2dum. Decimo In repetendo prudentem quia maxima est Ars, Artem Arte quaerere vide monitum primum. undecimo Bonae spei plenum.

Spei plenum qui à dabit una hora quod totis mensis denegavit. Qui turris sumitatem aut monti[...]tioris verticem petunt tardè et anhelantes illuc ascendunt, sed tandem mox plurima in mon[...] conspiciunt, planè hic idem accidit quod in natura evenire solet. Nam sicut à longe (quamvis [...] rei veritate species specialissima sit primum cognitum cognitione confusa via origin[is]) propt[er] proportionatam distantiam prius nobis aliquid apparet ut corpus, deinde ut Animal, tandem [...] homo, deniq[ue] ut hic homo, Petrus, Paulus. Ita in Philosophia 1° Generalissima. 2° minus generali[a] Specialia, tandem specialissima quæq[ue] et minima debent se tironi offerre cognoscenda. Sic e[t pe]regrinis dum appropinquant Cracoviæ, primo altiora ut templa et turres, deinde alia minora [...] stmodum minima quæq[ue] innotescunt. Monitum 1° Inter repetendum proderit maximè inter [cæ]tera quæ aliundè poterunt haberi ista duo observare 1° Singula vocabula trutinando, doctrin[am] datam clarius exponere, prætermissas propositiones supplere et ad Formam ubi opus est revocar[e] uti calamo est. Calamus facit moram; sed nobis maxime proficua, nam per ejusmodi morulas fit, ut sensus melius in[...] telligatur, menti magis imprimatur, dubia oboriantur, distinctiones et Axiomata innotescant. [...] sententia et opinio fortius et felicius per nos non modo proponatur; sed etiam ab impetu Advers[ari]orum vindicetur. 2° Distinctiones et Axiomata colligere eaq[ue] in excerptorum Libello un[...] duobus annotare eadem sæpius ac sæpius memoriæ inculcare, inspicere, consulere, trutinare et[c.] Sicut in narrando magis est copiosus ille qui scit centum quam is qui tantum decem [...] et exempla novit, et multo magis si noverit mille. Ita in disputando seu disserendo de rebus [...] dicit mille distinctiones, mille Axiomata et plurima theoremata plus poterit præstare [...] ille qui talibus est destitutus. v. g. Axiomata sunt ejusmodi sententiæ 1mum Quandocunq[ue] ali[quid] quid est Denominativè tale, et aliud Formaliter tale, standum est in eo quod est Formaliter ta[le]. 2dum Ut se habet simpliciter ad simpliciter ita magis ad magis et maximè ad maximè. 3tium Quandocunq[ue] aliquid est primo tale conjunctum cum alio posteriore, si potest ab illo separari, [a]d[h]uc erit tale. 4tum Quando quæritur: Excellentia unius ad alterum, non debet comparari op[ti]mum ad infimum; sed optimum ad optimum vel simpliciter ad simpliciter. 5tum Quod est causa causæ, est quoque causa causati. Distinctiones sunt v. g. Relatio est duplex: Alia intrinsecus adveniens quæ posito fun[da]damento et termino necessario exurgit. Alia Extrinsecus adveniens quæ insurgit non ex na[tu]ra e[...]

+ (cæteris paribus) quam ille etc.

Axiomata

natura extremorum sed virtute alicujus quod ab extrinseco advenit. 2da: Actus est duplex. Alius Formalis, alius Entitativus. 3tia Potentia est duplex. Alia Subjectiva, alia objectiva.‡ 4ta. Distinctio Triplex est: Realis, Formalis et Rationis. 5ta Definitio duplex: Univoca et Æquivoca, alia Quidditativa et per additamentum data. 6ta: Causa est duplex. 7ima: Inhærentia duplex est: Actualis et aptitudinalis. Harum distinctionum partes sunt per suas declarationes statim sunt exponendæ licet nos propter brevitatem eas omiserimus. Monitum 2dum: In Disputando oppugnans sua, Respondens sua, et uterque communia diligentissimè observet officia. Officia Respondentis sunt. 1 Respondens omnia fidelissimè resumat duabus vicibus, priore nihil Respondendo, sed tantum demonstrando quod Argumentum oppugnantis percepit, posteriore autem responsionem assignando. 2 Prius ad Formam si fuerit mala quam ad materiam respondeat. 3 Vera concedat falsa neget, ambigua distinguat, impertinentia transire jubeat neque aliter agat sine istis. 4 Axiomata item Authoritatem (si nihil ipsi defuerit) non neget absolutè sed limitet, explicet aut distinguat et sit cautus maximè ne sit truncata. 5 Dum aliquid negat, instantiam paratam habeat. 6 Oppugnantem ne ipse invitum à 4to vel 5to vel 6to syllogismo si ad ipsum inferendo semper negatas pervenerit revocet, nec etiam redire permittat nisi alio medio se uti velle profiteatur. 7 Partes distinctionis certas brevissimis verbis assignet et suo proposito prudenter accommodet. Sciat autem aliquandò medium terminum, aliquandò majorem extremitatem, aliquandò minorem esse distinguendam. Si medius Terminus distinguatur, tunc majoris et minoris propositionis distinctione assignatâ neget consequentiam v. g. Si ponatur talis Syllogismus contra nos: Causa productiva realis distinguitur realiter à suo effectu reali. Sed homo est causa realis productiva visibilitatis. Ergo Homo realiter distinguitur non verò tantum formaliter à visibilitate. Sic debet Respondens secunda vice resumpta majore dicere: Distinguo, causa duplex est: Alia per Emanationem, alia per creationem vel generationem, vel motum etc. Causa productiva realis per generationem, creationem etc. distinguitur à suo effectu, Concedo. Causa productiva per emanationem distinguitur à suo effectu, Nego.‡ Ergo homo realiter distinguitur à visibilitate Nego consequentiam. Si major extremitas distinguatur, tunc major propositio erit distinguenda. Minor Concedenda et conclusio distinguenda v. g. Omne Ens est bonum. Dæmon est Ens. Ergo Omnis dæmon est bonus. Distinguo bonum quà bonum dicitur dupliciter 1mo Entitati

‡ minorem. Sed homo est causa productiva visibilitatis per emanationem, Concedo, est productiva per generationem vel creationem, Nego. Ergo homo etc.

‡ 8tava. Potentia objectiva sumitur dupliciter 1mo pro Formali. 2do pro Substrato. gna Genus secundo intentionaliter acceptum sumitur dupliciter 1 ut modus id est in concreto. 2 ut Quid id est in abstracto. Harum etc.

Entitativè seu Transcendentaliter. 2do moraliter. Omne Ens est bonum Entitativè Concedo. Omne Ens est bonum moraliter Nego. Sed Dæmon est Ens concedo. Ergo Dæmon est bonus distinguo. Est bonus Entitativè concedo. Est bonus moraliter Nego. Si minor extremitas distinguit, tum major præmissa est concedenda, minor autem et conclusio distinguenda v. g. Nulla Ars est Scientia. Logica est Scientia. E. Logica non est Ars. Nulla Ars est Scientia Concedo. Logica est Scientia distinguo. Logica Docens est Scientia concedo. Logica Utens Activè est Scientia Nego. E. Logica non est Ars distinguo. Logica Docens non est Ars concedo. Logica Utens Activè est Ars Nego. Oppugnantis Officia. 1. Oppugnans si ipsi vera et clara negentur, non tamen vulgata Principia, tunc deficiente ostensivâ probatione ad impossibile ducat respondentem. Si verò ipsamet principia pervulgata negant, à disputatione abstineat quià contra negantes Principia non est disputandum. 2. In modis Affirmativis ex Subjecto. In negativis verò, modò ex Subjecto, modò ex prædicato rationes sumat assignando, aut Genus, aut Differentiam, aut proprium, aut aliquid aliud aptum. 3 Si Distinctionis partes non labefactant Argumentum, tunc impertinente distinctione suspensa adhuc suum propositum urgeat, nec facilè suum Argumentum deserat. 4 Contra eum qui non resumendo respondet non arguat ne se fatiget ita ut citò deficiat. 5 Distinctionem datam repetat et duas partes quæ negantur (semper enim duæ affirmativa et negativa solent evenire) sedulò consideret, et eam quæ est magis oppugnabilis pro fundamento et quasi conclusione accipiat illamq oppugnet.

NB Omnis Divisio est distinctio non è contra. Et omnis distinctio est non identitas.

Officia Utriusq nempe Communia Respondentis et Oppugnantis.

Primo modestissimè sese gerant, non tamen frigidè aut languidè quià clamorosa Disputatio viris magnis displicet, summoperè deindè sinistræ opinioni occasionem præbet, nam defectum argumentorum indicat, quæ si adsint quid opus est clamore. Rectè apud Aristophanem (si sapis, ne clama) præterea ostendit apud imperitos victoriam et vanam gloriam quæri. 2do in Forma omnia absolvant. 3tio Conversiones, modos Syllogisticos et alia in Summulis tradita novint. 4to Veritatem, non victoriam intendant nec se intelligere dissimulent quod contra eos facit. 5to Si consequentia negetur, videat utrumq ut ea ipsamet, non verò consequens alio modò probetur. 6to Quod semel est concessum, illius meminerint, nec ab una parte contradictionis ad aliam veniant aut ad aliquid aliud. 7timo Ut negata propositio inferatur semper procurent. 8avo Medium quo propositio negata est probanda considerent sic quoq majorem et minorem extremitatem. 9no A contrariis arguendo ut vera contradictio fiat advertant. 10. Unus alterius distinctiones et fundamenta præcognoscat et utorq sese invicem honorent absq ullo contemptu et affectu odii, iracundiæ et similium. 11. Uterq et timore et pudore

Cicero quodam in loco dicit: quidam In dicendo parum sunt exercitati; in clamando verò sunt benè robusti.

et pudore sub rustico abjecto et verecundiam minimè necessariam pulsâ magno Animo et audenti ad publicam Disputationem accedat et sciat tam amplam libertatem tyronibus ab initio datam esse ut sit eis licitum duos imò et unum tantum Syllogismum proponere aut dissolvere. Qui prima vice satisfaciet uni, altera, tertia et quarta satisfaciet pluribus Argumentis. Profecit poto Mithridates sapè veneno; et quidam vitulum prius ferendo, postea bovem ferre poterat. Nunquam benè qui prius nunquam malè. Pictores, Cythâradi, Organarii et alii Artifices licet ab initio rudes et risu digni, tamen accedente exercitio fiunt in Arte suâ maximi. Plus sapit et sapiet qui aliquid quam qui nihil tentat, aut et conatur. Porrò hoc exercitium Disputandi incipiant tempestivè quia, dimidium facti qui citò coepit habet. Auxilia ad disputandum habebit si licet non omnia, attamen quamplurima suae memoriae mandarit, theoremata et eorundem probationes, tunc quoque Axiomata et Distinctiones, non enim sunt nostra quae non tenemus nostrâ memoriâ. Monitum ~~[illegible]~~ 2dum. Tam in repetendo quam in Disputando privatim habeat Tres vel Quatuor vel plures arcto intimae familiaritatis vinculo conjunctos, quibuscum de iis rebus Philosophicis saepius agat, nunc oppugnando, nunc respondendo, nunc eosdem audiendo et si fieri poterit dirigendo et adjuvando, sic enim ingenium suum acuet, in sua sententia magis confirmabitur, ad majora excitabitur, praesentiam Animi comparabit, magna parte laboris levabitur, suum profectum et defectum agnoscet, errorem corriget, vel alium ab ipso revocabit, et alia his similia consequentur. In summa omnia, vel saltem quam plurima meminisse et ad usum revocare studeat et conetur sedulò†. Professorem vel magis Doctum consulat, et praemia sui laboris quae ipsum manent certissima patienter expectet.

† 3tem ores, laboret, professorem etc.

Cur subtilis Doctoris viam sequamur?

Etsi omnes opiniones et Sententias quas ab Ecclesia Orthodoxa et publicos Librorum Censores approbati docent et ingeniosis rationibus propugnant Authores, maximè tamen ii quos Sanctos et Patronos colimus, non modo magnifacimus et veneramur; sed etiam in Scholis perpetuò doceri, teneri, defendi et semper florere exoptamus. namque certissimum est apud nos illud (quicquid est extra fidem, probabile esto) Tamen Subtilis Doctoris Joannis Duns Scoti doctrinam et sententiam, quam tota Sanctiss. Seraphica Franciscana familia et omnes celeberrimae Universitates et Academiae summo studio tuentur et ex cathedris soli huic Doctori dicatis et erectis profitentur, longe aliis omnibus praeferimus illamque tanto magis et studiosius suscipimus, exosculamur et totâ mente amplectimur quanto suaviores atque fragrantiores ipsa tanquam ex purissimo et castissimo Mariani Bellatoris non cinere aut fortunata favilla; sed ingenio nata Lilia, toti Ecclesiae Orthodoxae semper affert et afflat odores, quam certè publicè profiteri inclytae et Sarmaticae juventuti Nobilissimae tradere et pro tenuitatem nostram propugnare jure meritissimo decrevimus. Namque nos ad hoc ipsum non modo superiorum nostrorum aperta et clara voluntas animusque noster mirâ suavitate et fragrantia huius doctrinae olim allexit, deindè copiosius

copiosius delibatis induxit, tum Majorum nostrorum totiusq Universitatis impulit Authoritas tum ipsis Doctrinæ Scotisticæ, sicut claritas et conformitas perpetua trapit, firmitas & soliditas manifesta invitavit: ita coelitus et humanitus cum approbatione data commendatio animavit, et lubet enim hoc ingenuè fateri, maxime firmissimaq ejusdem approbationis et commendationis Ratio et certitudo confirmavit.

Controversia Prima
De
Natura Logices.

Libuit et licuit aliis aliundè. At nobis placet initium sumere ab ipsis quam aggredimur Logicæ Naturam.✠ Primus itaq Labor noster Logicæ Natura, quam dum graves et magni laboriosè inquirunt viri, de ipsis Genere proximo, tum de Objecto, Fine, Necessitate et id genus aliis motas difficultates decidunt, hoc itidem et Nos, sed ut præmissis Theoremata. Quare in nomine JEHOVA sit:

✠ Cum enim minus nostra quam aliena pateant, neque palato nostro fam. fam glandes, aut lapidosa corna (sint licet fructus) quam tam castanea molles, mitia poma et mensis secundis accepta Basti sapiant, consulto a nos alibi manebit exul si cornus, pinaster cupressus & caprificus, ut oleam, corili, castaneam vites, juglandes et alia sativa plus coeli Solis, Soli & alimenti habendo, crescere & fructificare possint lætiora primus etc.

Theorema Primum.

Logica Docens et Utens passivè, non est Ars, sed Scientia et quidem quo ad omnes suas partes. E contra Logica Utens Activè est Ars, non verò Scientia.

1mum Notandum: Logica qua aliter vocatur Dialectica, item modus sciendi, Ars disserendi et Disputandi. Ars Definiendi, Dividendi et Argumentandi. Ars Artium. Scientia Scientiarum etc. est Duplex alia Naturalis, alia Artificialis. Deinde Artificialis alia Docens, alia Utens. Item alia Universalis, alia Particularis. Naturalis Logica nihil est aliud nisi ipsum Lumen naturale à natura nobis ingenitum quod ostendit nobis modum rectè apprehendendi, judicandi et discurrendi. Hæc (per naturale lumen intelligit ipse intellectus noster aut nudus, aut habitu primorum Principiorum, quæ sunt naturaliter nota, vestitus. Hæc Logica Naturalis non est Scientia. Logica verò Artificialis est Habitus labore acquisitus qui intellectui nostro inhærens dirigit ipsum ut absq errore suas exerceat operationes.

De Logica Docente et Utente.
Et aliis.

2dum Notandum: Habitus Intellectuales sunt quinq: Intellectus Scientia Sapientia, prudentia et Ars de quibus DEO dante in Libris de Anima. 3tium Notandum de Logices Genere proximo 4 Vulgo opiniones recensent. 1ma Philalpandi et veterum absolutè qui negant utramque esse Scientiam. 2da Mirtiæ et recentiorum utramq tenet esse Scientiam. 3tia Zabarella utentem affirmat esse Scientiam, Docentem verò negat. 4ta Scoti et aliorum Latinorum docentem Logicam, affirmat esse Scientiam, utentem verò negat, et hanc nos tenemus. Porrò Rationes pro opinionibus prioribus habent in objectionibus hujus Theorematis.

Probatio Theorematis.

Pars 1ma

Pars 1ma Theorematis (Logica docens non est Ars) probatur sic. Omnis Ars habet pro fine intrinseco opus. Logica Docens non habet pro fine intrinseco opus. Ergo. Major: Omnis habitus recta cum ratione factivus habet pro fine intrinseco opus: Sed Ars est habitus recta cum ratione factivus. Ergo. Major probatur proxima. Ad quod ordinatur habitus factivus, illud habet pro fine. Sed ad opus ordinatur. Ergo Opus habet pro fine. Minor proxima: Ad illud ordinatur habitus factivus quod per illum producitur. Sed opus producitur per habitum factivum. Ergo ad opus ordinatur habitus factivus. Minor proxima. Quia Aut per habitum recta cum ratione factivum producitur aliquid aut nihil. Si nihil Ergo Non est factivus. + Ergo. Illud secundum Nos est opus. Minor principalis. Si Logica Docens haberet pro fine intrinseco aliquod opus, illud nullum esset aliud nisi operatio directa. Sed operatio directa non est finis Logicæ Docentis intrinsecus; sed tantum extrinsecus. Ergo. Pro fine intrinseco non habet operationem directam Logica docens. Minor: Cui repugnat produci à Logica Docente, illud non est finis intrinsecus Logicæ Docentis. Sed operationi directæ repugnat produci à Logica docente. Ergo Operatio directa non est finis ejus intrinsecus. Minor proxima ab eo quod in sola Speculatione consistit repugnat produci operationes directas. Sed Logica Docens consistit in sola Speculatione quia est speculativa (ut dicetur postea). Ergo. F Confirmatur. Nullus habitus Speculativus est Ars. Omnis Logica Docens est Habitus Speculativus. Ergo. Logica Docens non est Ars. Major: Omnis Ars est habitus Practicus seu Operativus id est vel dirigit praxim, vel producit aliquod opus. Sed nullus habitus Speculativus est practicus vel operativus. Ergo. Nullus habitus Speculativus est Ars. Probatur 2. Logica Docens est Scientia ut ex probatione secundæ partis hujus Theorematis patebit. Ergo Non est Ars. Conseq. impossibile est ut unus idemque habitus sit simul Ars et Scientia. Ergo. Si Logica docens est Scientia, sequitur quod non sit Ars. Ars: proximum Axioma. Diversorum generum non subalternatim positorum diversæ sunt Species et differentiæ. Sed Ars et Scientia sunt diversa genera et non subalternatim posita ut patet. Ergo. Artis et Scientiæ sunt diversæ Species. Subsumo. Sed Logica Docens est Species Scientiæ (ut est concessum). Ergo. Logica Docens non est Species Artis et per consequens Logica Docens non est Ars. 2da Pars Theorematis: (Logica docens est Scientia) Probatur 1. Logicus est sciens. Ergo Logica est Scientia. Consequentia. Ubicunque arguitur à concretis accidentalibus ad abstracta Accidentalia, non ultimatæ abstractionis in prædicatione per se est optima consequentia. Sed hic dum dico: Logicus est Sciens. Ergo. Logica est Scientia, arguitur à concretis Accidentalibus ad abstracta accidentalia non ultimatæ abstractionis in prædicatione per se. Ergo. Hic dum dico (Logicus est Sciens. Ergo. Logica est Scientia) est optima consequentia. Major patet inductione, v. g. album est coloratum. Ergo. Albedo est color. Dulce

+ Si aliquid. Ergo illud secundum etc.

F Logica docens non est Ars.

Dulce est quale. Ergo Dulcedo est qualitas. Antecd. 1mum Quicunque est demonstrative cognoscens, ille est Sciens. Sed Logicus est demonstrative causam cognoscens (quia scire est rem per causam cognoscere ex 1. Posteriorum). Logicus scit causas earum conclusionum quas novit. E. Minor quia scit causam cur in CELARENT, DARII aliis recte concludat. Item cur universalis affirmativa, in particularem affirmantem, non vero in universalem convertatur. Probatur 2do: Omnis facultas habens conditiones requisitas ad Scientiam. E. etc. Scientia. Sed Logica docens est facultas habens omnes conditiones requisitas ad Scientiam. E. etc. Minor: Facultas habet omnes conditiones in qua est Subjectum, et medium, et Passio demonstrabilis quia conditiones ad Scientiam requisitae sunt istae tres: Subjectum, medium et Passio. Nam ex 1 Poster. Scientia Demonstrativa consurgit ex tribus: sic: ex Subjecto, medio et Passione Demonstrabili. Sed in Logica est Subjectum, medium et Passio Demonstrabilis. Ergo Logica docens habet omnes conditiones requisitas ad Scientiam. Minor prox. Subjectum est Syllogismus universale, definitio est passio demonstrabilis nimirum constare ex tribus terminis in modo et Figura ordinatis prædicari de pluribus; est medium neppe Syllogismi definitio (Oratio in qua positis quibusdam necessario aliquid sequitur) esse in multis etc. Confir. Multa sunt in Logica Demonstrationes ut patet in organo Aristotelis ex quibus generatur aliquis habitus et nullus alius nisi Logica. E. Logica est habitus Demonstrationem acquisitus, si sic, E. est Scientia. PARS TERTIA THEOREMATIS (LOGICA UTENS PASSIVE NON EST ARS, SED SCIENTIA) Probatur: Logica Docens non est Ars sed Scientia (ut patet in prima et secunda parte hujus Theorematis) E. Etiam Logica Utens passive non est Ars sed Scientia. Consequentia: Sicut ratio Scientiæ convenit docenti ita etiam utenti passive convenit. E. Si Logica docens est Scientia, sequitur quod utens passive sit etiam Scientia. Antec. proxima Quandocunque sunt aliqua eadem realiter tunc prædicatum essentiale unius convenit alteri. Sed Logica Docens et utens passive sunt eadem realiter. E. Prædicatum unius convenit alteri. Subsumo: Sed Scientia est prædicatum essentiale Docentis Logicæ quia est genus ipsius. E. Sicut ratio Scientiæ convenit docenti ita etiam et utenti passive convenit. Minor ante subsumptum: Quia Logica Docens et Utens passive est unus idemque habitus realiter. E. Sunt eadem Realiter. Antec. prox: Quæ accidentaliter tantum differunt non vero Essentialiter sunt unus idemque habitus realiter. Minor prox: Usus vel applicatio Logices ad materiam est quid Accidentale ipsi Logicæ (nam Logica dupliciter consideratur) 1mo modo ante usum et applicationem, et sic vocatur Logica Docens quia sola præcepta sua tradit vel considerat absque ulla materia. 2do modo in ipsa applicatione et usu id est dum jam Actualiter certæ materiæ accommodatur et sic vocatur Logica Utens passive. Hinc patet usum et applicationem esse quid accidentale.

F Sed Logica Docens et Utens passive Accidentaliter tantum differunt.
Ergo sunt unus idemque habitus realiter. Minor prox.: Usus etc vid supra.

+ Ergo Logicus est Sciens. Minor proxima: Qui scit causam earum conclusionum quas novit, est demonstrative cognoscens (quia etc.

NB

NB Dupliciter Logica sumitur.

accidentale, sive enim omninò absit vel adsit iste Usus, Logica semper est in se Logica. Sed absente isto usu est Logica Docens, præsente verò est Logica Utens passivè. Quæres: Cur dicitur Utens passivè? R. Quià habet se passivè, non verò Activè, nam usurpat, non verò usurpat id est applicat, non verò applicat per verbum passivum, non verò Activum. Undè est alia Logica utens Activè quæ istam priorem seu Docentem seu Utentem passivè usurpat et certæ materiæ accommodat. Vide sequens Theorema. Pars 4ta Theorematis (Logica Docens est scientia quo ad omnes suas partes) Probatur: Facultas quæ procedit Demonstrativè ad probandas suas conclusiones in omnibus suis partibus et in iisdem tradit certam ac evidentem, non verò otiosam et probabilem Doctrinam est scientia quo ad omnes illas partes. Sed Logica Docens est talis. E. Minor: illa Facultas procedit Demonstrativè et tradit certam ac evidentem Doctrinam in omnibus partibus quæ in illis omnibus demonstrat proprietates per propria Principia. Sed Logica est talis. E. Minor proxima: inductivè quià in parte Topica probat probabilitatem. Topicus constat ex probabilibus. Nam Syllogismus constans ex præmissis probabilibus infert conclusionem Probabilem. Sed Syllogismus. E. Infert probabilem et per consequens est probabilis. Item in parte Analytica posteriori probat procedere ex necessariis quià Syllogismus constans ex necessariis aptus natus est inferre conclusionem necessariam. In parte sophistica apparentiam. In parte Analytica priori necessitatem Illationis. Item de Universali prædicabilitatem quià est in pluribus et sic de aliis omnibus. Pars 5ta Theorematis (Logica Utens Activè est Ars Liberalis non verò scientia) Probatur 1mo quod sit Ars. Omnis Habitus qui versatur elicitivè circa singularia et res à nobis operabiles est Ars. Sed Logica Utens Activè est habitus talis. E. Logica Utens Activè est Ars. Major vera est: quia Ars est habitus recta cum ratione factivus. E. Omnis habitus qui versatur etc. Hæc consequentia patet: Quià illæ res producibiles fiunt elicitivè ab aliquo Habitu productivo seu factivo qui vocatur Ars. Minor prima: Logica Utens Activè versatur circa Actus syllogizandi, Definiendi, Dividendi. E. Versatur circa singularia. Antecedens patet: Nam Logicâ Utente Activè se instructi, facilè formamus syllogismos, Definitiones et Divisiones juxta præcepta Logicæ Docentis. Consequentia: Actus Definiendi, Dividendi et Syllogizandi sunt singulares. E. Si Logica Utens Activè versatur circa illos, sequitur quod versetur circa singularia. Antecedens: proxima: Quæ fiunt et generantur, sunt singularia. Sed actus illi Definiendi, Dividendi et Syllogizandi fiunt et generantur. Ergo sunt singulares. Major: Generatio est singularium juxta Φilosophum. E. Quæ fiunt et generantur sunt singularia

Nota AB forte AD debet dici.

singularia. Dices: Habitus qui versatur circa singularia est duplex. Alius qui producit opus ab extra. Alius qui non producit ab extra sed ab intra. Ille prior est Ars non verò posterior. Logica autem est habitus ille prior non vero poste[rior] et ideo Logica Utens Activè non potest dici Ars. Contra Prob. Quod etiam ille habitus qui producit elicitivè opus ab intra sit Ars. Quia ille habitus est verè Ars cuius opus est verè artificiosum. Sed illius habitus opus qui illud producit elicitivè ab intra est vere Artificiosum. E. Ille habitus est verè Ars. Major: quia opus verè Artificiosum arguit et infert Artem à qua ceu à principio formali producitur elicitivè. E. Antec. prox. Quia inconveniens est dicere (hoc opus est verè artificiosum, et tamen ejus principium formale non est Ars) et maximè valet (est opus artificiosum. E. est productum ab aliqua Arte) Minor.

prima. Illud opus est verè Artificiosum in quo est ratio operis Artificiosi. Sed in opere habitus producentis opus ab intra est Ratio operis Artificiosi. E. Opus habitus producentis ab intra est verè Artificiosum. Minor prox: quia in omni opere quod est conforme Regulis Artis est Ratio operis Artificiosi (nam in conformitate ad regulas Artis, est sita Ratio operis artificiosi) Sed opus habitus producentis ab intra est conforme regulis Artis. (quia aliàs posset fieri sine Arte) E. In eo est Ratio operis artificiosi. Ex his patet (quod lÿ ab intra et ab extra, vel internum et externum) accidentaliter se habent ad opus neque ab ipsis pendet Ratio operis Artificiosi neq. per illa tollatur. Ex opere autem Artificioso licet concludere Artem et quod Logicæ Utentis Activè opus licet ab intra sit verè Artificiosum: quia habet rationem operis Artificiosi. Nam Logicæ Utentis Activè opera omnia sunt conformia Regulis quas Logica docens tradit, ideò Logica Utens Activè est Ars. Probatur 2do (QUOD SIT LIBERALIS) Omnis Ars in bonum Animi ordinata est Liberalis. Sed Logica in bonum Animi est ordinata (ut nempè rationem dirigat) E. Logica Utens est Liberalis Ars. Præterea omnis Ars Mechanica consumitur in operibus externis. Sed Logica Utens Activè non versatur circa opera externa† (quia tantum ista interna efficit: Syllogismos, Definitiones, Divisiones etc.) E. Logica utens Activè non est Ars mechanica (si sic) E. est Liberalis. Probatur 3tio Quod non sit SCIENTIA sic: Logica Utens Activè est Ars. E. Non est Scientia. Antecedens modo est probatum. Consequentia: Impossibile est ut unus idemq. habitus sit simul Ars et Scientia. E. Si Logica est Ars, sequitur quod non sit Scientia. Antec. prox. Quia Diversorum Generum et non Subalternatim positorum diversæ sunt Species et differentiæ. Vide 1mam partem Theorematis et ejus secundam probationem.

†*Sed tantum circa interna quia etc.*

OBIECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIONES.

OBIECTIO 1ma: (Logica Docens est Ars) Probatur 1. Omnis Habitus habens ea quæ requiruntur ad Artem

ad Artem est Ars. Sed Logica Docens est talis. E. Logica Docens est Ars. minor: Omnis habitus habens et materiam capacem directionis et Regulas per quas fiat directio illa, habet ea quæ requiruntur ad Artem. Sed Logica Docens est habitus habens et materiam capacem directionis et Regulas per quas fiat illa directio. E. Logica Docens habet ea quæ requiruntur ad Artem. Major quià duo tantum requiruntur. Unum ex parte materiæ ut habeat materiam <u>CIRCA QUAM</u> versatur capacem directionis. Alterum ut habeat certas Regulas per quas fiat illa directio. E. Habitus etc. minor quoad secundam partem est clara quià Logica habet Regulas. Quod ad ~~2dam~~ 1mam probatur quod scil. LOGICA HABEAT MATERIAM DIRECTIONIS capacem sic: (Operationes intellectus sunt capaces Directionis) E. Omnis habitus qui versatur circa directionem earum habet materiam capacem Directionis. Sed Logica Docens versatur circa ~~op~~ operationum intellectus directionem. E. Logica Docens habet materiam capacem directionis. Minor est clara. Major iam habet suam probationem intra parenthesin superius positam quæ probatio sic probatur: Operationes intellectus sunt capaces erroris. E. Eadem operationes sunt quoq. capaces directionis. Con~~firmatio~~sequentio clara quià: Quod est capax erroris, est quoq. capax directionis. <u>RESPONDETUR</u> Negando Amo minorem. 2do majorem 3tio Antec. <u>Ratio</u> quià præter illa duo scil: materiam et Regulas requiritur adhuc 3tium ut nempè ille habitus qui dicitur Ars. Physicè et exercitè introducat Formam in materiam capacem directionis non verò idealiter quod Logica Docens non facit quià solum docet dirigere seu dirigit Idealiter ~~quod Logica Docens non facit quià solum docet dirigere seu dirigit Idealiter~~ non verò Physicè aut exercitè. Probatur 2 Cujuscunq. speciei individuum est verè Ars, ipsa etiam Species illius individui debet dici verè Ars. Sed Logicæ Docentis individuum potest dici verè Ars. E. Logica Docens est Ars. major vera. minor probatur: Omnis notitia singularis attingens aliquod opus singulare est Ars. Sed Logicæ Docentis individuum est notitia singularis. E. est Ars. <u>RESPONDETUR</u>: Neg. minorem. Deinde distingu. majorem: Attingere opus dupliciter ~~po~~ dicitur: 1 Physicè id est exercitè id est elicitivè. 2 Idealiter id est directivè. Notitia singularis attingens opus Physicè et Exercitè est Ars Conced. Attingens Idealiter est Ars Neg. Ad minorem Sed Logicæ Docentis individuum est notitia singularis attingens opus singulare disting. Est notitia singularis attingens opus Idealiter Conced. Est attingens opus singulare Physicè Nego. <u>OBJECTIO 2da (LOGICA DOCENS NON EST SCIENTIA)</u> <u>PROBATUR</u> 1: Scientia est de necessariis et perpetuis. Sed Logica Docens non est de necessariis et perpetuis. E. Logica Docens non est Scientia. minor

minor: Habitus qui est de secundis intentionibus vel de alio quopiam Ente rationis, est de contingentibus (Quia secundæ intentiones seu Ens Rationis est contingens) Sed Logica Docens est de secundis intentionibus vel de aliquo Ente rationis. E. Logica est de contingentibus et per consequens non est de necessariis. Majoris Ratio probat: Quia ea quæ fiunt ad libitum nostrum sunt contingentia. Sed secundæ intentiones fiunt ad libitum nostrum. Ergo sunt contingentes. RESPONDETUR Distinguo majorem Necessaria sunt duplicia. Alia necessaria necessitate complexa. Alia necessaria necessitate incomplexa. Tunc sic / Scientia est de necessariis necessitate complexâ Concedo. Est de necessariis necessitate incomplexâ, Nego. Sed Logica Docens non est de necessariis (necessitate incomplexâ) concedo. Non est de necessariis (necessitate complexa) Nego. E. Logica non est scientia. Neg. Conseq. (Quid sit necessitas complexa et incomplexa alibi clarius dicet). Contra (Quod Logica non est de necessariis necessitate complexa) sic: Illis de quibus tractat Logica non convenit necessitas complexa. E. Logica non est de necessariis necessitate complexa. Anteced. Quibus convenit necessitas complexa iisdem convenit necessaria connexio (Quia necessitas complexa nihil est aliud nisi connexio prædicati cum subjecto necessaria, ut sic homo est Animal) Sed iis de quibus tractat Logica non convenit necessaria connexio. Ergo isdem non convenit necessitas complexa. Minor: Quia connexio inter ista de quibus agit Logica non est necessaria. E. Antec. prox: probatur: Connexio necessaria, non est connexio corruptibilis. Sed connexio inter illa de quibus tractat Logica est connexio corruptibilis. E. Non est necessaria. Minor prox: connexio inter extrema corruptibilia est corruptibilis. Sed connexio inter illa de quibus tractat Logica est inter extrema corruptibilia (Quia omnium positionum Logicalium extrema sunt corruptibilia ut patet) major proxima: Quidquid fundatur in fundamento corruptibili, est corruptibile (Quia destructo fundamento, tollit fundamentum) Sed connexio inter extrema corruptibilia fundat in fundamento corruptibili E. Est corruptibilis. RESPONDETUR: Neg. Antec. deinde minorem 3 Distinguo Antec. Connexio inter ista de quibus agit Logica non est necessaria (simpliciter) Conced. Non est necessaria (secundum quid) Neg. NOTES: Duplicem esse connexionis necessitatem et immutabilitatem. UNA est simpliciter quæ reperit inter extrema desitioni non obnoxia. ALTERA Secundum Quid; quæ illis convenit in quibus licet sint suâ naturâ corruptibilia ext invenit habit

-venit habitudo ad invicem talis, et ita vera ut nunquam possit mutari in falsam: et talem necessitatem secundum Quid habent propositiones Logicales, et sufficit talis ad Scientiam: alias valeret hoc quoque contra Physicam et Metaphysicam quià etiam illæ habent extrema corruptioni obnoxia. PROBATUR 2° Id quod est modus sciendi, non est Scientia quià ex 2 metaph. Absurdum est simul quærere Scientiam et modum sciendi. Sed Logica est modus sciendi, quià per modum sciendi in 2 metaph. omnes intelligunt Logicam. E. Logica non est Scientia. RESPONDETUR Distinguendo majorem. Id quod est modus sciendi (in recto et formaliter) non est Scientia Concedo. Id quod est modus sciendi (in obliquo et materialiter) non est Scientia Neg. Sed Logica est modus sciendi Distinguo: Est modus sciendi in Obliquo Concedo. Est modus sciendi in recto Neg. NOTES Quod modus sciendi prædicetur de Divisione, Definitione et Syllogismo in recto (id est in casu nominativo) ut sensus iste sit. Syllogismus nihil est aliud nisi modus sciendi. At verò de Logica modus sciendi prædicatur in obliquo (id est in casu Ablativo, vel Genitivo vel alio) ita ut sit sensus istius propositionis (LOGICA EST MODUS SCIENDI) hic et non alius: LOGICA est de modo sciendi. Seu: Logica est Scientia tractans de modo sciendi seu tradens modum sciendi. CONTRA (QUOD LOGICA SIT MODUS SCIENDI IN RECTO ET FORMALITER) Probatur sic: Modus sciendi prædicatur formaliter et in recto de Logica. E. Logica est modus sciendi Formaliter. Consequ. probatur Axiomate: A Propositione in Actu Signato ad propositionem in exercito Actu est optima consequentia v. g. (Animal prædicatur de homine. E. Homo est Animal) Antec. Quod inest Logicæ per modum superioris, prædicatur de Logica in Recto et Formaliter. Sed modus seu instrumentum sciendi inest Logicæ per modum superioris. E. Prædicatur de Logica in recto. Minor prox: Ratio formalis Logicæ, inest formaliter Logicæ. Sed modus sciendi est ratio formalis Logicæ. E. Inest formaliter Logicæ. Minor prox. ex 1° Topicorum: Ubi dicitur quod quæ in Logica docentur, sunt instrumenta administrantia aliis scientiis. R. 1. Antec. 2dam et 3tiam minorem Neg. et tandem ad Authoritatem dico: Aristotelem docere ibi quod modus sciendi sit potius materia Logicæ quam Ratio Formalis quià dicit quod Logica doceat instrumentum aliis Scientiis inserviens. PROBATUR

30m

PROBATUR 3 Omnis Scientia habet objectum certum et determinatum. Sed Logica non habet
objectum certum et determinatum. E. Non est Scientia. Minor ex 5 metaphys. ubi dicitur Lo-
gicam non tractare de re aliqua determinata. RESPONDEO Neg. minorem deinde etiam di-
Autoritatem
stinguo. Logica non tractat de re aliqua determinata (quo ad usum) Concedo. (Quia quo ad u-
sum versatur circa omnia indeterminatè et possumus eam omnibus Scientiis applicare, est en[im]
Scientia communis omnibus aliis inserviens) Non tractat de re aliqua determinata (quo ad do-
ctrinam id est non est de aliquo objecto certo) Nego: quià Logica omninò habet objectum cer-
tum neqe in tota sua latitudine modum seu instrumentum Sciendi: ut autem ab Aristotele
tradita Syllogismum. OBIECTIO 3 (LOGICA UTENS PASSIVE NON EST SCIENTIA) Probatur
Usus et applicatio non potest tribuere Logicæ rationem Scientiæ. E. Logica Utens Passive non
est Scientia. Antec. quià posterius non potest tribuere suo priori quidquam essentiale. Sed usus
quidquam
est quid posterius ipsâ Logicâ. E. Usus non potest tribuere Logicæ essentiale. Subsumo Sed Scientia
Ratio
est quid Essentiale Logicæ (quià est Genus ipsius) Ergo. RESPONDETUR Ne. Conseq. Quià non a[b]
usu Logica dicitur Scientia, sed aliunde, neq nos dicimus quod usus tribuat Logicæ rationem Sci-
entiæ sed tantum tenemus quod in uno eodemque habitu sint compatibilia ista duo Scil: ratio Scientiæ
et ratio usus. OBIECTIO 4 (LOGICA DOCENS NON EST SCIENTIA QUO AD OMNES SUAS
PARTES) Probatur In parte Topica et Sophistica non est Scientia. E. Antec. Ubi docetur modus de-
cipiendi et sophismata formandi Item modus procedendi ad conclusiones in omnibus + probabiliter osten-
dendas, ibi non est Scientia. Sed in parte Sophistica docetur modus decipiendi (quià ideò vocatur illa pars
Ars deceptoria) Item in Topica docetur modus procedendi ad conclusiones probabiliter ostendendas (ideò e-
tiam Topica dicitur procedere ex communibus) Ergo etc. RESPONDETUR: Antec. 1mum Neg. deinde
Disting. modus procedendi ad conclusiones probabiliter vel Sophisticè inferendas dupliciter potest doceri 1°
Demonstrativè per propria Principia. 2 Aliter quàm demonstrativè. Tunc Sic: Ubi docetur modus decipien-
di et procedendi etc (aliter quàm demonstrativè) ibi non est Scientia Concedo. Ubi docetur modus decipi-
endi etc (Demonstrativè) ibi non est Scientia Neg. Sed in parte Sophistica et Topica docetur modus etc Di-
stinguo: Docetur (demonstrativè) Concedo. Docetur (aliter quàm Demonstrativè) Neg. E. In parte
Sophistica et Topica non est Scientia Neg. consequentiam. Probatur 2: In parte priori Analytica non
est Sc[ientia]

+ Scientiis

est Scientia. E. etc. Antec. Ubi est Habitus Scientiæ, ibi omnes Actus procedentes ab illo Habitu Scientiæ sunt Scientifici. Sed in priori Analytica parte non omnes Actus sunt Scientifici. Ergo etc. Minor: Actus qui generant falsitatem, non sunt Scientifici. Sed in priori Analytica Actus plerique generant falsitatem. E. etc. Minor v. g. quia fiat Syllogismus talis (Omnis Leo est bos. Omnis Homo est Leo. E. Omnis Homo est bos) In hoc Syllogismo est benè formatus discursus secundum Regulas illius partis scil: in figura et modo. et tamen generat falsitatem. E. RESPONDETUR Neg. 1mum Antec. 2do minorem. 3tio minorem. et tandem Distinguo: In Syllogismo illo generari falsitatem (quoad materiam) Concedo. (Quoad Formam) Neg. Ratio quia duo possumus considerare in illo Syllogismo et in aliis similibus 1° Consequentiam. 2° Consequens. Unde licet non inveniatur in talibus Syllogismis Actus Scientiæ de ipso consequenti quoad materiam indicat, tamen invenitur Actus Scientiæ de Consequentia quæ formam concernit. OBIECTIO 5 (LOGICA UTENS ACTIVE NON EST ARS) Probatur Logica utens Activè est Scientia. E. Non est Ars. Conseq. Quia de una Specie non possunt prædicari quidditativè duo genera non subalternata. v. g. de homine non potest prædicari metallum vel Elementum sed tantum Animal. Antec. quia Logica Docens est Scientia. E. et Utens. Antec. patet. Conseq. probatur quia Logica Utens est unus idemque habitus realiter cum Logica Docente. E. Si Docens est Scientia, etiam Utens erit Scientia. RESPON. Neg. 1mo Antec. 2do Conseq. 3 Disting. Antec. Logica (Utens PASSIVE) est idem habitus cum Docente Conced. Logica Utens (ACTIVE) est unus habitus cum Docente Neg. Vide sequens Theorema.

THEOREMA SECUNDUM.

Logica Docens et Utens Passivè sunt eadem realiter: At vero Logica Utens Activè est Realiter et Specificè distincta à Logica Docente et Utente passivè.

1mum NOTANDUM: Præter Logicam Docentem et Utentem Passivè quam utramque omnes Scholæ nobiscum recipiunt, admittimus adhuc Logicam Utentem Activè quæ aliquis habitus est ab illis duobus distinctus realiter. Unde in prima parte Theorematis convenimus cum cæteris, in Secunda vero differimus sustinendo ipsam cum Mauritio Anglico, Tartareto, Mastrio et Belluto. 2dum NOTANDUM: Logica Utens Activè nihil est aliud nisi habilitas quædam et promptitudo quam acquirimus quando sæpius utimur Regulis Logicæ Docentis et est posterior Logica Docente et Utente passivè v. g. Dum juvenis accedit tanquam tabula rasa ad Logicam addiscendam. 1mo addiscit Regulas ipsius et cognoscit sæpius easdem trutinando, et sic dicitur habere Logicam Docentem. 2do easdem Regulas jam

Definitio Logicæ Utentis Activè.

regulas jam cognitas applicat ad aliquam certam materiam v.g. Physicam vel Theologicam et utitur Regulis cognitis, et sic dicitur habere Logicam Utentem passivè quia Logica illa quæ ante istum usum vocabatur in eo Logica Docens, modo accedente usu incipit in eo vocari Logica utens additur (passivè) quia usurpatur et applicatur non verò applicat aut usurpat. Dum autem utitur illis Regulis cognitis toties ac toties, mox per istos Actus frequentatos acquirit quandam aptitudinem ac promptitudinem quam nos vocamus Logicam Utentem Activè, ideò (ACTIVE) quia munus ipsius est istud ut postquam fuerit acquisita, faciat nos aptos ut expeditè, promptè et absque ulla difficultate utamur Logicâ Docente. [illegible] omninò hæc Logica Utens Activè est admittenda. Nam sicut 2 duplex in intellectu nostro datur difficultas seu Ignorantia. 1ma dum Præcepta Logica penè ignoramus ut patet in eo qui nunc Logicæ incipit studere. 2da Dum iis præceptis quæ cognovit necdum scit uti; sed modo primum incipit ea applicare: Ita Duplex quoque danda est cognitio seu facultas et promptitudo opposita illi duplici ignorantiæ et difficultati (1ma) vocabitur Logica Docens per quam tollitur prima ignorantia (2da) Logica Utens Activè per quam tollitur secunda difficultas. Nam licet quis optimè intellexerit aliquam Regulam logicam, tamen ab initio tardè et difficulter illam applicat materiæ, postea etiam sæpiùs eam utendo acquirit promptitudinem. In summa concipe ista tria 1 Studeat tyro Logicæ Regulis, en Logica Docens. 2 Applicat illas Regulas alicui materiæ et utatur ipsis in Theologia, en Logica Utens passivè. 3 Ex Actibus utendi multis, consurget facilitas et promptitudo quæ intellectum nostrum inclinabit ad similes Actus eliciendos, en LOGICA UTENS ACTIVE quâ instructi promptè et expeditè utimur Logica DOCENTE. Nam uti Logicâ possumus et tardè et promptè. Utimur tardè et difficulter dum caremus Logica Utenti Activè. Utimur promptè dum acquirimus nobis Logicam Utentem Activè.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS PRIMA THEOREMATIS (LOGICA DOCENS ET UTENS PASSIVE NON DIFFERUNT REALITER) Probatur: Logica Docens et Utens passivè est unus idemque habitus realiter et specificè. Ergo Non differunt realiter et per consequens sunt eadem realiter. Antec. quæ accidentaliter tantum differunt, Ergo sunt eadem realiter. Vide etiam partem 1mi Theorematis hujus controversiæ.

prima. Dices: Licet usus sit Accidentale quid ipsi Logicæ, tamen aufert à Logica rationem Scientiæ, atque sic Logica Utens Passivè non erit Scientia et per consequens non erit unus idemque habitus cum Logica Docente. CONTRA: Nullum prædicatum essentiale usus à Logica potest auferre. Sed Scientia est prædicatum essentiale ipsi Logicæ. Ergo. Minor: quia genus est prædicatum Essentiale respectu suæ speciei. Sed Scientia est genus Logicæ. Ergo. Major prima: Quia per nullum posterius

et accidentale)

posterius et Accidentale potest auferri prædicatum essentiale ab aliquo; sed ille usus est quid posterius (respectu Logicæ ut patet. E. PARS SECUNDA THEOREMATIS (LOGICA UTENS ACTIVE EST REALITER DISTINCTA A LOGICA DOCENTE) PROBATUR 1MO: Habitus qui ex Actibus Specie distinctis generantur, differunt specie. Sed Logica Docens et Utens Activè sunt Habitus qui generantur ex Actibus Specie distinctis. E. Logica Docens et Utens Activè specie differunt. Major patet: quia habitus extrinsecè ex Actibus specificantur et unitatem habent extrinsecam sicut et ipsi Actus ex suis objectis. Minor: Habitus qui generantur ex Actibus multis cognoscendi, et habitus qui generantur ex Actibus Utendi sunt Habitus qui ex Actibus specie distinctis fiunt. Sed Logica Docens generatur ex Actibus multis cognoscendi (quia dum sæpius unam Regulam Logicalem considero, tandem illius habitum contraho) Logica vero Utens Activa generatur Activè ex multis Actibus Utendi quia dum aliquis cognitis præceptis Logicæ utitur sæpius. Quæro per tales Actus frequentes aut generatur aliquis habitus, aut non? Secundum dici non potest: quia ex Actibus multis tam intellectus quam voluntatis semper generatur habitus et quædam relinquitur promptitudo. Si primum. E. Aut ille habitus est Logicæ Docentis, aut Utentis Activè. Non 1mum id est non Docentis (quia iam ille est comparatus et solam dicit cognitionem qua præcepta Logicæ cognoscuntur; hic verò Habitus comparatus ex actibus utendi dicit promptitudinem et facilitatem ut illa præcepta Logicæ facilè applicentur materiæ. E. Est Habitus Logicæ Utentis Activè) E. Logica Utens Activè & Docens sunt habitus qui generantur ex Actionibus specie distinctis. Major 2di Syllogismi. Quia Actus cognoscendi quo cognosco instrumentum specie differt ab illo Actu quo utor eo instrumento. E. Et habitus generati ex talibus Actibus debent specie distingui. Consequentia: quia habitus distinguitur per Actus. Antec. Quia prius cognoscitur instrumentum, deinde cognitum usurpatur nam incognito instrumento nemo potest uti. E. Actus etc. Dices illos Actus quo cognosco instrumentum et quo utor solo numero differre. Contra. Inter illa quæ solo numero differunt non est ordo et dependentia essentialis (quia individua ejusdem speciei non dependent ab invicem essentialiter) Sed inter istos Actus est ordo et dependentia essentialis. E. Isti Actus non differunt solo numero. Minor quia ita secundus præsupponit primum ut impossibile sit poni ipsum absque primo. E. Probatur 2do Illi habitus realiter differunt qui possunt ab invicem separari nec sunt simul tempore, nec eodem modo acquiruntur, nec unus alterius potest habere officium et quorum uno aucto alius non variatur. Sed Logica Docens et Utens Activè ita se habent. E. Realiter differunt. Major: Quia posse ab invicem separari aut alio tempore ~~[illegible]~~ et modo

autem et modo acquiri aut augeri alio non variato, sunt evidentissima signa realis distinctionis. E. illi differunt habitus realiter. Minor quia habitus Logicæ Docentis tradit præcepta, habitus verò Utentis non tradit. Docens potest haberi absq Utente, non è contra. Docens prius acquiritur, Utens posterius. Docens ex auditu et lectione vel studio Regularum, Utens verò usu et exercitio: Docens absq materia; Utens cum materia. Docens augetur utente non variata et è contra. Nam si quis sæpius versetur circa Regulam et ipsius sensum percipiat ut aliquam passionem demonstret de Syllogismo Universali etc. Augebitur in eo Logica Docens non verò Utens. E contra si sæpius eadem Regula utatur in materia Physica, augebitur in eo Logica Utens Activè. E. Confir. Omnis facultas organica dividitur in Docentem et Utentem, semperq Docens Realiter et Specie differt ab utente. Sed Logica est facultas organica seu instrumentaria ut patet. E. Dividitur in Docentem et Utentem, semperq Docens specifice differt ab Utente. Majoris prima pars probatur inductivè. Quia Scriptoria, frænefactiva, medicina et alia Dividuntur in Docentem et Utentem. E. Omnis facultas Organica etc. Secunda pars patet ex superiore prima et secunda probatione.

Differentia inter Logicã utentem et Docentem passivè.

PARS TERTIA THEOREMATIS (LOGICA UTENS ACTIVE DIFFERT SPECIE A LOGICA UTENTE PASSIVE) Probatur: Logica Utens Active differt à Logica Docente specifice ut patet ex secunda parte hujus Theorematis. E. Et ab utente passivè differt specifice. Conseq. Logica Docens et Utens passivè est eadem realiter Logica (ut patet ex prima parte hujus theorematis) E. si Logica Utens Active differt à Docente specificè, sequitur quod etiam differat ab utente passivè specificè. Conseq. hujus secundi Enthymematis. Quia quandocunq dantur aliqua duo quæ inter se sunt eadem realiter, tunc quicquid differt ab uno eorum, differt quoq et ab altero. E. si Logica Docens et Utens Passivè est eadem realiter, sequitur quod etc.

Axioma.

OBIECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIONES.

OBIECTIO PRIMA (LOGICA DOCENS ET UTENS PASSIVE non SUNT EADEM REALITER) Probatur quia alias sequeretur quod eidem Logicæ conveniret esse Docentem et esse Utentem. Conseq. falsum est. E. Et Antec. Falsitas probatur, esse Docentem et esse Utentem passivè non possunt eidem convenire habitui. E. Falsum est quod eidem Logicæ conveniat esse Docentem et esse Utentem. Antec. proxim. Prædicata opposita id est quæ sese tollunt et destruunt non possunt eidem convenire. Sed esse Docentem et esse Utentem passivè sunt opposita prædicata. E. Esse Docentem et Utentem passivè non possunt eidem convenire. Major inductivè quia album non potest esse nigrum, ~~calidum~~ ~~frigid~~

~~potest ... ignem~~, calidum non potest esse frigidum, nec dulce amarum. Ergo Opposita prædicata etc. minor Esse avulsam à rebus et esse conjunctam rebus sunt opposita prædicata. Sed esse Docentem est esse avulsam à rebus, item esse Utentem est esse conjunctam rebus. Ergo Esse Docentem et esse Utentem sunt opposita prædicata. RESPONSIO: Neg. π Falsitatem 2 Antecedens. 3 Disting. Ante. Opposita prædicata non possunt eidem convenire (in sensu composito) Concedo. Opposita prædicata non possunt eidem convenire (in sensu diviso) Neg. Sed esse Utentem ~~esse Utentem~~ et esse Docentem sunt opposita prædicata Concedo. Minorem Ergo esse Utentem et Docentem non possunt eidem convenire distinguo. Non possunt convenire (in sensu composito) Concedo: (in Sensu Diviso) Nego. Unde sicut manus est eadem realiter dum est separata seu avulsa à Cathedra et dum est conjuncta Cathedra et licet modo sit separata tamen potest esse conjuncta. Item sicut Aqua quæ modo est frigida, potest esse calida, licet in sensu composito nequeat esse frigida et calida simul. Ita et Logica est eadem realiter ut est Docens et ut est Utens passivè. OBIECTIO 2da: (LOGICA UTENS ACTIVE NON EST REALITER DISTINCTA À DOCENTE) Probatur π) Logica Docens producit Actus Logicæ Utentis Activè. Ergo Logica utens Activè et Docens non sunt habitus realiter aut specie distincti Conseq. Nam unus Habitus non potest producere Actum alterius habitus à quo est specie distinctus alias tales habitus et differrent et non differrent specie quod implicat contradictionem. Differrent ut tenetur, non differrent verò quià Actus ejusdem speciei solo numero distincti arguunt et indicant habitus à quibus producuntur esse ejusdem Speciei. Antecedens probatur. Illi Actus per quos tyrones incipiunt definire, dividere et Argumentari seu Syllogizare sunt Actus Logicæ Utentis vel Ergo producuntur à Logica Utente Activè; vel à Docente. Non primum: quià ab habitu non existente non possunt ulli Actus provenire actuales (Nam non existentis Actualiter nulla est operatio et nullus effectus) Sed in Tyronibus dum incipiunt Syllogizare, definire, etc. nullus existit Habitus. Ergo illi Actus non producuntur à Logica Utente Activè. Ergo Docens producit illos Actus quod est intentum. RESPONSIO: Antec. Neg. Probationem verò ejus distinguo quià Actus Logicæ Utentis Activè sunt duplices. Alii Generativi habitus et isti sunt priores habitu. Alii Generati ab Habitu et isti sunt posteriores Habitu. Tunc Sic: Illi Actus per quos tyrones incipiunt Syllogizare sunt Actus Logicæ Utentis Activè Distinguo Sunt Actus (Generativi habitus et priores habitu

habitu Logicæ utentis Activè) concedo. Sunt Actus (Generati ab Habitu Logicæ Utentis Activè posteriores ipso) Neg. Ulterius quandò quaeritur: Vel illi Actus producuntur à Logica Docente, vel ab Utente Activè? Dico quod non producantur ab Utente Activè quià illa necdum est comparata, imò ex his ipsis Actibus debet comparari; Sed producuntur ab ipso nudo intellectu cum solo auxilio regularum à Logica Docente traditarum quæ solum regulativè concurrunt ad eos et ideo cum difficultate producuntur, sed ista difficultas postmodum tollitur per habitum Logicæ Utentis Activè ex illis Actibus pluribus sensim comparatum. (Probatur 2) LOGICA UTENS ACTIVE NON POTEST ADMITTI. Ergo non potest dici esse distinctam realiter à Logica Docente. Ante. Nullum superfluum potest admitti. Logica Utens Activè est superflua. E. minor ille habitus est superfluus cujus totum officium propter quod solum talis habitus ponitur potest alius habitus obire. Sed Logica Utens Activè est habitus cujus totum officium propter quod ~~producit~~ ponitur potest alius habitus obire. E. Logica Utens Activè est Superflua. minor: Logica Docens potest obire totum officium Logicæ Utentis Activè Ergo Logica Utens Activè etc. Antec. Ille habitus potest obire totum officium Logicæ Utentis Activè qui potest reddere intellectum promptum et expeditum ad rectè operandum (quià Logica Utens Activè propter hoc solum ponitur ~~prout~~ ut reddat intellectum promptum) Sed Logica Docens ~~pot~~ potest intellectum reddere promptum et expeditum ad rectè operandum. Ergo Logica Docens potest obire totum officium Logicæ Utentis Activè. minor: Logica Docens inclinat ad Definiendum, dividendum et Syllogizandum et facilitat intellectum ad usum instrumentorum Logicorum Ergo Logica Docens potest reddere intellectum promptum etc. Antec. Per quem habitum Intellectus fit promptior ut definiat, Syllogizet et ut instrumentis Logicis utatur, ille habitus inclinat ad Syllogizandum et facilitat intellectum ad usum instrumentorum Logicorum. Sed per Logicam Docentem fit promptior ad Syllogizandum et ad hoc ut instrumentis Logicis utatur. Ergo Logica Docens inclinat. minor proxi: Per illum habitum fit intellectus promptus ad Syllogizandum et ad alia instrumenta qui ei ostendit quid sit Syllogismus et quomodo sit conficiendus. Sed Logica Docens est habitus qui ostendit intellectui quid sit Syllogismus et quomodo sit conficiendus. E. minor vera. major probatur: quià multo aptior et promptior est intellectus ad conficiendum Syllogismum postquam cognovit quid sit Syllogismus et quomodo confici debeat quam antea id est dum nondum cognoverat. Ergo etc. RESPONDETUR Neg. 1 Antec. 2 minorem. 3 minorem. 4 Antec. 5 minor. 6 Dist. Ant.

Facilitare

Facilitare et inclinare dupliciter sumi: 1° Idealiter, 2° Elicitive tunc sic: Logica Docens inclinat et facilitat intellectum ad Definiendum, Syllogizandum etc. Distingo: inclinat (idealiter) concedo. Inclinat (elicitivè) Nego. Contra (quod Logica Docens inclinet et facilitet etiam elicitive probatur sic: Omnis Habitus inclinat et facilitat elicitivè. Sed Logica Docens est habitus. E. Inclinat elicitivè. minor clara. major Probatur. Quidquid inclinat physicè, illud inclinat etiam elicitivè (quia physicè et elicitivè inclinare idem sonant et veram Actionem verumque influxum denotant) Sed omnis habitus inclinat physicè. E. et elicitive. minor proxima, Quia ideo habitus paratur ut promptius eliciamus Actus illius habitus. E. Antec. patet inductione in omnibus habitibus intellectus, voluntatis et aliarum potentiarum (quia Scientia ad Actus Scientificos, justitia ad Actus justitiae, Physica ad Actus physicos etc. inclinant) RESPONDETUR Duplices sunt Actus ad quos habitus aliquis potest inclinare. Alii proprii illius habitus ex quibus generatur vel quos generat (ut superius patet) Alii improprii seu alieni ex quibus non hic sed alius habitus distinctus generatur, Tunc sic: Omnis habitus inclinat elicitivè Distingo: Inclinat elicitivè (ad suos Actus proprios Scientificos) Concedo. Inclinat elicitive (ad Actus alienos) Neg. Sed Logica Docens est Habitus concedo minorem. Ergo Logica Docens inclinat elicitivè (ad suos Actus proprios Scientificos) concedo. Inclinat elicitivè (ad Actus alienos Scil. ad Actus Logicae Utentis Activè) Neg. Ratio quia omninò distincti Actus sunt cognoscendi quibus addiscimus Regulas Logicae ab Actibus Utendi quibus illas Regulas applicamus Definiendo, Syllogizando etc alicui materiae. Illi primi sunt purè Speculativi et generant Logicam Scientiam Docentem et sunt ipsius Actus. Isti verò Secundi sunt operativi et generant Artem Scil: Logicam Utentem Activè vel ab ipsa producuntur quare Logica Docens inclinat tam ad 1mos quam Secundos, sed aliter ad hos, aliter ad illos. Ad primos elicitivè et physicè scil: ad tradenda vel cognoscenda praecepta Logicae. Ad Secundos verò idealiter et regulativè quatenus intellectus quo magis scit praecepta Logicae Docentis, minus exponitur erroribus in arguendo. Sed Quaeres: Supposito Habitu Logicae Docentis et cognitione materiae Physicae vel Theologicae, eritne aliqua difficultas quominus facilè possimus definire et syllogizare an non? Dico Fore difficultatem quia adhuc cum difficultate praecepta Logicae Docentis ad materiam Physicam applicabuntur quam difficultatem Logica Utens Activè superveniens debet tollere. QUAERES iterum: An supposita illa Logica Docente et Physicâ in tyrone omni autem sublato alio Habitu tertio Logicae Utentis Activè possit produci Actus Syllogizandi nec ne? RESPONDEO per Distinctionem. Quod absque Habitu Logicae Utentis Activè poterit produci minus promptè; Sed absque Actu Logicae Utentis Activè non poterit (vide ad supra Argumentum Responsionem) dum autem dico absque

Marginal note: ‡ distinguo. Inclinat elicitivè ad suos etc.

dico absq Actu Logicæ Utentis Active, intelligo Actum qui præcedit habitum id est qui generat Habitum
non vero qui subsequitur id est qui generatur per habitum. Intelligo inquam Actum generativum habitus, non
verò generatum. Sed contra. Sufficiunt illi duo habitus Logicæ Docentis et Physices. E. Non requiritur
tertius Logicæ utentis Active. Antec. Quia ut quis benè arguat in Physica sufficit Logica Docens ut
dirigat Actum Syllogizandi, et Physica ut eliciat. Nam Logica Docens sufficit ad dirigendum, et Physi-
ca ad eliciendum. RESPONDEO: Sufficiunt illi duo Habitus ut benè Actus Syllogizandi producatur, sed
ut promptè et expeditè producatur, requiritur alius tertius habitus Logicæ Utentis Active, quià verò
tempore nondum est iste Habitus tertius comparatus, ideo non ipsum sed tantum Actum ipsius gene-
rativum ponimus qui scil: eum præcedit. INSTABIS: contra hunc tertium Habitum Logicæ Utentis
Active quià alias sequeretur quod tres habitus ad unum Actum Syllogizandi concurrerent quod videtur in-
conveniens. RESPONSIO: Concedo sequelam et ut inconveniens istud probes fortiter cupio. QUÆRES
Quomodo ergo illi Habitus tres ad illum Actum syllogizandi concurrunt? Dico Logica Docens concur-
rit Idealiter: Physica elicitive materialiter: Logica Utens active elicitive Formaliter. QUÆRES
porrò quid sibi velint ista? Dico in exemplo. Dat consul pictori telam ut in ea pingat Regis imagi-
nem, ad hanc imaginem producendam concurret Rex idealiter quià suam faciem pingendum mon-
strabit. Consul elicitivè sed materialiter quià telam subministrat. Pictor elicitivè sed Formaliter
qui à colores ponit in tela inspiciendo faciem Regis. Sic ad ~~Syllogizandum~~ Actum, Logica Docens idealiter
dat Regulas et monstrat iuxta quas debet formari syllogismus. Pysica elicitive materialiter
suppeditat terminos, scil: majorem et minorem extremitatem et medium. Logica Utens Acti-
ve elicitive formaliter quià terminos istos physicos juxta Regulas Logicæ Docentis disponit. NO-
TES pro eodem sumi (idealiter, imitabiliter, exemplariter, regulative et directivè) item (eli-
citivè, Physicè, exercitè, productive). Probatur 3) NULLUS ex Doctoribus (Authoribus) ponit realem Distincti-
onem inter Logicam Docentem et Utentem Active. E. Logica Utens Active non est realiter
distincta à Docente. RESPONDETUR 1mo Neg. Ante. Vide Notandum 1mum hujus Theorema-
tis. Item vide hac de re judicium præstantissimi Theologi et Philosophi Joannis Sanches ex SS. ordinis
prædicatorum qui (Quæstio: 1a) Sex proemiali in Logicam Aristotelis ab initio ante Tit. (præambula ad quæstio-
nem) edidit. RESPONDETUR 2do Neg. Conseq. Ratio: quià ab Authoritate arguere negative, solum
fortè apud Grammaticos licet, at verò apud Philosophos nequaquam. OBJECTIO 3tia (LOGICA UTENS
ACTIVE NON EST REALITER DISTINCTA A LOGICA UTENTE ~~Active~~ PASSIVE) Probatur: Habitus realiter distincti

distincti circa distincta objecta versantur et diversum finem habent. Sed Logica Utens Active et Utens Passive non versantur circa distincta objecta nec finem habent+ diversum. Ergo. Minor: quia utraque Utens Active et Utens passive prout est ab Aristotele+ habet pro objecto Syllogismum et pro fine intrinseco objectivo Syllogismum pro formali autem ipsam cognitionem ejusdem syllogismi. RESPONDETUR Neg. minorem. Ad probationem dico quod utriusque objectum materiale sit idem non vero Formale. Nam syllogismus à Logica Utente passive seu potius Docente considerat ut quid speculabile. vero Logica Utente Active ut quid operabile deinde finis Utriusque est diversus. Nam passivae seu Docentis est cognitio Syllogismi, Utentis vero Activae est operatio et constructio Syllogismi.

+ conscripta

THEOREMA TERTIUM

Logica Aristotelica OBJECTUM adaequatum materiale est Syllogismus. Formale vero est Syllogismus quà talis, id est, prout habet vim manifestandi ignota ex notis per viam illativam.

NOTES 1MO Dictum primum. Theorema istud potest aliter proferri sic: Logica Aristotelica objectum adaequatum materiale non est aliquid reale sed Ens rationis, non quidem in commune, neque ut ad Ens Logicum, vel secundam intentionem limitatam; sed ut ad Syllogismum vel argumentationem coarctatum. DICTUM SECUNDUM: Ens Reale est id quod est vel potest esse in rerum natura seclusa quacunque negotiatione intellectus. Sub hoc Ente Reali continetur DEUS GLORIOSUS, Angeli, Homo. Scientia, Artes, Species intelligibiles, intellectiones, volitiones et omnium potentiarum Actus, omnes res creatae et creandae vel possibiles ad creandum. Huic Enti reali opponitur nihil seu Nihilum id est NON ENS. DICTUM TERTIUM: Ens Rationis est id quod nec est, nec potest esse in rerum natura, et tamen ad modum Entis realis vel absoluti vel respectivi concipitur id est: ENS RATIONIS est id quod nec est in rerum natura eo modo quo Ens est Reale, nec potest esse eo modo quo est Ens reale, et tamen ad normam Entis Realis fingitur et cogitatur v. g. Ad modum paternitatis inhaerentis homini, vel ad instar albedinis inhaerentis parieti aut ad modum alicujus alterius Entis. Vel sic: Ens rationis est id quod objicitur vel potest objici intellectui ac si esset, cum tamen nec existat in rerum natura nec possit existere, quod nempe totum suum esse habet fictum mentale et objectivum. NOTES 2DO Dictum primum de Ente Rationis in Lib. de Anima (DEO dante) Hic plura oretenus quam calamo. Jam vero hic non accipimus Ens Rationis Causaliter seu effective neque 2do modo scilicet subjective, neque 3tio modo objective

objectivè sine dependentia ab intellectu quia quodlibet tale Ens Rationis 1mo, 2do et tertio modo acceptum
est vere Ens reale. Sed accipimus Ens Rationis quarto modo scil: objective cum merâ dependentia ab in-
tellectu et ejus negociatione ut nempe iam habet esse formale et Actuale non verò materiale et poten-
tiale. Nam duplex est Ens Rationis. Aliud materiale seu Potentiale seu Derelictum. Aliud For-
male seu Actuale seu à ratione factum et fabricatum. Dictum secundum Ens rationis objectivum A-
ctuale est id quod habet Essentiam et existentiam actualiter fictam ab intellectu. Ens vero rationis
materiale est illud cui talis essentia et existentia per intellectum ita fingentem non repugnat. Vel
sic: Ens rationis materiale est illud quod rationem formalem Entis rationis seu formalitatem ejus
Actu in se non includit, nec eam actualiter participat, potest tamen beneficio intellectus includere
et participare. Ens autem rationis Formale est id quod jam Actualiter formalitatem entis ratio-
nis in se habet quia scilic. iam Actu concipitur vel est conceptum ad instar Entis realis. Dictum Terti-
um. Ens Rationis materiale differt à Formali. Tum 1. Quia materiale connotat possibilitatem ad
concipiendum et denotat id quod potest concipi ad instar Entis Realis. Formale verò debet iam esse
Actu Ens rationis et illam possibilitatem ad Actum reductam. Tum 2 quia Entia rationis materia-
lia fiunt et per intellectum ejusque 1mam, 2dam et 3tiam operationem et etiam per voluntatem
sensus internos et externos in omnium enim harum potentiarum Actibus potest Ens rationis formale
fundari quatenus denominationes extrinsecæ per Actus earum potentiarum in objectis derelictæ
sunt concipi tanquam forma intrinsecè illis inhærentes. At verò Ens rationis formale tantum fit
per primam operationem intellectus. DICTUM QUARTUM: Pro exemplo Entis rationis materia-
lis imò et Actualis ~~Formalis~~ possunt statui privationes, negationes et omnes extrinsecæ Denominationes re-
ales, hæc enim omnia dicuntur Entia rationis materialiter et fundamentaliter eo quod possunt
intellectui exhibere fundamentum fictionis ut nimirum concipiat id quod non est ac si esset, et pos-
sunt hæc eadem omnia scil: Privationes, Negationes et extrinsecæ Denominationes transformari
in Entia Rationis formalia. Antequam ergo transformentur, dicuntur Entia rationis materialia,
postquam verò fuerit iam transformata, tum dicuntur Entia rationis Actualia. DICTUM QUIN-
TUM: Ens Rationis materiale transformare in Actuale nihil aliud est nisi per primam operationem
intellectus absolutam vel collativam, non verò per secundam aut tertiam fingere vel concipere id quod
non est, nec potest esse ad instar Entis alicujus realis id est Apprehendere Ens rationis materiale per con-
ceptus alienos et improprios non verò per proprios id est concipere aliquid aliter quam sit. v.g. Privatio cæ-
citatis

tenebrarum est Ens rationis materiale quia potest transformari in Ens Rationis Actuale, transformatur autem tunc quando ab intellectu concipitur ita per Aërem extendi sicut Lux extendit. Sic visio passiva parietis efformabit in Ens rationis Actuale si fingat quod ita inhæreat parieti visio ut inhæret etiam albedo. Scias cautè intelligenda verba ista (concipere Ens rationis aliter quam sit) quia dicunt 1mam, non verò 2dam operationem intellectus, ita ut nec affirmetur, nec negetur aliquid de aliquo; sed simpliciter ad modum Entis realis concipiat potius præcisivè quam divisivè vel compositivè. Notes 3tio Dictum (1) Intentio est duplex prima et secunda intentio. PRIMA INTENTIO est objectum actualiter cognitum, aut absolutè nimirum Actu recto, vel reflexo aut respectivè nimirum Actu intellectus collativo ~~[illegible]~~ cognitum in quam juxta aliquod attributum Reale non verò Rationis. Dictum (2dum) SECUNDA INTENTIO est comparatio passiva ad modum veræ et mutuæ Relationis concepta, quâ duo objecta secum in attributo rationis comparata se invicem, non verò intellectum comparantem respiciunt formaliter. Dictum (3tium) Prima intentio item et secunda est duplex. Alia Formalis et est ipsemet Actus intellectus attingens objectum seu tendens in Objectum. Alia Objectiva nimirum idipsum in quo tendit intellectus et est ipsumet objectum. Superiores descriptiones datæ sunt de prima et secunda intentione Objectiva non verò Formali. Dictum (4tum) TRIPLEX EST REALE ESSE scil: ESSE QUIDDITATIVUM, ESSE MATERIALE, ET ESSE COGNITUM. 1mum Metaphysicus, 2dum Physicus, 3tium Logicus considerat. Juxta ista tria ESSE homo potest considerari tripliciter et triplicia habere attributa seu prædicata. Si 1mo modo consideretur, tunc habebit ista attributa: Rationale, Animal, Risibile, Corpus animatum, Substantia, Unum, Verum, Bonum[F]. Si 3tio modo, tunc ista: Species, Subjectum, Prædicatum, definitum, divisum, Universale, prædicabile, medium, minor extremitas, prima intentio etc. Illa primi et secundi esse attributa seu prædicata sunt Entia realia quia ex natura rei conveniunt homini ante negotiationem intellectus. Illa verò attributa tertii Esse vocant attributa rationis. Unde ~~illud~~ aliud est comparari juxta hæc attributa Rationis et aliud secundum illa realia. Dictum (5tum) Secunda intentio materialiter potest fieri per omnes tres intellectus operationes quia omnibus tribus convenit Actum collativum exercere at verò formaliter seu in suo esse formali tantum fit per primam quia

F Si 2do modo, tunc ista: nascitur, commedit, vivit, legit, sentit, currit, pugnat est albus, est Doctus, est Logicus, moritur etc. Si tertio modo etc.

Duplex Intentio.

NB

quia sola prima operatione cognoscitur illam comparatio passiva (ut quod) per modum relationis veræ. Dictum (5tum) Secundam intentionem fieri materialiter, nihil est aliud nisi derelinqui passivas comparationes in objectis ad se invicem in aliquo attributo rationis v. g. Specie et Genere, item in Subjecto et prædicato in Definitione et Definito et cæteris comparatis: Fieri autem Secundum intentionem formaliter nihil est aliud nisi comparationem passivam Actualiter concipi, fingi et cogitari ad modum relationis veræ inter duo Objecta prout attributo Rationis unum alteri comparat et prout illa comparatione passiva ad se invicem non verò ad intellectum comparantem referuntur formaliter.

Probatio Theorematis.

Pars prima Theorematis (Logicæ Aristotelis Objectum Adæquatum non est aliquid Reale) probatur Facultas quæ habet objectum Reale, est Objective realis. Sed Logica non est objective realis. E. Logica non habet objectum Reale et per consequens Logica Aristotelis. minor probatur dupliciter 1. Quia Facultas objective rationalis non potest dici objective realis. Sed Logica est facultas objective rationalis (nam inter rationales numerat facultates) Ergo. 2 Quia Facultas tractans de Secundis intentionibus, non est objective realis (nam secunda intentio non est quid Reale est enim Ens Rationis, iam verò ab Ente rationis nihil potest dici objective Reale) Sed Logica tractat de Secundis intentionibus. E. Logica non est objective Realis. minor: Quia omnia quæ Aristoteles in Logica tractat sunt 2dæ intentiones et Entia Rationis nimirum Genus, Enunciationes, Syllogismus, Species, Subjectum, Prædicatum, et juxta Böetium Logica est de Secundis intentionibus ut sunt applicatæ primis. E. Dices quod omnia quæ tradit Aristoteles in Logica sint Entia Realia quia illa omnia aut sunt 1ma aut 2da aut 3tia Operatio intellectus; atque sic falsum est quod omnia quæ tradit Aristoteles in Logica sint Entia Rationis. Contra Regulæ et præcepta ad dirigendas operationes intellectus data per 1mæ vel 2dæ intentionis terminos traditæ sunt non ipsæ operationes intellectus. Ergo Ubi per se et propriè de talibus Regulis agitur, ibi non tractatur per se de ipsis operationibus intellectus. Sed in Logica Aristotelis agitur de talibus Regulis. Ergo in Logica Aristotelis non

non agitur de ipsis operationibus intellectus per se, et per consequens ea quae ibi traduntur non sunt prima, aut secunda aut tertia operatio intellectus. Probatur 2 Objectum Reale scientiae alicujus debet habere principia realia. Sed objectum Logicae Aristotelis non habet Principia Realia. Ergo Objectum Logicae Aristotelis non est aliquid Reale. Major Entia Rationis non possunt esse Principia Objecti Realis. Ergo Objectum reale Scientiae alicujus etc. Haec consequentia est clara: quia illa Principia duplicia tantum esse possunt, nimirum aut Realia, aut Rationis. Ergo si non possunt esse Entia Rationis Principia Objecti realis, sequitur quod debeant esse Realia. Antec. verò probatur quia alias si Entia Rationis possent esse Principia Objecti Realis, sequeretur quod Ens Reale penderet ab Ente Rationis.[F] Antec. prox. Penderet à Principiis quae sunt Entia rationis. Ergo penderet ab Ente Rationis. Conseq. pri. Nam objectum Reale est Ens Reale. Ergo si objectum Reale pendet ab Ente Rationis, sequitur quod etiam Ens Reale penderet ab eodem quod est falsum.[A] Minor Principalis (Quod objectum Logicae Aristotelicae non habeat Principia realia) Probatur 1mo quia assignes aliquam et arguam contra ipsam. 2do Quia secundae intentiones non sunt Principia Realia ut patet; sed Principia objecti. In Logica Aristotelis sunt 2dae intentiones & per terminos 2darum intentionum traduntur. Ergo Principia Objecti in Logica Aristotelis non sunt realia. Minor quia Definitionum et Divisionum praecepta consistunt in secundis notionibus scil: Generis, Differentiae, Speciei. Item Ars Syllogistica in illis duobus Principiis <u>Dici de omni et Dici de nullo</u>. <u>PARS SECUNDA THEOREMATIS (OBJECTUM LOGICAE ARISTOTELIS EST ENS RATIONIS, NON TAMEN IN COMMUNI ET IN TOTA SUA LATITUDINE SUMPTUM)</u> <u>Probatur</u> 1 Quia objectum Logicae Aristotelis non est aliquid Reale (ut modo diximus) Ergo Debet esse Ens rationis. Consequent. Clara quia alterutrum debet esse istorum: nam ad haec duo omnia revocantur, alias ipsum nihil esset statuendum pro Objecto. Ergo. <u>Probatur</u> 2 quia alias si Ens rationis in communi esset Objectum Logicae Aristotelis, sequeretur quod Logica consideraret Entia Rationis. Rhetorica v. g. Exordium, Tropum, Figuram

F Consequens falsum. Ergo et Antec. Sequela: Objectum Reale penderet ab Ente rationis. Ergo Ens reale penderet ab Ente Rationis. Ante. prox etc. vid supra

A Falsitas quia Ens simpliciter ab Ente[F] ~~secundum quid pendere est falsum~~. Sed Ens Reale est Ens simpliciter. Ens vero rationis est Ens secundum quid. Ergo Ens reale pendere ab ente rationis est falsum. Minor princ. etc. vid supra.

[F] rationis est falsum pendere. Sed etc.

Figuram etc. Item entia Rationis Grammaticæ, ut casum, Declinationem, Interjectionem. Item Relationes Rationis dextri et sinistri in columna. Item relationes rationis quibus DEUS ad creaturas refert. Conseq. falsum. Ergo et Anteced. Falsitas clara. Sequela probatur. Nam facultas considerans aliquod commune considerat etiam omnia quæ sub illo communi continentur. Sed Logica considerat ... te aliquod commune scil: Ens rationis in tota sua latitudine. E. Logica considerat quoque ea omnia quæ sub Ente Rationis tanquam Inferiora continentur. SUBSUMO. Sed Entia Rhetorica, Grammatica item Relationes rationis continentur sub Ente rationis. Ergo si Ens rationis est objectum Logicæ, sequitur quod Logica considerat Entia Rhetorica, Grammatica. PARS TERTIA ... REMATIS (ENS RATIONIS UT LIMITATUM AD ENS RATIONIS LOGICUM SEU SECUNDAM INTENTIONEM IN COMMUNI NON EST OBJECTUM LOGICÆ ARISTOTELIS) Probatur 1mo: Secunda intentio Logica quæ solum est manifestativa veritatis in communi sumpta prout dicitur Ens rationis ... non potest pro Objecto attributionis statui in Logica Aristotelis. E. Conseq. clarum a negatione potentiæ ad negationem Actus. Ante Probatur quia alias si 2da intentio in communi seu Ens rationis Logicum esset Subjectum in Logica Aristotelis. Sequeretur quod non contra distinguerent in Logica Aristotelis Principia, passiones et ipsum Subjectum. Conseq. falsum (quia est contra Philosophum 1 posteriorum tex 25) Ergo et Antec. Sequel. quia omnia illa consideraret Logica tanquam species (nam omnia talia sunt vera species secundæ intentionis in communi sumptæ, sunt enim vera inferiora specifica sub secunda intentione contenta siquidem de ipsis omnibus secunda intentio in communi sumpta per modum generis prædicatur in quid) eo quod conceptum formalem ipsius et Entis rationis Logici includat in se intrinsece) Ergo si Secunda intentio esset Subjectum, sequeretur quod non contra distinguerent etc. Probatur 2do: Quod est Subjectum Prædicationis seu communitatis, illud non potest statui pro Subjecto attributionis. Sed 2da intentio Logica in communi sumpta est Subjectum ~~est Subjectum~~ Prædicationis. E. Secunda intentio non potest statui pro Subjecto attributionis. Major quia Subjectum Prædicationis debet distingui a Subjecto attributionis, non solum formaliter sed etiam materialiter (nam non possunt coincidere nec se compati in eodem respectu ejusdem Scientiæ alias enim non contra distinguerent in tali Scientia Principia, passiones et Subjectum, siquidem omnia in Subjecto prædicationis, tanquam in suo genere convenirent quod est contra Philosophum 1 Posteriorum tex. 25. minor: quicquid prædicatur + et per modum generis

+ essentialiter

generis de istis secundis intentionibus scil. de subjecto, prædicato, copulâ, genere, specie, syllogysmo et omnibus aliis Logicis vocibus particulariter sumptis ut abstrahuntur à primis intentionibus, illud est Subjectum prædicationis. Sed Jnr Logicum seu secunda intentio in communi accepta prædicatur essentialiter et per modum generis de copula, specie, subjecto, genere etc. Ergo. Probatur 3tio. Quicquid pro objecto attributionis statuitur, illi omnes conditiones talis objecti attributionis.+ Ergo. minor inter alias conditiones objecti attributionis sunt quoque istæ duæ 1. ita continere omnia quæ in tali scientia tractantur ut ad ipsum ex his alia reducantur ceu principia, alia ceu partes, alia ceu passiones, alia ceu species. 2. Ut illius solius potissimum cura in tali scientia habeatur, et præcepta (si fuerint aliqua) de ipso tradantur. Ergo cuicunque desunt istæ duæ conditiones, illi non omnes conditiones objecti attributionis conveniunt. Sed secundæ intentioni in communi sumptæ istæ duæ conditiones desunt. Ergo. Minor quoad 1mam partem. Quià omnia quæ Logica considerat revocantur ad secundam intentionem non ut principia et passiones sed ut species ipsius. Ergo secundæ intentioni deest prima conditio. Minor quoad 2dam partem quià alias de secunda intentione in communi sumpta demonstrasset Aristoteles aliquot proprietates expressè. Consequens falsum. Ergo. Et Antecedens. Sequela. Quià agere de secunda intentione diligentissimè tanquam de subjecto attributionis Logicæ, et nullam penitus de illa proprietatem expressè demonstrare, certè non arguit diligentiam sed potius maximam negligentiam. Ergo si habuit Aristoteles curam maximam secundæ intentionis sequitur quod demonstrasset expressè aliquot passiones de illa. Falsitas clara quia nullum peculiarem tractatum de secundis intentionibus reliquit; in Organo etiam illius quod habemus, non assignat ista opinio locum ubi de secunda intentione aliqua demonstretur passio, cum è contra nostra opinio pro suo syllogismo quem ponit subjectum attributionis in Logica Aristotelis pro parte sua, quoad hanc utramque conditionem varia loca et testimonia habeat ex ipso Philosopho fortissima. PARS QUARTA THEOREMATIS (OBJECTUM LOGICÆ ARISTOTELICÆ EST SYLLOGISMUS ID EST ENS RATIONIS LOGICUM SEU SECUNDA INTENTIO PROUT AD SYLLOGISMUM COARCTATUR) Probatur 1mo: Illud est pro objecto adæquato in Logica Aristotelis statuendum quod habet omnes conditiones requisitas. Sed syllogismus habet omnes tales conditiones. Ergo. minor: Tres præcipuè conditiones requiruntur ad subjectum. 1ma est ut de ipso præsupponatur in tali scientia (QUOD EST ET QUID EST) 2da ut per ejus quod quid est scilicet ipsam definitionem passiones de illo in illa scientia demonstretur vel sic: Ut habeat passiones & principia

+ debent convenire. sed 2dæ intentioni in communi sumptæ non conveniunt omnes conditiones objecti attributionis. Ergo etc.

Principia. 3tia Ut omnia quæ in tali Scientia tractantur ad illud revocentur et propter ipsum considerentur vel tanquam Principia ejus, vel tanquam partes vel tanquam species, vel tanquam passiones vel alia simili Ratione. Sed has tres conditiones habet syllogismus. Ergo. Minor quia de Syllogismo præsupponitur (QUOD EST) Ergo habet primam conditionem. Antec. Cujus Definitio assignatur, de illo adsupponitur (QUOD EST) Nam quod est sequitur (QUOD EST) Sed syllogismi definitio assignatur à Philosopho Ergo. Minor patet ex 1 Priorum ubi post tractationem de partibus seu de Syllogismi Principiis proximis et remotis ponit ipsius Definitionem eo fine ut per illam tanquam per Principium cognoscendi multas passiones in Syllogismo demonstret. Habet 2dam conditionem scil: Principia et passiones, nam Syllogismi proprietates sunt v. g. Esse in modo, esse in Figura, constare tribus terminis, concludere universaliter, particulariter, affirmativè, negativè. Similiter Principia sunt in Primis Definitio illa Syllogismi: Syllogismus est oratio in qua positis quibusdam etc. et Principium dici de Omni scil. hoc Axioma: Quandò aliquid prædicatur de aliquo Subjecto communi distributivè sumpto, prædicat etiam de omni illius Subjecti inferiore. F Ergo habet 2dam conditionem. Deniq̀ habet 3tiam quià omnia de quibus Logica tractat reducuntur ad Syllogismum Alia tanquam partes ut Prædicamenta et Liber περὶ ἑρμηνείας (de interpretatione). Alia tanquam Proprietates ut ea quæ in prioribus traduntur. Alia tanquam Species ut Libri Posteriorum, Topicorum et Elenchorum. Ergo habet 3tiam. Probatur 2do: Quod pro fine intrinseco in Logica Aristotelis assignatur, illud idem etiam pro Subjecto adæquato debet assignari. Sed Syllogismus assignatur pro fine intrinseco in Logica Aristotelis (ut patebit ex 5to Theoremate) Ergo. Major quià finis intrinsecus coincidit cum objecto. Ergo Quod pro fine intrinseco etc. Probatur 3tio: Non potest aliquid assignari reale, neq̀ Ens rationis in communi, neq̀ Ens rationis Logicum seu Secunda intentio veritatis manifestativa in communi sumpta (ut 1ma, 2da 3tia parte hujus Theorematis est ostensum) neq̀ aliquid aliud præter ista potest assignari (nam si quid habet reperit, assignet, et contra illud arguemus. Ergo Objectum Attributionis Aristotelis erit Syllogismus

F Item Principium dici de Nullo scil. hoc Axioma: Quandò aliquid negat de aliquo subjecto communi distributivè sumpto, negat etiam de omni illius Subjecti inferiore. E. habet 2dam conditionem etc. vide supra.

Syllogismi proprietates.

F in Logica

Pars quinta Theorematis (Objectum formale est illa ratio prout syllogismus id est ut habet vim manifestandi illative ignota ex notis: seu ut habet vim dirigendi intellectum in investigando ignota ex notis) Probatur: Cuicunque convenit Definitio Objecti Formalis Logicæ, illud est objectum Formale in Logica (Nam de quo prædicatur Denfinitio, de illo etiam prædicatur Definitum) Sed huic rationi scil: habere vim manifestandi illativè ignota ex notis convenit Definitio Objecti Formalis Logicæ. Ergo Hæc ratio scil. habere vim manifestandi, ~~vel sic~~ illativè ignota ex notis est objectum Formale Logicæ. minor: Quod est Ratio sub qua Logica considerat Syllogismum, illi convenit Definitio Objecti Formalis Logicæ.† ~~[illegible] scil. habere vim manifestandi~~: vel sic: Sed habere vim illativè manifestandi est illa Ratio sub quâ considerat syllogismum Logica. Ergo Huic Rationi scil. habere vim manifestandi etc. convenit Definitio Objecti Formalis Logicæ. major proxim. patet ex Definitioni: quia Objectum Formale Scientiæ est illa ratio sub qua objectum materiale ab aliqua Scientia consideratur seu est ipse modus considerandi per quem una Scientia differt ab alia, licet unam eandemque rem consideret cum ipsa id est illa Ratio qua habet se ut differentia contrahens rem consideratam et objectum materiale ad proprium modum considerandi talis Scientiæ. Minor: Quia nulla alia potest dari sub qua consideret Logica Syllogismum. Si est aliqua assignetur et argumentemur contra eam.

Dices: Quod si directivitas ipsa. Contra Directivitas est passio Syllogismi. E. Non est ratio sub qua. Consequens clarum: Quia passio per objectum Formale tanquam per medium de Subjecto materiali demonstratur. E. Si est passio directivitas, sequitur quod non sit ratio sub quâ etc. Antec. Nam potest demonstrari de Syllogismo sic: Quicquid habet vim illativè manifestandi, est directivum. Syllogismus habet vim illativè manifestandi ignota ex notis. Ergo Syllogismus est directivus.

† Sed sub hac ratione considerat syllogismum Logica ut habet vim manifestandi

Objectiones et earundem Solutio.

Objectio 1ma (Objectum Logicæ Aristotelis est aliquid Reale) Probatur: Subjectum in Logica Aristotelis non est Ens rationis. Ergo etc. Antecedens: Nullius Scientiæ Objectum est Ens Rationis. Logica est Scientia. Ergo. Major: Quod est Subjectum alicujus Scientiæ, potest causare ipsam Scientiam. Sed Ens rationis non potest causare ipsam Scientiam (quia Scientia est simpliciter Ens; Ens rationis est secundum quid Ens, iam vero Ens secundum quid non potest esse causa Entis simpliciter) Ergo Ens rationis non est subjectum ullius Scientiæ et consequenter juxta Regulam

Regulam conversionis simplicis: Nullius Scientiæ Subjectum est Ens Rationis. Major: Quia qualibet Scientia causatur realiter (partialiter) ab Objecto. R. Secundo illa major Probatur: Quod est subjectum scientiæ, cujus potest mensurare illam. Sed Ens rationis non potest mensurare Scientiam. Ergo etc. Minor imperfectius non potest esse mensura perfectioris. Sed Ens rationis est imperfectius, ente Reali. E. etc. Subsumo. Sed Scientia est Ens Reale. Ergo Scientiæ non potest esse mensura Ens rationis et per consequens Ens rationis non potest mensurare Scientiam. R. Neg. 1 Antec. 2do majorem 3tio in prima probatione majorem, tandem Distinguo Antec. Scientia est duplex. Alia objectivè realis, Alia objectivè Rationalis. Tum sic: Qualibet Scientia (objectivè Realis) causatur ab objecto Conc. Qualibet Scientia (Objective Rationalis) causatur ab objecto Neg. Contra Probatur Quod etiam Scientia Rationalis objectivè causatur ab objecto, aliàs sequeretur quod solus intellectus cam causaret. Conseq. falsum. Ergo etc. Falsitas probatur: Quia causa partialis Scientiæ non potest causare Scientiam. Sed intellectus est causa partialis. Ergo etc. RESPONDETUR dupliciter 1mo Nego Sequelam; quià altera causa partialis erit ipsum fundamentum Entis Rationis. Unde Logica Aristotelis causatur non ab Ente Rationis sed à fundamento ipsius. 2do. Concessa Sequela negatur falsitas. Ratio: quià solus intellectus potest dici causa totalis respectu Logicæ. Nam licet objectum sit causa partialis tunc quandò intellectus agit Actu Recto, tamen quandò agit actu reflexo, potest esse causa totalis ipsemet intellectus solus, et quia Entia Rationis Logica seu Secundæ intentiones in suo esse formali Actu reflexo constituuntur ideò dicimus quod solus intellectus sufficiat absque Objecti motivi concursu ad hoc ut habitus Logicæ constituatur. Ad 2dam probationem majoris 1 Nego minorem 2 Distinguo ejus probationem: Quià mensura est duplex. Alia quo ad perfectionem, alia quo ad veritatem Actus Scientifici. Ens rationis non potest esse mensura Scientiæ (quo ad Perfectionem) Concedo (quo ad veritatem Actus ab illa Scientia producti) Nego. CONTRA Quod nec quo ad Veritatem Probatur: Quod est mensura quo ad veritatem alicujus Actus scientifici, illud habet intelligibilitatem (nam sublatâ intelligibilitate, tollitur ratio mensuræ) Sed Ens rationis non habet intelligibilitatem. Ergo non potest esse mensura quo ad veritatem. RESPONSIO Duplex est intelligibilitas. Alia Objecti primarii. Alia Objecti secundarii. Tunc sic: Quod est mensura quo ad veritatem, illud habet intelligibilitatem (objecti primarii vel secundarii) Concedo. Habet intelligibilitatem

mensura est duplex.

Intelligibilitas duplex.

intelligibilitatem (objecti primarii tantum semper) Nego. Sed Ens rationis non habet intelligibilitatem objecti primarii Concedo. Objecti secundarii Nego. Nam sicut Ens Rationis habet entitatem ad modum Entis realis ita quoque intelligibilitatem et scibilitatem ad modum ipsius. CONTRA Si habet intelligibilitatem objecti secundarii. Ergo erit scibile per Accidens. Conseq. falsum (quia Entis per accidens nulla datur Scientia) Ergo. Sequela quià objectum secundarium est Ens per accidens. RESPONDETUR Negando Sequelam ~~per Accidens~~, et ejus probationem, nam per se, non vero per Accidens id convenit Enti Rationis ut ad modum entis realis sciatur. OBIECTIO 2da (OBIECTUM LOGICÆ ARISTOTELIS est ENS RATIONIS IN COMMUNI) + Conseq. falsum. Ergo et antec. Falsitas sicut enim datur una Scientia quæ tractat de Ente Reali in universum scil: metaph. ita etiam debet dari aliqua alia quæ tractat de Ente Rationis in universum. Ergo Falsum est quod nulla Scientia agat de Ente Rationis in communi. Sequela. Aut enim illa Scientia est metaphysica aut aliqua alia Inferior. Neutrum potest dici. 1. Non metaphysica quià Scientia tractans de Ente Rationis, de Ente reali non tractat. Sed metaphysica tractat de Ente Reali tanquam de Objecto suo adæquato. 2. Non tractat de Ente Rationis. Non etiam aliqua alia Scientia inferior quià ad nullam pertinet Ens Rationis (siquidem omnes certam partem Entis Realis sibi considerandam assumpserunt) Ergo. RESPONSIO: Nego Sequelam, deinde minorem, post Distinguo majorem Tractare de Ente Rationis dupliciter aut primario aut Secundario. Applices, tibi, Metaphysicam, non tractat de Ente Rationis (primario) Concedo. (Secundario) Nego. CONTRA Ergo Ens Rationis pertinebit ad considerationē metaphysicæ quod est falsum. RESPONSIO: Pertinebit (per se primo et directè) Nego quià ad nullam Scientiam Ens Rationis in communi pertinet, primo per se et directè pertinebit (indirectè & et reductivè) concedo, quatenus scil iuxta suam essentiam et Ens apparens, quià ejusdem est Scientiæ considerare id quod est tale, et quod videtur tale, sicut etiam ejusdem est considerare habitū et Privationem ipsius ex 4 Metaphys. text. 4. Præterea Ens Rationis potest spectare ad Animasticam quià est effectus qui dependet ab intellectu vel potius ipsius negotiatione. OBIECTIO 3tia (SECUNDA INTENTIO IN COMMUNI EST OBIECTUM LOGICÆ ARISTOTELIS) Quià omnia quæ tractat Aristoteles in Logica sunt 2dæ intentiones v.g. Genus, Differentia, Prædicatum, Syllogis.

+ Quià alias nulla scientia ageret de ente rationis in communi. Conseq. etc.

Axioma.

De Ente rationis tractare dupliciter sumitur.

Indirectè et reductive Ens rationis pertinet ad metaphisicam.

Syllogismus, Subjectum etc. Ergo. Confirmatur: Logica juxta Böetium est de intentionibus ut sunt primis applicatæ. RESPONSIO Neg. Sequel. ad confirmationem Dico Logicam eo sensu esse de intentionibus, quo sensu Physica dicitur esse de rebus naturalibus non quod omnes sint subjecta attributionis, sed quod de omnibus istis agat talis Scientia. OBJECTIO 4ta (OBJECTUM LOGICÆ ARISTOTELIS NON EST SYLLOGISMUS) Probatur: Quod est Subjectum in Libr. Priorum illud non est Subjectum in tota Logica. Sed Syllogismus est Subjectum in Lib. Prio. Ergo non est Subjectum in tota Logica. major: Quod est Subjectum partis, id non est Subjectum totius Sed Lib. Priorum omnes sunt pars, tota verò Logica est totum. Ergo. RESPONDETUR Neg. majorem. distinguo majorem esse Subjectum totius et partis dupliciter, vel eodem modo vel diverso. Applicari ibi eodem modo, non potest, sed diverso, potest. Undè Syllogismus in Lib: Priorum est Subjectum quo ad continentiam tantum Virtualem id est quantum ad proprietates ipsum formaliter consequenter: in tota verò Logica est Subjectum quo ad continentiam Virtualem et simul Potentialem id est prout supponit etiam pro suis Speciebus et non pro seipsum tantum in communi etc.

Quomodo se Syllogismus habeat in Lib. Priorum et in tota Logica.

THEOREMA QUARTUM.

Objectum Adæquatum Logicæ in se est instrumentum sciendi in communi, quatenus tale id est habet ut vim dirigendi et virtutem faciendi scire.

Logica Duplex, Aristotelis et in se.

Notandum et DICTUM 1mum: Quia Duplicem Logicam esse videmus. Aliam ut est ab Aristotele tradita sub terminis secundæ intentionis. Aliam in se et ex natura rei prout scil: adæquatè potest institui secundum suam totam latitudinem omnesque suas partes ad quas illam extendi est possibile: ideò duplex ejus objectum statuimus nimirum, prioris Syllogismum, posterioris verò modum seu instrumentum sciendi in communi et in tota sua latitudine prout Definitionem, Divisionem, Argumentationem et si quæ sunt alia similia comprehendit. DICTUM 2dum. Inter has duas Logicas hæc Differentia: quià Logica Aristotelis habet se per modum partis. Logica in se spectata habet se per modum totius. In Logica Aristotelis tantum de una parte ~~modi~~ sciendi tractatur scil. de Syllogismo. In Logica verò in se spectata agitur de omnibus partibus et speciebus scil de Definitione, Divisione et Argumentatione. DICTUM 3tium: Sicut Logica

Differentia inter Logicam Aristotelicam et Logicam in se.

Logica Aristotelis traditur sub terminis 2dæ intentionis: ita et tota Logica in se spectata potest tradi sub iisdem: deinde sicut Logica in se potest tradi sub terminis primæ intentionis: ita et Logica Aristotelis poterat tradi, cæterum commodius est ut tradatur sub 2dis quam sub primis intentionibus. De acceptionibus Subjecti et Divisionibus alibi. NOTANDUM 2. Dictum (1mum) Instrumentum Sciendi vocatur aliter modus Sciendi, ubi hæc vox (sciendi) largo modo sumitur prout idem significat quod (recte cognoscendi). Dictum (2dum) Instrumentum Sciendi est oratio manifestativa alicujus ignoti quomodocunque id fiat seu illative seu alio modo. Vel est via quædam distinctius id cognoscendi quod antea confusius cognoscebatur. Dictum (3tium) modus sciendi sumitur tripliciter. 1mo modo strictissime et sic sola argumentatio dicitur modus sciendi quia hæc sola ignotum ex noto manifestat illative. 2do modo Latissime et sic omnes secundæ intentiones Logicæ dicuntur instrumenta sciendi id est recte cognoscendi quia omnes sunt aliquomodo veritatis ostensivæ et intellectus directivæ. 3tio modo proprie pro eo quod habet vim manifestandi ignotum quomodocunque id fiat: et sic Definitio, Divisio et Argumentatio dicitur instrumentum seu modus Sciendi. DICTUM 4tum Licet singula ista tria instrumenta, scil: Definitio, Divisio et Argumentatio singulis tribus operationibus Intellectus scil: 1mæ 2dæ et tertiæ inserviant, non tamen omnibus æqualiter quia Definitio 1mæ Divisio 2dæ, Argumentatio 3tiæ potissimum famulatur. NOTANDUM 3 Opiniones de Subjecto Logicæ sunt plurimæ. 1ma tenet Res omnes. 2da Nominalium tenet voces, ut sunt rerum significativæ. 3tia Neotericorum tenet operationes intellectus, ut dirigibiles. 4ta Ens Rationis in communi. 5ta Thomistarum tenet Ens Rationis Logicum seu secundam intentionem. 6ta Scoti in 1 Prio. Quæst. secunda tenet modum sciendi seu instrumentum quam nos amplectimur tanquam veram.

Instrumentum Sciendi idem est quod modus Sciendi:

Definitio Instrumenti Sciendi

Triplex acceptio modi sciendi.

THEOREMATIS PROBATIO.

PARS 1MA (OBJECTUM ADÆQUATUM LOGICÆ IN SE EST INSTRUMENTUM SCIENDI)

Probatur 1mo: Modus sciendi seu instrumentum habet omnes conditiones ad objectum scientiæ requisitas. 2. Antec. Habet 1mam scil quod de eo præsupponatur QUOD EST ET QUID EST. Nam quod per se intenditur et consideratur in Logica, de illo præsupponitur QUOD EST et QUID EST. Sed instrumentum Sciendi est id quod per se intenditur et consideratur in Logica si tota traderetur. Ergo. minor: id per se intenditur in Logica quod est finis ipsius intrinsecus. Sed instrumentum Sciendi est finis Logicæ intrinsecus. Ergo. Minor patebit ex Theoremate sequente ubi ostendetur quod finis intrinsecus Logicæ sit docere instrumenta omnia quæ possunt nimirum intellectum nostrum adjuvare. Habet 2dam, nimirum

nimirum est id ad quod revocantur omnia quæ deberent tradi in Logica secundum se tota-
-sumpta: omnia enim ad hoc tenderent ut per illa rectè operationes possent fieri; quià omnia tum
nihil aliud essent nisi Regulæ et præcepta 1mæ, secundæ et tertiæ operationis proximè autem remo-
tè directiva. Habet alias conditiones scil: Principia, passiones et partes quià Definitio, Divisio et
Argumentatio sunt partes subjectivæ seu species instrumenti sciendi sicut Homo, bos, leo Anima-
lis. Passio quoq ejus primaria est esse directivum operationum intellectus, tandem Definitio instru-
menti sciendi est Principium per quod illa passio potest demonstrari, imo habet et alia Principia
seu suppositiones. Postremo non ordinatur ad aliquid ulterius in Logica considerandum, et licet transi-
vit aliquo modo ad considerationem intellectus operationum, tamen non consideraret eas nisi ut
dirigibiles per talia instrumenta. Porrò hoc non est contemplari instrumenta in ordine ad operatio-
nes; sed potius operationes in ordine ad instrumenta, ut nempe cognita earum natura et dirigi-
bilitate apta conficiantur pro ipsarum directione instrumenta. Probatur 2do: Omnis facultas instru-
mentaria simpliciter habet pro objecto instrumentum circa quod versatur et quod docet conficere.
Sed Logica est facultas simpliciter instrumentaria (ideò instrumentaria quià est de modis seu in-
strumentis sciendi ex 2do Metaphysi. t. 15. ideo instrumentaria simpliciter quia famulatur aliis sci-
entiis ex 1 Topicorum cap. 9. hoc enim fine est inventa) Ergo Logica habet pro objecto instrumenta.
Subsumo Sed illud nullum est aliud nisi modus sciendi. E. Major declaratur quià omnes facultates
instrumentariæ sistunt in consideratione et constructione suorum instrumentorum, nec transeunt
ad opus ad quod talia valent instrumenta. Ergo. Antec. patet inductivè v. g. Accipiatur frenifactiva
item Ars fabrilis, ars parandæ papyri et aliæ similes, istæ omnes ita versantur circa instrumen-
ta ut non attingant illa opera externa ad quæ ex sua natura ordinantur nam hæc opera producuntur per
alias facultates quibus istæ instrumentariæ inserviunt propter quod ipsum meritò Aristoteles eas
ministras vocat. De Arte fabrili patet quod ita se habeat respectu lignariæ, nam ita versatur circa securim,
dolabram et serram, quæ instrumenta ordinantur ad conficiendam mensam, cathedram vel statuam
ut hæc ipsa opera scilic: mensam vel cathedram non attingat quià hæc ab ipsa lignaria Arte cui
Ars fabrilis inservit producuntur. Idem dicatur de Arte frenifactiva quæ parat frenum seu instrumen-
tum ad directionem equi, et ita versatur circa illud frenum ut non attingat per se ipsam equi dire-
ctionem quià hanc Ars equestris sibi vendicat propriè. Idem de aliis sit judicium Artibus instrumen-
tariis in quibus ipsum instrumentum est id ad quod revocantur omnia quæ in tali facultate reperi-
untur, ipsum vero iam non reducitur ad aliquid aliud intra ambitum eiusdem Artis contentum; imo si aliquod sunt illud

illud opus externum ad quod tale instrumentum istius facultatis ordinat aliquomodo considerat, certè hoc faciet in gratiam talis instrumenti ut nimirum possit illud melius conficere vel Regulas illius conficiendi tradere aptiores: sic franifactiva directionem equi considerat in gratiam fræni, ut sic illius conficiendi Regulas edoceat meliores quatenus sit aptum ad regendum equum. Probatur 3tio (Objectum Logicæ in se spectatæ non sunt voces neque Res omnes neque Ens Rationis quomodo cunque sumptum neque operationes Intellectus ut dirigibiles. Ergo erit instrumentum Sciendi) Antec. quoad omnes partes probatur. Non voces 1mo ideò: Quia si nulla esset vox vel posset esse, adhuc operationes intellectus nostri essent quæ possent dirigi per aliquam Scientiam et non nisi per ipsamet Logicam. 2do ideò quia voces non pertinent ad Logicam per se (nam sine voce externa potest consistere) Logica sed tantum per Accidens in quantum per illas manifestant conceptus. Non Res omnes ut intelligibiles 1o quia considerare Res ut intelligibiles est munus metaphys. nam intelligibilitas est præcipua passio Entis quod pro Objecto metaphysices statuitur. 2do ideò quia alias omnis Scientia reliquæ essent superflua. Non Ens rationis quomodocunque sumptum (1) Ideò quia Logica ex natura sua exigit instrumentum Reale Sciendi et primo intentionaliter sumptum pro adæquato Subjecto, per Accidens enim ad hoc est quod Logica ad tradendas suas Regulas utatur secundis intentionibus siquidem ipsa quoque possent tradi per terminos primæ intentionis. (2) Ideò quia licet nullum esset vel posset esse Ens Rationis, tamen adhuc daretur operatio intellectus, quæ quia est capax erroris, esset etiam capax directionis, jam verò à nulla posset dirigi Scientia præterquam ab ipsa sola Logica cum hæc unica ad hoc ipsum sit adinventa. Non denique Operationes intellectus ut dirigibiles quia hæc opinio errat et quoad objectum materiale id est rem consideratam, et quoad Objectum Formale id est modum considerandi. Primum patet: Nam alias Logicus nosset perfectè in Logica naturam et quidditatem operationum intellectualium. hoc est falsum. Ergo etc. Falsitas quia nullibi in Logica explicatur natura operationum intellectus, neque à Logica supponitur in priori Scientia explicata, talis enim explicatio ad Scientiam de Anima pertinet. Sequela: Objecti adæquati debet esse nota natura. Sed juxta hanc opinionem objectum adæquatum est cognitio intellectus seu operatio. Ergo. major: Quia quilibet Artifex sui Objecti adæquati debet habere naturam undequaque perspectam, Subjectum enim præsupponitur notum in eadem Scientia et Quia est et Quid est. Secundum Probatur 1mo quia alias Logica subalternaret Scientiam de Anima. Conseq. falsum. Ergo et Antec. Sequela: Quia addit

Refutatio Objecti adæquati Logicæ. scil: operatiu Intellectus.

addit supra operationes quas considerat Scientia de Anima, conditionem seu differentiam accidentalem scil. dirigibilitatem) 2do quia alias dirigibilitas deberet esse ratio Formalis Objecti quod est falsum. Falsitas: Passio non est ratio Formalis Objecti. + Major Ratio formalis Objecti non est demonstrabilis de Objecto. Sed Passio est demonstrabilis de Objecto. E. major: Medium per quod passio demonstratur non est demonstrabile. Sed Ratio Formalis Objecti est medium tale. E. PARS SECUNDA THEOREMATIS (OBJECTUM LOGICÆ IN SE EST INSTRUMENTUM SCIENDI IN COMMUNI PROUT AB HOC ET ILLO ABSTRAHIT) Probatur: Non potest esse instrumentum in particulari scil: sola Demonstratio vel Syllogismus, vel Definitio vel Divisio. E est in communi. Antec. Quia Logica debet dirigere omnes operationes intellectus. E. Non potest esse ejus objectum, instrumentum in particulari. Ant. Quia in omnibus potest esse directio, ex quo omnes sunt erroris capaces. E. etc.

OBJECTIONES ET SOLUTIO EARUNDEM.

OBJECTIO 1MA (VOCES LOGICÆ SUNT OBJECTUM IN SE, UT SUNT MANIFESTATIVÆ CONCEPTUUM) Probatur: Omnes Libri Logicæ inchoant à vocibus et earum explicatione. Ergo. Ante. Quia Liber Prædicamentorum incipit ab æquivocis et Univocis. Item de interpretatione, à nomine verbo et Oratione. Tandem Libri Analytici à Definitione Syllogismi qui per orationem definitur. Ergo. RESPONSIO: Hoc Argumentum nihil valet contra Nos prout versamur in hoc Theoremate quia hic loquimur de Logica in se, non autem de Logica Aristotelis, et licet ageremus de Logica in se, tamen adhuc nondum valeret Consequentia. Quia hoc modo agere de vocibus non est per se sed per accidens. Et hoc in tantum est verum ut adhuc Logica possit habere suum Objectum, licet illæ voces darentur. Præterea non valet consequentia loquendo de Logica Aristotelis nam et Aristoteles per accidens tractat de vocibus ab initio Librorum prout scil: sunt expressivæ conceptuum quo sublato ab ipsis, certè nulla erit necessitas earum. Ad Formam Ergo Argumenti Rdeo explicite 1mo Distinguo Antec. Libri (Logicæ Aristotelis) inchoant à vocibus Concedo (Logicæ in se) Nego. 2do Transeat Antec. et Neg. Conseq. Quia per Accidens ageretur non verò per se de vocibus in Logica si secundum se totam traderetur. OBJECTIO 2DA (RES IPSÆ OMNES SUNT OBJECTUM LOGICÆ IN SE) Probatur: Illud est objectum circa quod versatur Logica in se: Sed circa res omnes versatur. E. minor ex 1 Elenchorum c. 2 et 1 Rhet. cap. 1 et 2. Ubi docetur Logicam non versari circa rem aliquam determinatam; sed circa res omnes et metaph. 4 t. 5 Docetur Logicam laborare circa omne Ens. Ergo.

+ Sed dirigibilitas est passio. Ergo Non est ratio formalis objecti. major etc.

Ergo etc. RESPONSIO: Logica versatur circa omnes res vel omne Ens (quo ad usum) Concedo (quo
ad Doctrinam) Nego. Vide in Theoremat 1 Objection. 2. probationem tertiam. OBIECTIO 3tia (Ens
RATIONIS LOGICUM SEU SECUNDA INTENTIO EST OBIECTUM LOGICÆ IN SE) Probatur: Enti Ra-
tionis Logico conveniunt omnes conditiones Objecti Ergo. Antec. quia prædicatur de iis omnibus quæ
in Logica tractantur et reducuntur ad illud omnia. Ergo. RESPONSIO: Hoc argumentum potest po-
ni contra utramque Logicam et falsum est quoad utramque, si contra 1mam, tunc Neg. Ante. et 2dam
partem probationis ipsius. Ratio: quia non est de Ratione Subjecti ut sit commune per prædica-
tionem illis omnibus quæ in tali Scientia traduntur, sed debet esse commune ipsis tantum per at-
tributionem ut nimirum omnia ad illud reducantur vel tanquam Principia vel partes, vel Passiones
quod secundæ intentioni seu Enti Rationis Logico non convenit eo quod omnia quæ in Logica Ari-
stotelis considerantur, reducantur ad 2dam intentionem, tanquam species ad suum genus proprium.
Si contra Logicam in se hoc Argumentum dirigatur, tum dico conditiones Subjecti Logicæ Ari-
stotelis conveniunt 2da intentioni Transeat, conditiones (Subjecti Logicæ in se) Neg. Ratio: Nam
cum Logica Aristotelis per secundas intentiones tradat, utique ex modo procedendi artificis potest
habere pro objecto Ens Rationis Logicum non in communi sed solum ut limitatur ad Syllogismum.
At vero Logica in se non requirit ullum Ens Rationis pro Objecto quia sine 2dis intentionibus ad-
huc posset Logica institui, licet minus commode. OBIECTIO 4ta (OPERATIONES INTELLECTUS
UT DIRIGIBILES SUNT OBIECTUM LOGICÆ) Probatur Facultates aliæ instrumentariæ habent pro
Objecto non ipsa instrumenta sed opera per eiusmodi instrumenta producta. Sed Logica est facul-
tas instrumentaria. E. minor patet, major probatur: Quia in arte pictoria non penicillus; sed
pictura ad quam penicillus ordinatur; in Arte scribendi non calamus sed scriptura: in Arte ty-
pographica non prælum; sed ipsa impressio, et sic de aliis pro Objecto statuitur. Erg. etc RESPONSIO:
Duplices sunt Artes organicæ. Aliæ instrumentariæ simpliciter quæ sola instrumenta considerant,
opera autem in quorum gratiam ipsa ordinantur non attingunt qualis est Ars ferraria quæ licet paret
securim et alia instrumenta, tamen scamnum quod illis instrumentis paratur non attingit. Item Ars fræ-
nifactiva quæ directionem equi relinquit equestri Arti, et solum circa frænifactionem seu constitutionem
versatur. Item Logica nostra. Aliæ sunt instrumentariæ non simpliciter quæ ita de instrumentis a-
gunt ut non modo illa conficiant; sed etiam ipsis confectis ad opera facienda utantur. Sic se habet Ars pictoria
et scriptoria quarum prior penicillum, posterior calamum parat et eodem ipsamet utitur dum opus producit. Tum Di-
stinguo Antec. Aliæ facultates instrumentariæ (non simpliciter) habent pro objecto opera non vero instrumenta Concedo.
Aliæ Artes (instrumentariæ simpliciter) habent pro objecto opera. Neg. Sed Logica est ars instrumentaria Dist.
est instrumentaria (simpliciter) Concedo (non simpliciter) Nego. Q.

THEOR

THEOREMA QUINTUM ET SEXTUM.

Finis Adæquatus Logicæ in se est directio idealis omnium trium operationum intellectus. Finis Logicæ Aristotelis est directio tertiæ tantum operationis intellectus.

NOTANDUM 1MO: Hæc duo Theoremata clarius possent exprimi sic: Prius, Finis adæquatus extrinsecus Logicæ in se est Directio idealis omnium trium operationum intellectus in qualibet materia tam probabili quam necessaria, ita tamen ut directio primæ et secundæ operationis et in materia probabili sit finis minus principalis. Directio autem tertiæ operationis in materia necessaria magis Principalis. Tandem finis ejusdem operationis Logicæ in se intrinsecus Formalis seu QUO est cognitio instrumenti sciendi quo diriguntur idealiter illæ singulæ operationes, finis verò intrinsecus Objectivus seu QUI est modus ipse cognitus. Posterius verò sic: Finis adæquatus extrinsecus Logicæ Aristotelis est Directio idealis tertiæ tantum operationis intellectus in qualibet materia tam probabili quam necessaria magis tamen principaliter in materia necessaria. Deniq̃ Finis ejusdem intrinsecus Formalis est cognitio Syllogismi, Objectivus verò est ipsemet Syllogismus. NOTANDUM 2DO Dictum 1mum. Finis in Disciplinis Organicis est Duplex scil: Internus et Externus. Intrinsecus quem ipsæmet Facultates adminiculativæ intra limites suos attingunt. Externus verò quem aliæ Facultates superiores non verò ipsæ organicæ attingunt v.g. Disciplina frænifactiva quæ ancillatur Arti equestri suppeditans ipsi frænum duplicem habet finem, alium internum scil. ipsum frænum. Alium Externum scil: Equi directionem ad quam ordinatur frænum. Hanc autem directionem equi sola equestris Ars attingit, non autem frænifactiva. Dictum 2dum Finis internus est duplex alius Formalis seu Finis QUO. Alius Objectivus seu Finis QUI v.g. in frænifactiva finis internus Objectivus est ipsum frænum, Finis verò Formalis internus est cognitio facta ipsius freni. Dictum 3tium Universaliter loquendo: Finis internus Formalis cujusque Facultatis est cognitio quæ immediatè elicitur circa proprium objectum, Finis verò internus objectivus est ipsumet Objectum nimirum id ad quod finis formalis seu ipsa cognitio terminatur.

Finis in Disciplinis Organicis ē duplex.

Finis internus duplex.

PROBATIO UTRIUSQUE THEOREMATIS.

Prius

Primus Theorema Probatur quo ad 1ma Partem. Illud est Finis Logicæ in se, ad quod Logica ordinatur. Sed ad directionem singularum operationum trium Logica in se ordinat. Ergo Directio omnium trium operationum est Finis ejusdem. Minor: Omnes et singulæ tres operationes intellectus sunt per se dirigibiles. Ergo Ad directionem earum Logica ordinat: Ante: Quælibet independenter ab alia potest pati errorem. Ergo singulæ sunt per se dirigibiles. Ante prox: Illa independenter ab alia patitur errorem cui talis error contingeret, illa alia per impossibile non existente. Sed secundæ operationi accideret error non existente per impossibile 3tiā, & 1ma non existente 2dā. Ergo etc. Minor quia non existente operatione 3tia, posset 2da errare v.g. convertendo Affirmativam Universalem in aliam universalem sic: (omnis Homo est animal Ergo Omne Animal est homo) ad quam dirigendam daretur illa Regula: Quod Universalis Affirmativa sit convertenda in particularem affirmativam hoc modo (Omnis homo est Animal. Ergo Quoddam Animal est Homo) Similiter si non daretur 2da adhuc in prima posset esse error ad quem evitandum daretur Regula v.g. ad distinctē cognoscendam quidditatem opus est concipere Genus et Differentiam Objecti. Dices: Unam operationem magis indigere directione quam aliam v.g. magis 3tiam quam 2dam et secundam quam primam. Ergo Ea quæ minori indigent directione non pertinet ad Logicam. Respondeo Neg. Conseq. et Arguo contra: Ista Directio minor pertinet ad aliquam Scientiam; Sed ad nullam aliam. Ergo Ad Logicam.

Dices: Pertinere quidem, Sed solum reductivē. Contra Quæ sunt per se capaces directionis Logicæ et per se habent suam rectitudinem, suas Regulas et sua præcepta, illæ operationes per se et directē non verò reductivē pertinent ad Logicam. Sed omnes istæ tres operationes sunt tales. Ergo. Quo ad 2dam partem (in omni materia) in omni materia est opus tali directione (quia in omni materia operationes intellectus sunt capaces erroris) Ergo in omni materia operationum ~~directio est finis~~ et intellectus sunt etc. Ergo in omni materia directio operationum est finis. Quo ad 3tiam Partem (Quod Directio tertiæ operationis & in materia necessaria) quia ad dirigendam tertiam operationem et in materia necessaria magis principaliter ordinat talis directio Logica (nam propter hanc ipsam principaliter est inventa, hæc enim est aliis difficilior et perfectior siquidem plures conditiones et Regulas ex parte materiæ

& for.

et Formæ requirit et parit ipsam Scientiam) Ergo. Quoad 4tam partem (cognitio Objecti Finis Formalis) in qualibet Facultate cognitio perfecta sui objecti est Finis Formalis intrinsecus talis Facultatis. Ergo Et in Logica. Antec. inductivè cognitio fræni in frænifactiva. Item cognitio papyri in Arte sua et sic in aliis. Quoad 5tam Partem: (Finis Objectivus intrinsecus) Quod est Objectum Logicæ, illud idem est Finis intrinsecus Objectivus (quià Finis intrinsecus et Objectum Scientiæ coincidunt) Sed instrumentum sciendi est Objectum. Ergo. Confirmat: Illud quo diriguntur singulæ operationes intellectus est Finis intrinsecus Objectivus. Sed instrumento Sciendi diriguntur. Ergo etc. POSTERIUS THEOREMA PROBATUR: Quicquid Aristoteles in sua Logica tractat, id in gratiam argumentationis seu syllogismi tractat. Ergo Directio 3tiæ tantum operationis est Finis adæquatus Logicæ Aristotelis Conseq. clar. quia Argumentatio tertiam solam operationem propriè dirigit. Antec: Nam totam Logicam suam in gratiam argumentationis composuit Aristoteles quià imprimis Principia ejus tàm remota in prædicamentis quàm proxima in libro de interpretatione ostendit, deindè Essentiam ejus in communi tum et propriè latius plurimas in libris Priorū declaravit, tandem species ejusdem in Libris Posteriorum, Topicorum et Elenchorum. porrò istis tractatibus tota Aristotelis Logica continetur. Confirm. Parum fuit sollicitus Aristoteles de Divisione aut Definitione (neq enim egit de ipsis) nisi prout inserviunt Argumentationi. Ergo Tertiæ tantum operationis directio est Finis Logicæ Aristotelis. Conseq. Quià Definitio 1mæ. Divisio 2dæ, argumentatio 3tiæ potissimum servit operationi. Aliæ partes hujus Theorematis patent ex declaratione 5ti Theorematis.

Objectiones et earundem Solutio:

Objectio 1ma (Non omnium trium operationum directio est Finis Logicæ in se) 1ma Operatio non eget directione. Ergo Antec. Quæ operatio indiget directione, in illa datur error. Sed in prima non datur error. Ergo. minor: In 1ma Operatione non datur ~~ulla~~ falsitas. Ergo neq error. Cons. quia pro eodem sumimus errorem et falsitatem. Responsio: Neg. 1 Antec. 2 min. 3 Disting. Antec. In 1ma Operatione non datur falsitas complexa Concedo. Non datur falsitas incomplexa Neg. Per incomplexam falsitatem intelligitur defectus, quo intellectus noster concipit rem aliter quam sit ut dum apprehendit Angelum tanquam corporeum. Contra: Ubi datur falsitas incomplexa, ibi non est intellectus conformis objecto repræsentato. Sed in prima operatione semper intellectus est conformis Objecto. Ergo. Minor: Id semper apprehendit quod species repræsentat intelligibiles. 2. Conseq. quià species semper repræsentat conformiter. nam necessariò repræsentat. Responsio Neg.

Per Incomplexā Falsitatem quid intelligatur.

Neg. minorem, deinde conseq. 3 Antec. 4 Cons. Ratio quia aliquando ex mala constitutione sensuum internorum aut etiam aliquo defectu externorum provenit mala repraesentatio specierum intelligibiliũ unde debemus veritatem vel falsitatem incomplexam in hac operatione prima attendere ex objecto ut est in se non autem ut est repraesentatum. OBJECTIO 2da (NON IN OMNI MATERIA DIRECTIO TERTIAE OPERATIONIS EST FINIS) Quia tantum in materia necessaria debet Logica tertiam operationem dirigere. Ergo etc. Antec. Logica tantum respectu materiae necessariae est instrumentum Sciendi (quia Scientia habetur per Demonstrationem ad quam requiritur materia necessaria) Ergo etc. RESPONSIO: Neg. Antec. Deinde distingo: Vox sciendi dupliciter sumitur 1 Rigorose et sic Logica Respectu materiae necessariae est instrumentum Sciendi. 2 Largo modo pro quacunque cognitione et sic Logica respectu materiae cujuslibet ~~necessariae~~ est instrumentum Sciendi.

Vox Sciendi dupliciter sumitur.

THEOREMA SEPTIMUM.

Logica est Scientia simpliciter Speculativa: Secundum quid vero, Logica ~~et~~ per quandam Analogiam est Practica.

Acceptio Praxis triplex.

NOTANDUM 1mo Dictum 1mum. Praxis vox Graeca, Latine dicitur operatio et accipitur tripliciter 1 Latissime pro omni opere cujuscunque potentiae sive illa sit Sensitiva, sive intellectiva, sive Libera seu naturalis. 2 Strictius pro omni opere quod est in potestate voluntatis et Liberi arbitrii. 3 Proprie et in rigore pro operatione ad quam intellectus ~~ad~~ per cognitionem vere practicam extenditur qua operatione laudem vel vituperium meretur ac per consequens praxis est necessario operatio libera quia per operationes quae non sunt in nostra ~~natura~~ potestate nullam laudem et nullum vituperium possumus ~~nullam laudem et nullum vituperium possumus~~ promereri. Dictum 2dum Practicum seu Ratio in Scientia significat ordinabilitatem vel extensionem ad opus quod est proprie praxis. Porro haec ordinabilitas dicit duplicem relationem aptitudinalem: unam prioritatis naturalis. Aliam conformitatis. Relatio prioritatis naturalis erit si dato Actu voluntatis et intellectus concipias priorem esse Actum intellectus Actu voluntatis quia Regula [Axioma] est prior naturaliter Regulato. Relatio conformitatis Activae erit si concipias Actum intelligendi esse id cui debet sese conformare Actus voluntatis ut sit rectus et bonus. Dictum 3tium Speculativum opponitur practico et significat carentiam illius ad opus ordinabilitatis in qua consistit ratio Practici id est dicit duplicem negationem prioritatis naturalis et conformitatis sicut se habet visus et caecitas ita quoque videntur se habere practicum et speculativum. NOTANDUM 2do Dictum (1mum) Practicum et Speculativum dupliciter considerantur. 1mo modo secundum id quod a parte rei dicunt. 2do modo secundum id per quod a nobis explicantur. 1mo modo sunt Differentiae Essentiales Scientiae. 2do modo sunt passiones consequentes illas differentias quas saepissime circumscribimus per istas passiones quae dicunt respectus prioritatis cum conformitate et car.

Practicum in Scientia quid denotet.

Ordinabilitas dicit duplicem Relationem aptitudinalem.

Speculativum quid signif.

Duplex Acceptio vocis Practici et Speculativi.

et carentiæ eorundem respectuum. Dictum (2dum) Eadem cognitio & est Scientia, nullo modo potest esse formaliter Practica et Speculativa, nedum in sensu composito sed etiam nec in sensu diviso. Si enim primo modo accipiatur, sic erunt duæ Differentiæ oppositæ quæ se non compatiuntur simul sicut Rationale et irrationale. Si secundo modo, sic erunt duæ passiones propriæ quæ itidem sese non possunt compati cum et differentiæ earum quibuscum identificantur realiter non sunt in eodem compassibiles, unde à quo abest differentia, ab illo etiam debet abesse propria passio quæ emanat à tali differentia,+ à quo abest rationalitas, ab illo etiam debet abesse visibilitas.

+ Sicut

Probatio Theorematis.

Pars prima Theorematis (Logica absolute et simpliciter est scientia) intellige Speculativa. Probatur 1mo: Logica non est simpliciter Practica. Ergo est simpliciter Speculativa. Conseq. patet ex (2do) Dicto Notandi 2di quià una eademq Scientia non potest esse simul etiam in sensu diviso simul Practica et Speculativa. Ergo si Logica non est Practica, sequitur quod sit Speculativa. Antec. Omnis Scientia Practica dirigit Praxim propriè dictam.+ Ergo non est simpliciter Practica. Minor: Facultas dirigens praxim propriè dictam, dirigit Actus voluntatis. Sed Logica non dirigit Actus voluntatis (quià est ad operationes intellectus dirigendas inventa et verum à falso discernit, iam autem verum et falsum spectant ad intellectum) Ergo etc. Major: Quià praxis est Actus alterius potentiæ ab intellectu naturaliter posterior intellectione natus conformiter elici rectæ rationi ad hoc ut sit Actus rectus. Probatur 2do: Omnia Principia Logicæ sunt Speculativa. Ergo et ipsa Logica. Antec. Hæc Principia (Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Item quæ dicuntur de aliquo Universali distributivè sumpto dicuntur etiam de omni contento sub illo. Item quæ negantur de aliquo Universali distributivè sumpto negantur etiam de omni contento sub illo) Sed hæc Principia, sunt Principia Logicæ. Ergo. Minor: Principia quæ aliis Scientiis speculativis possunt ad veritates comprobandas inservire sunt speculativa. Sed hæc principia prænominata possunt aliis Scientiis Speculativis ad veritates comprobandas inservire. Ergo. Pars secunda Theorematis (Logica potest dici secundum quid Practica) Facultas quæ aliquomodo est similis Facultati simpliciter Practicæ potest dici secundùm quid Practica. Sed Logica est aliquomodo similis Facultati simpliciter Practicæ scil. ipsi Ethicæ Ergo. Minor: Quià sicut Ethica est directiva operationum dirigibilium: ita et Logica est quoq directiva aliarum similium operationum. Ergo est similis Ethicæ. Antec. Sicut enim ad normam et Regulas quas tradit Ethica Voluntas suos Actus debet conformare ut sint boni in genere moris: ita ad Regulas quas tradit Logica, intellectus suos Actus solet conformare ut possit esse

+ Sed Logica non dirigit praxim propriè dictam. Ergo.

Definitio Praxis propriissima seu Essentialis.

Axiomata Logicalia.

esse veri, intercedit itaq similitudo aliqua inter Logicam et Ethicam ex hac directione operationum.

Obiectiones et earundem Solutiones.

Obiectio 1ma (Logica non est speculativa) Probatur 1mo: Scientia Speculativa est propter se. Sed Logica non est propter se (quia est propter alias Scientias, nam agit de instrumentis Sciendi, iam verò instrumenta Sciendi ordinant ad Scientias et non sunt propter se) E. Logica non est Speculativa. Respondetur: Disting. Scientia Speculativa (quæ non est instrumentalis) est propter se Concedo. Scientia Speculativa (instrumentalis est propter se) Neg. minorem Concedo. Ergo Logica non est Speculativa, Distinguo Non est Speculativa (1mo modo) Concedo. Non est Speculativa (2do modo)+ Neg. Probatur 2do: Facultas quæ tradit modum ut benè fiant operationes, item Facultas depellens vitia quæ possũt in exercitio operationum evenire est propriè Practica. Logica est talis. E. Major Quià tradere modum ut aliquæ operationes benè fiãt et depellere vitia est munus Scientiæ Simpliciter Practicæ. Respondetur Neg. majorem et probationem ejus Disting. Nam benè vel malè dupliciter ... Practicè in genere moris. 2 Speculativè. Item vitia 2plicia Alia Practica ut peccata opposita virtutibus moralibus. Alia Speculativa ut ignorãtia vel Falsitas. Obiectio 2da (Logica non potest dici Practica secundum Quid) Quod continet sub una Differentia vel proprietate quæ ab illa Differentia pullulat, non potest denominari à Differentia opposita vel ab proprietate quæ talem differentiam comitat (quià homo potest dici irrationalis vel hinnibilis, eo quod continet sub rationabili et risibili) Sed Logica continet sub una Differentia scil: sub ratione speculativa capiendo speculativum aut pro differẽtia aut pro Passione. Ergo Logica non potest denominari ab alia opposita Differentia et per consequẽs non potest dici Practica secundum Quid. Respondetur Denominari dupliciter, Vel Simpliciter vel secundũ quid.

+ id est, non est Speculativa instrũen, talis nego etc:

Vocis Guia Benè et malè duplex acceptio.

Vitia duplicia.

Theorema Octavum.

Logica Artificialis ad acquisitionem aliarum Scientiarum licet sit maximè utilis: tamen ad eas tam imperfectè quam perfectè acquirendas, non est simpliciter; sed tantum secũdũ Quid necessaria.

Notandum Dictum 1mum duplex est necessarium. Aliud Absolutè et Simpliciter ad aliquem finem necessarium scil: sine quo finis absolutè non potest obtineri. Aliud Secundum Quid et ex suppositione necessarium scil: sine quo licet finis possit absolutè obtineri, nõ tamen quàm æquè commodè, æquè facilè, æquè citò æquè perfectè. Dictum 2dum: Scientia duplicem ẽe ... habet scil: ... et

Necessarium Duplex est.

Duplex Status seu Esse Scientiæ

et imperfectum et ideo dupliciter potest considerari vel in statu perfecto, vel in statu imperfecto. Dictum 3tium Logicam Artificialem utilem esse ad alias Scientias acquirendas, similiter Logicam naturalem simpliciter esse necessariam ad easdem fatentur omnes Philosophi. Dictum 4tum De Logicæ Artificialis necessitate est controversia et plerumque tres opiniones assignant 1ma tenet simpliciter esse necessariam ad alias Scientias etiam in statu seu esse imperfecto acquirendas. 2da opinio tenet ad perfectè acquirendas esse simpliciter necessariam, non verò ad imperfectè. 3tia tenet neutro modo esse simpliciter necessariam, nec ad perfectè, nec ad imperfectè.

Probatio Theorematis.

Pars 1ma Theorematis (Logica Artificialis est maxime utilis ad alias Scientias acquirendas) Probatur: modus sciendi est maxime utilis ad acquisitionem aliarum Scientiarum. Ergo et Logica. Conseq. quia Logica est modus sciendi in obliquo id est agit de modo sciendi. Antec. ex 2 metaphys. Absurdum est simul quærere Scientiam et modum sciendi. Confirmatur 1mo. Logica est Ars Artium et Scientia Scientiarum ad omnium methodorum Principia viam habens. 2do Quia omnium consensu prius ad Logicam juvenes applicant quam ad alias graviores Scientias quod non fieret si nulla utilitas ex Logica haberetur. 3tio Quia feliciores in aliis Scientiis sunt isti qui Logicam didicerunt, illis omnibus qui ignorant eam (cæteris paribus) Ergo. Antec. Nam facilius verum à falso discernunt et citius sophismata advertunt et solvunt. Pars secunda Theorematis (Logica Artificialis non est simpliciter et absolute necessaria ad alias Scientias imperfectè acquirendas) Probatur 1mo: Quia alias sine Logica Artificiali impossibile esset aliquem Actum Scientificum aut demonstrationem in aliqua Scientia elici. Consequens falsum Ergo et Antec. Falsitas: Quia sic neque in Theologia, neque in Jurisprudentia neque in Medicina quicquam posset sciri sine Logica Artificiali, quod est falsum. Falsitas quia multos licet videre qui absque Logicæ studio sunt consecuti cognitionem Juris et Theologiæ imo et aliarum Scientiarum licet imperfectam et superficialem, ut fertur Hyppocrates Logicæ Artificialis ignarus, exactissimè Artem medendi callebat. Ergo. Probatur 2do: Quæ Scientia est simpliciter necessaria ad acquirendas alias Scientias, ante ejus inventionem non est possibile alias Scientias extare. Sed ante inventionem Logicæ Artificialis extabant aliæ Scientiæ. Ergo. Major: Quia alias esset et non esset simpliciter necessaria: esset necessaria ut dicitur non esset. Probo: Quia illud non est simpliciter necessarium sine quo potest res existere. Ergo Quæ Scientia est simpliciter necessaria. minor: Quia ante Zenonem, Eleatem primum Logicæ Artificialis inventorem, fuerunt Physici, ~~metaphysici~~ et mathematici. Ergo. Antec. Nam Tales Milesius item Megisthus Ægipti et alii quam plurimi absque Logicæ præsidio res Physicas et mathematicas sola

Sola naturali Logicâ adjuti sciebant PARS TERTIA THEOREMATIS (LOGICA ARTIFICIALIS NŌ EST SIMPLICITER NECESSARIA AD ALIAS SCIENTIAS PERFECTÈ ET TOTALITER ACQUIRENDAS) Probatur: Quod est necessarium secundum Quid, illud non est necessarium simpliciter & absolutè (quià necessitas secundum quid, non est necessitas simpliciter, nam sunt opposita) Sed Logica est secundum Quid et ex suppositione necessaria ad alias scientias pfectè acquirendas. Ergo. Minor: Quod non ad substantiam ipsam aut essentiam vel realitatem finis, sed tantum ad modum illius acquirendi ptinet, illud tantum ex suppositione, non verò simpliciter est necessarium: Sed Logica Artificialis non ad Substantiam aut Entitatem finis id est non ad realitatem Scientiarum sed tantum ad modum earundem acquirendarum pertinet. Ergo. Minor: Quicquid requiritur ad totaliter et perfectè aliquid acquirendum illud pertinet ad modum illius acquirendi (nam totaliter et pfectè acquiri, non substantiam; sed modum acquisitionis dicunt) Sed Logica requiritur ad totaliter et pfectè acquirendas Scientias. Ergo ad modum earum comparandarum, non verò ad Substantiam pertinet. PARS QUARTA THEOREMATIS (LOGICA ARTIFICIALIS est secundum quid necessaria ad alias Scientias perfectè vel imperfectè acquirendas) Probatur: Non est necessaria simpliciter (ut modo probavimus) Ergo Est necessaria secundum quid. Consequentia clara quià istis duobus modis aliquid dicitur necessarium.

OBIECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIO

OBIECTIO IMA (LOGICA EST SIMPLICITER + AD SCIENTIAS ETIAM IN ESSE IMPERFECTO ACQUIRENDAS) Probatur ~~Scientia~~ in esse imperfecto est verè Scientia (quemadmodum Animal impfectum est verum Animal, quià imperfectum et perfectum non variant speciem. Ergo etc. Cons. Vera Scientia non potest comparari sine Logica. Ergo si Scientia in esse impfecto est vera Scientia, sequitur quod Logica est simpliciter necessaria. Antec: prox. quià vera Scientia non potest haberi nisi p Demonstrationem. Ergo vera Scientia non potest comparari sine Logica artificiali. Δ Ergo si vera Scientia tantum p Demonstrationem habetur, sequitur quod sine Logica non possit comparari. RESPONDETUR: Neg. Conseq. 2 Antec. 3 Conseq. 4 Antec. Ratio quià per solam naturalem Logicam potest aliqua Demonstratio confici, videmus enim in Scientiis aliquas conclusiones ita proximè principiis Lumine naturali notis innitentes ut Logica Artificiali minimè sit opus ad ipsas ex talibus Principiis inferendas, siquidem non modo eatum illatio est evi

Δ Hæc conseq. Quia Demonstratio non potest haberi sine Logica Artificiali Ergo etc.

+ NECESSARIA

est evidentissima; sed etiam ipsamet terminorum dispositio est facilior. OBIECTIO 2DA (LOGICA EST SIMPLICITER NECESSARIA AD SCIENTIAS PERFECTE ACQUIRENDAS) Probatur: Illa Facultas est simpliciter necessaria ad alias Scientias perfectè acquirendas quâ mediante acquiruntur Scientiæ in suo esse perfecto. Sed mediante Logicâ sic aquiruntur. Ergo etc. minor Quia nemo absque Logica aliis Scientiis evasit summus. RESPONDEO: Nego majorem: Ratio: Quia quod requiritur ad perfectè acquirendas Scientias, debet vocari necessarium potius secundum quid quam simpliciter cum pertinet ad modum acquirendæ Scientiæ, non verò ad ipsam Substantiam ejus. Unde Logica Artificialis est tantum secundum Quid necessaria ad perfectè comparandas Scientias. Nam (licet perfectè) modum acquirendi indicat non autem ipsam Substantiam Scientiæ. Scientia enim quo ad Substantiam habitus et suam Entitatem potest sine Logica artificiali comparari.

THEOREMA NONUM

Logica Aristotelis et Logica in se intrinsecè et Formaliter est Scientia Realis: At verò Extrinsecè et ~~obj~~ objectivè, illa prior est Scientia Rationalis: Hæc autem posterior est Realis.

Scientiæ consideratio est duplex.

NOTANDUM Dictum 1mum: Scientiæ dupliciter possunt considerari 1º Intrinsecè quo ad sua prædicata ex 1mo et 2do modo perseitatis. 2º Extrinsecè quo ad prædicata illa quæ à causis velut undè sumuntur, hoc duplici modo Logica etiam utraque consideratur. Dictum 2dum: Omnis Scientia et habitus intrinsecè est Realis; sed Objectivè et extrinsecè non omnis: porrò ut Scientia realis Objectivè dicitur illa cui pro objecto adæquato assignatur Ens Reale seu in communi seu in particulari: ita Scientia objectivè ~~Realis~~ Rationalis est illa cui pro objecto adæquato assignatur Ens Rationis seu in Communi seu in particulari, nam ex natura Objecti denominatio ejusmodi desumenda est.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS PRIMA THEOREMATIS (UTRAQUE LOGICA ET ARISTOTELIS ET IN SE INTRINSECE EST SCIENTIA REALIS) Probatur: Quicquid in prima Specie Qualitatis nimirum in habitu directè collocatur est Reale: Sed utraque Logica est talis (nam Logica est Scientia, Scientia autem collocatur sub Habitu. Ergo etc. major Omne quod in prædicamento aliquo collocatur est Reale (quia prædicamenta sunt Entia Realia et Ens reale dividitur in ipsa) Ergo. PARS SECUNDA THEOREMATIS (LOGICA IN SE EST OBIECTIVE ET EXTRINSECE SCIENTIA REALIS) Probatur: Illa Scientia est objectivè Realis cujus objectum est Reale. Sed Logicæ in se objectum est Reale, non autem Ens Rationis. Ergo major patet inductione. Ideò enim Physica, metaphysica dicuntur Scientiæ Reales objectivè quia ~~earum~~ materia objectum

objecta sunt Realia. minor: quià alias si objectum haberet Ens Rationis, non verò reale, sequeretur quod impossibile esset eam dari, si Ens Rationis non daretur. Atqui hoc falsum est. Ergo habet objectum Reale. Sequela: Quià impossibile est scientiam esse, non existente subjecto suo (Scientia enim pendet ab objecto in suo esse et mensurari, quià objectum est causa et mensura scientiæ, nam scientia est alicujus scibilis scientia, et certè vanum est, dare scientiam et esse absque ullo subjecto) Ergo si objectum haberet Ens Rationis, sequeretur quod impossibile esset, eam dari si Ens rationis non daretur. Falsitas: quià si 2da intentio et quodlibet aliud Ens rationis esset impossibile, adhuc daretur, et possibilis esset ea scientia quam vocamus Logicam. Ergo falsum est quod sit impossibile dari Logicam si Ens Rationis non daretur. Antec. prox. quià si nullum daretur Ens rationis Quæro vel posset intellectus operari, vel non? Quicquid dixeris erit contra te. Si potest operari. Ergo operatio ejus potest dirigi et Regulari per præcepta aliqua et per consequens dabitur Logica. Hæc consequentia patet: Nam scientia tradens talia præcepta, dicenda esset Logica. Scientia enim dirigens intellectum nostrum ne erret in operando nulla est alia nisi ipsa Logica. Si dices non posse intellectum operari absque Ente Rationis seu secunda intentione, hoc falsum esse probo: Nam alias sequeretur quod intellectus vel ejus operatio dependeret ab Ente Rationis. Hoc est inconveniens. Ergo. minor ista: Quia nec intellectus in suo operari nec ejus operatio ulla dependet ab Ente Rationis. Nobilius enim ab ignobiliori, prius à posteriori, perfectius ab imperfectiori, Ens reale ab ente Rationis, Ens simpliciter ab Ente secundum Quid pendere est inconveniens. Dices: Quamvis in esse physico pendere Ens Reale ab Ente rationis minus sit conveniens, tamen in esse scibili hoc est necessarium, si enim removerentur†, tolleretur ipsa Logica. Sequela: Si removerentur Regulæ Logicæ, etiam ipsa Logica tolleretur (quia Logica constat ex Regulis) Sed si 2dæ intentiones removerentur tollerentur Regulæ Logicæ. Ergo si moverentur secundæ intentiones, tolleretur quoque ipsa Logica. minor: Nam Regulæ traduntur per terminos 2dæ intentionis (quià traduntur in Actu signato v.g. Genus prædicatur de specie item species dicitur de individuis etc) Ergo. CONTRA: 3. Instantia 1mo Regulæ Logicæ possunt tradi etiam in Actu signato per terminos primæ intentionis. Ergo remotis 2dis intentionibus non tollitur Logica et per consequens non esse in scibili, pendet intellectus vel Ens Reale ab Ente rationis. Antec. Nam loco istius Regulæ (Genus prædicatur de specie) per quam intellectus dirigitur ad hoc ut quidditatem speciei benè apprehendat et de illa rectè judicet formando enunciationem posset assignari per terminos primæ intentionis alia Regula similis sensum illius prioris exprimens ut si dicatur (quod natura communis semper in suis inferioribus includitur) quæ Regula ita valebit ad hoc ut benè apprehendatur inferioris natura et rectè de ipso judicetur sicut illa per terminos 2dæ intentionis assignata, idem judicium

† secundæ intentiones,

Instantia 1ma.

judicium feras de Regulis quæ in Logica Aristotelis 2dæ intentionis traduntur. Confirm. Sicut voluntas dirigitur Regulis per terminos primæ intentionis ~~alia Regula similis, sensum illius prioris exprimens~~ ab Ethica traditis: ita et intellectus posset dirigi similibus Regulis nec magis Ethicæ quam Logicæ terminis primæ intentionis convenirent vel Regulas tradere per ejusmodi terminos magis convenit Ethicæ quam Logicæ unde Logica utitur secundis intentionibus non quo ad simpliciter esse; sed quo ad melius esse. Insto 2do instrumenta Sciendi ut præcedunt secundas intentiones et habent se antecedenter ad eas, constituunt Logicam. Ergo remotis 2dis intentionibus non tollitur Logica. Antec. prox. instrumenta Sciendi hoc modo habent vim dirigendi et faciendi scire. Ergo etc. Antec. Non accipiunt eam à 2dis intentionibus supervenientibus. Ergo etc. Antec. primum: Quia Ens rationis non potest talem vim Enti reali tribuere. Secundo quia alias demonstratio produceret effectum realem scil: Scientiam per Ens Rationis seu secundam intentionem tanquam per rationem causandi. 3tio Quia secundæ intentiones non tam tribuunt quam potius præsupponunt vim sciendi in primis quia fundantur in ipsis. PARS TERTIA THEOREMATIS (LOGICA ARISTOTELIS EST SCIENTIA OBJECTIVE REALIS) Probatur 1mo: Quia Objectum ipsius est Syllogismus 2do intentionaliter acceptus (ut dictum est in Theoremate tertio) Tum quia Regulæ ipsius sub terminis secundæ intentionis traduntur v.g. Genus prædicatur de Specie. Item diversorum generum et non subalternatim positorum diversæ sunt species et differentiæ. Item à Specie ad Genus affirmative valet argumentatio.

Margin: 2do fine Logica secundis intentionibus utatur. Instantia 2.

Margin: Axiomata.

OBJECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIO.

OBJECTIO 1ma (LOGICA IN SE NON EST SCIENTIA OBJECTIVE REALIS) Probatur: Est Rationalis. Ergo non est Realis. Antec. Logica (juxta Doctorem nostrum quæst. Universalium in fine) vocatur Rationalis, et 6 metaphys. quæst. 1 ubi dividit Doct. Scientiam speculativam in Realem et Rationalem, eadem Logica collocatur sub scientia speculativa Reali. Deinde juxta Boëtium est de 2dis intentionibus quæ sunt Entia Rationis. Ergo etc. RESPONDETUR: Horce Authores intelligendos esse de Logica Aristotelis quam ~~...~~ non utimur omnes communiter, non autem de Logica in se prout posset secundum se totam institui. CONTRA: Si Logica Aristotelis est Rationalis ut distinguitur à Reali et objectum ejus est aliquod Ens Rationis. Ergo et Logica in se secundum suam totam latitudinem sumpta est rationalis. Conseq. Quia Logica Aristotelis est pars Logicæ in se, et objectum ejus scil: Syllogismus continetur sub Objecto Logicæ in se, nempe ~~ut~~ sub modo Sciendi (nam Syllogismus est instrumentum Sciendi) Ergo si Logica Aristotelis est Rationalis, sequitur etc. Respon. Neg cons.

Neg. Conseq. utramq Ratio quia non uniformiter sed difformiter Logica Aristotelis et Logica in se accipiuntur. Uniformitatem et difformitatem istam sic intellige, scilicet accipe totam Logicam in se, NB deinde accipe Logicam Aristotelis quæ est pars illius prioris, tunc scias 1mo utramq istam Logicam posse tradi sub terminis 2dæ intentionis, et de facto una earum scil: Logica Aristotelis est sic tradita. Scias 2do utramq etiam posse tradi per terminos primæ intentionis, licet neutra earum de facto sit hoc modo tradita ab ullo Authore. Si igitur utraq tradatur sub terminis primæ intentionis, vel utraq sub terminis 2dæ intentionis, tum sic accipientur uniformiter et valebit una conseq. ab una ad aliam. At vero si una tradatur per terminos secundæ intentionis et altera per terminos 1mæ intentionis, iam sic accipientur difformiter et ab una ad aliam non valebit consequentia, nec objectum Logicæ Aristotelis scil: Syllogismus 2do intentionaliter acceptus continebitur formaliter sed tantum fundamentaliter sub objecto Logicæ scil sub instrumento sciendi quia vero superius argumentum procedit non uniformiter sed difformiter ideo in ipsa non tenet consequentia, neq Logica est suapte natura Rationalis Aristotelis; sed tantum ex intentione ipsius Authoris, et omnino habuisset objectum Reale (hoc enim petit ex natura sua) nisi Aristoteles immutasset. Contra: Logica Aristotelis est ex se Rationalis. Ergo Non ex intentione Aristotelis. Antec. Non enim in Authoris alicuius arbitrio est Scientias immutare. Ergo Logica Aristotelis est Rationalis. Antec. Quia Author non potest pro suo arbitrio assignare Objectum Scientiæ aliud nisi quod ipsius rei natura poscit (nam quævis Scientia ex natura sua, non autem ex bene placito Authoris determinato gaudet Objecto) Ergo etc. Respondetur: Neg. Antec. 2 Distinguo: Immutare Scientias et diversa objecta assignare accidit dupliciter 1mo secundum rem et naturam. 2do secundum modum tradendi seu methodum. Tunc sic: Non est in arbitrio Authoris immutare Scientias (secundum rem) Concedo. (2dum modum) Nego. Et sic est in proposito, cum enim modus seu instrumentum sciendi seu Regulæ recte cognoscendi Logicæ in se assignentur pro objecto et cum duplici ratione valeant tradi scil: per terminos primæ intentionis et per terminos 2dæ intentionis, maluit Aristoteles hoc secundo modo quam 1mo scil: per 2das intentiones tradere illas Regulas et propterea Logica ipsius Aristotelis est Rationalis. Quæres: Si potuit Aristoteles Logicam tradere per terminos primæ intentionis, cur potius per secundas intentiones eam instituit? Respondeo id eum fe

Immutare Scientias dupliciter accipit.

Id eum fecisse ob faciliorem methodum quia longè faciliùs et commodius res Logicales possunt intelligi per terminos 2darum quam primarum intentionum. Nam unus terminus secundæ intentionis id exprimit, ad quod exprimendum plures termini primæ intentionis requiruntur v.g. unus terminus (ly Subjectum) exprimit hoc totum (res de qua aliquid in Enunciatione affirmatur vel negatur. Similiter (ly Prædicatum) exprimit hoc (res quæ de alia affirmatur vel negatur) Item hæc 2da intentio (Genus) denotat nobis Animal, Colorem, metallum, Elementum etc. Idem ju[s] dices de aliis terminis Secundarum intentionum de quibus constantes Regulæ, multo sunt breviores illis Regulis quæ constant ex terminis primæ intentionis et commodiùs nostrum regulant intellectum, et propterea Aristoteles cui maximè fuit curæ tradere Logicam methodo facillimâ, Regulas Logicales per terminos 2dæ intentionis composuit v.g. Genus prædicatur de Speciebus suis: quæ Regula designat quod Animal prædicetur de Homine, bove, Leone etc. Item color de Albedine, nigredine etc. OBJECTIO 2DA (LOGICA ARISTOTELIS NON EST OBJECTIVE RATIONALIS) Probatur: Objectum Logicæ Aristotelis est reale. Ergo et ipsa est objectivè realis. Antec. Operationes intellectus sunt objectum Logicæ Aristot. Ergo. Conseq. Quia operationes intellectus sunt Reales. RESPONSIO: Nego utrumque Antecedens. Ratio quia Syllogismus non ~~etiam~~ autem operationes intellectus juxta Nos est objectum in Logica Aristotelis ut supra dictum Theoremate tertio.

CONTROVERSIA SECUNDA

DE

UNIVERSALIBUS IN COMMUNI

Multum ramosa et bonis ingeniis multum proficua Arbor est ista 2da controversia. Tractatio enim de Universalibus non modo sese ad Logicam; sed etiam ad Metaphysicam et ad Animasticam Doctrinam extendit estque ut ad omnes alias Scientias janua: ita omnium Philosophicarum Speculationum quoddam fundamentum, unde non levem à nobis omnibus requirit diligentiam. Illud interim sit certum: Nos non Universalia in essendo (quia hæc ad metaphysicam examinanda rejicimus) sed tantum Universalia in Prædicando quæ vulgò Universalia Logica vocantur hoc loco velle trutinare.

Theorema

THEOREMA PRIMUM ET SECUNDUM.

1mum Universalia in Prædicando seu Universalia Logica non dantur à parte rei; sed tantum per operationem intellectus. 2dum: Universalia in Essendo dantur à parte rei in rerum natura, non quidem separata à singularibus (ut de ideis Platonicis fert) sed inclusa in ipsis et realiter illis identificata.

Notandum 1mum Dictum 1mum Horum duorum Theorematum prius hoc loco, posterius autem (Deo dante) in metaphysica erit Demonstrandum. Dictum 2dum Universale quinque modis dicitur.

Quintuplex Acceptio Universalis, Contosus, cit.

1 Universale in causando estque omnis causa illa quæ eadem numero ad plures effectus concurrit ut Deus, Sol etc. 2 Universale in SIGNIFICANDO et nihil est aliud nisi vox plura significans v. g. color qui significat Albedinem, nigredinem etc. 3 Universale in REPRÆSENTANDO quod nihil est aliud nisi imago vel species rei v. g. imago equi vel species sensibilis vel cognitio aliqua ipsius multos equos quodammodo repræsentat. 4 Universale in essendo, quod nihil est aliud nisi natura communis in qua inferiora aliqua conveniunt et assimilantur à parte rei v. g. Natura Humana est universalis in essendo quia paulus convenit in ea cum Petro, non verò cum Bucephalo. Item natura Animalis in qua Petrus convenit cum Bucephalo, non verò cum lapide. 5 Universale in Prædicando quod nihil est aliud (dum sumitur in Abstracto) nisi secunda intentio quæ illi naturæ communi, quam vocari Universale in essendo modo diximus v. g. Humanitati seu Animalitati eo fine applicatur ut per ipsam actualiter applicatam illa natura communis sit apta et potens proximè + ~~dando~~. (Hoc est hoc: v. g. Petrus est Homo, Paulus est Homo, equus est Animal) vel etiam (dum sumitur in concreto) Universale prædicando est illa ipsa communis natura prout est jam Actualiter affecta & quasi vestita ejusmodi secundâ intentione qua scilic. Actu et proximè de multis prædicatur, dicendo hoc est hoc, qualis est ista natura homo in istis propositionibus Petrus est Homo, Paulus est homo.

+ et Actu de multis prædicari, dicendo, hoc etc.

Dictum 3tium: Ex his quinque modis tantum duo postremi nostro serviunt proposito, et 5tus quidem primario, 4tus autem quodammodo secundario. Dictum 4tum ~~[illegible]~~ 2 Univer

Duplex Acceptio universalis in essendo.

+remoto

Duplex acceptio universalis in Prædicando.

Universalia in ESSENDO vocatur aliter natura communis. Item Universale materiale, Universale fundamentale, Universale incompletum, Universale pro prima intensione, et universale metaphysicum, et dupliciter adhuc potest accipi. 1mo Pro Fundamento Universalitatis + sic nihil est aliud nisi ipsa natura per differentiam individualem contracta. 2do Pro Fundamento Proximo et immediato, et sic nihil est aliud nisi eadem ipsa natura per intellectum ab ea differentia individuali abstracta. Similiter Universale in prædicando aliter vocatur universale Formale, item universale completum, Universale in Actu, Universale pro secunda intentione. Et universale Logicum, atque dupliciter accipitur 1 In Abstracto seu pro universali tota. 2 In concreto pro natura communi ut est affecta et adornata seu vestita tali universalitate. NOTANDUM 2dum Dictum (1mum) Ad concipiendum Universale Logicum atque metaphysicum prout est fundamentum universalitatis tam remotum quam proximum proderit ista imaginatio. Concipe triplicem Statum et in eo ordine quodam concipe Pauli Humanitatem (in quo Paulo sint duo, differentia individualis, et ipsa humanitas) in 1mo statu tunc est quando per Singularitatem seu Differentiam individualem id est Pauleitatem est contracta, ut dum est in Paulo, et dum simul cum Differentia individuali seu Pauleitate constituit Paulum. In Secundo Statu tunc est quando per intellectum ab illa Differentia individuali abstrahitur (abstrahe humanitatem per intellectum à Pauleitate) nihil aliud nisi concipe humanitatem non concepta Pauleitate, non divisivè sed solum præcisivè. In 3tio statu est quando secundâ intentione scilicet Universalitate afficitur et quasi induit fitque Actu indifferens ad multa et potens proximè atque Actualiter de multis prædicari dicendo: Paulus est Homo etc. Dictum (2dum) Ista natura in tertio statu vocatur Universale Logicum. In 1mo autem et 2do statu vocatur Universale metaphysicum estque fundamentum universalitatis Logicæ quæ adveniens efficit illam naturam esse Universale Logicum. Sed in 1mo statu est Fundamentum remotum Universalitatis. In 2do autem est Fundamentum proximum ejusdem. Dictum (3tium) Natura communis duplicem habet aptitudinem ad Essendum in multis. Unam proximam et expeditam dum scil: est in statu tertio. Alteram remotam seu expeditam contrariè dum est in primo statu contracta per differentiam individualem aut negativè

Duplex Aptitudo naturæ communis ad essendum.

negativè solum dum est in statu secundo, F ex se ipsa neq est singularis neq Universalis completè & proximè; sed est indifferens tam ad singularitatem quàm ad universalitatem potestq esse tam singularis quam universalis, porrò fiet singularis si per differentiam individualem contrahatur ad eum modum quo Animal contrahitur per rationale: Fiet Universalis proximè seu completè si ab intellectu reducatur ad universalitatem. Hinc patet quod natura secundum se præcedat et singularitatem et Universalitatem atq in hoc statu pertinet ad metaphysicam.

Probatio Theorematis.

<u>Pars prima Theorematis (Logica Universalia non sunt à parte rei)</u> <u>Probatur</u>: Naturæ communes, ut Humanitas, Equinitas etc. in concreto sumptæ non sunt à parte rei, et ante opus intellectus propriè et rigorosè Universales: Sed Logica Universalia nihil sunt aliud, nisi Naturæ communes in concreto sumptæ iam propriè et rigorosè Universales. Ergo Logica Universalia etc. Minor: quià hæc vocantur Universalia v.g. Homo et Albedo est species: Animal et color est Genus etc. Major: Quicquid est propriè et rigorosè Universale, est aptum proximè seu in potentia propinqua prædicari de multis (quià quod est rigorosè Universale, est Logicum Universale, iam verò Universale Logicum est aptum proximè de multis prædicari) Sed naturæ communes ante opus intellectus, non sunt aptæ proximè prædicari de multis. Ergo etc Minor: Natura communes ante opus intellectus non sunt Universalia in Logica. Ergo Ans prox: Naturæ communes ante opus intellectus non sunt quia alias haberent Unitatem præcisam indifferentem secundum quam esset quævis earum in proxima potentia ad hoc ut prædicetur de quolibet supposito hoc modo (Hoc est hoc) Conseq. est Falsum Ergo et Antecedens. Sequela quià Universale in Actu dicitur illud quod habet Unitatem indifferentem secundum quam ipsum idem est in potentia proxima ut dicatur de quovis suo inferiore in hunc modum (Hoc est hoc id est Paulus, Ioannes etc. est homo) Nam Formalis <u>Ratio Universalis in duobus consistit: 1mo in Unitate 2do in communicabilitate</u> ut nimirum Actualiter vel saltem aptitudinaliter sit in pluribus quià hæc duo exprimit Philosophus 1 Posteriorum tex. 25. in Definitione Universalis (<u>Universale est quod est unum in multis et de multis</u>) Ergo si naturæ communes sunt Universalia in Actu, sequitur quod habeant et Unitatem et communicabilitatem. Falsitas: Nulla natura creata ante opus intellectus est de multis proximè prædicabilis. Ergo Nulla

Universale in Actu. Ergo

Ratio Universalis consistit in duobus.

F quià etiam in hoc statu secundo caret proximâ aptitudine ad hoc ut sit in multis, quià hæc aptitudo in tertio statu per intellectum illi tribuitur. <u>Dictum (4tum)</u> Natura communis v.g. Humanitas, Equinitas etc. dum est in secundo statu, ex se ipsa neq etc vid supra.

natura ha

naturæ habet unitatem præcisam indifferentem. Antec. v. g. Accipio naturam humanam, hæc ante opus intellectus non potest prædicari de multis proximè, et idem de aliis naturis sentiendum. Ergo etc. Antec. Tantum de uno supposito ante opus intellectus prædicatur. Ergo Non de multis. Antec. De illo tantum prædicatur in quo actualiter reperitur et quod à parte rei constituit (Quia dici DE, præsupponit esse IN) Sed in uno tantum supposito actualiter à parte rei natura Humana reperitur et illud unum constituit. Ergo Tantum de uno prædicatur. Minor: quia impossibile est ut reperiatur in pluribus à parte rei et ut plura constituat. Ergo In uno tantum reperitur. Antec. Tum Quia à parte rei in uno inferiori una est Humanitas et in multis multiplex. Si enim sint ~~primo~~ decem homines v. g. Petrus, Paulus, Joannes etc ~~primo~~ etiam decem erunt Humanitates. Tum quia alias humanitas esset illis omnibus eadem realiter. Conseq. Falsum. Ergo et Antec. Sequela: Quia Humanitas quæ est in Petro et constituit Petrum, est ei eadem realiter. Ergo Si est in pluribus et constituit plures, erit ipsis omnibus eadem realiter. Falsitas: Quia si est Humanitas eadem realiter pluribus, Sequitur quod illa plura sint eadem inter se Realiter. Conseq. falsum Ergo et Antec. Falsitas: quia Petrus realiter differt à Paulo etc. Sequela: Quia quæ sunt eadem uni tertio, Sunt eadem inter se. Sed illa plura essent eadem uni tertio scilicet Humanitati. Ergo Essent eadem inter se. Confirmatur illud Antecedens (quod nulla natura creata sit de multis proximè prædicabilis ante opus intellectus) Quia natura quæ est proximè prædicabilis habet communitatem positivam et aptitudinem proximam. Sed natura creata ante opus intellectus non habet communitatem positivam aut aptitudinem proximam ad prædicandum. Ergo etc. Minor: quæ habet communitatem positivam aut aptitudinem proximam ad prædicandum, illud omnia inferiora æqualiter respicit, nec magis ad unum quam ad aliud refertur. Sed natura creata ante opus intellectus non respicit æqualiter omnia. Ergo etc. Minor: Pro quo instante natura materia est impedita, pro eo non potest æqualiter sua inferiora respicere: Sed natura creata ante opus intellectus est impedita (quia est per differentiam individualem contracta) Ergo Ante opus intellectus non respicit æqualiter omnia inferiora. SECUNDA PARS THEOREMATIS (UNIVERSALIA LOGICA FIUNT PER OPERATIONEM INTELLECTUS) Probatur: Non sunt à parte rei. Ergo fiunt per operatione intellectus. Antec. modo in 1ma parte Theorematis est probatum. Cons. clara: Quia quicquid dicitur habere ESSE, aut illud habet ante opus intellectus, aut per opus Intellectus. Ergo Si Universalia non sunt à parte rei, Sequitur quod sint per operationem intellectus.

OBIECTIONES ET SOLUTIO EARUNDEM.

Obiec

OBJECTIO PRIMA (UNIVERSALIA [F] SUNT À PARTE REI) Probatur: Datur à parte rei Singulare. Ergo et universale. Conseq. Quandò unum Relativorum datur, debet et alterum dari (cum Relativa sunt simul natura) Sed singulare et universale sunt Relativa. Ergo si datur à parte rei singulare, sequitur dari et Universale. RESPONDEO conseq. Neg. Ratio quia difformiter singulare et Universale accipitur. Nam in Antec. singulare sumitur materialiter, in Consequent. autem Universale sumitur formaliter. SCIAS Tunc Formaliter sumi Singulare et Universale quandò pro ipsis intentionibus superioritatis et singularitatis seu inferioritatis accipiuntur: Deinde tunc materialiter accipiuntur quandò pro ipsis rebus [+], quibus nimirum tales intentiones conveniunt, accipiuntur. Undè singulare et Universale sumpta uniformiter sunt Relativa et simul natura, et si unum datur, alterum etiam debet dari. At verò sumpta difformiter (nimirum quandò unum sumitur materialiter, alterum Formaliter) non sunt Relativa, nec simul naturâ, nec si unum datur à parte rei, debet dari alterum. OBJECTIO SECUNDA (LOGICA UNIVERSALIA NON FIUNT PER OPERATIONEM INTELLECTUS) Probatur: Quià aliàs si fierent per intellectum, sequeretur illa esse realia. Consequens falsum Ergo et Antec. Falsitas clara quià est contra primam partem hujus Theorematis. Sequela: Quicquid fit per intellectum vel ejus operationem est Reale. Ergo etc. Antecedens probatur: Causæ Realis debet effectus etiam esse Realis: Sed intellectus est causa Realis, similiter ejus operatio. Ergo etc. RESPONSIO Sequel. Neg. deinde probationem Distinguo. Fieri dupliciter 1mo modo propriè vel simpliciter. 2do modo impropriè et secundum quid. Quæ fiunt primo modo, sunt Realia; sed quæ fiunt secundo modo, non sunt realia. Porrò Logica Universalia hoc secundo modo fiunt non quidem ratione fundamenti seu naturæ communis; sed ratione ipsius universalitatis quæ est Ens Rationis. Ideo autem Ens Rationis non potest dici effectus causæ realis qui scil: verè et Realiter influit in Effectum, nec potest per Realem et Physicam Actionem à causa pendere quià non habet esse verum et Reale, neq est Ens simpliciter; sed tantum secundum quid. Undè quale habet esse, talem et productionem sui esse.

THEOREMA TERTIUM

Logicum Universale est quid Formaliter Relativum, non verò absolutum.

Notâ

[F] Logica

[+] Substratis

258

NOTANDUM Dictum 1mum. Hoc Theorema aliis verbis sic solet exprimi: Essentia Universalis Logici Formaliter in relatione consistit et per respectum Rationis naturæ communis ad sua inferiora constituitur. Dictum 2dum Ad constitutionem Logici Universalis duo concurrunt. Unum per modum materiæ sc: natura communis seu Universale metaphysicum. Alterum per modum Formæ scil: 2da intentio Universalitatis quam in natura communi fundat intellectus eo fine ut per eam sua inferiora formaliter respiciat natura. Dictum 3tium Natura communis metaphysice inspecta, est duplex. Quædam est quid absolutum v. g. Homo, Linea, Albedo, Scientia etc. Quædam est quid respectivum seu ipse respectus v. g. Paternitas, filiatio, similitudo etc. et in hac natura communi utraque potest fundari secunda intentio Universalitatis et utraque potest esse Universale Logicum. Dictum 4tum Per Logicum Universale in hoc Theoremate non intelligitur sola Universalitas aut sola natura communis; sed intelligitur utrumque nimirum natura communis affecta et vestita secunda intentione universalitatis, et porro Universalitas seu secunda intentio Universalitatis nihil est aliud nisi Relatio seu respectus rationis quo natura communis ad sua inferiora formaliter, Actualiter refert.

Duo concurrunt ad constitutionem Logici Universalis.

Duplex est natura communis Physice accepta.

Definitio Universalitatis.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS PRIMA THEOREMATIS (LOGICUM UNIVERSALE EST QUID RELATIVUM FORMALITER) Probatur 1mo. Omne Prædicabile est formaliter Relativum: Sed Logicum Universale est prædicabile. Ergo etc. major: Omnis Prædicabilitas est relatio. Ergo Omne prædicabile est relativum. Consequentia Nam ubi arguitur ab abstractis accidentalibus ad concreta accidentalia in prædicatione per se est optima consequentia (v. g. Albedo est color. Ergo Album est coloratum etc.) Sed in proposito ita arguitur. Ergo. Antec. Quicquid dicit ordinabilitatem est Relatio: Sed prædicabilitas dicit ordinabilitatem seu ordinem. Ergo Omnis prædicabilitas est Relatio. Minor: Quia est principium Formale quo natura communis formaliter ad sua inferiora refert. Probatur 2do Natura communis universalizata est quid formaliter Relativum. Sed Logicum universale est natura communis universalizata. Ergo Logicum Universale est quid Relativum†. Ergo et natura communis universalizata est quid formaliter Relativum. Antec. Omnis Universalitas est Relatio Ergo Omne Universalizatum est quid Relativum. Consequens valet quia (ut modo dictum fuit) argumentatur ab abstractis ad concreta. Anteced. Omnis intentio est Relatio Rationis (quia secunda intentio est comparatio passiva ad modum mutuæ relationis concepta qua duo objecta secum in attributo Rationis comparata sese invicem non vero intellectum comparantem formaliter respiciunt) Sed Universalitas est secunda intentio. Ergo etc. PARS SECUNDA THEOREMATIS Logi-

Axioma.

† major omne universalizatum est quid relativum. Ergo etc.

tis (LOGICUM UNIVERSALE NON EST QUID FORMALITER ABSOLUTUM) Probatur: Quod est Formaliter Relativum et per respectum constituitur in suo esse, illud non est formaliter absolutum (quià unius et ejusdem essentia non potest constitui et per respectum et per esse absolutum) Sed Logicum Universale est quid Formaliter Relativum (ut modo fuit probatum) Ergo etc.

OBIECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIO.

OBIECTIO PRIMA (LOGICUM UNIVERSALE NON EST FORMALITER RELATIVUM) Probatur: Alias si esset tale, sequeretur quod Relatio Rationis pura constitueret naturam Universalem. Conseq. Falsum. Ergo et Antec. Falsitas dupliciter probatur 1mo Illa Relatio Rationis id est illa Universalitas est quædam una secunda intentio singularis. Ergo Non potest constituere naturam Universalem. 2do Per illud quod ad constitutionem Logici universalis prorsus est impertinens non potest Logicum universale constitui. Sed Relatio Rationis nimirum Universalitas est prorsus impertinens ad constitutionem Logici Universalis. Ergo. minor: quià neque prædicatur de inferioribus illa Relatio Rationis (non licet enim dicere Petrus est universale, aut Bucephalus est Universale) neque ipsa natura prout afficitur hâc Relatione Rationis seu secundâ intentione Universalitatis potest prædicari de inferioribus quià hoc modo esset Ens per Accidens, iam verò natura communis Realiter et per se debet prædicari. RESPONDETUR Neg. Falsitatem. Deinde in prima probatione falsitatis Neg. Conseq. Ratio: Quià quemadmodum species impressa vel expressa licet sit entitativè seu in essendo singularis, tamen repræsentativè seu in repræsentando est universalis: † undè est Universale (ut QUO tantum) ò verò (ut QUOD) nimirum est id quo natura communis dicitur universalis formaliter, non verò id cui convenit Universalitas. In secunda probatione falsitatis Neg. minorem, dum autem probatur Concedo quod illa Relatio non sit prædicatum neque de inferioribus prædicetur. Nam falsa est ista prædicatio: Petrus est Species: undè est tantum conditio prædicati et non ipsum prædicatum quià natura communis sub tali Relatione Rationis prædicatur de inferioribus non quidem quatenus est Ens per accidens ex natura et Relatione rationis constitutum; sed solum per rationem naturæ quæ est unum Ens per se quamvis non possit proximè prædicari de multis nisi prius Actualiter ejusmodi secundâ intentione Universalitatis afficiatur. OBIECTIO SECUNDA (LOGICUM UNIVERSALE EST QUID ABSOLUTUM) Probatur: Alias si non esset absolutum, sequeretur quod Albedo etiam non esset quid absolutum. Conseq. Falsum Ergo et Antec. Falsitas quià ponitur in prædicamento Qualitatis quod dicitur esse absolutum (nam tria sunt prædicamenta absoluta Substantia, Qualitas, Quantitas) Ergo etc. Sequela Albedo est universale Logicum. Ergo si Logicum univer

† ita et secunda intentio universalitatis licet sit in essendo singularis, tamen in denominando est universalis undè etc.

Tria sunt prædicamenta Absoluta.

universale non est quòd absolutum, sequitur quod neq albedo erit quid absolutum. Antec. Omnis natura Logica specifica est universale. Sed albedo est natura specifica. Ergo etc. Responsio: Neg. 1 Sequelam 2 Antec. 3 Distingu. majorem. Natura specifica dupliciter concipi[tur] 1mo Logicè prout est in 3tio statu prout scil: est reducta ad Universalitatem Logicam sic[ut] prout positivè est indifferens et inexistens conjunctim omnibus suis inferioribus. 2do metaphysicè ut est in secundo statu prout necdum est reducta et ut tantum est negativè indifferens et [distin]ctim inexistens. Tunc sic: Natura specifica est Logicum Universale Distingo 1mo modo Concedo. 2do modo Nego.

Theorema Quartum

Esse in multis dicit Essentiam Logici universalis, Dici de multis exprimit propriam Passionem ejusdem.

Notandum Dictum 1mum Duplex respectus Rationis in Natura communi assignatur ad inferiora Unus ad essendum in inferioribus. Alter ad prædicandum de ipsis. Prior dicit essentiam Universalis Logici, posterior autem denotat ejus propriam passionem. Dictum 2dum Dum hic docemus quod Logicum Universale per esse unum in multis constituatur, loquimur non de unitate illa quam habet natura ante opus intellectus scil in 2do statu; sed de illa unitate quam habet post opus intellectus in tertio scil: statu quatenus est indifferens positivè ad hoc ut sit in multis conjunctim et ipsis inexistat.

Probatio Theorematis.

Pars 1ma Theorematis (Esse in multis denotat essentiam Logici Universalis) Probatur: Quicquid est primum quod de aliquo intelligitur, illud denotat illius Essentiam. Sed esse in multis est primum quod de Logico Universali seu de Universali in Actu intelligitur. Ergo esse in multis, dicit essentiam Logici Universalis. Minor: Tum primo. Quod in Definitione Logici Universalis prius tribuitur Universali, est primum quod de illo intelligitur. Sed esse in multis prius Logico Universali tribuitur in Definitione (quia 1 Posteriorum t. 25 sic definit Philosophus ipsum: Universale est id, quod est unum in multis et de multis, ubi ut patet) prius unum esse in multis quàm dici de multis ponitur) Ergo etc. Tunc Secundo Quia esse est prius in Universali Logico quàm dici de multis. Ergo etc. Antec. Illud est prius respectu alterius alicujus quod ab illo præsupponitur: Sed esse in multis præsupponitur à Dici de multis. Ergo esse in multis prius est quàm dici de multis. Minor: Inferiora præsupponuntur à Dici de multis. Ergo esse in

esse in multis debet præsupponi. Conseq. Inferiora non possunt ēē nisi in ipsis includant superiora. Ergo si inferiora præsupponuntur à dici de multis sequitur etc. Confirmat: Esse in) est ~~[illegible]~~ + (dici De) Ergo est prius esse (in) quam dici (De). Conse. clara: quia causa prior est suo causato. Antec. Ideò enim paries dicit alb⁹ quia albedo est in pariete. PARS SECUNDA THEOREMATIS (DICI DE MULTIS EST PASSIO UNIVERSALIS LOGICI) Probatur: Quandò alicui rei conveniunt duo concept⁹ quorum unus est altero prior ut ratio et causa illi⁹, tunc prior concept⁹ constituit rem, alter verò habet se ut passio (quia essentia consistit in primo conceptu qui cognoscitur in objecto, proprietas verò est secund⁹ concept⁹ qui à primo pullulat) Sed naturæ communi conveniunt duo conceptus. Unus est posse ēē in multis, alter posse prædicari de multis ut patet ex Definitionibus quas tradit Philosoph⁹. Aliquandò etiam definit Universale quod sit unum aptum esse in multis, aliquandò verò quod sit prædicabile de multis. Sed prius est posse esse in multis quam posse prædicari de multis. Ergo etc. minor: Quià prior est mensura mensurato: Sed esse in multis Actualiter vel aptitudinaliter est mensura prædicationis vel prædicabilitatis (nam ex eo quod res est vel non est, dicitur oratio vera vel falsa) Ergo prius est posse esse in multis quam posse prædicari. Vel sic: quandò^cunque^ duo aliqua attributa eidem rei conveniunt quorum attributorum unum est causa alterius, tunc illud quod est causa, non potest ēē ~~[illegible]~~ passio^ illius quod est causatum sed potius contra. Atqui ēē in multis et prædicari de multis conveniunt Universali. Esse autem in multis est causa ipsi⁹ Dici de multis. Ergo Esse in multis non est passio ipsius dici de multis sed potius contra: si sic? Ergo Dici de multis est passio Universalis Logici. minoris prima pars patet, 2da pars probat^r^ ideò enim homo dicit^r^ de multis quià est in multis, nam secunda operatio per quam talis fit prædicatio præsupponit primam quâ hoc apprehenditur in illo absq̃ ulla affirmatione. Præterea Quicquid præsupponit adæquatam rei essentiam et adhuc illam necessariò sequitur, est passio ipsi⁹; Sed posse dici vel prædicari de multis præsupponit adæquatam Universalis Essentiam jam constitutam per esse in multis, et adhuc necessariò illi convenit. Ergo est ipsi⁹ proprietas. Notes: quod posse prædicari de multis dum pro passione Universalis assignatur, solet habere istas conditiones ut nimirum prædicet^r^ verè affirmativè et directè seu Essentialiter seu accidentaliter seu in Quid seu in Quale, seu necessariò seu contingenter. Ad extremum nedum successivè et disjunctim sed ~~[illegible]~~ etiam simul et conjunctim.

OBIICI

+ CAUSA

Conditiones requirunt^r^ ad hoc ut aliquid de multis possit prædicari dum pro passione Universalis assignat^r^.

Obiectiones et earundem Solutio.

Obiectio 1ma (Esse in multis non est de essentia Logici universalis) Probatur: Dici de multis est de Essentia Logici Universalis. Ergo Non est in multis. Antec. Quicquid dicit prædicabilitatem, illud est de Essentia Logici Universalis. Sed dici de multis dicit prædicabilitatem. Ergo Dici de multis est de essentia Logici universalis. major: Prædicabilitas est de Essentia Logici universalis. Ergo id quod dicit prædicabilitatem etc. Antec. Illud dicit Essentiam seu est de Essentia Logici Universalis quod est de primario conceptu constitutivo Universalis Logici.† Ergo etc. minor: Per quod Universale Logicum principaliter differt ab Universali Metaphysico illud est de primario conceptu constitutivo Logici Universalis (quia differentia distinctiva est simul et constitutiva) Sed per prædicabilitatem Logicum Universale principaliter differt ab universali metaphysico. Ergo etc. ℞ Neg. 1 Antec. 2 majorem. 3 Antec. 4 minorem. 5 minorem. Ratio: Nam per esse (in rationis) non autem (reale) differt principaliter Logicum Universale ab Universali Metaphysico. Nam utrum et metaphysicum et Logicum Universale dicitur universale in essendo: Sed metaphysicum dicitur Universale per (esse reale) At verò Logicum Universale, dicitur Universale per (esse in Rationis) Dices: Cur ergo Logicum Universale, vocatur Universale in prædicando et Metaphysicum Universale in Essendo. Respondeo Hoc fieri 1mo Ut facilius evitetur æquivocatio quæ contingeret si diceremus et Universale metaphysicum esse Universale in Essendo, et Logicum quoque esse Universale in essendo, quæ non contingit dum prius vocamus Universale in essendo, posterius autem Universale in prædicando. 2do Quia prædicabilitas seu prædicari magis exprimit finem hujus tractatus de Universalibus qui ideò est inventus, ut rectè cognoscentes terminos simplices absque errore possimus eos conjungere et unum de alio prædicare seu enunciare. Obiectio 2da (Dici de multis non est passio Logici universalis) Probatur: Prædicabilitas non est passio Logici Universalis. Ergo Neque Dici de multis erit passio. Conseq. Nam prædicabilitas et dici de multis æquipollent. Antec. Si prædicabilitas esset passio, sequeretur quod inesset omni, soli, et semper (nam passio propria qualibet inest omni, soli et semper) Conseq. falsum. Ergo et Antecedens. Falsitas: quià alias si prædicabilitas inesset omni, soli et semper, sequeretur quod prædicabilitas

† Sed prædicabilitas est de primario conceptu constitutivo universalis Logic. ergo etc.

NB

prædicabilitas ejusmodi esset proprium Universalis. Nam inest omni, soli et semper est Definitio ~~proprii~~ (ut notum) Consequens falsum. Ergo et Antec. Falsitas quia alias prædicabilitas esset passio et non esset ipsius Universalis, esset quia ita dicis: Non esset autem probo: ~~Non~~ Esset proprium. Ergo Non posset converti cum Universali. Conseq. Quia proprium et id quod continetur sub proprio non convertitur cum Universali. Ergo si prædicabilitas esset proprium, sequeretur quod non esset passio. Ante. Quia nec Species, nec contentum sub Specie potest converti cum Genere. Sed proprium est Species Universalis; prædicabile est contentum sub Specie Ergo etc. RESPONSIO Neg. 1mum Antec. 2 Falsitat. 3 Disting. Conseq. illud (Prædicabilitas est et proprium) 2pliciter esse proprium potest intelligi 1mo modo Quidditativè 2do modo Denominativè accipiendo. Conseq. Concedo 2do modo esse falsum, et sic procedit ejus probatio; accipiendo autem 1mo modo scil. Denominativè est verum, sed probatio ejus nihil valet, neque enim ullum est inconveniens si aliquid convertatur cum Genere et denominetur à Specie potissimum autem in secundis intentionibus ubi una prædicatur de alia ut modus, non verò ut quid v. g. Genus est Species, Species est Species, Universale est Genus etc. Sicut dicimus nomen est nomen, dactylus est dactylus. p.

+ est ex prædicabilibus. conseq. etc.

THEOREMA QUINTUM.

Licet ad fundandam Logicam Universalitatem requiratur ut natura sit omninò plurificabilis in multa, non tamen oportet ut sit Actu multiplicata, aut naturaliter multiplicabilis.

NOTANDUM Dictum 1mum: Quia Logica Universalitas est Forma seu Accidens seu Relatio Rationis ideò requirit fundamentum in quo fundetur. Porro istud Fundamentum nihil est aliud nisi natura communis quæ dicitur universale in essendo. Dictum 2dum: Naturæ communes aliæ sunt Actu plurificatæ in multis qualis est natura Humana quæ est plurificata in Petro, Paulo etc. item equinitas, bovinitas etc. Aliæ non sunt ita Actu multiplicatæ, qualis est natura Solis, Lunæ etc p.

Naturæ communes duplices sunt.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS 1MA THEOREMATIS (AD FUNDANDAM LOGICAM UNIVERSALITATEM REQUIRITUR NATURA PLURIFICABILIS) Probatur: ~~Natura~~: Natura immultiplicabilis seu implurificabilis requiritur. Antec: Quicquid est Fundamentum Logicæ universalitatis, habet aptitudinem et non repugnantiam

1a parte rei non potest esse fundamentum Logicæ universalitatis Ergo natura plurificabilis requiritur. Antecedens etc. vide supra vel potius infra lineâ penulti.

repugnantiam‡ seu aptitudinem ad multiplicari. Ergo etc. Dices: Quod licet à parte rei eam non habeat, tamen ab intellectu potest habere. Contra. Implicat contradictionem ut natura quæ est à parte rei implurificabilis ab intellectu habeat aptitudinem ad plurificari. Ergo non habet. Antec. Quicquid naturæ repugnat à parte rei, illud eam habere ab intellectu implicat contradictionem Sed habere aptitudinem ad implicari repugnat naturæ à parte rei. Ergo etc major: Alias etiam individuum v.g. Petrus posset habere ab intellectu ejusmodi aptitudinem et per consequens posset fundare Logicam Universalitatem et tandem posset esse Universale quod est omninò falsum. PARS 2da THEOREMATIS (AD FUNDANDAM LOGICA UNIVERSALITATEM NON REQUIRITUR UT NATURA ACTU SIT PLURIFICATA IN MULTA INFERIORA) Probatur: Quià Actualis multiplicatio ad hoc non est necessaria. Ergo etc. Antec. Alias natura Solis, Lunæ etc non posset concipi ut Universalis. Conseq. Falsum Ergo et Antec. Falsitas: quià etiam uno tantum individuo existente, adhuc natura potest concipi ut indifferens ad plura: quinimo si absolutè loquamur, nec unius quidem individui existentia requiritur ut natura communis dicatur Logicæ Universalis, si enim Paulus, Petrus et alia individua omnia non existant, adhuc naturam humanam poterit Angelus concipere ut Universale. PARS 3tia THEOREMATIS (AD FUNDANDAM UNIVERSALITATEM LOGICAM NON REQUIRITUR UT NATURA SIT PER NATURALEM POTENTIAM PLURIFICABILIS) Probatur: Sine potentia Physica potest Logica Universalitas fundari. Ergo etc. Antec. Sine quo potest esse fundamentum Logicæ Universalitatis, sine eo potest fundari Logica Universalitas (quià ubi est fundamentum Logicæ Universalitatis, ibi potest fundari Logica Universalitas) Sed sine potentia Physica potest esse fundamentum Logicæ Universalitatis. Ergo etc. Minor: Non requiritur necessariò ad Logicam Universalitatem fundandam potentia Physica. Ergo sine ea potest esse fundamentum etc. Antec. Alias si requireretur necessariò ista potentia, sequeretur quod etiam requireretur ad non repugnantiam multiplicationis. Conseq. falsum. Ergo et Antec. Sequela: Quià non repugnantia† ad multiplicabilitatem est fundamentum Logicæ Universalitatis. Ergo si requireretur etc. Falsitas: Ad potentiam Logicam non requiritur potentia Physica (per Potentiam Physicam intelligitur Agens naturale non autem supernaturale) Sed non repugnantia ad multiplicabilitatem est potentia Logica. Ergo ad eam non requiritur Agens Physicum et per consequens non potentia naturalis. Q.

† Quià

‡ ad plurificari (quià non repugnantia ad multiplicari est fundamentum Logicæ universalitatis, sed natura à parte rei impluvificabilis non habet talem repugnantiam seu aptitudinem etc. vid supra.

Objectio

Obiectiones et earundem Solutio.

Obiectio 1ma (Ad fundandam Logicam universalitatem non requiritur natura à parte rei multiplicabilis) Probatur: Sufficit natura per intellectum multiplicabilis licet impossibilia. ① Ergo etc. Antec. Illa natura sufficit quae habet aliqua plura inferiora conficta. Ergo etc. Major: Illa natura habens talia inferiora refert ad ipsam. Ergo sufficit. Conseq. nam si refertur, per universalitatem refertur (quia universalitas est Relatio superioris ad inferiora plura) Ergo si illa natura refert, sequit. etc. Antec. Datur in illa natura relatio ad inferiora. Ergo Refertur ad illa. Antec. Ubi datur fundamentum et terminus, ibi datur Relatio; sed in proposito datur fundamentum scil: natura talis, datur terminus, nimirum illa inferiora ficta. Ergo etc. Dices: Quod inferiora ista non sufficiunt pro termino. Contra: Probo quod sufficiant. Relationi rationis sufficit pro termino aliquid Rationis (aliàs relatio Rationis esset Relatio realis si haberet terminum realem) Sed universalitas est Relatio rationis. Ergo sufficit illi pro termino aliquid Rationis. Ergo illa plura ficta inferiora sufficiunt pro termino. Responsio Neg. 1 Antec. 2 majorem 3 et 4 Antecd. 5 Primam partem minoris. Ratio: quia universalitatis fundamentum debet esse ex natura rei, non autem fictum, licet enim universalitas sit Relatio rationis dum sumit. formaliter, tamen requirit fundamentum in re, neq. enim intellectui nostro concessum est ut applicet alicui universalitatem nisi supposito in re fundamento, aliàs posset aequè verè intentionem speciei specialissimae fundare in Animali sicut fundat in homine et genereitatem in Paulo, sicut fundat eam in substantia, quod tamē est falsum. Praeterea ejusmodi Universale respiciens plura ficta inferiora non posset dici Universale Logicum propriè sed tantum abusivè, non respiceret enim illa plura in quibus posset esse, et de quibus posset praedicari; sed potius in quibus eē non potest, nam de fictis non praedicaret nisi fictè cum tamen praedicatio Logici Universalis vera, non autem ficta eē debeat. Obiectio 2da (Ad fundandam Logicam universalitatem est opus actuali multiplicatione naturae) Quia sine multiplicatione actuali non potest intellectus naturam facere Logicè universalem. Ergo etc. Antec. Absq. multiplicatione actuali non potest facere abstractionem. Ergo etc. Antec. Quia nullam haberet occasionem abstrahendi. Ergo etc. Responsio: Neg. 1mum 2dum et 3tium Antecedens quia haberet occasionem scil: illud unum individuum quod actu existit nam ab illo existente potest natura abstrahi imò eo non existente adhuc ab aliis possibilibus posset abstrahi, si non per intellectum humanum qui dependet in cognoscendo à sensu, at saltem per intellectum Angelicum etc.

Theorem.

① Natura per intellectum plurificabilis habet plura ficta inferiora. Ergo etc.

THEOREMA SEXTUM.

Transcendentia v.g. Ens, Unum, Verum, Bonum etc item naturæ incompletæ, v.g. Anima, Forma, Materia, Voluntas sunt capaces Logicæ Universalitatis: imò etiam (sed minus propriè) privationes.

Universale ē duplex, Prædicamētale et Transcendentale.

Prædicamentale ratione fundamēti est duplex, Completum ut homo, incōpletum. ut. materia.

Notandum Dictum 1mum: Universale est duplex. Aliud prædicamentale seu limitatum v.g. Substantia, Quantitas etc. Aliud Transcendentale seu illimitatum v.g. Ens, Unum etc. Rursq Prædicamentale ratione fundamenti potest ēē duplex: Completum ut homo, aliud incompletum: materia, Anima etc. Dictum 2dum. Quinque ista Universalia, Genq, Species, Differentia, proprium et Accidens sunt Universalia prædicamentalia, et hæc sola tradidit Porphyrius utpote ea quæ serviunt ad prædicamenta cognoscenda. Porrò præter ista quinq datur transcendentale quod nec est Genus nec Species etc. Dictum 3tium: Universalia incompleta dicunt incompleta ratione Formæ, quasi desit ipsis aliquid ad Universalitatem requisitum sed tantum ratione materiæ quià fundamentū talis universalitatis est quid incompletum ordinatū ad alicuiq alterіq Entis complementū quemadmodū Anima ordinantr ad completum Hominis.

PROBATIO THEOREMATIS.

Pars 1ma et Secunda Theorematis (Transcendentia et naturæ incompletæ sunt capaces Logicæ Universalitatis) Probatr 1mo Quicquid habet inferiora vel potest habere ad quæ referatr est capax Logicæ Universalitatis[+]: Sed Transcendentia et naturæ incompletæ habent inferiora ad quæ referantr. Ergo etc. minor: Quicquid est plurificabile in plura ejsdem rationis, habet inferiora ad quæ referatr (nam illa plura sūt inferiora) Sed Transcendentia et naturæ incompletæ possunt plurificari in plura ejsdem rationis. Ergo etc minor: Quià sicut Homo in plures homines, ita Ens in plura Entia, materia in plures singulares materias multiplicatr. Similiter Anima in Vegetativam, Sensitivam et Rationalem, et harū singulæ in alias plures numero distinctas plurificantr. Ergo etc. Probatur 2do: Quæcunq naturæ possunt fundare in se Universalitatem Logicam, sunt capaces ipsiq: Sed transcendentia et naturæ incompletæ possūt fundare Logicam Universalitatem. Ergo etc. minor: Illæ naturæ possūt fundare Universalitatem Logicam quæ habent Unitatem essentiæ et reperiuntr in pluribq, vel saltem cum tali unitate possunt reperiri, et de illis tanquam superiq de inferioribq prædicari. Sed Transcendentia et naturæ incompletæ sunt ejsmodi. Ergo etc. major: Nam reperiri in multis et prædicari de illis

[+] Probatur: Quicquid habet inferiora, vel potest habere ad quæ referatr est capax Logicæ universalitatis. Sed etc.

illis constituit Universale. Ergo etc. Confirmatur: Aristoteles 3 metaphysi: tex. 10 Asserit Ens et Unum maximè Universalia. PARS 3tia Theorematis (Privationes sunt capaces Logicæ Universalitatis) Probatur: Possunt fundare Logicam Universalitatem. Ergo etc. Antec. Quæ denominantur ab intentione 2da Generis vel Speciei, illa possunt fundare Logicam Universalitatem. Sed privationes denominantur. Ergo etc. minor: Quià cæcitas est Species privationis. Item privatio prædicatur de surditate tanquam Genus. Item Vitium est Genus Superbiæ. Avaritia est Species vitii. Ergo etc. Unde valet consequentia: Est Avaritia Ergo est vitium sed non è contra. Item est cæcitas Ergo est privatio sed non è contra. Sic etiam ut dicimus est homo Ergo est Animal sed non è contra.

OBIECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIO.

OBIECTIO 1ma (Transcendentia non sunt capacia Logicæ Universalitatis) Probatur: Alias sequeretur quod Ens esset Universale. Conseq. Falsum ergo et Antec. Falsitas: Universale removetur ab Ente. Ergo Ens non est Universale. Antec. A quo removentur omnes Species Universalitatis, ab illo etiam ipsum Universale removetur (quià Genus absque Speciebus non invenitur) Sed ab Ente removentur omnes Species Universalis Ergo etc. minor: quià Ens neque est Genus neque Species, neque differentia, neque proprium, neque Accidens. Ergo etc. Non Genus quià genus non prædicatur in quid de Differentia. Sed Ens prædicatur in Quid de Differentia ut Rationalitas est Ens. Ergo etc. Non Species quià Species collocatur sub Genere, sed Ens sub nullo potest collocari Genere. Ergo etc. Non Differentia, aut proprium aut Accidens quià ista prædicantur in Quale. Ens verò prædicatur in Quid. Ergo etc RESPONSIO: Neg. Falsitatem. Deinde Disting. Antec. Universale est duplex: Aliud limitatum et hoc removetur ab Ente concedo. Aliud illimitatum et hoc removetur ab Ente Nego. OBIECTIO 2da (Naturæ incompletæ non sunt capaces Logicæ Universalitatis) Probatur: Alias materia prima et Forma essent quoque capaces ipsius. Conseq falsum Ergo et Antec. Falsitas: Omne Universale dicit aliquam naturam completam et perfectam. Sed materia et forma non sunt naturæ completæ (quia tantum sunt partes essentiales naturarum). Ergo materia et Forma non sunt Universalia. Si sic! Ergo Non sunt capaces Logicæ Universalitatis. major: Quicquid est in Genere seu prædicamento, dicit naturam completam (nam natura partialis seu incompleta non est in Genere nisi ratione totius. Sed omne Universale est in Genere) Ergo etc. RESPONSIO: Neg. 1 Falsitatem 2 majorem. 3 minorem. Nam visibile, mugibile et aliæ passiones sunt universalia, et tamen tantum reductivè in suorum subiectorum ponuntur prædicamento, et Differentiæ indirectè collocantur in prædicamento. etc.

Theorema

Theorema Septimum.

Universalia Limitata, nec plura nec pauciora dantur quàm quinque.

Notandum Dictum 1mum. Circa hoc Theorema possunt esse quinq̀ opiniones. 1ma Boëtii et aliorum Græcorum, tenent Universalia tantum duo: Genꝰ et Species. 2da Ta[illegible] tenent quoq̀ Universalia scil: Genꝰ et Speciem sed quinq̀ prædicabilia faciens distinctionem inter Universale et Prædicabile. 3tia Cajetani tenet septem addit enim individuum vagum v.g. quidam homo et definitionem v.g. Animal rationale. 4ta Quorundam Theologorum tenet 6 addit prædicabile assumptivum ex mysterio incarnationis, dum natura substantialis assumpta dicitur de Persona assumente v.g. Deus est homo, verbum est homo quod prædicatum quoq̀ posset de pluribꝰ, si prima et tertia persona in Divinis assumerent aliam atq̀ aliam humanitatem. 5ta Communis tenet quinq̀ Universalia tantum. Dictum 2dum. Universale et prædicabile ambo æquè latè patent et ita, se habent sicut homo et visibile quià Universale est subjectum, prædicabile verò est propria passio.

Probatio Theorematis.

Pars 1ma Theorematis (Universalia non sunt plura quàm quinq̀) Probatur: quià alias aut individuum vagum, aut Definitio aut prædicabile assumptivum esset addendum. Hoc dici non potest Ergo etc. Non primum quià omne Universale est terminꝰ communis: Sed individuum vagum non est terminus communis. Ergo Non est Universale. Si sic ergo non potest addi. Minor: Termino communi licet addere signa Universalitatis vel particularitatis v.g. Omnis homo, nullū Animal, aliquis equus etc. Sed individuo vago v.g. huic: Quidam homo, non licet addere signa Universalitatis, nec particularitatis (neq̀ enim licet dicere omnis quidam homo; vel nullum quoddam Animal: vel aliquis quidam equꝰ etc.) Ergo etc. ~~Non 2dum~~ Confirmatur: quià alias quidam homo ~~esset~~ esset secunda substantia. Consequens falsum. Ergo et Antec. Falsitas patet ex Aristotele in Organo Capite de Substantia ubi substantiæ primæ statuit exempla ista: Aliquis homo, aliquis equꝰ etc. Non 2dum scil: non definitio quià hæc non constituit distinctum prædicabile à Definito. Antec. quià habet eundem modum prædicandi de inferioribꝰ quem habet ipsum definitum (quià ita prædicatur Animal rationale de Paulo, Petro etc. sicut homo) Ergo etc. Non 3tium id est non prædicabile assumptivum quià prædicatio naturæ Humanæ de Deo ad quintum prædicabile refertur. Ergo etc. Antec. Nam prædicatum quod contingenter alicui competit pertinet ad quintum Universale. Sed prædicatum istud Homo contingenter competit Deo (quià potest adesse et abesse ex natura Rei. Ergo etc. Pars 2da Theorematis (Universalia non sunt pauciora quàm

~~pauciora quam quinque. Probatur~~ Quia: Alias esset excludendum vel Genus, vel Species vel differentia, vel proprium vel Accidens. Nullum istorum. Ergo etc. minor: quia quodlibet istorum est verè universale Logicum. Ergo etc. Antec. Illud est verè Logicum Universale in quo servat Ratio Logici Universalis. Sed in quolibet istorum servatur Ratio Logici Universalis. Ergo etc. minor per sequentis controversiæ theorema declarabitur. Dices Quod Accidens et proprium non sint Universalia et quod non sint quidditativa seu essentialia. Contra. Non requirit ad rationem Universalis ut sit quidditativum Ergo Proprium et Accidens sunt Universalia. Antec. Quicquid requiritur ad rationem Universalis, exprimitur in ipsius Definitione: Sed esse quidditativum vel essentiale non exprimitur in Definitione Universalis Ergo etc. minor quia Universale est, quod est unum in multis et de multis; ubi nulla mentio quidditativi aut essentialis (quia prædicatio abstrahit ab essentiali & Accidentali. Ergo ~~Pars 3tia Theorematis~~ (Universalia Limitata sunt tantum quinque) Probatur 1mo: Non sunt plura nec pauciora (ut modo est probatum) Ergo sunt tantum quinque. Probatur 2do: Tot numero sunt Universalia Limitata quot numero modi universalitatis diversi reperiuntur: Sed modi diversi Universalitatis sunt quinque. Ergo et Universalia erunt quinque. minor: quia natura Universalis vel est in multis Essentialiter vel Accidentaliter. Si Essentialiter, hoc fit dupliciter scil: vel tanquam tota Essentia et sic est Species quæ dicit totam quidditatem individuorum. nam Differentiæ individuales, non ad esse Formale vel quidditatem; sed tantum ad esse materiale et individui integritatem pertinent) Vel tanquam pars Essentiæ, et hoc rursus dupliciter. Aut tanquam pars materialis et contrahibilis et sic est Genus aut tanquam pars Formalis et contractiva atque sic est differentia quæ ita Genus respicit sicut Forma Actuans et determinans ipsum. Tandem si natura Universalis insit pluribus Accidentaliter, tunc aut illa natura emanat et provenit ab essentia rei et sic est proprium, aut omninò foris vel ab extra advenit et sic est Accidens. Ergo Modi Universalitatis diversi sunt quinque. Probatur 3tio: Prædicabilia sunt quinque Ergo et Universalia. Consequent. Quia tam latè patet Universale sicut prædicabile (quia universale est subjectum, prædicabile verò est propria passio) Ergo etc. Antec. quia omne quod prædicat, aut prædicatur in Quid, id est per modum nominis substantivi: aut in Quale id est per modum nominis adjectivi. Si in quid, tunc vel dicit partem essentiæ et sic est Genus ut Animal. Vel totam essentiam et sic est Species v.g. Homo. Si in Quale tunc vel prædicat essentialiter, et sic est Differentia v.g. Rationale. Vel accidentaliter intransmutabiliter id est cum necessaria connexione et sic est proprium v.g. Risibile quod licet sit extra essentiam hominis, tamen necessario

necessario inest homini. Vel Accidentaliter transmutabiliter id est absq necessaria connexione et sic est Accidens v. g. Dulce.

OBIECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIO.

Modq essendi (in) dupliciter accipit.

OBIECTIO 1ma (Universalia sunt plura quam quinq) Probat: Modi prædicandi sunt plures quam quinq. Ergo et prædicabilia erunt plura quam quinq. Si sic. Ergo et Universalia. Antec. Tot sunt modi prædicandi quot sunt modi essendi. Sed modi essendi sunt plures quam quinq Ergo et modi prædicandi. Minor: quià decem sunt prædicamenta, quæ ex modis essendi numerant. Major: Quià modq prædicandi sequit modum essendi. Ergo etc RESPONSIO: Neg. Antec. deinde Disting. majorem: MODUS essendi (in) Dupliciter accipit 1 modq essendi in alio tanquam in subjecto prædicationis. 2 modq essendi in alio tanquam in subjecto inhæsionis. Tunc sic: Tot sunt modi prædicandi, quot modi essendi in alio (ut in subjecto prædicationis) Concedo (ut in subjecto inhæsionis) Nego. Sed modi essendi sunt plures quam quinq distingo. Modi essendi (ut in subjecto inhæsionis) sunt plures concedo. MODI essendi (ut in subjecto prædicationis) sunt plures quam quinq Nego. Ratio: Quià licet res et naturæ sint decem, tamen modi juxta quos ejusmodi naturæ cum subjecto prædicationis connectunt sunt tantum quinque: Undè in prædicamentis considerant res ipsæ quæ debent prædicari an scili: habeant rationem substantiæ an verò accidentis et quem Formalem effectum in prædicando denotent. In prædicabilibq autem considerant non res ipsæ sed connexio earum aut Essentialis aut Accidentalis quam res cum subjecto solent habere, quæ quidem connexio in diversis prædicamentis potest eē eadem. Nam ita connectit color cum nigredine scil: tanquam pars materialis sicut Animal cum homine. OBIECTIO 2da (Universalia sunt pauciora quàm quinque) Probatur 1mo: Quintum prædicabile est superfluum. Ergo tantum erunt quatuor: Antec. quià quæ revocant ad quintum prædicabile, possunt et debent revocari ad Genq vel Speciem v. g. Color etc Ergo etc. RESPONSIO: Neg. Antec. 2 Disting. Revocari ad Genq vel Speciem possunt ea quæ ponuntur in quinto prædicabili sub eadem ratione sub qua revocant ad quintum prædicabile Nego. Possunt revocari sub alia Ratione concedo. Ratio: Color enim et alia similia accidentia ad duo comparant 1 Ad sua inferiora de quibq essentialiter prædicant quemadmodum color dum in ordine ad Albedinem spectat. 2 Ad subjecta quibq inhærent et quæ informant atq denominant

denominat ut si idem color v.g. consideret in ordine ad parietem vel tabulam. Priori modo considerata accidentia spectant ad Genus vel Speciem, secundo autem modo pertinent ad quintum prædicabile. Probatur 2do: Tot sunt Prædicabilia quot sunt prædicata. Sed prædicata juxta Philosophum 1 Topicorum cap. 3. sunt 4 scil: Definitio, Genus, Proprium et Accidens. Ergo etc. RESPONSIO: Neg. majorem. Ratio quia inter prædicatum et prædicabile est Differentia. Nam PRÆDICABILE denotat id quod potest de alio essentialiter vel accidentaliter prædicari: At vero PRÆDICATUM ut accipitur 1 Topicorum significat id per quod solvi potest Problema seu quæstio dubia. Unde licet in eodem possunt fundari, tamen alio fine hoc, et alio illud consideratur.

Differentia inter Prædicabile et Prædicatum.

CONTROVERSIA TERTIA. DE UNIVERSALIBUS IN PARTICULARI.

Rejectis ad metaphysicam iis quæ invita plerumque Minerva huc trahuntur, circa ea immorari nobis est animus quæ hujus loci censentur esse propria ut sic et secundæ controversiæ lumen majus addatur et ad altiora aptior noster intellectus DEI beneficio efficiatur.

THEOREMA PRIMUM

In Definitione Generis, DEFINITUM quoad Actum signatum est 2da intentio: quoad Actum vero exercitum est natura ~~seu~~ seu res substracta secundæ intentioni.

Notandum Dictum 1mum: Secundæ intentiones v.g. Genus, Species, Differentia etc. Aliquando accipiuntur in concreto seu ut modus, aliquando in abstracto seu ut Quid. Dictum 2dum. Nomen concretum duo dicit simul, nimirum Formam et Subjectum ipsius v.g. Album significat Formam ~~seu~~ scil. albedinem; deinde Subjectum ~~seu~~ scil. rem cui inhæret albedo. Similiter Genus duo dicit 1mo Formam seu Genereitatem quæ est secunda intentio. 2do significat animal, vel colorem vel aliam naturam Genericam. Dictum 3tium Actus Exercitus convenit ipsis rebus. Actus vero Signatus convenit earum rerum signis v.g. Dum dico Avis volat et ostendo ~~viam~~ va volantem, posset dici iste Actus Exercitus; dum autem ostendo Avem pictam cum alis expansis, ipse Actus posset dici Signatus. Dictum 4tum sicut Multa tribuuntur signis quæ ipsis rebus signatis v.g. dum de imagine picta

Concretum duo dicit, scil. Formam et Subjectum ipsius. Genus duo dicit, Genereitatem et naturam genericam.

picta dico, homo pugnat: ita multa 2dis quoque intentionibus solent quoque attribui quæ non nisi ipsis naturis seu rebus substratis conveniunt v. g. Dicitur quod species prædicatur de individuis, o quod species ut secunda intentio in esse exercito prædicetur de individuo per copulam (est) hunc in modum. Individuum est species. Sed solum in esse signato quia nimirum species est signum quod illa res cui talis secunda intentio applicatur verè et exercitè possit de individuis prædicari. v. g. Petrus est Homo, Joannes est Homo.

Theorematis Probatio.

<u>Pars 1ma Theorematis (In Definitione Generis quoad Actum signatum Definitum est secunda intentio ut connotat primam)</u> <u>Probatur</u>: Definitio purè Logica habet pro definito 2dam intentionem. Sed Definitio Generis quoad Actum signatum est Definitio purè Logica. Ergo Definitio Generis habet pro definito 2dam intentionem. Si sic, Ergò in Definitione Generis etc. <u>Major</u>: Quicquid definit Logicus, est secunda intentio qua Logicus. Ergo etc. Antec. Illud Logicus definit qua Logicus quod per se considerat.+ Sed secundam intentionem per se considerat Logicus. Ergo 2dam intentionem Definit, et per consequens quicquid definit Logicus qua Logicus etc. minor: Non considerat rem (quia alias esset artifex realis non verò rationalis) Ergo secundam intentionem considerat. Confirm. Illud per se et propriè hoc loco definitur cui ut Quod convenit prædicatio signata prædicandi de pluribus specie differentibus.Δ Ergo secunda intentio ut Quod hic definitur. Si sic. Ergo Definitio Generis etc. Minor: quia solummodò Genus pro secunda intentione est illud quod prædicatione signata de pluribus specie differentibus prædicatur. <u>Pars 2da Theorematis (In Definitione Generis quoad Actum exercitum Definitum est res 2dæ intentioni substrata)</u> <u>Probatur</u>: Prædicari de pluribus in Actu Exercito non convenit secundæ intentioni, sed rei. Ergo etc. Antec. Si convenit 2dæ intentioni Quæro vel convenit illi ut <u>Quod vel ut Quo</u>. Neutrum potest dici. Ergo etc. Non ut Quod quia non dicitur albedo est Genus; sed albedo est color. Non ut Quo quia sic Generitas esset Ratio Formalis ut natura prædicetur de pluribus quod est falsum.

Objectiones et earundem Solutio.

<u>Objectio 1ma (in Definitione Generis Definitum non est secunda intentio Generis)</u> Probatur: Illud hoc loco definitur cujus exemplum ponitur. Sed exemplum ipsius rei ponitur dum

Δ Sed secundi intentioni Generis ut Quod convenit prædicatio signata prædicandi de pluribus specie differentibus. Ergo secunda intentio ut quod hic definitur etc. vide supra hujus pag.

+ (Quia nullus artifex solet definire quidpiam aliud, nisi quod per se considerat) Sed etc.

(Dum enim dicitur Genus est quod prædicatur de pluribus specie differentibus, statim subjungitur exemplum (ut Homo est Animal, albedo est color) Ergo ipsa res definitur et per consequens non secunda intentio. Si sic. Ergo in Definitione Generis etc. Major: Quia alias exempla non essent ad propositum. Confirm. Nulla intentio Generis prædicatur de pluribus differentibus specie in quid: sed tantum de differentibus numero: sed quod hic definitur prædicatur de pluribus differentibus specie in quid et non tantum de differentibus numero. Ergo Hic Non definitur secunda intentio Generis; si sic. Ergo in Definitione Generis etc. Minor: Nam 2da intentio Generis tantum prædicatur in quid de hac vel illa Genereitate quæ scilicet adhæret metallo, colori etc. quæ omnia solo differunt numero quia tantum differunt materialiter nimirum per subjectum. Responsio quoad Actum Exercitum Concedo totum in utroque Argumento: quoad Signatum Negatur.

Objectio secunda (in Definitione Generis definitum non est Res) Probatur: Alias Logicus rem definiret, quod est falsum quia qui rem definit est Artifex Realis. Sed Logicus in proposito secundum Te rem definit. Ergo etc. Respondetur Negando. Falsitatem et Disting. majorem: Rem definire dupliciter: Aut nudam aut affectam 2da intentione, Tum sic: Qui Rem definit nudam, est Artifex Realis Concedo. Qui rem definit affectam secunda intentione est Artifex Realis Neg. etc. et Applices minori etc.

Res definitur dupliciter.

Theorema Secundum.

Species constituitur in suo esse Universali per habitudinem ad inferiora, non vero ad superius.

Notandum Dictum 1mum: Theorema istud hunc habet sensum. Constitutivum Essentiale et Intrinsecum speciei ut est 2dum prædicabile condivisum ab aliis prædicabilibus nullum est aliud nisi Universalitas id est illa Relatio Rationis quæ terminatur ad inferiora, non vero illa quæ terminatur ad superius. Dictum 2dum In specie ut est secundum prædicabile duplex datur habitudo seu Relatio. Una subjicibilitatis quæ respicit Genus. Altera prædicabilitatis quæ respicit inferiora, et per hanc posteriorem Formaliter in esse Universalis constituitur.

In specie duplex datur habitudo.

Dictum 3tium. Habitudines istæ duæ subjicibilitatis et prædicabilitatis sunt inter se distinctæ, quia quarum Relationum sunt diversa fundamenta et termini, istæ etiam Relationes

Relationes sunt inter se diversæ (nam à fundamento et termino sumit Relatio suam Unitatem et diversitatem) Sed Subjicibilitatis et prædicabilitatis sunt diversa fundamenta et termini. Subjicibilitatis enim terminus est ipsum superius Fundamentum autem est dependentia à superiori vel quid simile: At verò terminus prædicabilitatis seu Universalitatis sunt ipsa inferiora de quibus prædicatur Fundamentum autem est communitas naturæ in qua conveniunt talia inferiora) Ergo etc.

Probatio Theorematis.

Pars prima Theorematis (Species constituitur in suo esse Universali per habitudinem ad inferiora) Probatur: Quod est constitutivum Universalis in communi, est quoque constitutivum Speciei. Sed ordo seu habitudo ad inferiora est constitutivum essentiale Universalis in communi (quia Universale est unum in multis et de multis et dicit respectum ad inferiora) Ergo ordo seu habitudo ad inferiora est constitutivum speciei. Si sic. Ergo Species constituitur etc. Major: Universale est genus respectu Speciei non aliter quam Animal respectu hominis vel color respectu Albedinis quia sub Universali communi continentur ista quinque prædicabilia: Genus, Species etc. Ergo Quod est constitutivum Universalis in communi. Conseq. Quicquid est constitutivum Essentiale Generis, est quoque constitutivum illius quod directè sub illo genere collocatur. Antec. patet inductive: quia per quæ intrinsecè constituitur Animal, color, metallum, per illa quoque homo, albedo debet constitui, alias daretur aliquid essentiale in genere scilicet in Animali à parte rei, quod non daretur in Homine, quod falsum est quia homo habet ea omnia quæ sunt essentialia Animali. Confirm. Universale in communi importat seu dicit tendentiam ad inferiora A. Si sic Ergo Species constituitur in suo esse Universali. Cons: quia implicat contradictionem ut aliqua relatio in communi importet tendentiam ad aliquem terminum et Relatio quæ est ipsius F tendat ad oppositum, sicut sic Relatio Patris id est Paternitas in communi respicit filium, relatio talis patris scil. paternitas in particulari non potest respicere sororem aut fratrem, sed debet respicere filium universalem talem in particulari. Secunda Pars Theorematis (Species non constituitur in suo esse per habitudinem ad superius) Probatur: Omne Universale est prædicabile (quia prædicabile est passio Universalis) Sed Species scil: in ordine ad superius non est prædicabilis (nam sic tantummodo est Subjicibilis) Ergo Species in ordine ad superius non est universalis. Si sic, Ergo ordo ad superius non est constitutivum Speciei essentiale in esse universali, & per consequens species non constituitur in suo esse universali.

+ Ergo si universale est genus respectu Speciei, sequitur quod est constitutivum illius. Ante. etc

F Species sub ea contenta, tendat etc.

A Ergo quicquid sub universali continetur eodem modo quo continetur albedo sub colore dicit quoque tendentiam ad inferiora. Si sic Ergo Species etc vid supra.

Obiectio

Objectiones et earundem Solutio.

Objectio 1ma (Species constituitur in suo esse Universali per habitudinem ad Superius) Probatur: Sub qua ratione species est correlativum Generis, sub illa ratione constituitur in esse Universali. Sed sub hac ratione prout refertur ad Genus seu superius est correlativum Generis. Ergo sub hac ratione prout refertur ad Genus superius constituitur in suo esse Universali. RESPONDETUR Neg. majorem. Ratio quia constituitur in esse universali secundum habitudinem illam quam dicit suum Genus nimirum ipsum Universale quod de Specie ita prædicatur dicendo (Species est universale) sicut Animal de homine. Porro Universale dicit nullam habitudinem quatenus est universale in communi secundum hanc Definitionem (Universale est unum in multis et de multis) nisi ad inferiora. Ergo etiam eandem debet dicere illud quod sub universali continetur. Ergo etc. Objectio 2da (Species non constituitur in esse Universali per habitudinem ad inferiora) Probatur: Genus Subalternum constituitur in esse Universalis Subalterni. Ergo non constituitur per ordinem ad inferiora. Ergo neque Species per eandem habitudinem ad inferiora constituetur. Antec. Vel enim constituitur per Prædicabilitatem de pluribus numero differentibus; vel per prædicabilitatem de pluribus specie differentibus. Neutrum potest dici. Ergo Genus Subalternum non constituitur per ordinem ad inferiora. Non 2dum: quia alias etiam Genus generalissimum constitueretur per ipsam. Sequela: quia prædicabilitas de pluribus differentibus Specie convenit quoque Generi generalissimo. Non 1mum: quia alias etiam Species infima constitueretur per eam, nam etiam speciei infimæ convenit prædicabilitas de pluribus numero differentibus. RESPONSIO: Disting. Antec. Genus Subalternum dupliciter potest considerari, vel quatenus Genus, vel quatenus Subalternum. Secundo modo non constituitur per prædicabilitatem vel ordinem ad inferiora concedo. Consideratum autem primo modo Neg. majorem. Ratio: Quia in Genere Subalterno duo sunt, nimirum esse Genus et esse Subalternum quæ duo sunt multum diversa, quia esse Genus competit Generi Subalterno per ordinem ad inferiora de quibus prædicatur. Esse autem Subalternum competit ei per ordinem ad superius cui subjicitur non in quantum Genus sed in quantum Species subjicibilis. Probatur 2: Genus Generalissimum non constituitur in sua suprema Universalitate per habitudinem ad inferiora; sed tantum per hoc quod supra se nullum aliud Genus agnoscat. Ergo etiam Species non constituetur in suo esse Universali per ordinem ad inferiora. RESPONSIO: Disting. Antec. Genus generalissimum dupliciter consideratur 1 Quatenus est Genus. 2 Quatenus Generalissimum, nam ista duo sunt inter se distincta esse genus et esse generalissimum: ut est Generalissimum, sic non constituitur in esse suo per ordinem ad inferiora, ut vero est Genus, certè sic omnino per habitudinem

Duplex Generis subalterni consideratio.

habitudinem ad ea debet constitui. Unde sicut accidentale est ipsi (pront est generalissimum) quod habeat sub se aliquas species: ita quoq accidentale est eidem (pront est Geng) quod habeat aliquod superig.

THEOREMA TERTIUM

Differentia non constituit in ratione Universalis per habitudinem ad alia nisi tantum ad inferiora speciei.

Differentia ad multa potest comparari.

Notandum Dictum 1mum: Differentia ad multa potest comparari 1 ad Geng quod dividit v. g. Rationale vel irrationale ad Animal. 2 Ad Speciem quam constituit v. g. rationale ad hominem. 3 Ad sua inferiora ejsdem nominis v. g. Rationale ad hoc rationale vel ad istud Rationale. 4 Ad inferiora speciei v. g. Rationale ad Paulum, Petrum etc. 5 Ad alias differentias inferiores v. g. Corporeum et Animatum vel inanimatum item ad Rationale et irrationale. Dictum 2dum Differentia hoc loco non est idem quod diversitas: nam per Differentiam dicunt entia Differentia, quæ prig in aliquo communi conveniunt, deinde vero per quidpiam illi communi superadditum differunt, at verò per diversitatem dicuntur Entia diversa quæ scil: non per quidpiam superadditum differunt (At verò per diversitatem) sed seipsis et se totis ab invicem distant. 3tium Dictum Differentiam hoc loco accipimus non pro Differentia communi quæ fit per Accidens quinti prædicabilis per quam scil: differt Paulus albg à Petro nigro, vel Ioannes sedens à Paulo stante, nec pro Differentia propria quæ fit per passionem quam differt v. g. Homo risibilis ab equo hinnibili, vel bos mugibilis à Leone rugibili sed accipimus pro Differentia propriissima quæ facit rem differre unam ab alia essentialiter sicut differt homo per rationalitatem ab equo.

Triplex Differentia.

Dictum 4tum: Differentia potest esse triplex Subalterna v. g. corporeum incorporeum. Alia Infima ~~Infinita~~ v. g. Rationale et Irrationale. Alia Individualis per quam Petrus à Paulo differt primo ac principaliter.

Differentia Definitio.

Dictum 5tum: Differentia est id quod de pluribg in Quale Quid Prædicat. Vel differentia est id quod de pluribg aut specie, aut numero differentibg in quale quid prædicat. Ubi vox ista (in quid) tantum hoc loco valet quantum essentiale vel quidditatiuu; quale autem quia per ipsum respondemg ad interrogationem ~~interrogatiam~~ factam per Quid.

(Pars 1ma Theorem. PROBATIO THEOREMATIS.

(Differentia non constituit in ratione Universalis per habitudinem ad ea quæ ab inferioribus speciei talis Differentia sunt distincta aliquâ distinctione) ~~Pars prima Theorematis~~. Probat. Quia alias deberet constitui per habitudinem, aut ad Geng, aut ad sua inferiora, aut ad alias differentias inferiores, aut ad ipsam speciem quam constituit. Sed nihil horum est dicendum. Ergo etc. minor: Non

minor: <u>Non 1mum</u> ideò quià Differentia de eo cujus respectu est universale prædicatur in Quale quid. Sed de Genere non prædicatur in Quale quid id est Essentialiter, sed solum purè accidentaliter. Ergo Respectu Generis quod dividit Differentia non est Universalis. Si sic. Ergo Per habitudinem ad Genus non constituitur in esse Universali. Deinde ideò quià Universale prout Universale constituitur in suo esse per ordinem ad inferius (Nam universale est unum in multis et de multis) Sed Genus respectu Differentiæ non est quid inferius (quià potius habet rationem superioris nam per eam contrahitur et limitatur) <u>Non 2dum</u> id est non in ordine ad sua inferiora: quià de iis inferioribus non prædicatur in Quale sed in Quid, id est, per modum per se stantis seu Substantivi, undè etiam in abstracto potest prædicari de ipsis tanquam tota eorum essentia dicendo: Hæc rationalitas est rationalitas etc. <u>Non 3tium</u>. id est non ad alias differentias quia non potest de illis essentialiter prædicari eo quod in ipsis non includitur essentialiter. <u>Non deniq 4tum</u>: quià omne Universale est superius eo respectu cujus dicitur Universale. Sed Differentia non est Superior Specie. Ergo Differentia non est quid Universale respectu Speciei. minor: Superius non est æquale inferiori. Sed Differentia est æqualis Speciei (quià cum illa convertitur <u>v. g.</u> Omnis homo est Rationalis. Ergo Omne rationale est homo) Ergo etc. major proxima: quià æquale convertitur cum æquali. Sed Superius non convertitur cum inferiori in subsistendi consequentia ut patet. Ergo Superius non est æquale inferiori. <u>Dices</u>: Quod Species habet virtualem pluralitatem prout continet sub se inferiora, atq sic cum prædicabitur Differentia de Specie, dicetur prædicari de pluribus et hoc sanè modo omninò erit Universale. Contra: Pluralitas ista seu continentia Virtualis non est sufficiens ad boc ut constituat aliquid in ratione Universalis. Ergo Differentia hoc modo non est Universale respectu Speciei. Antec. Sicut enim Universale est simpliciter unum, ita dicit ordinem ad plura quæ simpliciter debent esse multa (alias non posset salvari propria abstractio & superioritas quæ requiritur ad Universale) Sed individua seu inferiora quatenus virtualiter continentur in Specie non sunt simpliciter multa sed potius simpliciter unum (nam juxta Porphyrium participatione Speciei plures homines sunt unus homo) Ergo pluralitas ista virtualis non est sufficiens etc. et per consequens Differentia respectu Speciei non potest esse universalis. <u>PARS 2DA THEOREMATIS (Differentia in Ratione universalis constituitur per ordinem ad inferiora suæ Speciei)</u> <u>Probatur</u>: Differentia debet esse Universalis respectu alicujus sed respectu nullius nisi inferiorum suæ Speciei. Ergo etc. <u>minor</u> quia non respectu Generis aut suorum inferiorum ejusdem nominis aut aliarum differentiarum inferiorum diversi nominis aut Speciei ut modò fuit probatum. Ergo etc.

Object

OBIECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIO.

OBIECTIO 1MA (Differentia constituitur in Ratione tertii Universalis per ordinem ad sua inferiora ejusdem nominis v. g. Rationale ad hoc Rationale) Probatur: Universale est correlativum particularis sicut pater filii. Ergo Quodlibet Universale habet propriũ sibi correspondens particulare. Sed proprium particulare Differentiæ v. g. Rationalis non est Petrus, Paulus (nam hæc individua sunt correlativa Speciei scil: Hominis) Ergo proprium correlativum particulare ipsius rationalis erit hoc aut illud rationale. Si sic. Ergo per ordinem ad ista rationem tertii prædicabilis sibi vendicabit. RESPONDETUR Neg. Utramq ultimam Cons. deinde minorem seu potius Antec. Disting. Nam Petrus materialiter non est correlativum seu proprium particulare cujuspiam, sed tantum Formaliter et non unâ quidem Relatione; sed aliâ atque aliâ v. g. est particulare seu correlativum Speciei scil: hominis quatenus per subjicibilitatem respicit totam essentiam: est correlativum seu proprium particulare ipsius visibilis quatenus per aliam subjicibilitatem respicit eam passionem quæ fluit ab Humanâ naturâ. Est quoq correlativũ ipsius rationalis quatenus per aliam subjicibilitatem respicit constitutivũ suæ Essentiæ nimirum hominis. Ratio porro est: quia in particulari et Universali duo sunt consideranda. Unum materiale scil: res et natura. Alterum Formale scil: Secunda intentio quæ in illa natura fundatur. Unde una res materialiter accepta, potest plures in se fundare Relationes et beneficio earum potest esse respectu plurium correlativa. OBIECTIO 2DA (Differentia non constituitur in ratione Universalis respectu inferiorum suæ speciei) Probatur: Per ordinem ad ipsam Speciem constituitur. Ergo etc. ~~Ante~~. Quodvis universale constituitur in esse universalis per ordinem ad ea de quibus immediatè prædicatur. Sed Differentia immediatè prædicatur de Specie, de individuis autem mediante Specie. Ergo etc. Major: Alias Genus v. g. Animal posset constitui in suo esse per ordinem ad Petrum, Paulum etc. quod est falsum. Confirmatur: Differentia prædicatur de Specie v. g. Homo est ~~Animal~~ Rationalis, tunc quæro vel prædicatur ut Singulare, vel ut Universale? Non ut Singulare quia talis propositio est Universalis penes Quantitatem. Ergo ut Universale. Si sic; Ergo Differentia per ordinem ad Speciem constituitur. RESPONSIO Neg. Ante. majorem verò possum 1mo negare ideò quia nondũ est inter Philosophos conclusũ An Universale debeat immediatè prædicari de pluribus siquidem Genus retinet suam Universalitatem respectu individuorum de quibus non nisi mediante Specie prædicatur. 2do possum distinguere quia prædicari immediatè intelligi

In Universali & particulari duo sunt consideranda.

intelligi potest dupliciter 1mo per modum superioris de inferiore. 2do modo aliter quàm per modum superioris 1mo modo vera est major, 2do autem falsa. Deinde minor secundo modo est vera, primo autem falsa. Ad confirmationem Dico quod Differentia prædicatur de Specie ut universale non quidem formaliter accipiendo particulam (UT) reduplicativè; sed solum materialiter accipiendo eandem particulam specificativè ut sensus sit iste: Differentia quæ prædicatur de Specie est Universale non quià respicit speciem sed quià respicit ipsius inferiora.

Prædicari immediate dupliciter intelligi post.

THEOREMA QUARTUM.

Proprium est Universale ab aliis distinctum, et per ordinem ad inferiora subjecti sui in ratione Universalis constituitur.

Notandum Dictum 1mum. Proprium hoc loco non accipitur Rhetoricè seu Grammaticè v. g. propria est locutio, homo est albus, homo videt etc. Impropria verò Anima est alba, prata vident, segetes lætæ; sed accipitur Philosophicè prout opponitur communi et significat id quod ita uni rei competit ut alteri non possit convenire. Dictum 2dum: Tria sunt quæ nomen proprii sibi respectu alicujus possunt vendicare v. g. Definitio respectu definiti† ut Animal Rationale respectu hominis. Item Differentia respectu speciei quam constituit est propria ut Rationale respectu hominis. Item Passio ut risibilitas respectu hominis: interim usus obtinuit ut sola passio vocetur Proprium. Dictum 3tium: Proprium tripliciter accipitur materialiter seu 1mo intentionabiliter pro ipsa risibilitate, hinnibilitate etc. 2do formaliter seu 2do intentionaliter pro ipsa secunda intentione ~~seu relatione~~ in abstracto. 3tio utroque modo id est pro risibilitate prout est affecta secundâ intentione seu relatione illâ quâ refertur ad inferiora speciei, hoc loco agendum est de proprio in hac tertia acceptione. Dictum 4tum: Risibilitas, hinnibilitas et similia aliundè habent rationem proprii nimirum ab ipsa natura à qua fluunt, aliundè rationem Universalis nimirum per ordinem ad inferiora illius naturæ. Undè aliud est loqui de risibili vel hinnibili in ratione Proprii et aliud in ratione Prædicabilis et Universalis. Nam ut Proprium respicit solam naturam cui adæquatur, ut verò universale respicit inferiora illius naturæ quià proprium tale dicitur in ordine ad unum solum, Universale vero respectú plurium atque sic idem respectu ejusdem non potest esse proprium et universale. Dictum 5tum: Proprium seu Genericum, seu Specificum est prædicabile de pluribus in quale accidentale necessariò et transmutabiliter. R. · Probatio

Tria nomen proprii sibi vendicant.

† est proprium

Triplex Proprii Acceptio.

Probatio Theorematis.

Pars prima Theorematis (Proprium est universale ab aliis distinctum) Probatur: cuicunque convenit prædicari in quale accidentale necessariò, illud est distinctum ab aliis Universalibus. Sed proprio sic convenit prædicari. Ergo etc. Major: Prædicari in Quale accidentale necessariò nulli alteri convenit prædicabili. Ergo etc. Antec. Non convenit Generi aut Speciei quia ista duo prædicabilia prædicantur in Quid non Differentiæ hæc prædicatur in Quale essentiale: non accidentali quia Accidens in quale Accidentale non necessariò prædicatur de Subjecto. At verò proprium necessariò ita, ut nunquam liceat veram formare Negativam propositionem, et licet possit homo intelligi sine visibilitate præcisivè per primam operationem, tamen divisivè per secundam operantionem nequaquam licet concipere hominem non esse visibilem: quia sic destrueretur ipsius natura seu Essentia, ex negatione enim Passionis licet inferre negationem seu destructionem Subjecti quod tamen non potest dici de Accidente quinto prædicabili: nam non implicat contradictionem si quis intelligat Subjectum accidentis sub ipsius opposito v. g. non stè potest intelligi cygnus sine albedine, imò etiam sub nigredine. Pars secunda Theorematis (Proprium per ordinem ad inferiora sui Subjecti in ratione Universalis constituitur) Probatur: quia alias sequeretur quod in tali esse constitueretur per ordinem aut ad sua inferiora ejusdem Rationis vel nominis aut ad ipsum Subjectum. Conseq. falsum. Ergo et Antec. Falsitas: Non ad inferiora ejusdem nominis quia de talibus prædicatur in Quid non verò in Quale v. g. Hoc visibile est visibile etc. Non ad ipsum Subjectum quia Subjectum est Species ipsa, sed in ordine ad hanc non constituitur in Ratione Universalis. Ergo etc. Minor: quia Universale respicit plura Formaliter; sed Species consideratur ut quid unum. Ergo in ordine ad ipsam proprium non constituitur in ratione Universalis. p.

Objectiones et earundem Solutio.

Objectio 1ma (Proprium non est distinctum ab Accidente) Probatur: Accidens inseparabile non est distinctum ab Accidente (quia Accidens dividitur in separabile et in inseparabile) Sed proprium est Accidens inseparabile. Ergo etc. Respondetur: Neg. minorem. Ratio: quia etiam ipsum Accidens inseparabile habet rationem Generalem Accidentis scilicet adesse et abesse saltem Logicè: quia potest sine repugnantia intelligi Subjectum sub ipsius opposito tamen

tamen sub opposito proprii nequaquam possit concipi, undè proprium majorem connexionem et magis intrinsecam habet cum Subjecto quàm Accidens inseparabile: quià proprium habet radices sui esse in principiis Naturæ, at verò Accidens separabile non habet, et licet quoad existentiam non possit separari à Subjecto, tamen hoc fit non ab intrinseca sed ab extrinseca causa. OBJECTIO 2DA. (Proprium non constituitur in ordine ad inferiora sui Subjecti) Probatur: Alias eadem inferiora essent Subjicibilia Proprii in Ratione Universalis item Generis vel Speciei. Conseq. falsum. Ergo et Antec. Falsitas. Quià sic Genus et Species non essent distincta Prædicabilia à Proprio, distincta enim prædicabilia, distincta etiam exigunt Subjicibilia. Ergo etc. RESPONDETUR: Disting. Subjicibilia scil: materialiter et Formaliter. Inferiora Generis vel Speciei eadem essent Subjicibilia etiam Proprii (materialiter essent eadem) Concedo (Formaliter essent eadem) Nego. Ratio: Nam Generi vel Speciei Subjiciuntur in QUID; Proprio autem in QUALE. Porrò non implicat in uno eodemque fundamento plures Relationes ad diversos terminos ordinatas fundari. e.

THEOREMA QUINTUM,

Accidens est verè ac propriè Universale, constituique in ratione Prædicabilis quinti per ordinem ad inferiora de quibus Accidentaliter in Quale prædicatur.

NOTANDUM Dictum 1mum. Sicut Prædicata sunt duplicia. Alia Essentialia ut dum prædicatur color de Albedine vel Nigredine. Item rationale de Petro, Paulo etc. Alia Accidentalia ut dum prædicatur Proprium v. g. Risibile de homine. Item Accidens v. g. album de Petro. Ita Prædicatio est duplex. Alia Essentialis quæ convenit essentialibus prædicatis. Alia Accidentalis quæ convenit prædicatis accidentalibus. Dictum 2dum: Accidens scilicet Quantitas, Qualitas Relatio etc. Novem Prædicamenta possunt fundare nunc 1mi, nunc 2di nunc quinti prædicabilis relationem quià si referant ad sua inferiora de quibus prædicantur in Quid, sic convenit illis secunda intentio scil. Genus vel Species. At verò si referant ad Subjectum de quo possunt affirmari vel negari, sic eis convenit 2da Intentio 5ti Prædicabilis nimirum Accidentis prout sumitur in concreto. e.

Prædicata sunt duplicia.

tefalia

Probat.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS PRIMA THEOREMATIS (Accidens est verè et propriè Universale) Probatur: Cuicunq conve-
nit Definitio Universalis, illud est verè et propriè Universale (Definitio enim et Definitum ei-
dem conveniunt et disconveniunt) Sed Accidenti convenit Definitio Universalis. Ergo etc. minor
quia Definitio Universalis est esse unum in multis cum sui multiplicatione, non curando sit ne
in illis multis essentialiter, an verò Accidentaliter sed ab utroq præscindendo (neq enim hoc habetur
in Definitione Universalis ut sit in multis essentialiter) quæ quidem Definitio convenit Accidenti.
Nam Accidens in concreto acceptum et est unum in multis subjectis et est cum sui multiplicati-
one. Ergo etc. minoris 1ma pars patet dicitur enim Joannes est niger, Jacobus est niger etc. 2da
pars itidem patet. Nam non est eadem nigredo vel nigrum esse in Joanne vel Jacobo. Confirmatur
Illud est vere Universale in quo omnia reperiuntur quæ ad Rationem Universalis sunt necessaria.
~~Ergo etc~~. Sed Accidens in concreto sumptum habet omnia quæ ad rationem Universalis sunt neces-
saria. Ergo etc. minor: nam et Unitatem et multiplicationem in multis habet quæ duo sunt ne-
cessaria ad rationem Universalis. Est in eo Unitas per Abstractionem intellectus quandò nimirum
abstrahit naturam albedinis vel nigredinis præscindendo non solum ab hac vel illa albedine sed etiam ab hoc vel illo
Subjecto albo propter quod album in communi prout in se fundat istius quinti Prædicabilis et Rationem
non solum dicit naturam albedinis vel nigredinis præscindendo ab hac vel illa albedine vel nigredine
sed etiam connotat subjectum in communi præscindendo à singulis subjectis in particulari. Est quoq
communitas cum sui divisione seu multiplicatione. Nam album vel nigrum sic abstractum omninò
debet dividi in plura à parte rei, sicut etiam homo dividitur in Petrum, Paulum etc. PARS 2DA THE-
OREMATIS: (Accidens constituitur in Ratione Universalis per ordinem ad inferiora de quibus in Quale
accidentaliter non necessariò prædicatur) Probatur: Omne Universale est Universale in ordine ad infe-
riora. Accidens est Universale. Ergo Accidens est Universale in ordine ad inferiora. Tunc Quæro: Vel
ad inferiora quidditativa et essentialia ejusdem nominis: vel ad inferiora suæ speciei aut subjecti diver-
si nominis? Non primum quia ad talia inferiora habet Rationem Generis vel Speciei (nam prædicatur
de ipsis in Quid v. g. Hæc Albedo est albedo, illa albedo est albedo) Ergo ad inferiora talia de quibus acciden-
taliter in Quale non necessariò prædicatur. Ergo etc. etc.

OBJECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIO.

OBJECTIO 1ma (Accidens non est Universale) Probatur: Alias posset prædicari de multis an-
tequam à parte rei existat in multis. Consequens falsum. Ergo et Antec. Sequela: quia Universale potest prædicari
de multis antequam à parte rei existat in multis. Ergo si ~~Antec.~~ Accidens est Universale, sequitur etc. Antec: Illud po-
test præd

potest prædicari de multis in quo est aptitudo existendi in multis. Sed in Universali est talis aptitudo. Ergo. Falsitas: quia Accidens non potest prædicari de Subjecto verè nisi præsupposita Actuali eius existentia. Ergo etc. RESPONDETUR Neg. Falsitatem, deinde Disting. Antec. Accidens non potest prædicari de Subjecto nisi existat (prædicatione Actuali) concedo (prædicatione aptitudinali) Neg. Ratio: quia ad exercitium prædicationis Accidentalis de pluribus est necessaria existentia Subjectorum quibus insit Actualiter. Sed ad Aptitudinalem prædicationem ista existentia Actualis non est opus. Nam essentia Universalis non solum consistit in eo ut Actu existat in multis; sed etiam salvatur in ipsa aptitudine proxima ad hoc ut possit esse in multis. OBIECTIO 2DA (Accidens non constituitur in ratione Universalis per ordinem ad inferiora de quibus Accidentaliter non necessario prædicatur) quia Accidens est Universale per ordinem ad inferiora quidditativa. Ergo etc. Antec. In quibus est et de quibus prædicatur Accidens per ordinem ad ea est Universale. Sed Accidens est in inferioribus quidditativis et prædicatur de ipsis (v.g. hæc albedo est albedo item Albedo est color) Ergo etc. RESPONDETUR Disting. Antec. Accidens est Universale (1mum vel 2dum scil. Genus vel Species) per ordinem ad inferiora Quidditativa Concedo. Est Universale (5tum) per ordinem ad inferiora quidditativa, Neg. Ratio: Quia Accidens respectu diversorum terminorum potest fundare in se aliam atque aliam Universalitatem, nunc Generis, nunc Speciei, nunc etiam Accidentis.

THEOREMA SEXTUM

Accidens quintum Universale rectè et Logicè sic definitur, quod potest abesse et adesse præter ~~sine~~ Subjecti corruptionem.

Duplex Prædicatio Actualis, et Aptitudinalis.

Notandum Dictum 1mum: Accidens potest esse terminus et primæ et secundæ intentionis, dum est primæ intentionis nihil aliud significat nisi inhærens vel alteri adjacens. Dum verò est secundæ intentionis significat ipsam secundam intentionem Logicam quæ per intellectum attribuitur alicui quod sine implicantia potest affirmari vel negari de Subjecto præter ipsius corruptionem. Dictum 2dum. Accidens est duplex. Aliud Prædicabile; aliud Prædicamentale. Accidens prædicamentale est illud quod opponitur Substantiæ quæ primum prædicamentum constituit et continet sub se novem prædicamenta; nam et Quantitas et Qualitas est Accidens. Accidens verò prædicabile est quod opponitur prædicato essentiali. Unde quicquid Essentialiter vel Accidentaliter ~~non~~ vel necessario convenit alicui, potest dici accidens ~~accidens~~ prædicabile sive sit ex natura Ens Reale sive Rationis sive ex aliquo novem Prædicamentorum, sive ex Prædicamento Substantiæ. Hoc secundum Dictum coincidit cum primo. Dictum 3tium: Subjectum in hac definitione (quod potest adesse vel abesse præter Subjecti corruptionem) non sumitur pro Subjecto inhæsionis v.g. Dum dico Petrus est Albus, lignum est calidum sed sumitur pro Subjecto prædicationis id est pro inferiori seu particulari prout scil: est correlativum ipsius Universalis

Accidens est duplex, aliud Prædicabile, Prædicamentale.

Voces istæ (Abesse et Adesse) possunt tripliciter intelligi.

Universalis: nam Universale definitur per ordinem ad sua inferiora. Dictum 4tum Voces istæ (abesse et adesse) possunt tripliciter accipi. 1mo Logicè secundo intentionaliter ut sit sensus: Accidens potest abesse et adesse, hic Accidens est cujus affirmatio et negatio nihil derogat Essentiæ Subjecti ita ut ex tali affirmatione et negatione non destruatur essentia Subjecti. 2do modo pro inhærere vel non inhærere Realiter, et sic sunt termini primæ intentionis exprimuntque novem Accidentia et habent hunc sensum. Inhæret vel non inhæret, afficit vel non afficit, informat vel non informat Subjectum præter ipsius corruptionem. 3tio modo possunt accipi Realiter pro contingenter et citra ullam rei existentiam convenire. Hoc loco primo modo accipitur et fundatur in isto tertio modo. Dictum 5tum: Divisio Accidentis ut est primæ intentionis, in separabile et inseparabile est divisio accidentis et denotat aliquod ex novem Prædicamentis. &c.

Theorematis Probatio.

Pars prima Theorematis (Accidens 5tum Universale rectè Definitur) Probatur Tum quià ista Definitio nulli alteri competit nisi ipsi soli Accidenti. Tum 2do: quià est adæquata Definito et convertitur cum ipso. 3tio Quia de quolibet Accidenti in particulari verificatur. Tum 4to Quià omnes Authores et Philosophi approbant ipsam et acceptant. Pars 2da Theorematis (Accidens 5tum Universale Definitur Logicè) Probatur: quià Definitio per terminos 2dæ intentionis tradita est Logica. Sed Definitio Accidentis tradita per terminos 2dæ intentionis. Ergo est Logica. Si sic? Ergo Accidens definitur Logicè. minor: quia adesse et abesse sumuntur 2do intentionaliter et non intelligitur de Reali inhærentia. Ergo etc. Antec. probatur 1mo: quià consideratio Accidentis quo ad Realem inhærentiam vel separationem spectat ad metaphysicum. Ergo non ad Logicum, et per consequens abesse et adesse non intelligitur de Reali inhærentia. Probatur 2do: Alias si abesse et adesse realiter sumerentur scil: pro inhærere vel non inhærere, prout ista dicunt Passionem Accidentis Prædicamentalis, sequeretur 1. Quod hæc Definitio non conveniret terminis Substantialibus. Conseq. falsum. Ergo et Antecedens. Sequela patet: Quià termini Substantiales non inhærent, nam Substantia non dicitur inhærere eo modo quo inhæret Accidens. Ergo etc. Falsitas clara. Nam termini Substantiales seu prædicata Substantialia possunt alteri contingenter convenire non minus quàm Accidentia Prædicamentalia et possunt fundare in se universalitatem Accidentis prædicamentalis (ut dicetur sequenti Theoremate) siquidem ad hoc ut aliquid prædicetur per modum quinti prædicabilis non requiritur inhærentia in alio, sed sola convenientia seu connexio contingens. 2do Sequeretur quod secundis intentionibus eadem † Definitio non omninò posset applicari quod est falsum. Ratio Falsitatis. Quià Secundæ intentiones dicuntur Accidentia primarum et adsunt vel absunt præter earum corruptionem. Ratio sequelæ. Quià Secundæ intentiones non inhærent realiter, et tamen istæ prædicationes (Homo est Species. Animal est Genus) sunt quinti prædicabilis

† Definitio

+ constituit & definitur. Ergo si Accidens prædicabile definitur per inhærentiam realem, non esse.

prædicabilis. 3tio Sequeretur quod nullum esset discrimen inter Accidens prædicabile et prædicamentale. Sequela quia prædicamentale per realem inhærentiam non differret à prædicamentali. 4to Sequeret quod illa Divisio Accidentalis in separabile et inseparabile repugnaret Definitioni quod est falsum, siquidem nunquam Divisio evertit Definitionem, nec è contra. Sequela patet quia ex vi Definitionis et verbis (Adesse et abesse) quodlibet Accidens videt ēē separabile. 5to Sequeret quod hæc Definitio Accidentis, non conveniret Accidenti inseparabili quod est falsum quia est contra Porphyrium qui advertēs posse difficultatem contra hanc Definitionem oriri ex Accidente inseparabili, docet istam Definitionē convenire etiam Accidenti inseparabili quia rectissimè potest subjectum intelligi absq tali Accidente v.g. corvus non niger imò et albus absq corruptione ipsius id est sine dissolutione quidditatis et naturæ quoad prædicata essentialia. Nam quod Accidens sit separabile vel inseparabile non pendet hoc ab ipsa specie seu quidditate; sed ab individuo tantum in quo reperitur causa, cur tale Accidens ei semp insit, et sic licet non possit Accidens abesse sine corruptione individui, potest tamen abesse sine corruptione speciei et naturæ quia natura ista et species, ut est prior individuo, habet sua omnia prædicata seu absit seu adsit, id est seu affirmetur seu negetur de illa tale Accidens. Hoc loco separationem, non Realem; sed p intellectum factam intelligimus per secundam, non autem per primam operationem, prout consistit in Affirmatione vel Negatione. 6to. Sequeretur quod mors in viventibq, combustio in lignis et similia non essēt Accidentia, quod est falsum. Sequela patet: Quia mors et combustio non adsunt nisi cum corruptione.

Obiectiones et earundem Solutio.

<u>Obiectio 1ma (Accidens quintum Prædicabile non rectè definit)</u> <u>Probatur</u>: Quia alias quodlibet Accidens posset adesse vel abesse præter Subjecti corruptionem. Consequens falsum. Ergo et Antec. Falsitas probatur 1mo Quia Accidens inseparabile ut nigredo à corvo non potest abesse absq corruptione corvi, neq enim potest ab illo separari absq destructione. Ergo etc. <u>Probatur 2do</u>: quia multa sunt Accidentia, quæ dum adsunt, suâ præsentiâ adferunt destructionem Subjecti. v.g. mors viventibq, combustio lignis etc. Item multa sunt accidentia, quæ dum adsunt suo recessu corrumpūt Subjectum v.g. Temperies humorum in Animali. <u>Respondetur</u> Neg. Falsitatem. Ad probationis 1mæ Neg. Antec. Nā natura corvi nullum essentiale prædicatum p hoc amittit dū p 2dam operationem intellectus dico (corvus non est niger, vel corvus est albus) nihil enim contra Essentiam corvi hoc loco profertur. Superius vide quintum inconveniens. Ad 2dam probationem respondeo p distinctionem. Quia <u>in subjecto duo possunt considerari 1mo ipsa Essentia. 2do Existentia Actualis.</u> Tunc si multa Accidentia adferūt destructionem Subjecti quo ad exis

<u>In Subjecto duo possunt considerari 1 Essentia. 2 Existentia.</u>

ad existentiam) Concedo (quo ad essentiam) Neg. Sic enim intelligenda sunt illa verba Definitionis (ad-
se et abesse præter Subjecti corruptionem) nimirum quo ad Essentiam, non quo ad existentiam ut ca-
sus sit: Accidens potest abesse et adesse, id est potest affirmari vel negari de Subjecto citra præjudi-
ipsius Essentiæ: in quo sensu verum est quod Essentia Hominis possit concipi integrè et absq vita in-
opposito ipsius quia nec mors nec vita spectat ad Essentiam hominis, neq mors opponitur Essentiæ sed
tantum existentiæ. Contra: Per quod tollitur alicujs rei prædicatum essentiale, illud non adest præ-
ter corruptionem illjs rei etiam quo ad Essentiam: Sed per mortem tollitur prædicatum essentiale
Animali dum de illo prædicatur sic: Animal moritur vel: Animal est mortuum. Ergo mors non adest præ-
ter Animalis corruptionem quo ad Essentiam, si sic. Ergo Definitio Accidentis non videtur adhuc [illegible]
minor: quia vivens est prædicatum essentiale Animalis (est enim Genus ipsjs ut patet in Arbore Porphy-
riana) Sed hoc vivens tollitur per mortem. Ergo etc. RESPONDETUR Neg. minorem, deinde distinguendo

Vivens dupliciter accipitur, Participialiter seu verbaliter et Nominaliter.

Probationem. Vivens accipitur dupliciter: 1mo Participialiter seu Verbaliter ut dicit Actum [illegible]
Nominaliter ut dicit aptitudinem et absolvitur à tempore id abstrahitur à tempore præsenti.
1mo modo est prædicatum contingens. 2do modo est essentiale. Primo modo opponitur illi mors, non vero
secundo. Tunc sic, vivens acceptum (nominaliter) est prædicatum essentiale concedo. Vivens ac-
ceptum participialiter est prædicatum essentiale Nego. Ad ~~majorem~~ minorem Vivens (acceptum participia-
liter) tollitur per mortem Concedo. Vivens (acceptum Nominaliter) tollitur per mortem Nego. Ob-
jectio 2da: (Accidens quintum prædicabile non definitur Logicè) Nam alias illa verba
(adesse et abesse) dicerent separationem per intellectum. Conseq. falsum. Ergo et Antec. Falsitas
quia hæc Definitio in hoc sensu accepta conveniret Proprio quod est falsum, quia sic nullum di-
scrimen esset inter Proprium et Accidens. Sequela posterior Probatur: quia proprium saltem per

Proprium saltem per intellectum potest à Subjecto separari.

intellectum potest à Subjecto separari. Ergo si dicunt separationem per intellectum, sequeretur
quod ista Definitio conveniret Proprio. RESPONDETUR 1 Neg. Falsitatem 2 Neg. Probationis
Sequelam. 3 Neg. Antec. Nam potest Proprium præscindi à Subjecto per primam operationem
seu præcisivè concipi sicut equus concipitur absq hinnibilitate dum sola equinitas non considerando
do hinnibilitatem cognoscitur ab intellectu: at separari per secundam operationem non potest, nec
enim sine falsitate et mendatio potest negari passio de Subjecto vel oppositum Passionis de eo
affirmari: quia falsa est ista propositio: Equus non est hinnibilis vel equus est inhinnibilis. Porro
hoc non potest dici de Accidente etiam inseparabili, potest enim negari de Subjecto absq ullo mendacio
Sed contra: Tam falsa est negatio Accidentis inseparabilis de Subjecto, quam ~~[illegible]~~ Proprii. Ergo si non
potest neg-

non potest negari Proprium, etiam non poterit negari Accidens inseparabile absq mendacio. Respon-sio Neg. Antec. Ratio disparitatis est. Quia in majori gradu falsitatis est propositio quæ negat Pro-prium v.g. hæc (equus non est hinnibilis) quam Propositio quæ negat Accidens de Subjecto inseparabili qua-lis est ista (corvus non est niger) Dum enim dico; corvus non est niger, habetur propositio falsa; sed ideò tantum quia secundum communem naturæ cursum omnis corvus est niger. At verò dum dico: Equus non est hinnibilis habetur propositio falsa; sed propterea quia talis negatio implicat contradi-ctionem etiam de potentia Dei absoluta.

Theorema Septimum.

Supra Substantiam potest fundari intentio Accidentis prædicabilis ita, sicut supra Accidens Prædicamen-tale.

Notandum Dictum 1mum: Sensus Theorematis hujus est hic: Sicut Accidens Prædicamen-tale in concreto sumptum potest induere denominationem Accidentis Prædicabilis, ita quoq & Substantia, nam sicut vera est ista propositio Album est Accidens prædicabile, ita etiam et hæc: Aureum est accidens prædicabile quia utrumq est capax 2dæ intentionis Accidentis prædicabilis.

Dictum 2dum: In prædicationibus istis vas est deauratum, cathedra est lignea etc. id quod in-duit rationem Accidentis prædicabilis non est respectus ad substantiam auri, sed ipsa substantia auri vel ligni: nam illud est Accidens prædicabile quod affirmatur de aliquo subjecto et est extra ejus essentiam nec fluit ex ipso.

Definitio Accidentis prædicabilis.

Probatio Theorematis

Pars 1ma Theorematis (Supra Substantiam potest fundari intentio Accidentis prædica-bilis) Probatur: Omne prædicatum quod importat habitudinem Accidentalem ad Subjectum, tanquam id quod neq dicit Essentiam Subjecti, neq partem essentialem, neq aliquod fluens ne-cessariò ab illo potest supra se fundare Universalitatem Accidentis prædicabilis (quia Accidens prædicabile denotat tale prædicatum quod importat habitudinem Accidentalem, nec requirit ad illud inhærentia in alio sed sola connexio non necessaria cum Subjecto) Sed prædicatum Sub-stantiale importat talem habitudinem respectu aliquorum Subjectorum. Ergo potest fundare supra se Accidens prædicabile, si sic? Ergo supra Substantiam potest fundari etc. Minor: Quia hæc prædi-cata (aureum, Argenteum) sunt prædicata Substantialia et important respectum Accidenta-lem seu habitudinem respectu quorundam. Ergo etc. Antecd. Nam (Aureum, Argenteum)

non dicunt

+fatem

non dicunt essentiam aut partem essentialem, aut proprietatem rei. Ergo etc. Anteo. quoad primam partem. Quia quod est in Prædicamento Substantiæ, non dicit Essentiam ejus, quod est in Prædicamento Qualitatis (quia Substantia non est essentia Accidentis siquidem inter Substantiam et accidens intercedit Realis distinctio) Sed Aurum est in Prædicamento Substantiæ) Corona vel Annulus est in Prædicamento Qualitatis (quia est in quarta Specie ipsius Scil: in Figura) Ergo Aurum non dicit essentiam coronæ. Quoad 2dam partem: Quod dicit proprietatem rei alicujus, consequitur ad illam rem, seu fluit ab illa re: Sed Aurum non consequitur ad coronam vel Annulum nec fluit ab ipsis. Ergo Aurum non dicit proprietatem coronæ. Quoad tertiam partem: Quia absque parte essentiali res non potest esse. Sed sine auro potest esse corona vel annulus (nam potest confici ex argento vel aliqua alia materia) Ergo Aurum non dicit partem essentialem coronæ. Idem judicium sit de aliis prædicatis substantialibus, qualia sunt ista: Ligneum, argenteum, lapideum, marmoreum, gemmeum etc. vel hoc modo idem argumentum formetur: Quodlibet prædicatum contingenter alicui conveniens potest fundare in se Universalitatem Accidentis prædicabilis. Sed Prædicatum Substantiale v.g. Aureum, Argenteum lapideum potest contingenter alicui convenire. Ergo Prædicatum Substantiale potest fundare Universale Accidentis prædicabilis. Si sic: Ergo Supra Substantiam etc. Major: Quod potest adesse et abesse præter Subjecti corruptionem, potest fundare supra se intentionem Accidentis prædicabilis: Sed quodlibet prædicatum contingenter alicui conveniens potest adesse et abesse præter Subjecti corruptionem. Ergo etc. minor Principalis: Illud contingenter alicui convenit quod non dicit Essentiam Rei, vel partem essentialem vel proprietatem ~~[illegible]~~. Sed Prædicatum Substantiale est id quod respectu quorundam non dicit essentiam, nec partem, nec proprietatem. Ergo etc. minor prox: Quia in his propositionibus: Annulus est aureus, Scamnum est ligneum, Animal est homo prædicata non exprimunt essentiam rei nec partem, nec proprietatem (ut superius probatum est) Ergo etc. Dices: hæc propositio (corona est aurea) resolvitur in hanc (corona est habens aurum) et ideo sicut in hac posteriore non prædicatur Substantia Auri de Corona; sed tantum respectus habitionis de Prædicamento HABITUS qui fundatur in corona et terminatur ad Aurum, ita etiam in illa priore hic respectus prædicatur non vero Auri Substantia. CONTRA: Ergo hoc idem erit dicendum de propositione ista: (Petrus est albus) quia similiter resolvitur (Petrus est habens albedinem) Dices in hac posteriore prædicatur respect

respectum quia albedo sumitur in Abstracto et in obliquo, at verò non in prima quia ibi album formaliter in concreto prædicatur. Contra Quòd ergo tibi licet, et mihi licebit dicere. Atque sic eodem modo ego in hac (corona est aurea) dico Aurum Adjectivè per modum Formæ accidentalis in concreto prædicari, quamvis in hac (corona est habens Aurum) respectu Habitionis ut tu dicis prædicetur. PARS 2DA THEOREMATIS (Supra Accidens prædicamentale potest fundari intentio Accidentis prædicabilis) Probatur: Accidens Prædicamentale convenit Subjecto contingenter (quia potest et adesse et abesse præter Subjecti corruptionem) Ergo etc. Confirmatur: Substantia potest fundare intentionem Accidentis prædicabilis (ut modo fuit probatum) Ergo multo magis Accidens prædicamentale.

OBIECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIONES.

OBIECTIO 1MA (Supra Substantiam non potest fundari intentio Accidentis Prædicabilis) Probatur: Quia alias posset Substantia prædicari de aliquo per modum Accidentis id est in Quale Accidentale contingenter. Conseq. falsum. Ergo et Antecedens. Falsitas Substantia nulli accidit. Ergo falsum est quod Substantia possit prædicari de aliquo per modum Accidentis. Antec. Prob: Quod verè est, nulli Accidit iuxta Philosophum π Physicorum. Sed Substantia verè est (quia est Ens per se existens) Ergo Nulli accidit. RESPONDETUR Neg. Falsitatem. 2 Antec. 3 Disting. majorem Accidere dupliciter: Metaphysicè et Logicè. Quod verè est, nulli accidit (metaphysicè) Concedo. Nulli accidit (Logicè) Neg. Minorem Concedo, tandem Conclusionem Disting. Substantia nulli accidit (metaphysicè) concedo. (Logicè) Neg. Porrò hoc differt Accidere Logicè ab accidere metaphysicè: quia Accidere metaphysicè convenit soli Accidenti prædicamentali quod inhæret alteri et existit in altero de cujus ratione est respicere semper Subjectum inhæsionis Actualiter vel aptitudinaliter. At verò Accidere Logicè convenit omni illi Prædicato quod attribuitur alicui contingenter sive sit Accidens prædicamentale, sive Substantia et de ratione ipsius est respicere Subjectum, non inhæsionis; sed tantum prædicationis; undè illa verba (adesse et abesse) non sumuntur pro inhærere vel non inhærere) quia hoc soli prædicamentali Accidenti convenit: sed sumuntur pro affirmari vel negari de Subjecto præter ipsius corruptionem. OBIECTIO 2DA (Accidens prædicamentale non potest supra se fundare intentionem Accidentis prædicabilis) Prob: quia alias visibilitas, hinnibilitas etc. essent accidentia prædicabilia. Conseq. falsum. Ergo et Ante

Accidere dupliciter sumitur.

Differentia inter Accidere metaphysicè & Logicè.

Subjectum duplex Inhæsionis et Adhæsionis.

Sequela

Sequela: quià visibilitas et hinnibilitas est Accidens Prædicamentale (nam ponitur in Prædicamento Qualitatis quià est potentia naturalis) Ergo etc. Si Accidens Prædicamentale posset fundare intentionem Accidentis prædicabilis, Sequeretur quod visibilitas esset Accidens Prædicamentale. Falsitas: quià Risibilitas est proprium quartum prædicabile (nam quatenus esset proprium prædicaretur necessariò, et quatenus esset Accidens prædicabile, non prædicaretur necessariò, iam verò prædicari necessariò et non prædicari necessariò manifestè contradictio. Ergo etc. RESPONDETUR: Neg. Sequelam, deinde Neg. Antec. et ejus probationem. Nam visibilitas non est Accidens prædicamentale, neque (ut dicis) ponitur in Qualitate: sed ponitur in Prædicamento Substantiæ reductivè quià passio qualibet in eodem Prædicamento cum suo Subjecto collocatur cum enim Prædicamenta sint realiter inter se distincta, et passio non differat à suo Subjecto realiter, non potest in alio Prædicamento poni Subjectum, et in alio passio. Undè visibilitas est Substantia in obliquo, non tamen in Recto. RESPONDETUR: Neg. Falsitatem, et Consequentiam, tandem distinguo Antec. Implicat contradictionem ut aliquid sit proprium et Accidens prædicabile respectu ejusdem termini Concedo. Respectu diversorum terminorum Nego. Si enim visibile respiciat hominem vel Petrum, Paulum etc. sic est proprium, si autem respiciat Animal vivens, Substantiam etc. sic est Accidens prædicabile.

CONTROVERSIA QUARTA.

DE

ANTEPRÆDICAMENTIS.

Antepradicamenta nihil aliud sunt nisi documenta quædam quorum cognitio multum conducit ad ipsorum Prædicamentorum notitiam habendam, et communiter assignantur ista: Definitiones Univocorum, Æquivocorum, Analogorum et Denominativorum. Duæ Divisiones et duæ regulæ ut patet in Summulis, porrò hac in controversia nos potissimum ostendere conabimur. Imprimis Quomodo Analoga inter Univoca et Æquivoca medient. Deinde quænam Reset quomodo in prædicamento reponantur. Quare sit:

THEOREMA PRIMUM.

Inter Univocum et Æquivocum, licet Analogum materialiter acceptum non mediet, tamen acceptum Formaliter omninò mediat.

Notandum 1mum Dictum primum: Æquivoca sunt quorum nomen est commune, ratio verò Substantiæ per nomen importata est diversa. Univoca sunt quorum nomen est commune et ratio Substantiæ per

F Ergo Risibilitas non est Accidens quintum prædicabile ~~et Proprium Quartum prædicabile (nam quatenus esset proprium)~~ Consequens proximum quià implicat contradictionem ut aliquid sit Accidens 5tum prædicabile et proprium 4tum prædicabile (nam quatenus etc vid supra).

Substantiæ per nomen importata est eadem. <u>Dictum Secundum</u>: In Definitionibus istis voces positæ habent suum certum sensum. Undè (ly nomen) non sumitur strictè prout à verbo distinguitur; sed sumitur latè quatenus etiam comprehendit verbum et participium; sicut enim canis est æquivocum ad animal latrabile, piscem et sydus coeleste, ita lego est æquivocum ad legere et legare: Item sicut Animal est univocum ad hominem, leonem etc: ita diligo est Univocum ad omnes Actus dilectionis (Ly Ratio) sumitur pro conceptû Objectivo quidditativo sive sit Definitio Propria sive non (Ly Substantia) sumitur pro Essentia et quidditate rei, non autem pro Substantia prout ab Accidente distinguitur Prædicamentali: <u>nam etiam in Accidentibus datur Univocatio et Æquivocatio</u>. <u>Dictum Tertium</u>: Æquivoca sunt duplicia. Alia purè Æquivoca quæ scil: prorsus absque omni habitudine et convenientia ad invicem eodem nomine sunt appellata et vulgo dicuntur æquivoca à casu vel à fortuna v.g. Gallus homo, et Gallus avis dicuntur purè Æquivoca et à casu quià omninò fortuito evenit ut homo et Avis nulla habita ratione convenientiæ ad invicem eodem nomine appellarentur. Alia non purè Æquivoca quæ dicuntur Æquivoca Analoga et vulgo appellantur Æquivoca à consilio quià scil: non casu aut temerè sed consulto unum et idem nomen ad plura significanda sese extendunt, et talia sunt quæ habent idem nomen vel propter convenientiam aliquam ad invicem et proportionem sicut (Ly ridere) convenit homini et prato, nam pratum florens dicitur ridere quià assimilatur homini læto. Similiter Homo dicitur de vivo et picto quià in externa figura conveniunt; aut propter affectum vel memoriam alicujus rei. Sic nomina Propria quæ solent imponi in memoriam alicujus Sancti vel Sanctæ vel alicujus viri Magni dicuntur Æquivoca, ut Ioannes, Paulus etc. consulto enim ista nomina imponuntur rebus licet nulla intercedat similitudo; sed solum desiderium istius similitudinis. <u>Dictum Quartum</u>: Univocorum sunt duæ species 1ma est eorum quæ sunt purè Univoca quæ scili: non possunt esse Analoga quià habent eandem Rationem quæ est in inferioribus æqualis tam intrinsecè quam extrinsecè quià etiam ipsæ individuorum Differentiæ individuales omnes sunt æqualis perfectionis, ideò et naturæ omnes speciei infimæ sunt in illis æquales et dicuntur purè univoca. 2da Est eorum quæ ita sunt Univoca ut simul possint esse Analoga quia eorum Ratio eadem ut est in inferioribus, est inæqualis extrinsecè id est propter Differentiam vel modum perfectiorem et talia sunt Genera omnium et transcendentia eo sensu quo usus est Aristoteles 7 Physicorum dum dicit in Generibus latere Æquivocationem. <u>Notandum 2dum</u> <u>Dictum (1mum)</u> Licet Analogia ex vi Græci vocabuli solam proportionem videatur indicare, tamen apud Latinos dicit non solum proportionem seu similitudinem; sed etiam habitudinem per modum ordinis seu dependentiæ et Attributionis. Item comparationem convenientiæ cum aliqua dissimilitudine & diversitate. Item diversitatem cum æquali similitudine mixtam. <u>Dictum (2dum)</u> Analoga communiter sic ab aliis

Æquivoca sunt duplicia.

Univocorum duæ species.

Definitio Analogorum.

communiter sic ab aliis definiuntur: Analoga sunt quorum nomen est commune et Ratio per illud nomen significata, partim est eadem, partim diversa. Cæterum hæc Definitio illis Analogis convenit quæ sunt Analoga Æquivoca. Dictum (3tium) Circa hanc materiam maxima est controversia et incertitudo propter discordes Authorum sententias qui nec in re, nec in usu vocum quæ huic serviunt negotio, nec in numero aut Speciebus assignandis, neque in ipsis denominandis conveniunt. Alii enim unam tantum tenent speciem scil: Analogiam Proportionis. Alii etiam unam quam vocant Analogiam Attributionum. Alii duas scil: Proportionis et attributionis. Alii Tres scil: Proportionis, Attributionis et Inæqualitatis. Alii tandem quatuor. ~~[illegible]~~ scil: proportionis, Attributionis, Inæqualitatis et Transcendentiæ, quarum descriptiones cujusmodi ab aliis adferuntur. Vide in Sequenti Notando. Notandum 3tium.

Definitio Analogi Attributionis.

Dictum 1: Analogia Attributionis est illa juxta quam aliqua habent nomen commune, rationem verò substantiæ secundum illud nomen eandem quoad terminum, et diversam quoad habitudines v.g. Sanum est Analogum Attributionis quia convenit Animali, pulsui, cibo et Medicinæ: Porro Analoga Attributionis ea dicuntur quæ nomine communi significantur unum tamen ad aliud dicit ordinem & attributionem vel ambo ad tertium et ideò dicuntur Analoga ab uno vel Analoga ad unum, quatenus enim omnia denominantur ab una Forma; dicuntur ab uno, et quatenus minus Principalia Analogata dicuntur talia per ordinem ad unum terminum dicuntur ad unum.

Duplex Analogiæ Attributionis consideratio.

Dictum 2: Analogia Attributionis dupliciter potest considerari vel potius contineri: 1 Dum Analogata sic se habent ut primum Analogatum tantum propriè et intrinsecè tale denominetur per Formam sibi inexistentem, reliqua verò extrinsecè solum ratione illius habitudinis quam habent ad illud primum. Hoc modo Analogicè dicitur Sanitas de Animali, cibo et pulsu: quia Ratio Formalis quæ est debita humorum temperies intrinsecè et formaliter est in solo Animali, in Medicina verò cibo et pulsu tantum extrinsecè tanquam in terminis habitudinis quam dicunt ad Sanitatem Animalis scil: in medicina tanquam in causa effectiva: In PULSU tanquam in Signo: In CIBO tanquam in causa conservativa. 2do modo ita ut omnia Analogata illam Formam propriè ac intrinsecè includant licet adhuc cum dependentia unius ad aliud, vel Amborum ad tertium; hoc modo Ens dicitur Analogicè de DEO et creatura & Substantia et Accidente quia Ratio Entis propriè et intrinsece ac formaliter omnibus istis convenit.

Definitio Analogæ Proportionis.

Dictum 3: Analoga Proportionis vel Proportionalitatis sunt illa quæ licet habeant rationes simpliciter diversas quia tamen sunt proportionaliter similes ideò participant nomen idem commune, sic sunt Analoga spina in pisce et os in bove, videre in oculo et videre in intellectu, per Animalis et lecti vel mensæ. Dictum

Dictum 4: Analoga inæqualitatis sunt quorum nomen est commune et Ratio secundum illud nomen est eadem inæqualiter tamen participata quoad perfectionem sic homo et brutum sunt Analoga. Dictum 5: Analoga Transcendentia sunt quæ includunt in se rationem omnibus rebus communem, & tam sibi quam suis Differentiis Essentialiter imbibitam. Dictum 6: Duplex est Analogia secundum Nos. Alia quæ stat cum Univocatione: Alia quæ stat cum Æquivocatione ad quarum cognitionem habendam proderit scire quomodo aliquid consideretur penes Substantiam, deinde penes Quantitatem et tandem penes Qualitatem, non confundendo passiones fundatas in Unitate Substantiæ scil: Identitatem et diversitatem cum passionibus Quantitatis et Qualitatis scilicet cum æqualitate et inæqualitate: Item cum similitudine et dissimilitudine, quâ de re DEO dante in Univocatione Entis metaphysici.

Definitio Analogorum inæqualitatis.

Definitio Analogorum Transcendentium.

Duplex Analogia secundum nos.

276

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS PRIMA THEOREMATIS (Analogum materialiter sumptum non mediat inter Univocum et Æquivocum) Probatur: Non potest dari ullum Prædicamentum quod sit purè Analogum medians inter univocum et Æquivocum. Ergo etc. Cons. Nam per Analogum materialiter sumptum, nihil intelligitur nisi Prædicatum quod substernitur tali Denominationi. Ergo si non potest dari etc. Antec. quia Analogum materialiter sumptum semper coincidit cum Univoco et Æquivoco. Ergo etc. Antec. Nam Unitas Analogiæ stat aut cum Univoco, aut cum Æquivoco id est aut cum Æquivocationis aut cum Univocationis Unitate. Ergo etc. Antecedentis prima pars patet in exemplo risus respectu hominis læti et prati florentis quibus est communis æquivocè Analogicè: Quia alia est Ratio risus in homine, alia in prato, et sic est æquivocatio: Deindè est convenientia et proportionalitas, item quædam attributio seu ordo: prius enim dicitur ridere de Homine et posterius est de prato quod rideat, et sic est Analogia. 2da Pars Antecedentis Probatur: quia Animal, metallum, color et alia Genera sunt simul Univoca et Analoga. Ergo Unitas Univocationis stat simul cum Unitate Analogiæ. Antec. quoad primam partem: Quia conceptus Animalis est Unus conceptus à suis Speciebus præcisus et distinctus diciturque de illis Univocè. Ergo Animal est Univocum. Antec. proxim. Omne Genus dicit alium conceptum à suis Speciebus et prædicatur de illis Univocè. Sed Animal est Genus. Ergo Animal dicit alium conceptum à suis Speciebus. Si sic? Ergo conceptus Animalis etc. Major: Alias Genus non prædicaretur de pluribus Specie differentibus in Quid, quod est falsum. Sequela: Si enim Genus non haberet alium conceptum à conceptibus suarum Specierum, nullus conceptus diceretur de pluribus Specie differentibus in Quid sed tantum quilibet de seipso, et tunc nihil prædicaretur ut Genus de Specie sed ut idem de eodem. Antec. quoad secundam partem scil: quod Animal sit Analogum

Analogum. Probatur: Illud est Analogum quod habet sub se Analogata (quià posito uno Relativo ponitur
et Alterum) nam relativa sunt simul natura. Sed Animal habet sub se Analogata scil: hominem,
bovem, leonem etc. Ergo Animal est Analogum. minor: Illa sunt Analogata inter quæ est Analo-
gia inæqualitatis et unius ad alterum attributio. Sed inter species Animalis scil: inter bovem, homi-
nem, leonem etc. est Analogia inæqualitatis et attributionis. Ergo etc. minor prox: Est ordo Essentialis
inter species Animalis. Ergo est Analogia inæqualitatis et Attributionis. Conseq. Ubi est mensura et
mensuratum, ibi est attributio, et Analogia Attributionis. Sed ubi est ordo essentialis, ibi est men-
sura et mensuratum. Ergo etc. Nam secundum Aristotelem 10 Metaφysicorum, in quolibet Genere
datur aliquid primum quod est metrum et mensura omnium aliorum in illo Ge-
nere: Sic in Genere metalli, aurum est mensura aliorum. Item in Genere coloris, albedo est men-
sura et metrum aliorum colorum. Vel sic: <u>Ubi est mensura et res mensurata, ibi est ordo essen-
tialis</u> (quià mensurata habent ordinem essentialem ad mensuram) Sed inter Species Animalis est
mensura nimirum homo, et res mensurata scil: Leo, Bos etc. (quià in quolibet Genere datur aliquid
quod est mextrum et mensura cæterorum) Ergo Inter Species Animalis est ordo essentialis. <u>PARS 2da
THEOREMATIS (Inter Univoca et Æquivoca, Analogum Formaliter Sumptum mediat)</u> Prob:
Analgia mediat inter Univocationem et Æquivocationem. Ergo et Analogum Formaliter Sumptum
mediat inter Univoca et Æquivoca. Conseq. quià dicere Analogiam mediare, et dicere Analogiam
formaliter sumptum mediare, est idem (nam Analogum formaliter sumptum nihil dicit aliud nisi pure
Analogiam, siquidem concretum Formaliter Sumptum ipsam Formam indicat) Ergo si Analogia mediat
inter Univocationem et Æquivocationem, sequitur quod etiam Analogiam mediat. Antec. Quià Unitas
Analogiæ est Unitas Æquivocationis aut Univocationis sed alia ab his. Ergo Analogia mediat. Antec. Unitas
major Unitate Æquivocationis et minor Unitate Univocationis est alia ab Unitate Æquivocationis et Uni-
vocationis. Sed Unitas Analogiæ est major Unitate Æquivocationis et minor Unitate Univocationis
Ergo etc. <u>Minoris prima pars probatur</u>: Quià Unitas Æquivocationis est Unitas solius nominis supra
quam Analogia addit unitatem attributionis vel proportionis, vel inæqualitatis. Ergo Unitas Analo-
giæ est major unitate Æquivocationis. 2da pars minoris probatur: quià quæ sunt unum f habitudinem se-
cundum eandem Rationem omnibus intrinsecè participatam; sed sufficit quocunque modo illam fundet,
ut patet de sano, et risu et aliis. Confirmatur: quià Analoggia formaliter sumpta nunquam coincidit
necess.

f Attributionis vel proportionis non est necesse quod habeant talem
habitudinem secundum eandem etc. vid Supra.

nec confundit cum Univoco vel Æquivoco secundum suam rationem Formalem. Ergo mediat. Ante. Quia alia est Ratio Formalis Analogiæ, alia Univocationis et alia Æquivocationis licet Analoga materialiter semper coincidant cum Univocis et Æquivocis. Ergo etc. Antec. prox. Si Analogum materialiter coincidit cum Æquivoco, tunc Ratio Æquivoci consistet in illa communitate nominis cui diversæ Rationes correspondent. Ratio autem Analogiæ consistet in illa qualicunque unitate proportionis vel Attributionis unius ad aliud quatenus in illo nomine communi conveniunt. At vero si Analogum coincidit cum Univoco, tunc Ratio Univocationis consistet in illa unitate nominis et rationis; Analogia vero in illa Unitate ordinis et Attributionis unius ad aliud vel plurium ad tertium quæ semper est minor Unitate Univocationis. Ergo etc. R.

Objectiones et earundem Solutiones.

Objectio 1ma (Analogum materialiter sumptum mediat inter Univocum et Æquivocum) Probatur: Analogum non coincidit cum Univoco aut Æquivoco. Ergo etc. Antec. Quæ sunt incompossibilia non coincidunt. Sed Analogum est incompossibile cum Univoco aut Æquivoco. Ergo non coincidit cum ipsis. Alias idem prædicatum importaret et non importaret convenientiam seu identitatem. Conseq. falsum (quia implicat, nam importare et non importare sunt contradictoria) Ergo et Anteced.

Respondetur Neg. 1 Antec. 2 minorem. 3 Disting. majoris consequentiam: Idem prædicatum importaret et non importaret Disting. Importaret secundum diversam rationem et Formam Concedo. Importaret secundum eandem Rationem Nego. Porro non implicat ut unum et idem prædicatum importet convenientiam et diversitatem sub diversis rationibus nimirum sub Ratione Univocationis et sub ratione Analogiæ. At vero implicat si sub Ratione Univocationis importaret et identitatem et diversitatem. Objectio 2da (Analogum Formaliter sumptum non mediat inter Univocum et Æquivocum) Probatur: Inter contradictoria nullum datur medium. Sed Univoca et Æquivoca sunt contradictoria. Ergo Inter illa nullum datur medium. Si sic. Ergo Analogum formaliter sumptum etc. major clara. minor probatur: Quia illa sunt contradictoria quorum unum dicit eandem Rationem, et aliud non dicit eandem rationem (dicere enim eandem rationem et non dicere est contradictio) Sed Univoca dicunt eandem rationem, æquivoca vero non dicunt eandem (nam dicunt diversam) Ergo etc. Confirmatur: inter idem et diversum, idem et non idem non datur medium (quia ex 10 metaphysi. t. 12 Idem et diversum sunt immediate opposita circa Ens)

Ergo illa

Ergo illa, quorum Definitiones dant̃ per ista immediata, non habent medium inter se. Sed Æquivocorum et Univocorum Definitiones dantur per ista immediata. Ergo Univoca et Æquivoca non habent medium. RESPONSIO: Concedimq totum Argumentum et ipsiq confirmationem. Ratio. Nã si intelligit̃ in Sensu materiali, certè nec nos Analogum materialiter Sumptum dicimq mediare inter Univocum et Æquivocum quià omne Analogum prædicatur semper aut est simul Univocũ aut Æquivocum nam hæc sunt immediata: Si intelligat̃ in Sensu Formali, adhuc nihil contra nos concluditur quià supponit quod Nos Analogiam statuamq penes Unitatem Substantiæ in qua fundatur identitas et diversitas ad quas sequitur Univocatio aut Æquivocatio cùm tamen alia sit nostra Sententia. Nam Analogia quam nos docemus mediare inter univocum et Æquivocum non tenet se penes Substantiam aut identitatem vel diversitatem; sed tenet se penes unitatem Quantitatis et Qualitatis in quibus fundat̃ inæqualitas et æqualitas, similitudo et dissimilitudo. Ad has autem proprietates sequitur Analogia id quià dicit Unitatem distinctam ab unitate Univocationis et Æquivocationis, ideò dicimus illam mediare, non enim continetur sub Unitate Æquivocationis aut sub Unitate Univocationis licet coincidat cum alterutra earum in eodem Subjecto.

THEOREMA SECUNDUM.

Ut aliquid reponatur per se et directè in aliquo prædicamento, debet esse Ens et quidem Reale, per se, non per Accidens, incomplexum, completum, Essentialiter Finitum, seu sit Universale seu individuum.

Notandum Dictum 1mum: In Serie Prædicamentali res ipsæ non autem voces collocantur per se propriè et principaliter: Nam Prædicamentorum structura ex rebq non autem ex vocibq est facta, et res ipsæ sunt quæ in Prædicamento disponunt̃ secundum sub et supra, licet ipsa dispositio earum non possit eẽ nisi prout subsũt nostræ mentis conceptibq. Dictum 2dum: Rem in Prædicamento collocari nihil est aliud quàm concipi ipsam à nobis sub Ratione Superioritatis vel inferioritatis. v.g. Homo reponit̃ in Prædicamento Substantiæ dum concipio ipsum veluti quid inferiq sub Animali. Dictum 3tium: Voces possũt in Prædicamento reponi p Accidens et minq principaliter in quantum sunt signa earum rerum quæ p se in Prædicamento collocant̃. Ipsa enim vox (Aurum) non reponeretur

Quid sit collocari rem in Prædicamẽto.

reponeretur in Prædicamento Substantiæ nisi significaret ipsam naturam Auri. Dictum 4tum. Dum dicitur quod voces reponantur per Accidens in Prædicamento, debet hoc intelligi prout voces Formaliter sumuntur et sunt signa rerum, non autem prout materialiter accipiuntur quatenus significant sonum, nam hoc modo sunt Res et ponuntur in Prædicamento Qualitatis per se. Nam omne objectum Auditus est res. Sed vox materialiter sumpta v.g. Aurum, Homo, Linea etc. est objectum Auditus. Ergo Vox materialiter sumpta est res. Unde non modo simplex homo; sed etiam bruta percipiunt hanc vocem prolatam (Aurum). Notandum 2dum. Dictum 1. In Prædicamento seu coordinatione Prædicamentali tripliciter potest aliquid poni scil: Directè in recta Linea: Indirectè seu ad latus seu collateraliter et Reductivè.

Tripliciter aliquid in prædicamento poni potest.

DIRECTE ponuntur in Prædicamento Genus generalissimum et omnia illa de quibus Genus generalissimum prædicatur in Quid qualia sunt Genera Subalterna, Species Specialissimæ et individua v.g. Corpus, Vivens, Animal, Homo, Paulus etc.

Quæ directè in prædicamento ponuntur.

INDIRECTE ponuntur Differentiæ Essentiales quæ dividunt Genus et constituunt Species v.g. Corporeum, incorporeum, Rationale, irrationale. etc.

Quæ verò indirectè.

REDUCTIVE ponuntur ea omnia quæ nec sunt Genera generalissima, nec Species Subalternæ, nec Specialissimæ, nec individua, nec differentiæ essentiales, et tamen ad aliquod Prædicamentorum istorum pertinent aliquo modo quia sunt aut partes integrales v.g. caput, manus etc. Aut Partes Essentiales Physicæ ut materia vel Forma respectu compositi Physici; aut propriæ passiones v.g. Risibilitas respectu hominis, hinnibilitas respectu equi etc. Aut sunt termini rerum v.g. puncta respectu Lineæ: Aut negationes rerum, aut aliquid simile.

Quænam Reductivè.

Dictum 2: Ens Reale dupliciter accipitur 1mo Nominaliter. 2do Verbaliter seu Participialiter. Ens sumptum nominaliter significat id quod potest in Rerum Natura existere sive Actu existat sive non: et sic Rosa tempore hyemis est Ens Reale. Ens sumptum verbaliter significat id, quod Actualiter modo in rerum natura existit: Sic Paulus hac hora scribens est Ens Reale.

Entis Realis duplex acceptio.

Dictum 3. Quæ in Prædicamento ponuntur, abstrahunt ab existentia Actuali, neque est opus ad constructionem Prædicamentorum ut res Actu existat quia existentia de nulla creatura prædicatur quidditativè cum tamen ea quæ ponuntur in Prædicamento debent esse aut prædicata quidditativa, aut talium prædicatorum inclusiva.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS 1ma THEOREMATIS (Quod per se ponitur in Prædicamento ponitur debet esse Ens et quidem Reale) Probatur 1mo: Non Entia non possunt poni in Prædicamento. Ergo etc. Antec. Ea solum ponuntur

in

in Prædicamento quæ habent Genera et Species aut sub se aut supra se (quia prædicamentum constat ex Generibus, Speciebus et individuis: Sed non Entia neque Genera nec Species habent) Ergo etc. Minor: quæ carent Essentia et quidditate, non habent Genera et species (nam genus et Species dicunt quidditatem et essentiam suorum inferiorum) Sed non Entia carent Essentia (quia carent esse) Ergo etc. Confirmatur: Si non Ens poneretur in Prædicamento, sequeretur quod esset Species vel haberet Speciem. Conseq. falsum. Ergo et Antec. Falsitas: quia qualibet Species habet passionem, non Ens, non habet passionem. Ergo Non Ens non est Species. Minor: quia alias daretur illius Scientia (ubi enim est Subjectum et propria passio, ibi est Scientia) atqui hoc falsum (quia juxta Philosophum non Entis nulla est Scientia) Ergo etc. Probatur 2do: Ens Rationis non potest poni in Prædicamento per se. Ergo Quod ponitur in Prædicamento debet esse Ens Reale. Antec. Quicquid ponitur in aliquo ex 10 Prædicamentis est pars Subjectiva Entis Realis (quia Prædicamenta sunt partes Subjectivæ Entis Realis ut oppositi Enti Rationis. Nam Aristot. 5 metaphys. t. 14. Facta Divisione Entis in Ens in Anima seu Rationis, et Ens extra Animam seu Reale, subdividit postmodum Ens Reale in 10 Prædicamenta) Sed Ens Rationis non potest dici pars Subjectiva Entis Realis. Ergo etc. Minor: Quicquid est pars Entis Realis subjectiva continetur sub Ente Reali tanquam aliquid inferius. Ergo Non est pars Subjectiva Entis Realis. Minor: quia membrum positum Divisionis alicujus non continetur sub alio membro. Sed Ens reale et Ens Rationis sunt membra opposita. Ergo unum non continetur sub altero. PARS SECUNDA THEOREMATIS (Quod per se ponitur in prædicamento, debet esse Ens per se non vero per Accidens) Probatur 1mo Authoritate Philosophi ex 5 Metaphys. t. 14 Ubi postquam divisit Ens in Ens per se et Ens per Accidens, subdividit Ens per se in Decem Prædicamenta. Probatur 2do Ratione. Quicquid ponitur in aliquo Prædicamento per se, debet esse unum, non vero plura Entia, et unius Essentiæ non vero multiplicis. Sed Ens per Accidens non est unum sed plura neque est unius Essentiæ, sed multiplicis. Ergo Ens per Accidens non ponitur in Prædicamento per se sed in pluribus Prædicamentis sicut mensa, et Aliæ Res Arte factæ, ratione materiæ pertinent ad Substantiam; ratione autem Formæ pertinent ad Qualitatem. Sic sic. Ergo quod per se ponitur in Prædicamento debet esse Ens per se, non vero per Accidens. Notes hoc loco quod Ens per se Accipiatur pro Ente unius Essentiæ seu pro Essentialiter Uno quod proinde simpliciter et sine addito potest dici Unum v.g. Aurum, color, homo etc. Ens autem per Accidens importat Ens essentialiter multiplex vel potius plura Entia v.g. cumulus lapidum, item domus, turris, concreta Accidentalia v.g. Album, Dulce, calidum prout ista concreta accidentalia tam Formam quam Subjectum important æqualiter, quamvis enim faciant unum, tamen non faciunt

Sed ens rationis non continetur sub ente etc.

non faciunt unum essentialiter quod dicit simpliciter unum sed accidentaliter ex duabus essentiis simul conjunctis quarum una non est per se potentia, nec altera per se actus. PARS TERTIA THEOREMATIS (Quod per se ponitur in Prædicamento, debet esse incomplexum) Probatur 1° Authoritate Aristotelis in Antepraedicamentis capite ultimo qui facta divisione complexorum et incomplexorum statim subdividit incomplexa in decem Prædicamenta dicens: Eorum quæ secundum nullam complexionem dicuntur, unumquodque significat aut substantiam, aut Quantum, aut Quale etc. Probatur 2° Ratione: Prædicamenta ex rebus incomplexis constituuntur. Ergo etc. Antec. Tractatio Prædicamentorum item Divisio ac Distinctio eorundem facta est præsertim adinveniendos simplices rerum conceptus. Ergo etc. Notes: Complexa triplicia esse posse 1mo Secundum Rem quæ diversas naturas significant v.g. paries albus homo scribit, mel dulce. 2do Secundum modum significandi quamvis secundum rem significent unam Naturam simplicem, quales sunt definitiones non per additamentum datæ quia hæ diversas res significant: Sed Definitiones ex proprio Genere et propria Differentia constantes v.g. Animal rationale, quamvis enim Animal rationale ~~secundum~~ Rem unam naturam humanitatis significet quia tamen ipsam dividit in partes, unde non habet unum modum prædicandi sicut Species, quia quasi complexe ipsam significat. 3tio Complexa secundum vocem tantum, licet sint incomplexa secundum rem et modum significandi: v.g. M.T. Cicero. Hinc Scias quod Aristoteles excludit à prædicamentis non hoc tertio modo complexa; sed tantum 1mo et secundo modo, licet de 2do modo sit aliquod dubium.

Complexa sunt triplicia.

PARS QUARTA THEOREMATIS (Quod ponitur in Prædicamento per se, debet esse Ens completum) Probatur: Entia incompleta non possunt poni in Prædicamentis directè. Ergo etc. Antec. Alias partes integrales heterogeneæ item Essentiales possent poni directè. Conseq. Falsum Ergo et Ante. Falsitas: quia illa per se directè reponuntur quæ possunt esse Subjectum vel prædicatum in prædicatione Formali (quia Superiora Essentialiter prædicantur de inferioribus et inferiora recipiunt prædicationem illorum) Sed partes non possunt esse Subjectum vel prædicatum in prædicatione Formali. Ergo etc. minor: quia pars non potest prædicari de toto in recto sed solum in obliquo (quia non recta est ista prædicatio: Homo est manus, homo est Anima, neque ista Anima est homo, vel Anima est Animal etc.) Ergo etc. Notes: PARTES totius integralis sunt duplices. Alias Homogeneas seu similares quales sunt gutta Aquæ, item particulæ in ligno. Alias Heterogeneas id est dissimilares quales sunt manus, caput, pes etc. Et Scias has posteriores excludi à prædicamentali recta linea: nam homogeneæ sunt veræ individua totius Essentialis Universalis et accidit illis quod sint Actu partes totius Quantitativi: non enim ideo falsa est ista propositio (hæc gutta Aquæ est Aqua) quia est pars alteri unita vel unibilis.

Quidditativi forte

Partes Integralis totius sunt duplices.

PARS 5ta THEOREMATIS (Quod ponitur in Prædicamento per se, debet esse Ens finitum) Probatur: Ens infinitum

infinitum in Essentia non potest poni. Ergo etc. Antec. Probatur 1mo quia alias DEUS GLORIOSUS poneretur in Prædicamento quod est falsum ut probatur in metaphysi. 2do Quicquid est in Recta Linea Prædicamentali, aut est Genus, aut Species, aut Individuum. Sed Ens infinitum in Essentia nequit esse Genus neque Species neque individuum. Ergo etc. Minoris prima pars: Omne genus est perfectibile à Differentia (quia munus Differentiæ proprium est perficere Genus Essentialiter) Sed Ens infinitum non est perfectibile ab ulla Differentia (quia Enti infinito nulla deest perfectio, iam verò quod perficitur debet carere aliquâ perfectione) Ergo Ens infinitum non est Genus. Minoris 2da pars: Omnis Species constat Genere et Differentiâ. Sed Ens infinitum non constat Genere et Differentiâ. Ergo etc. Minor: quia alias deberet constare ex Genere Infinito et Differentiâ infinitâ (nam ex Finito non potest constitui aliquod infinitum) Sed Ens infinitum non constat ex Genere infinito (quia nullum Genus datur quod sit infinitum: siquidem omne Genus est perfectibile, quod autem est perfectibile, est potentiale, quod Enti infinito non licet tribuere quia ab eo removetur potentia Passiva et omnis imperfectio) Ergo etc. Minoris 3tia Pars probatur: Omne individuum constat ex Specie et Differentiâ individuali: Sed Ens infinitum non constat ex Specie (quia Species non est infinita, eo quod nullum Genus est infinitum, Species autem semper continetur sub Genere) nec constat ex Differentiâ Individuali (quia Differentia individualis est quid incompletum et partiale. Porrò ab Ente infinito removetur omne id quod habet rationem partis) Ergo etc. PARS SEXTA THEOREMATIS (Quod per se ponitur in Recta Linea prædicamentali, debet esse aut Universale aut individuum) Primum patet: quia quæcunque ponuntur in Prædicamentis directè, aut sunt Genera, aut Species, aut individua; Sed tam Genus quàm Species est Universale. Ergo etc. 2dum Probatur: Tum quia individuo conveniunt omnes conditiones superius enumeratæ quæ ad hoc requiruntur ut aliquid in Prædicamento ponatur. Nam individuum est Ens reale, est per se unum, incomplexum, finitum et completum, et claudit in se omnia prædicata superiora in Recta Linea Prædicamentali v. g. Petrus est Homo, est Animal, est Vivens, est corpus, est Substantia. Tum 2do quia alias si individuum non esset in Prædicamento per se, sequeretur illam Divisionem Aristotelis in Substantiam 1mam et 2dam esse malam, quod est falsum. Ubi Substantia prima est individuum. Tum porrò quia Individuum est basis et radix totius Prædicamenti, iam verò radix per se pertinet ad Arborem, sicut et basis ad columnam.

in essentia

OBICC

Obiectiones et earundem Solutio.

Obiectio 1ma (Quod ponitur in Prædicamento non est necesse ut sit aut Ens Reale, aut per se, aut incomplexum) Probatur 1mum: Quia alias sequeretur quod Entia Rationis non possent poni in Prædicamento. Conseq. falsum. Ergo et Antec. Falsitas: Quia si entia Rationis non ponuntur Ergo etiam Genera et Species non debent poni: nam Genera et Species sunt Entia Rationis. Conseq. Falsum. Ergo et Antecod. Falsitas: Quia id ponitur in Prædicamento ex quo constituitur prox: Prædicamentum. Sed ex Generibus et Speciebus constituitur Prædicamentum. Ergo Genera et Species ponuntur in Prædicamento. Si sic? Ergo Falsum est quod Genera et Species non ponantur. Respondetur Neg. 1 Falsitatem primam, 2am, deinde Disting. minorem: Ex Generibus & Speciebus materialiter sumptis constituitur prædicamentum Concedo. Ex Generibus et Speciebus Formaliter sumptis Neg. Hæc eadem distinctio applicetur conclusioni. Ratio: Quia cum dupliciter isti termini accipiantur (Genus et Species) scil: materialiter pro prima intentione et formaliter pro secunda ideo dicimus primo modo poni ea in Prædicamento non vero secundo: nam ex rebus ipsis quæ dicuntur Genera et Species materialiter non autem ex genereitate aut Specieitate efficitur prædicamentum. Unde (quod) ponitur in prædicamento est Res (Quo) autem ponitur est 2da intentio quia Res non possunt in Prædicamento poni nisi ut substant conceptibus Rationis. Probatur 2dum: Concreta Accidentalia sunt Entia per Accidens, et tamen ponuntur in prædicamento. Ergo Non est opus ut sit Ens per se. Respondetur: Concreta Accidentalia dupliciter possunt considerari. 1 Ut principaliter important Subjectum et Formam et sic sunt Entia per Accidens nec possunt poni in Prædicamento: 2 secundo considerantur prout Formam Principaliter, Subjectum vero 2dario importat, vel e contra Subjectum primario, Formam vero secundario, et sic sunt Entia per se et in Prædicamento ponuntur. Probatur 3tium: Oratio est quid complexum, et tamen est in Prædicamento Quantitatis. Ergo Non est opus ut sit Ens incomplexum quod ponitur in Prædicamento. Responsio: Nondum apud Nos certum quod sit Oratio Species Quantitatis propria, de quo alibi.

Concreta Accidentalia dupliciter possunt considerari.

Obiectio 2da (Quod ponitur in prædicamento, non est opus ut sit completum vel finitum) Probatur 1mum: Partes Physicæ Essentiales habent sua Genera, Species et Differentias, et propter

propter hoc ipsum vocat eas Philosophus nomine Substantiarum, deinde possunt concipi ut Abstracta à suis inferioribus præterea habent passiones Substantiæ. Ergo Per se sunt in Prædicamento, et per consequens quod ponitur in Prædicamento non est opus ut sit completum. RESPONDETUR: Series prædicamentalis est duplex. Alia in qua ponuntur Entia completa. Alia in qua ponuntur Entia incompleta, nam sicut ex Entibus completis constituitur Series prædicamentalis, ita quoque potest constitui alia ex Entibus incompletis ad normam istius coordinationis quam videmus in Arbore Porphyriana: dum ergo istæ partes excluduntur à prædicamento, dicimus illas excludi ab hac serie in qua completa re ponuntur, non autem ab illa Altera. Probatur 2dum: Christus Dominus est in Prædicamento Substantiæ, et tamen est Ens infinitum quia est DEUS et habet essentiam infinitè perfectam. Ergo Quod ponitur in Prædicamento non est necesse ut sit finitum. Antec. patet Quia Homo ponitur in Prædicamento Substantiæ: Sed Christus Dominus est verè homo. Ergo ponitur in Prædicamento Substantiæ. Confirmatur. Si Linea daretur infinita, adhuc deberet poni in Prædicamento Quantitatis. Ergo Esse Finitum non est necessaria conditio ut aliquid ponatur in Prædicamento. RESPONDETUR: In Christo Domino duæ sunt Natura Divina et Humana. Ratione humanæ ponitur in Prædicamento Concedo. Ratione Divinæ quod ponatur Neg. Nam est Deus non propter Naturam Humanam; sed propter Naturam Divinam. Ad confirmationem dico quod illa Linea infinita reponeretur in Prædicamento quia esset simpliciter finita et tantum secundum quid infinita. At verò infinitum in Essentia est simpliciter infinitum. OBJECTIO 3TIA (Individuum non potest poni directè in Prædicamento) Probatur: Quæ directè ponuntur in Prædicamento spectant ad Scientiam per se: Sed individua non spectant ad Scientiam per se (nam de individuis non datur Scientia) quia sunt infinita (de infinito autem non datur Scientia) Ergo neque ad Prædicamentum spectant et consequenter non ponuntur in Prædicamento. Major: quia Prædicamenta ad Scientiam ordinantur. RESPONDETUR: Ad Scientiam spectare dupliciter aliquid potest scil: mediatè vel immediatè. Individua non spectant immediatè Concedo. Quod non spectent mediatè Nego. Sed Contra: quod nec mediatè spectent: quia Ens per Accidens non ponitur in Prædicamento etiam mediatè Sed individua sunt Entia per Accidens. Ergo etc. MINOR: Quæ ex diversi Generis et Ordinis rebus constant sunt Entia per Accidens v. g. Homo albus, lapis calidus etc. Sed individua constant ex rebus diversi Generis (ut patet ex secunda Definitione quam assignat Porphyrius iis verbis: Individuum est cujus proprietates in uno simul collectæ non possunt in alio reperiri) Ergo etc. RESPONSIO: Individuum

Series Prædicamentalis est duplex.

Ad Scientiam spectare aliquid dupliciter potest.

Individui duplex dat consideratio.

Individuum dupliciter consideratur: vel intrinsecè quo ad prædicata Substantialia et realiter secū identificata prout scil: includit in se naturam et Differentiam individualem. Vel etiam Extrinsecè quo ad Prædicata Accidentalia et Realiter à se distincta. Si consideret 2do modo est Ens p Accidēs et quod removeatur à Prædicamento Concedo. Si autem primo modo, sic non erit Ens per Accidens; sed per se nec removebitur à prædicamento. Sed CONTRA quod neq. etiam primo modo nequeat poni in Prædicamento non est Univocum (quia non convenit illi Definitio Univoci scil: ista: Univocum est quod est unum in multis secundum idem nomen et secundum eandem Rationem) Ergo Non ponit in Prædicamento. Conseq. quia sola Univoca habent locum in Prædicamentis. RESPONDETUR: Individuum non est univocum univocans Conc. Non est univocum univocatum Nego etc. Illa autem Definitio est Univoci Univocantis, non verò Univoci Univocati.

Univocantis Univoci Definitio.

THEOREMA TERTIUM.

Naturæ substantiales debent reponi in Prædicamento sub terminis concretis, non autem abstractis: At verò Naturæ Accidentales possunt reponi sub utrisque.

Quid sit terminus Concretus. Quid Abstractus.

NOTANDUM 1. Dictum 1mum: Terminus Concretus est qui significat Formam non p se stantem sed ut alteri adjacentem quod ex modo significandi concernit v. g. Album, Dulce, Aureum etc. At verò terminus Abstractus est qui ab illo abstrahit Formam quam in se, non ut alteri adjacentem significat, v. g. Albedo, dulcedo etc. Dictum 2dum: quia termini præter Proprium Formale significatum possunt alia consignificare et concernere ideò potest fieri multiplex Abstractio, et aliter quidem in Substantiis, aliter in Accidentibus absolutis; Aliter in Relativis. Dictum 3tium: In Substantiis sunt duæ concretiones Una ad Supposita v. g. Homo, Animal. Altera ad Singularia v. g. Humanitas ad hanc vel illam humanitatem quia inter singulare et suppositum est Realis distinctio ut patet in Christo Domino in quo est Natura humana seu humanitas cum singularitate sed absq. propria suppositalitate seu personalitate. Dictum 4tum: In Substantiis sicut sunt duæ concretiones, ita quoq. duæ Abstractiones. Una Abstractio à suppositis v. g. Dum Humanitas abstrahitur à Petro, Paulo etc. Huic abstractō correspondet concretum scil. homo. Altera Abstractio est à singularibus seu ab Individuis v. g. dum Humanitas abstrahit ab hac humanitate, ab illa, ab ista. Hæc Altera Abstractio vocat ultimata, illa autē prior non ultimata. Porrò Natura abstracta abstractione ultimata solet exprimi talibus terminis (Ratio quidditativa

In Substantiis sunt duæ concretiones; Una ad Supposita. 2. Ad Singularia.

quidditativa Humanitatis vel quidditas Humanitatis, ac si dicerem Albedineitas, nigredineitas, calo-
reitas) Dictum 2tum: In Naturis Substantialibus Genericis itidem duplex est concretio et duplex abstractio. Una est concretio ad inferiora specifica v.g. Animal est concretum ad Hominem, Bovem, Leonem. Animalitas autem est Abstractum ab iisdem. Altera concretio est ad propria singularia Generica v.g. Animalitas est concretum ad hanc vel illam Animalitatem pro quibus supponit. Abstractum autem Animalitatis ipsius ut est concreta ad hanc vel illam Animalitatem singularem erit Ratio quidditativa Animalitatis vel quidditas Animalitatis. Notandum 2dum Dictum 1: In Accidentibus absolutis duplex est concretio. Una ad Subjectum in quo Subjectat tale Accidens v.g. album dulce, deinde ad propria individua v.g. Albedo concernit hanc vel illam Albedinem. Similiter duplex est abstractio in iisdem correspondens illi duplici concretioni. Unde si fiat Abstractio Accidentis absoluti à Subjecto talibus utimur terminis (albedo, nigredo, dulcedo etc) At verò si fiat ab individuis, oppositum talibus (Albedineitas, nigredineitas, seu Ratio quidditativa Albedinis vel quidditas Albedinis) potest autem sic ordinari concretio cum Abstractione utraque: 1ma Album Albedo, dulce dulcedo, nigrum nigredo 2da sic: Albedo, Albedineitas, nigredo, nigredineitas. Dictum 2: In Accidentibus respectivis 3plex concretio et 3plex Abstractio potest statui. 1ma concretio ad Subjectum. 2da ad Fundamentum 3tia ad individuum seu singulare. Sic quoque Abstractio 1ma est à Subjecto. 2da à Fundamento. 3tia ab individuo v.g. Causa est concretum ad Subjectum scil: ad ignem, vel ad aliquid aliud, potentia causandi est abstractum à Subjecto quia iam non supponit pro subjecto: Deinde potentia causandi est concretum ad fundamentum scil ad calorem, caliditas verò est abstractum à fundamento, tandem causalitas est concretum ad individua sua scil: ad hanc causalitatem, ad illam etc. Ab his individuis postmodum abstrahitur ultimatae Abstractionis abstractum scil: Ratio causalitatis vel quidditas causalitatis, et sic iam est status: porrò possunt sibi sic correspondere ista concretiones et Abstractiones 2da causa est potentia causandi et causalitas. 1ma causa est potentia causandi. ~~et caus~~ 3tia Causalitas et Ratio quidditativa causalitatis.

In Accidentibus absolutis duplex est concretio, ad Subjectum et ad propria Individua. Est Duplex Abstractio.

In Accidentibus Respectivis 3plex concretio & abstractio potest statui.

NB. versum è sio nuerg

THEOREMATIS PROBATIO.

PARS 1MA THEOREMATIS (Naturae Substantiales debent in praedicamento reponi sub terminis concretis) Probatur 1mo: Sic debent reponi prout usus et sensus docet Doctorum. Sed usus docet quod sub terminis concretis sint tales naturae reponendae (videmus enim in praedicamento substantiae Genera et Species iis terminis disponi: Substantia, Corpus, Vivens, Animal, Homo quae omnia in concreto reponunt) Ergo etc. Probatur 2do: Sub talibus terminis debent in praedicamento reponi Substantiales naturae Subst-

naturæ sub quibus possint de suis inferioribus prædicari suorumq superiorum Prædicationem exercitam reci-pere (Finis enim coordinationis prædicamentalis non est alius nisi recta et debita superiorum de inferio-ribus Essentialis prædicatio) Sed tantum sub terminis concretis hoc fieri potest. Ergo Naturæ Substantia-les etc. MINOR: In Abstracto tales prædicationes non possunt fieri. Ergo Tantum sub terminis concretis. An-tec: Quia non dicimus equi*ni*tas est Animalitas; vel petrus est Humanitas. Ergo etc. Antec: Sub quibus Ter-minis Naturæ Substantiales habent rationem partis, sub illis non possunt de suis inferioribus quidditative prædicari (quia pars de toto suo non potest prædicari in Recto) Sed sub terminis in Abstracto habent Ra-tionem partis, cum tamen in concreto habeant Rationem Entis completi. Ergo sub terminis abstractis non possunt fieri prædicationes. Si sic? Ergo non licet dicere equinitas est Animalitas. PARS 2DA THE-OREMATIS (Naturæ Accidentales debent in prædicamento disponi sub terminis abstractis media Ab-stractione) Probatur 1mo Authoritate Philosophi quia alias Philosophus non disposuisset Prædicamenta Ac-cidentium sub terminis Abstractis sicut fecit: (quod est Falsum) Quia videmus ab Aristotele species Quantitatis et Qua-litatis sub nominibus Abstractis referri: ponit enim Lineam, Superficiem, Scientiam, colorem etc. Item 3 Topicorum cap. 1. in loco 4 dicit Justitiam esse in Genere, non autem justum. Porro idem est po-ni in Genere, et poni in Prædicamento. Probatur 2do: Eo modo debent res disponi in prædicamento quo pos-sunt fundare Relationes Generum et Specierum (quia prædicamenta nihil aliud sunt nisi coordinationes generum et Specierum sub uno summo genere) Sed Accidentia prout significant Abstracta à subjecto con-creta aut *e* ad individuum possunt fundare hujusmodi Relationes. Ergo Accidentia Abstracta possunt reponi in prædicamento, et per consequens Naturæ Accidentales debent etc. MINOR: Quia sicut Naturæ Substantiales in Abstracto significatæ fundant tales Relationes (possunt enim prædicari à summo ge-nere ad individua; quia dicimus Petrus est homo, Animal, Corpus, Vivens, Substantia; non autem dicimus Petreitas est Animalitas, vel Humanitas est Animalitas, ita enim abstracta non fundant Relationes Generum et Specierum) ita Naturæ Accidentales ad modum Substantiæ significatæ prout scil: sunt concretæ ad sua individua et Abstracta à subjecto inhæsionis, possunt fundare ejusmodi Relationes. Ergo. PARS TERTIA THEOREMATIS (Naturæ Accidentales possunt in prædicamento disponi sub terminis con-cretis) Probatur: Sub iis terminis convenit naturas Accidentales in prædicamento ordinari sub quibus possunt prædicari et de inferioribus suis in QUID et de subjecto inhæsionis in QUALE,[F] ut quale est lignum? Est coloratum

[F] Sed sub terminis concretis possunt hoc utroque modo considerari vel prædicari; in abstracto autem non possunt. Ergo etc. Minoris 1ma pars: Quia colora-tum prædicatur de Albo in quid, vaste enim dicitur: Quid est coloratum? est Album. Similiter de Substantia prædicatur in quale ut quale est lignum etc.

coloratum. Minoris 2da pars [verè dicitur]: quià color in Abstracto tantum potest prædicari de Albedine et nigredine etc in quid v. g. Albedo est color, nigredo est color; at verò de Substantia nequaquam, nam falsa esset Enuntiatio: Animal est color. Confirmatur: Concreta Accidentalia fundant supra se intentionem Generis et Speciei. Ergo ponuntur in Recta linea prædicamentali quæ constat ex Generibus et Speciebus. Quià non minus verè et propriè dicitur quod homo sit Animal, quam quod Album sit coloratum. Confirmatur 2do Ex Aristotele tum in Antepredicamentis, tum ex 1 Topicorum 7 Hic enim utrobique enumerat Prædicamenta et assignat exempla per terminos concretos. Item 4 Topicorum cap. 1. Loco 4 docet in eodem Prædicamento poni Genus et Speciem. Undè probat album non esse Genus respectu nivis Neque: Quià album est in prædicamento Qualitatis, nix autem et cygnus in Prædicamento Substantiæ.

Obiectiones et earundem Solutio.

Obiectio 1ma (Accidentales Naturæ non possunt in Prædicamento disponi sub terminis abstractis) Probatur: Sub terminis Concretis debent disponi. Ergo Non sub Abstractis. Antecedens: modo Naturæ Accidentales debent in Prædicamento poni quomodo de Substantia prædicantur. Sed sub terminis concretis prædicantur de Substantia. Ergo etiam sub terminis concretis disponuntur. Major: Quià prædicamenta accidentium capiunt suam distinctionem et ordinem ad Substantiam. Ergo etc. Respondetur: Neg. 1 Antec. 2 majorem. 3 Conseq. Ratio: licet enim [+ prædicamenta] dividantur et distinguantur per diversum ordinem ad Substantiam, tamen coordinatio eorum et in suis Prædicamentis Dispositio non est facta prout ~~[struck through]~~ de Substantia in Quale accidentaliter prædicantur; sed potius [pro] ut de suis inferioribus in quid dicuntur. Nam inferiora sua magis sunt intima propter identitatem Realem quam ipsa Substantia à quâ realiter differunt Accidentia. Obiectio 2da (Accidentia non possunt in prædicamentali serie sub terminis concretis ordinari) Probatur: Sub illis terminis debent ordinari sub quibus possunt supra se fundare intentionem Generis et Speciei: Sed sub terminis concretis non possunt fundare supra se intentionem Generis aut Speciei. Ergo Sub terminis concretis Accidentia non possunt ordinari: quià Accidentia concreta non possunt dici Genera aut Species. Ergo etc. Antec. [prox] Illa tantum possunt denominari Genera vel Species quæ habent Rationem Quid, non autem rationem Qualitatis vel Qualis. Atqui Accidentia Concreta non habent rationem Quid sed tantum rationem Qualis nam non significant naturam per se stantem, sed solum alteri adjacentem quià in Quale, non autem in Quid prædicantur. Ergo etc. Respondetur: Neg. 1 minorem. 2 Antec. 3 Disting. minorem. Accidentia concreta Dupliciter dici habent

dicunt respectum. Unum ad Subjectum substantiale cui inhærent. Alterum ad sua inferiora. Tunc sic: Accidentia concreta non habent Rationem Quid, distinguo. Non habent respectu Subjecti Concedo. Non habent respectu inferiorum Nego. Unde licet Accidens concretum secundum quod respicit Subjectum inhærentiæ prædicetur in Quale, nam hoc modo habet Rationem Qualis, tamen secundum quod sua inferiora respicit ratione Formæ quam formaliter acceptum importat, prædicatur de illis in Quid et tanquam superius essentialiter in ipsis includitur non aliter quam Animal in Homine, bove, Leone etc. Item Homo in Petro, Paulo, Joanne ut patet in istis propositionibus hæc Albedo est albedo, hæc nigredo est nigredo, albedo est color, nigredo est color.

Accidentia Concreta duplice dicunt respectum.

THEOREMA QUARTUM ET QUINTUM.

Quamvis Prædicamenta sint Decem, tamen possunt esse pauciora, potest enim statui etiam unum Prædicamentum scil: Ens Finitum: aut etiam duo scil: Substantia et Accidens: Aut tria scil: Substantia, Accidens Absolutum, et Accidens Respectivum: Aut Quatuor. Aliud Theor: Decem prædicamenta sunt inter se Realiter distincta. Hoc Theorema ad metaphysicam pertinet.

NOTANDUM Dictum 1mum: Sicut Loci Dialectici sunt sedes et receptacula Argumentorum: ita Prædicamenta sunt rerum & naturarum quasi quædam Domicilia; in Prædicamentis enim res totius Universi veluti in Regionibus quibusdam habitant. Dictum 2dum: Prædicamentum est opus quoddam Artificiosum ab intellectu factum ex Naturis Rerum in certa et determinata serie collectarum secundum Dispositionem superioritatis et Subjicibilitatis cum fundamento in re. Dictum 3tium: In Prædicamento seu in Artificioso opere (si fiat sursum ascensus) infimum Locum habent Individua quæ sunt quasi fundamenta totius structuræ Prædicamentalis, Secundum Locum tenent Species Specialissimæ; 3tium Locum Genera Subalterna si dantur (neque enim est de ratione Prædicamenti omninò habere Genera Subalterna) Supremum seu ultimum Locum habet Genus Generalissimum quod habet se tanquam tectum in tali coordinatione. Dictum 4tum: Genus Generalissimum dicitur 2pliciter 1mo prout est simpliciter et absolutè supremum. 2do Prout est secundum quid tantum supremum. Genus simpliciter summum est quod nimis rigorosè et strictè est Generalissimum quo scil: nihil datur nec dari potest altius aut communius quod possit verè fundare supra se intentionem Generis; Genus verò secundum quid supremum est quod in populari opinione et vulgi usu est esse Generalissimum quo nimirum datur aliquis adhuc gradus superior potens fundare supra se intentionem

Quid Prædicamentum sit.

Genus generalissimum dicitur dupliciter.

intentionem Generis. Dictum 5tum: Dum dicitur unum esse Genus Generalissimum seu Prædicamentum tum accipitur Genus Generalissimum 1mo modo simpliciter et absolutè Generalissimum quo nullum alium potest esse communius aut Generalius, dum verò dicitur decem esse Genera Generalissima aut etiam duo aut tria aut quatuor, tunc accipitur Genus Generalissimum tantum secundum quid superius. Dictum 6tum: Decem Prædicamenta vocantur Genera Generalissima, non quia non possit assignari ullus gradus Genericus illis superior sed quia ad ipsa ceu supremæ capita possunt reduci omnia utpote ad ea quæ totum Ens finitum sufficientissimè exhauriunt. Dictum 7timum: De Numero Prædicamentorum magna semper fuit controversia ut videre licet in Authoribus impressis, et licet decem esse vulgo teneant, tamen omnes ferè Authores in eo conveniunt quod iste Denarius Prædicamentorum numerus nullâ solidâ Ratione possit demonstrari.

Decem Prædicamenta vocantur genera generalissima.

Probatio Theorematis.

Pars prima Theorematis (Prædicamenta sunt Decem) Probatur 1. Authoritate Aristotelis, D. Augustini. D. Thomæ, Scoti et omnium Peripateticorum tam veterum quam recentiorum qui omnes Decem tenent esse Cathegorias seu Prædicamenta inducti potius consensu communi quam solidâ Ratione. Probatur 2: Is numerus Prædicamentorum est assignandus qui est maximè congruus, Rationabilis, Utilis, Facilis. Sed denarius eorum numerus est talis. Ergo denarius numerus prædic: est assignandus et per Consequens sunt decem Prædicamenta. Minoris 1ma pars (quod sit congruus) quia numerus universalitatem significans est maximè congruus et ad Universalitatem rerum comprehendendam accommodatus. Sed numerus Denarius significat Universalitatem (nam ab Unitate ad ipsum absque repetitione itur, quo autem finito de novo iterantur numeri ab unitate: Dicitur enim undecim, duodecim etc.) Ergo etc. 2da pars minoris (quod scil. sit Rationabilis) Quia unum Prædicamentum Substantia et novem Accidentia constituit. Ergo est rationabilis. Conseq. in plura enim debet Prædicamenta Accidens dividi quam Substantia. Ergo si unum Substantiæ et 9 Accidentium. etc. Antec. prox: Nam eorum debent esse plura Prædicamenta quorum est major copia et diversitas. Sed Accidentium major est copia et diversitas. Ergo etc. minor: quia Substantia Unica numero potest sustentare in se ex omnibus novem Accidentium Prædicamentis individua. 3tia pars minoris (quod iste numerus sit Utilis et Facilis) Probatur: Tum quia plurimorum Accidentium diversorum cognitionem in Animo nostro generat. Tum quia est captui accommodatus et ipsi quasi sensui obvius ut patet ex sufficientia Prædicamentorum; nam de individuo Substantiali v.g. de Paulo decem interrogationes possunt institui; et decem ad ipsas Responsiones assignari quarum quælibet

qualibet certum et determinatum constituet Prædicamentum. Aut enim quæritur Quid sit? et respondetur quod est homo atque sic habetur Prædicamentum Substantiæ. Aut quæritur Quale sit? et respondetur quod sit Album, calidum et sic habetur Prædicamentum Qualitatis. Aut quæritur Quantum sit et respondetur quod sit latum vel longum habeturque Prædicamentum Quantitatis. Aut quæritur quid respiciat? et respondetur quod respiciat filium si est Pater, aut Servum si est Dominus habeturque Prædicamentum Relationis. Aut quæritur quid agat, aut quid patiatur? Et respondetur per Actiones: Scribit, legit, currit: vel per Passiones calefit, vapulat et habetur Prædicamentum Actionis et Passionis. Aut quæritur Ubi sit? et respondetur in templo, Schola et habetur Prædicamentum Ubi. Aut quæritur Quomodo sit? in illo loco et respondetur per Situm stat, sedet, jacet etc. Vel quæritur Quando sit? et respond. hodiè, heri et habetur prædicamentum Quando. Vel tandem quæritur quomodo se habeat, et respondetur hoc vel illo modo se habere habeturque Prædicamentum Habitus nec potest dari interrogatio ulla quæ ad aliquam istarum non possit revocari. PARS 2DA Theorematis (Prædicamenta possunt assignari pauciora quàm Decem) Probatur: Quia nulla ratione tam efficaci potest ostendi quod Prædicamenta sint Decem. Ergo Nullum est inconveniens dicere illa esse pauciora quàm decem. Antec. quia nec in Aristotele nec in ullo alio Philosopho legitur Ratio ostendens efficaciter denarium Prædicamentorum numerum, et quamvis iste numerus retineatur in scholis, hoc tamen fit non propter aliquam convenientem rationem, sed propter solam veterum Authoritatem. Præterea cujus Ratio affertur solida, illius potest haberi Scientia. Sed istius quod decem sint Prædicamenta non habetur Scientia (nam Gilbertus Porretianus dicit nos istius numeri fidem tantum, non autem Scientiam habere) Ergo etc. PARS 3TIA Theorematis (Prædicamenta possunt statui aut tantum duo: Substantia et Accidens: Aut tantum tria scil: Substantia, Accidens Absolutum et Respectivum: Aut etiam quatuor nimirum Substantia, Accidens Absolutum, Relatio intrinsecus adveniens et Relatio Extrinsecus adveniens) Probatur 1mum: quià potest tantum Substantia et Accidens pro Generibus Generalissimis assignari. Ergo etc. Antec: Illa possunt assignari pro Generibus supremis in quæ immediatè Ens finitum dividitur. Sed in Substantiam et Accidens Ens finitum immediatè dividitur (prior enim est Divisio Entis finiti in Substantiam et Accidens quàm in Substantiam et 9 Accidentia. Ergo etc. Dices: Divisionem ipsam non esse priorem sed eandem cum ea per quam dividitur

dividitur Ens Finitum in substantiam et 9 Accidentia) <u>Contra</u>: Alias si non esset prior, sequeretur
quod Accidens in serie Accidentium non posset habere Rationem Generis generalissimi. Conseq. fal-
sum. Ergo et Antec. <u>Falsitas</u>: quia Substantia habet Rationem Generis generalissimi. Ergo et Ac-
cidens debet eam habere. <u>Conseq.</u> quia ita Accidens descendit in absolutum et respectivum Acci-
non immediatè sed solum in Accidens huic utriq̃ commune; sicut Ens Finitum descendit in Sub-
stantiam corpoream et incorpoream non immediatè sed prius in Substantiam corpoream etiam
corporeæ communem. Ergo si Substantia habet Rationem Generis generalissimi, sequitur quod
etiam Accidens poterit habere. <u>Antec.</u> prox: Quia quam Unitatem et communitatem habet Sub-
stantia respectu Substantiarum eandem quoq̃ habet Accidens respectu Accidentium (quia nulla
potest disparitas assignari) Ergo etc. <u>Probatur 2dum</u>: Sicut Accidens in communi dicitur Uni-
vocè de omnibus Accidentibus tam absolutis quam respectivis: ita Accidens Absolutum Uni-
vocè dicitur de omnibus absolutis et respectivum de respectivis. Atque hoc modo tantum tria
erunt assignanda Genera generalissima seu Prædicamenta scil: Substantia, Accidens ab-
solutum et Accidens respectivum. <u>Probatur 3tium</u>: Quam unitatem et communitatem
atq̃ adeò Genericam Universalitatem habet respectus intrinsecus adveniens ad omnes infe-
res respectus ejusdem Generis et naturæ eandem quoq̃ habet respectus extrinsecus adveniens
ad omnes suos inferiores respectus ejusdem etiam naturæ atq̃ sic 4 poterunt esse Prædicamen-
ta: Substantia, Accidens absolutum, Relatio intrinsecus adveniens et Relatio extrinse-
cus adveniens. <u>PARS 4ta Theorematis (Strictè et nimis rigorosè loquendo Prædicamentum
est tantum Unum scil: Ens Finitum)</u> <u>Probatur</u>: Ens Finitum est Genus generalissimum accipien-
do simpliciter et absolutè non autem secundum Quid Genus generalissimum. Ergo Prædicamen-
tum est Unum. Antec. Illud est genus generalissimum simpliciter supra quod potest fundari Secun-
da Intentio generis generalissimi simpliciter. Sed supra Ens Finitum potest fundari Secunda
intentio talis. Ergo. <u>Minor</u>: Nihil obstat propter quod in Ente Finito nequeat fundari secunda in-
tentio Generis generalissimi. Ergo. Antec. Si aliquid obstat assignetur, et arguam contra. <u>Dices</u>:
Obstare: quia Ens Finitum non est Univocum, sed Analogum nec præscindit perfectè à differentiis
<u>CONTRA</u>: Ens Finitum est Univocum (ut Deo dante probabitur in Metaphysica, nam con-
venit illi Definitio Univoci) Ergo etc. Deinde licet Ens etiam secundum Nos sit Analogum, tamen

4 univocum non analogum etc.

simul est etiam Univocum, non enim valet ista consequentia (Ens Finitum est Analogum. Ergo Non est Univocum) quia Analogia Entis potest optimè stare cum Univocatione ejusdem ut supra diximus Theoremat. [?] hujus controversiæ. Et Analogum ut stat cum Univoco dicit conceptum præcisum non quidem quatenus est Analogum; sed quatenus est Univocum seu quatenus cum Univoco coincidit. Dices 2do Obstare ne Ens Finitum possit esse Genus quia non importat Realitatem sed conceptum. Vel si dare significat, non erit per se potentialis aut per Differentias contrahibilis sed tantum per modos intrinsecos ad quos non potest verè dici esse potentialis cum sit idem cum ipsis. Undè propter hoc ipsum non erit ibi vera contractio quæ omninò requiritur ad hoc ut aliqd sit Genus. Contra: Id totum eget magnâ probatione opus enim est monstrare cur iste conceptus finitus et limitatus non possit dicere Realitatem verè Potentialem per Differentias contrahibilem eo vel maximè quia Substantia et Accidens essentialiter differunt ab invicem: in Ente autem Finito tanquam in suo superiore essentialiter conveniunt. Undè falsum est quod non dicat realitatem aut quod non sit illa Realitas potentialis per Differentias contrahibilis. Dices 3tio Obstare quominus Ens Finitum possit fundare intentionem Generis generalissimi ne cogamur dicere quod Decem Prædicamenta usitata aliquam supra se habeant Realitatem per Differentiam contrahibilem in qua quidditativè conveniant et propter hoc non possunt dici inter se primo diversa nec Genera generalissima. Contra: Ita dicere est principium petere nam nihil aliud modo probamus nisi hoc quod illa decem Prædicamenta non possint esse primo diversa. Quæres: Si Ens Finitum est Genus supremum, qualis nam sit ejus arbor seu coordinatio? Respondeo Hanc esse imprimis Ens Finitum supremum occupet locum, deinde dividat in Substantiam et Accidens quæ secundum occupet locum, postea Substantia dividatur in corpoream et Incorpoream ut videre licet in Arbore Porphyriana. In Altera autem parte: Accidens dividat in absolutum et respectivum. Absolutum in Qualitatem et Quantitatem. Tandem Respectivum Accidens in Relationem intrinsecus advenientem et extrinsecus advenientem. Ad extremum Relatio extrinsecus adveniens dividatur in Actionem, Passionem, Situm, Ubi, Quando et Habitum. Ex his apparet quod numerus Prædicamentorum pro arbitrio nostro potest augeri vel minui secundum quod mentis nostræ conceptus dilatantur aut restringuntur.

abs:

Objectiones et earundem Solutiones.

Objectio 1ma. Prædicamenta non sunt secundum Aristotelem Decem. Probatur 1mo: Aristoteles 5 metaphysicorum t. 14. tantum octo enumerat (quia omittit Situm et Habitum) Ergo sunt pauciora et per consequens non sunt Decem. Nec licet Respondere causa brevitatis id factum esse. quia duo vocabula addere (Situm et Habitum) non erat magna prolixitas. Vel etiam dicere poterat (et his similia) Sicut fecit 7 Ethicorum cap. 6. Ubi enim era-

tis Gpr.

enumeratis sex prædicamentis addit (et his similia) quibus verbis complexus est reliqua Philosophus. RESPONDETUR Neg. Consequentiam. Ratio. Quia Aristoteles eo loco non habebat Animum serio et diligenter examinare Prædicamentorum numerum imò cum potius in populari sensu et vulgi opinione quam solida aliqua Ratione iste numerus Denarius habeat fundamentum nec minimum quidem erat de illo sollicitus et sic non enumeravit ad amussim integrum numerum. Probatur 2do Prædicabilia tantum sunt quinque, præterea ex Lib. Topicorum prædicata sunt quatuor. Ergo totidem debent esse Prædicamenta. RESPONDETUR Neg. Conseq. Ratio: quia Divisio Prædicamentorum sumitur ex variis modis essendi per quos dividitur Ens, atque in sua inferiora descendit. At verò Prædicabilium numerus sumitur ex ordine ad modos prædicandi de Subjecto quorum unus in QUID et alius in Quali neque dicunt alias Reales essentias, sed solum secundas intentiones naturis diversorum Prædicamentorum applicabiles. Similiter Prædicata Topica sumuntur ex ordine ad Dialecticas quæstiones quas 4 quatuor prædicata commodè solvunt et sunt itidem secundæ intentiones applicabiles primis. Probatur 3tio: Prædicamenta sunt plura. Ergo non decem. Antec. Quia sicut Actio et Passio constituunt duo Genera Generalissima; ita quoque UBI Activum et Ubi passivum id est circumscriptio Activa et circumscriptio passiva duo alia constituunt atque sic plura erunt Genera suprema. RESPONDETUR 1 Neg. Antec. 2 Itidem Antec. Ratio: quia ideo Actio et Passio distincta Prædicamenta constituunt quia veram et realem agendi et patiendi pro se ferunt Rationem. At verò Ubi Activum et Ubi passivum nequaquam. UBI enim Activum seu circumscriptio Activa quæ in Loco circumscribente fundatur non est vera Actio sed tantum grammaticalis; similiter Ubi passivum non significat veram passionem. OBJECTIO 2da (Prædicamenta sunt omninò et in rigore Decem) Probatur: Decem Prædicamenta sunt Genera generalissima simpliciter et absolutè, non autem secundum quid suprema. Ergo etc. Ans. Alias haberent supra se altius Genus quod est falsum. Nam quæ supra se habent verum Genus, conveniunt ad invicem in aliqua Realitate Generica. Sed decem Prædicamenta non conveniunt in aliqua Generica realitate. Ergo Decem prædicamenta non habent supra se verum Genus. MINOR: quia secundum Aristotelem 10 metaphysi. t. 12 ista decem genera generalissima vocantur primo diversa. Ergo. RESPONDETUR: Neg. 1 Antec. 2 Falsitatem 3 minorem. Ratio: quia inter Differentiam, non autem inter primo diversa numerat Aristot. 10 Prædicamenta ex quo licet colligere quod Aristoteles sentit illa in aliqua communi realitate convenire, et licet dicat ea differre Genere, tamen non negat quod in aliquo superiore Genere conveniant ad differentiam eorum quæ vocantur diversa (aliud est enim diversum, aliud differens) sed solum indicat quod non solum specificis differentiis ab invicem distent verum etiam genericis et iis quidem non absolutè; sed tantum secundum quid supremis et Generalissimis. Sed CONTRA quod decem prædicamenta omninò sint primo diversa. Probatur sic: quæ componunt propositiones immediatas, illa sunt primo diversa. Sed Decem prædicamenta

prædicamenta componunt propositiones immediatas. Ergo Decem Prædicamenta sunt primo diversa non autem Differentia. Minor: quià primo Posteriorum t. 108 dicit Aristoteles immediatam esse illam propositionem in qua unum Genus generalissimum negatur de alio v. g. (Substantia non est Quantitas) nullum enim potest assignari prædicamentum superius, quod de uno dicitur et de alio negatur. Ergo etc. Confirmatur: Philosophus 12 metaphysicorum t. 19 et 20 docet Principia rerum id est naturas Prædicamentorum non esse eadem sed diversa et duntaxat aliquomodo id est Analogicè eadem. Respondetur Neg. minorem. Ad Autoritatem Philosophi dico quod eo loci vocet propositionem illam immediatam in sensu tantum certo, non absoluto nimirum si illa Decem Genera ita sumantur ut videantur immediatè substare Enti Finito, sic enim quià in eo omnia conveniunt, non poterit per illud tanquam per medium unum Genus ab alio distingui, at verò si illa decem sumantur non ut substant immediatè sed solum subordinatè (prout ipsa veritas postulat) hoc certè modo propositio illa (Substantia non est Quantitas) non erit immediata, nam posset probari per hoc quod Substantia non est Accidens. Ad confirmationem dico quod Philosophus per Principia rerum eo loco non intelligat Prædicamenta, sed Principia Physica: materiam, Formam et Privationem, quæ dicit esse eadem Analogicè id est proportione in singulis Prædicamentis. Obiectio tertia (Ens Finitum non potest esse Genus generalissimum) Probatur: Omne Genus generalissimum habet sub se genera subalterna vel saltem species specialissimas propriè dictas. Sed Ens Finitum non habet. Ergo etc. Minor: quià Decem Prædicamenta ista: Substantia, Quantitas etc. non possunt dici Genera Subalterna. Ergo. Antec. 1mo Probatur quià sunt genera generalissima, et sic essent et non essent Genera Generalissima etc. 2do Probatur quià alias sequeretur quod Animal et Scientia essent genera subalterna. Cons: falsum Ergo et Ans. Sequela: Illa sunt subalterna quorum unum ponitur sub alio, vel ambo sub tertio: Sed Animal et Scientia ponuntur sub tertio scil: sub Ente Finito. Ergo sunt Subalterna. Falsitas: quià hoc est contra Philosophum qui in Antepraedicamentis cap. 4 distinguit genera in Subalterna et non Subalterna intelligens per Subalterna ea quorum unum continetur sub alio vel ambo sub tertio, illis superiore et subdit pro exemplo Animal et Scientiam, dicens ea non esse Subalterna quià nec continetur unum sub altero, nec ambo sub tertio. Respondetur Negando 1 minorem. 2 Antec. 3 Distinguendo primam Probationem: Decem Prædicamenta sunt Genera generalissima (secundum quid) concedo. Sunt Genera generalissima (simpliciter) Nego. Undè quià diversimodè accipiuntur, nulla est contradictio. Similiter secunda probatione Disting. Genera subalterna sunt duplicia. Alia proximè Subalterna; alia remotè vel remotissimè Subalterna. Animal et Scientia non sunt Subalterna (proximè) concedo. Non sunt Subalterna (remotissimè) Nego.

Genera Subalterna sunt duplicia.

Controversia

Controversia Quinta.
De
Tribus Prædicamentis Absolutis.

Non est cur circa ista tria Prædicamenta diu hoc loco velimq morari quandoquidem res ipsas horum Prædicamentorum, aliæ particulares omnino sibi vendicant Scientiæ. Nam de Substantia et Accidente in communi tractat Metaphysica, de Quantitate, tum Metaphysica, tum Physica in materia de continuo, de Speciebus etiam Qualitatis partim in Libris de Anima, partim in Libris de Generatione, partim in Metaphysica tractatur; quare sufficiat hoc Loco unicum Theorema absolvere, alia autem absque ullo examine illuc quo spectant rejicere.

Theorema Primum.

Genus supremum in Prædicamento Substantiæ est Substantia strictè accepta.

Notandum 1mum Dictum primum. Hoc Theorema clarius sic potest proponi: Genus Supremum in Prædicamento Substantiæ est Substantia non communissimè sumpta seu latissimè prout est communis creatæ et increatæ Substantiæ, neque communiter seu latè accepta prout est communis completæ et incompletæ Substantiæ; sed strictè sumpta ut scil: est communis tantum Substantiis completis tam corporeis, qualia sunt Elementa, Elementata, corpora coelestia; quam incorporeis quales sunt Angeli et Spiritus. Dictum Secundum: Substantia accipit tripliciter: Communissimè, Communiter et Strictè. Substantia communissime accepta significat omne illud Ens quod est per se, et per se subsistit, non autem in alio per inhærentiam Actualem vel aptitudinalem, sive istum modum essendi habeat à se, sive ab alio. Dictum Tertium: Substantia communissimè accepta prædicat de Deo et de Substantiis omnibus creatis tam simplicibus quam compositis et de partibus earum essentialibus atque integralibus. Licet enim Forma sit in materia et pars integralis sit in toto, nullum tamen istorum est in alio tamquam Accidens in Subjecto. Nam inhærere vel inesse illud tantum dicitur quod non est per se Actus nec facit unum per se cum Subjecto cui inhæret. Dictum Quartum: Substantia communissimè sumpta venit à Subsistendo id est à per se stando; non autem à Substando quia Substantia sic accepta dicit de Deo cum tamen Deus nulli subest Accidenti nec illud recipiat. Dictum Quintum: Substantia verò communiter accepta significat Ens in se et per se existens, non tamen à se sed ab alio, et sic accepta Substantia continet sub se omnem Substantiam creatam, completam et incompletam, simplicem et compositam una cum partibus essentialibus et integralibus. Dictum 6tum: Substantia communiter accepta dicitur et à Substando et à Subsistendo: quia omnis creata Substantia potest alicui substare Accidenti. Dictum 7timum: In Substantia commu

Substantia accipit tripliciter: Communissime, Communiter, & Strictè.

+accepta

communiter accepta ratio Subsistendi vel per se existendi est primaria et essentialis. Ratio autem Substandi est secundaria et concomitans quia Substare Accidentibus non est primum quod invenit in Substantia, prius enim res est in se quam alicui alteri Subest, et non ideò Substantia per se existit et ~~con~~sub/sistit quia Accidentibus Substat sed potius contra. Notandum 2dum Dictum 1mum: Substantia strictè sumpta significat omne Ens per se existens (licet non à se) prout per se esse excludit, non solum inhærere et in alio esse per modum Accidentis; sed etiam ut excludit esse in alio sicut pars in toto vel in alia comparte per modum informantis. Dictum 2dum: Substantia strictè sumpta solum Substantias completas creatas tam simplices quam compositas sub se complectitur excludens partes earum tam essentiales quam integrales. Dictum 3tium: Substantia strictè sumpta magis propriè quam Substantia communiter sumpta à Subsistendo et à Substando deducitur: quia Substantia completa magis dicitur per se Subsistere quam incompleta, quatenus nobiliori modo per se, et in se existit quam illa, et magis etiam dicitur Substare quam illa quia proprium Accidentium subjectum est Substantia completa.
Dictum 4tum: Substantia communissimè sumpta una cum Accidente dividit Ens Transcendenter acceptum. Substantia autem communiter itidem cum Accidente dividit Ens Finitum et Limitatum: tandem Substantia strictè sumpta dividit ~~cum~~ cum Accidente Ens Finitum quod in Decem Prædicamenta descendit.

Probatio Theorematis.

Pars 1ma Theorematis (Genus supremum in Prædicamento Substantiæ non est Substantia communissimè sumpta ut est communis creatæ et increatæ Substantiæ) Probatur: quia alias sequeretur quod Deus gloriosus poneretur in Prædicamento. Conseq. Falsum. Ergo et Ans. Sequela clara. Falsitas autem in Metaphysica probabitur. Pars 2da Theorematis (Genus Supremum in prædicamento Substantiæ non est Substantia Finita quæ est communis completæ et incompletæ Substantiæ) Probatur quia si hoc esset verum, sequeretur quod Substantiæ sic acceptæ essent Species Substantiæ incompletæ quod est falsum 1mò ideò quia sic sequeretur falsam illam esse Doctrinam quam controversia quarta Theorem. 2 parte 4ta tradidimus ubi requiritur ut id quod in Prædicamento per se et directè debet reponi sit Ens incompletum. 2dò ideo quia alias et Differentiæ et partes essentiales ut materia prima & Forma et etiam partes integrales heterogeneæ per se et directè reponerentur in Prædicamento, quæ omnia sunt contra Philosophum. 1mum patet de Differentiis: nam in organo cap. de Substantia dicit (primam Substantiæ Affectionem scilicet non esse in Subjecto, convenire non solum Substantiis sed etiam Substantiarum differentiis) Ex quibus verbis potest colligi quod Aristoteles differentias discreverit à Substantiis istius prædicamenti. Similiter 2dum de partibus. Nam in Libro 2 de Anima c. 3 loquens de partibus essentialibus Physices Philosophus dicit materiam primam secundum se non esse hoc aliquid; Formam verò esse per quam fit hoc aliquid. tandem compositum esse omnino

esse omninò Hoc aliquid. Cum igitur per hoc aliquid nihil aliud intelligatur nisi prima Substantia pro-
ut in Organo cap. de Substantia docetur, sequitur quod materia prima et Forma non sint Substantiæ
in recto ipsius primæ Cathegoriæ nisi tantum in obliquo et reductivè quatenus sunt partes essen-
tiales primæ Substantiæ. ~~Idem~~ quoque de partibus integrantibus Heterogeneis patet quia 7 metaph.
t. 56. dicens eorum quæ videntur Substantiæ multas esse Substantiarum partes scil: manus, pedes, ca-
put etc. manifestè Substantiam à partibus integralibus Substantialibus heterogeneis separat. ~~Nam~~ par-
tes integrales Homogeneæ per se non autem reductivè ponunt cum suo toto in Prædicamento. PARS
TERTIA Theorematis (Genus Supremum in Prædicamento Substantiæ et Substantia strictè accepta
ut est communis Substantiis Finitis corporeis et incorporeis tantummodo completis) Probatur: Illud
est Genus supremum in prædicamento Substantiæ quod continet sub se corpora corruptibilia et in-
corruptibilia et Substantias incorporeas completas. Sed Substantia strictè sumpta est talis.
Ergo etc. minor: quià in illa reponuntur Angeli, Coeli et Sublunaria completa. minor de Sub-
lunaribus patet, de Coelis et Angelis. Probatur 1mo: Illa reponuntur in Prædicamento Substan-
tiæ quæ habent conditiones ad hoc necessarias ut possint poni in prædicamento: Sed Angeli et coeli ha-
bent tales conditiones. Ergo. minor Quià sunt Entia Realia, completa, incomplexa, finita
et Univocè cum aliis Substantiis inferioribus convenientia in ratione cummunis Substantiæ quæ
abstrahit à corporea et incorporea, corruptibili et incorruptibili. Probatur 2do: Illa ponuntur
in Prædicamento Substantiæ quibus convenit tam Ratio Substantiæ Finitæ quam proprietates
ipsius. Sed Angelis et corporibus coelestibus hoc utrumque convenit. Ergo. Minoris 1ma pars: Ra-
tio Formalis Substantiæ ut est supremum Genus hujus Prædicamenti est per se esse ut excludit esse
in alio nedum per modum Accidentis, sed etiam per modum partis in toto præsertim essentialis, nec
enim integrales homogeneæ excluduntur à Prædicamento: Sed hæc ratio convenit Angelis &
corporibus coelestibus. Ergo. Minor: quià omnia ista sunt Substantiæ completæ: et de coelis idem
patet, de Angelis autem probatur: quià alias si Angeli essent Substantiæ incompletæ, sequeretur
quod possent informare materiam et venire in compositionem alicujus compositi per modum partis quod
est falsum siquidem nihil datur quod sit compositum ex Angelo et aliqua materia. 2da pars mino-
ris: Affectio Substantiæ seu proprietas præcisiva (præcipua) est Substare accidentibus: Sed tam Angeli quam coeli
Substant accidentibus non quidem corruptivis sed perfectivis. Ergo convenit illis ista proprietas. minor
Quia Angeli Substant intellectionibus et volitionibus. Similiter coeli Substant Quantitati et Lumini

Præterea

Præterea suscipiunt contraria: Nam Angeli sunt capaces Amoris et odii. Porrò Amor et Odium sunt Affectus contrarii. Similiter coelum modo illuminatur, modo Lumine privatur ut patet de Luna, nunc in Oriente, nunc in Occidente. Item afficitur raritate et densitate, oppacitate et diaphaneitate quæ sunt contrariæ qualitates. Dices: Angeli sunt natura Spirituales. Ergo Non sunt in Prædicamento. Contra: Si Angeli essent excludendi à Prædicamento quiâ sunt Spiritus, sequeretur quod propter eandē Rationem essent excludenda Accidentia spiritualia ut sunt Virtutes et Scientiæ. Sed hoc est falsum (quiâ Aristoteles et alii philosophi reponunt Scientias et Virtutes in Cathegoria Qualitatis non obstante earum spritualitate) Ergo Falsum etiam est excludi Angelos à Prædicamento. Confirmatur: Sicut Accidentia possunt habere Genus et Differentiam, licet non componantur physicè ex materia & Forma; sed tantum metaphysicè ex realitate potentiali et Actuali; ita et in Angelis potest esse Genus et Differentia, siquidem componuntur metaphysicè, ex Actu et potentia, quod est sufficiens fundamentum unde intellectus sumat Genus et Differentiam. Præterea multa sūt Loca in Aristotele ubi sentit Angelos et cœlos esse reponibiles in Prædicamento ut 7 metaphy. t. 5. Item 12 metaph. t. etiam 5 et alibi. etc.

Obiectiones et earumdem Solutiones.

Obiectio 1ma (Genus Supremum in Prædicamento Substantiæ est Substantia Finita communis completa et incompleta) Probatur: Partes Substantiales et essentiales sunt in Prædicamento Directè. Ergo. Ans: Illa sunt in Prædicamento Substantiæ Directè et per se de quibus Substantia prædicatur Quidditativè‡. Ergo. Minor: Omne superius quod in inferiora dividitur prædicatur de illis quidditativè. Sed Substantia dividitur ab Aristotele 2 de Anima t. 2 et 12 metaph. t. 52 in materiam, Formam et compositum. Ergo. Respondetur Neg. 1 Ans. 2 minorem. 3 minorem. Ratio quiâ Divisio illa Substantiæ‡ ~~[illegible]~~ Prædicamenti ~~[illegible]~~; sed potius quadam resolutio Substantiæ prædicamentalis compositæ cum enim componatur ex materia et Forma tanquam quid tertium ita quoq̄ resolvitur, non autem Dividitur in ipsas quod patere potest ex eo quiâ illa Divisio non continet Angelos quos tamen verum est in Prædicamento reponi. Sed Instabis 1 materia et Forma magis et per se sunt quidditativæ Substantiæ non minus quam compositum. Ergo Si hoc est in Prædicamento directè, etiam et illa. Respondetur: Verum esse Ans: Si Substantia communiter sumatur, quomodo dici solet Substantia Analoga quatenus comprehendit tam completas Substantias quam incompletas; Falsum tamen est si sumatur Substantia ut est supremum hujus Prædicamenti Genus, sic enim non directè

‡ sed de partibus essentialibus scil: de materia & Forma prædicatur quidditativè. Ergo etc.

‡ in materiam, Formā & compositum non est propriè divisio substātiæ in communi hujus etc.

directè sed tantum lateraliter et reductivè dicitur de materia et Forma ratione scil: compositi ac
proindè non quidditativè sicut superiꝰ de inferiore. <u>Dices</u>: Ergo Substantia communiter dicta vel
commune Genus erit ad substantias completas et incompletas cum talis conceptꝰ Substantiæ non
sit transcendens; sed finitus et limitatus. <u>RESPONDEO</u> ita esse quod in hoc sensu partes essentiales
Physicæ cadunt sub eodem Genere cum composito, ut etiam partes integrales Heterogeneæ: quia se ha-
bent ita ad Substantiam sic sumptam ut Homogeneæ ad Prædicamentalem. Sicut enim istæ recipiunt
Prædicationem Substantiæ Prædicamentalis directè non minus quàm totum ipsum, ita universaliter
omnes Substantiarum partes recipiunt Prædicationem Substantiæ Analogæ non minus quam ipsa
tota per eas constituta, ex hoc tamen non sequitur quod eodem modo Prædicationem Substantiæ præ-
dicamentalis atq̃ ideo directè debeant poni in hoc Prædicamento. Hinc (NIHIL DESIDERATUR) colligi
potuisse fieri Prædicamentum Substantiæ quod complecteretur Substantias omnes creatas tam com-
pletas quam incompletas. <u>Instabis porrò</u>: Aristoteles in Organo cap. de Substantia docet partes inte-
grales esse veras Substantias quià non sunt in alio tanquam in Subjecto; sed velut in toto. Igitur idem
cap. de Relatione computat easdem inter primas et secundas Substantias, dicit enim sic (caput est quo-
dam caput, manus est quædam manus) et 5 Metaphys. t. 15 inter Substantias enumerat partes. Ergo
de partibꝰ quidditativè prædicatur Substantia et per consequens respectu earũ est Genꝰ. <u>RESPONDEO</u>
<u>ad primam Authoritatem</u>, Licet Philosophꝰ partes integrales vocaverit Substantias, non tamen ideò di-
rectè eas in Prædicamento collocavit, dum enim vocat illas Substantias, vult ostendere quod illæ sint om-
ninò distinctæ ab Accidente, nec possint dici Accidentia sed tantum Substantiæ eo quod non sint in Sub-
jecto. Præterea dixit eas verè Substantias: quià enim non repugnat illis esse Substantias quatenꝰ sunt par-
tes integrales; sed solum quatenꝰ sunt Heterogeneæ, nam duo in partibꝰ integralibꝰ reperiuntur: Uterum
esse partes integrales. Alterum esse Homogeneas et Heterogeneas: propter primum non excludunt à Præ-
dicamento; sed tantum propter secundum partialiter scil: si sunt Heterogeneæ. <u>Ad 2dam Authoritatem</u>
ex cap. de Relatione Dico quod ideò Philosophꝰ vocat primas et secundas Substantias partes ut ostenderet
etiam rerum incompletarum et partialium nos posse facere coordinationem Prædicamentalem sine
lem illi quam videmꝰ in Arbore Porphyrianâ ex completis rebus factam quatenꝰ scil: in ipsis dantur præ-
dicamenta superiora et inferiora, Genera et Species siquidem secunda intentio Universalitatis itm
benè potest fundari in incompletis, sicut fundatur in Entibꝰ completis. Undè potest institui talis Series
v. g. Substantia Physica partialis sit tanquam Genus supremum et dividatur in materiam et Formam Deinde

+ Formam

Forma dividatur in Spiritualem et corpoream, tandem hæc in hanc, illam, istam &c. Formam: Licet enim hæc omnia sint completa, tamen potest intellectus ipsa concipere per modum Entis ita completi ut requiritur ad prædicationem nihil enim deest ipsis quo minus fundent in se Universalitatem Logicam et possint prædicari. Ad 3tiam Authoritatem Concedo quod inter Substantias enumerentur partes ... tamen tales Substantias cujusmodi sunt composita, excipe partes Homogeneas quæ semper Prædicationem Universalis recipiunt sicut et ipsum eorum totum. Sed adhuc denique Instabis: Corpus est pars componens Animal cum Anima, et tamen corpus in recta Linea prædicamentali ponitur ut videre est in Arbore Porphyrii et prædicatur in Quid de inferioribus: nam vivens est corpus, Animal est corpus. Respondeo: Corpus in Arbore Porphyrii non accipi pro parte essentiali Animalis, sed tantum pro corpore metaphysico, seu gradu Generico qui à corpore, ut est pars desumitur. Quæres An saltem post Animæ recessum vel interitum corpus ut est altera pars compositi ponatur directè in Prædicamento? Respondeo Non poni: quia adhuc tum manet Ens incompletum et Animæ essentialiter subordinatum per modum materiæ; sicut è contra Anima Rationalis post separationem à corpore adhuc manet Ens incompletum quia est Essentialiter subordinata corpori per modum Formæ. Objectio 2da (Genus summum Substantiæ non est Substantia Finita communis corporeis et incorporeis completis) Probatur: quia nec Angeli, nec corpora cœlestia possunt poni in Prædicamento. Ergo. Antecedens: Quæ ponuntur in Prædicamento Substantiæ, habent Genus commune in quo conveniunt cum corruptibilibus. Sed Angeli et corpora cœlestia non habent Genus commune in quo conveniant cum corruptibilibus. Ergo Non ponuntur in Prædicamento. Minor: Corruptibile et incorruptibile non habent Genus commune (quia corruptibile et incorruptibile differunt Genere) Sed Angeli et corpora cœlestia sunt incorruptibilia, Sublunaria autem sunt corruptibilia. Ergo. Respondetur Negando 1. Antec. 2 minorem 3 Distinguo majorem. Non habent Genus commune (Subalternum) Concedo. Non habent Genus (supremum) Nego. Sed Contra Quod nec supremum habeant. Probatur sic: quia alias Angeli essent compositi saltem: non physicè ex materia et Forma, at saltem metaphysicè ex Actu et potentia. Consequens falsum. Ergo et Antec. Falsitas: quia Aristoteles 8 metaphysi. t. 16. et 9 metaphys. t. 11. et 10 metaphysico. t. 30 et 12 metaph. t. 43 ponit intelligentias esse Actus puros et simplices Accidentium non capaces. Respondeo Nego Falsitatem: probationem ejus Distinguo. Intelligentiæ possunt comparari aut ad primam causam, aut ad Substantias corporeas ex materia et Forma compositas. Tunc sic Aristoteles vocat intelligentias esse Actus puros (respectu Substantiarum corporearum) Concedo. Vocat Actus puros (respectu ~~Substantiarum~~ intelligentiæ primæ) Nego: nequaquam enim intelligentiæ istæ sunt ita simplices et puri Actus ut est prima intelligentia, unde sunt capaces si non accidentium absolutorum, at saltem Accidentium respectivorum, siquidem dicunt Relationem, tum ad suos effectus, tum ad orbes cœlestes quos movent. &c.

Theorema

Theorema Secundum
Tertium, Quartum, Quintum et Sextum.

2: Deus gloriosus in nullo ponitur Prædicamento. 3: Substantiæ Abstractæ id est intelligentiæ omnes præter primam sunt in Genere (Hoc Theorema penitus coincidit cum primo istius controversiæ) Substantia est prior Accidente. 4 Quantitas est Accidens Realiter distinctum à Substantia corporea. 5 Species Quantitatis continuæ sunt tantum tres: Linea, Superficies, corpus. 6: Habitus et Dispositio non distinguuntur ab invicem Essentialiter.

Hæc Theoremata et alia his similia quæ ad Substantiam, Quantitatem et Qualitatem spectant [illegible] servamus, ipsisque prætermissis ut ad Relationis naturam copiosius examinandam magis præparati [illegible]damque paucis istis diebus sedulò curabimus. Tu interim optimè ac benevolè Auditor cui nostra sunt [illegible] devota pectora, quoniam siccas insana Canicula messes (ut Persius Loquitur) iam dudum coquit, non sub [illegible]tula sed aut viridi sub ARBUTO membra stratus, aut ad Aquæ lenè caput sacræ, aut sub [illegible] more, aut sub Jove, non tamen frigido, agrestes Deos, Pana Sylvarumque F divitias cum admiratione [illegible] tui voluptate inspiciens Auram puram in Gratia Dei captes, quæ necdum intellectus benè concepit [illegible] et postmodum pro 7 Calendas Septembris Animo alacri ad cœptum laborem felix atque incolumis redire [illegible]

Controversia Sexta
De
Relatione.

Dum ab initio Laboris nostri ea solum quæ purè spectant ad Logicam nos tradituros esse has primâ commentatione pollicebamur, certè ab illo nostro promisso hanc de Relatione controversiam esse omninò liberam voluimus. Quid enim nobis opus eam ad metaphysicam aut alio quopiam differre? quandoquidem ipsam magis Philosopho ad philosophandum quam pisci aqua ad natandum, aut volucri aëra ad volandum esse necessariam advertimus. Circa ipsam igitur primum nostra ingenia post has caniculares ferias bono ac fausto omine suas vires probare incipiant.

Theorema Primum
Secundum, Tertium, Quartum, Quintum et Sextum.

Relationis Definitio.

Relationes Transcendentales à suo fundamento non realiter sed solum Formaliter distinguuntur.

Relatio est ratio Formalis per quam una Res refertur ad aliam, seu quâ una res respicit aliam. Relatio Realis est quæ existit in rebus vel saltem existere potest seclusa quovis opere intellectus: È contra autem Relatio Rationis

F Sylvarumque Senem, Nympharumque leves cum Satyris choros, tum et beatas Floræ ac Pomonæ divitias, cum admiratione etc. vide supra.

Rationis est quæ non est à parte rei sed advenit extremis per operationem intellectus. Relatio Prædicamentalis est quæ suo accidit fundamento et est ab illo separabilis: Transcendentalis verò est quæ suo fundamento realiter est identificata nec potest ab illo separari. Divisio Relationis in relationem secundum esse et secundum Dici est alia à Divisione Relationis in Relationem Prædicamentalem et Transcendentalem. Item in Realem et Rationis. Relativa secundum esse sunt illa quæ essentialiter sunt Relativa ita ut illorum essentia sit ad aliud se habere. Relativa autem secundum Dici sunt illa quæ Formaliter et essentialiter sunt absoluta, nec nisi accidentaliter et denominativè tantum Relativa.

Relationis Divisio.

Notandū 1mum. Dictum 1mum: Circa Relationem sunt benè intelligendæ istæ voces (Relatio, Correlatio, Relativum, Correlativum: Extrema Relationis duo Subjectum et Fundamentum Relationis, ratio fundandi Relationem, Conditio sine quâ non sequeretur ad fundamentum Relatio, ultimo Terminus Relationis) Dictum 2um: Relatio nihil est aliud nisi Respectus, habitudo; Respicientia, ordinabilitas in Abstracto v.g. Paternitas, similitudo, æqualitas, filiatio etc. CORRELATIO est è Regione opposita illi primæ Relationi Relatio v.g. Filiatio sic alia similitudo correspondens Paternitati et primæ similitudini. RELATIVUM et CORRELATIVUM sunt concreta Relationis et correlationis v.g. Pater est Relativum, Filius est ipsius correlativum, vel è contra: Filius est Relativum, Pater est correlativum. Extrema Relationis ex una parte est Subjectū aut Fundamentum aut Ratio fundandi, ex Altera autem terminus Relationis. SUBJECTUM (quod aliter vocatur Fundamentum Remotum, vel Subjectum Remotum vel Specialiter et absolutè Subjectum) est id in quo remotè fundatur et Subjectatur Relatio v.g. Paries; item superficies est Subjectum similitudinis. Fundamentum (quod aliter vocatur subjectum proximum, vel Fundamentum proximum, vel absolutè vel specialiter Fundamentum) id est in quo proximè fundatur Relatio v.g. Albedo est fundamentum similitudinis, item superficies et quævis alia Quantitas est fundamentum æqualitatis. Ratio fundandi Relationem est Principium Formale quo mediante Relatio consurgit in fundamento v.g. Unitas specifica Albedinis est ratio fundandi similitudinem, et potentia Generativa Patris est Ratio fundandi Paternitatem. Conditio sine quâ non consurgit Relatio est id quod ultra Rationem fundandi requiritur et sequatur Relatio v.g. Actio prævia Generativa Patris est conditio sine quâ non sequeretur paternitas. Dictum 3tiū: Conditio sine qua non (Licet hæc non in quavis Relatione detur) differt à Ratione fundandi Relationem, ut patet in potentia generativa Patris et Actione prævia ejusdem quæ statim transit. Dictum 4tum In qualibet Relatione tria sunt consideranda (1mo) id quod refert nimirum primum Extremū quod fundamentum reale vel fundamentum proximum, aut remotum, Relationis dicitur (2do) id quod refertur seu quo refert, duplex quod est ~~triplex~~ Unum 1mo Formale scil: ipsa Relatio v.g. paternitas, filiatio similitudo etc. Alter 2do Fundamentale scil: Ratio Fundandi v.g. potentia generativa Patris et Unitas specifica qualitatis.

In omni Relatione tria sunt consideranda.

(3tio)

Relationis Divisiones.

Ad Relationem Realem tres requiruntur conditiones.

(3tio) Id ad quod refertur scil: secundum extremum ipse terminus Relationis. **Notandum 2dum Dictum 1mum**: Relatio præcipuè habet has Divisiones scil: ut alia sit Realis, alia Rationis, alia Prædicamentalis, alia Transcendentalis. Item alia secundum esse, et alia secundum Dici. **Dictum 2dum**: Ad Relationem Realem tres conditiones requiruntur. 1ma: ut habeat extrema realia ita ut in ratione fundandi et terminandi non pendeat ab intellectu. 2da: Ut illa extrema realiter à se distinguantur, idem enim ad se ipsum non potest referri realiter. 3tia: Ut ex ipsa natura illorum extremorum et non per Actum comparativum Intellectus consurgat. **Dictum 3tium**: Ex his tribus conditionibus si desit aliqua, tum vera Relatio solet Universaliter appellari nomine Relationis rationis v.g. Distinctio materiæ primæ à privatione, et Realiter Entis à non Ente, quia hæc non distinguuntur per solam nostram fictionem; sed verè ex parte rei, tamen illa Relatio Distinctionis dicitur Relatio Rationis quia non est ad terminum positivum et Realem. **Dictum 4tum**: Ratio fundandi Relationem et fundamentum proximum solent sæpissimè confundi maximè, quando fundamentum proximum cum remoto comparatur v.g. Albedo licet sit fundamentum similitudinis proximum, tamen respectu superficiei aut substantiæ sæpè vocatur Ratio fundandi similitudinem. **Dictum 5tum**:

Differentia fundamenti proximi à Ratione fundandi.

Fundamentum proximum differt à ratione fundandi per hoc quia non est ita Quo quin etiam possit esse Quod potest enim recipere denominationem eius Rationis nam et Quantitas dicitur æqualis et Qualitas similis. At Ratio fundandi est ita Quo ut non possit esse Quod, licet enim dicamus duas Quantitates esse æquales et duas albedines similes tamen unitas quæ est ratio fundandi hasce relationes non potest dici similis vel æqualis sicut nec potentia Generativa Patris dicitur Pater. **Dictum 6tum**: Relativum secundum Dici sub eodem nomine importat absolutum et simul Relationem annexam v.g. Scientia non tantum significat Qualitatem intellectui inhærentem; sed etiam Relationem et objectum scibile illi annexam, et totum hoc aggregatum scil (qualitas et relatio) significat per hoc nomen (Scientia) Licet unum primario, et aliud nempe (Relatio) secundario. Sic manus, caput et aliæ partes Substantiæ imò et operationes potentiarum vocantur Relativa Secundum Dici. **Dictum 7timum**: Non omnes res absolutæ nomine absoluto importatæ debent vocari Relativa ~~relatione~~ Secundum Dici licet Actualiter aliqua in eis fundetur Relatio; sed tantum illa quæ significantur nomine non purè absoluto, sed connotante Relationem ad aliud. **Dictum 8tum**:

Relatio Prædicamentalis differt à transcendentali.

Relatio Prædicamentalis differt à Transcendentali eo, quod Transcendentalis semper est eadem Realiter cum Fundamento. At verò Prædicamentalis semper differt ab illo Realiter iuxta hanc Regulam Omnis

Omnis Relatio quæ non est distincta realiter à Fundamento, est Transcendentalis ut Relatio creaturæ ad Deum, materiæ 1mæ ad Formam et causati ad causam, quæ verò est distincta realiter à suo fundamento est Prædicamentalis. Dictum 9num Relationes transcendentales juxta Thomistas et Nepervicos non solum realiter; sed etiam Formaliter, juxta Scotistas verò tantum realiter, non autem Formaliter rebus identificantur et meritò quidem quia nullus respectus in conceptu Formali et quidditativo absoluti includitur.

PROBATIO THEOREMATIS.

Pars 1ma Theoremat. (Relationes Transcendentales non distinguuntur à suo fundamento Realiter) Probatur: Relationes Transcendentales sunt realiter suo fundamento identificatæ. Ergo. Antec: Illæ Relationes omnes suo fundamento sunt realiter identificatæ sine quibus fundamentum esse in rerum natura implicat intrinsecè. Sed sine Relationibus transcendentalibus implicat intrinsecè esse in rerum natura fundamentum seu res creatas (nam dependentia creaturæ ad Deum, ordo materiæ ad formam, dependentia aptitudinalis Accidentis ad Substantiam sunt Relationes Transcendentales; sed sine talibus nec de potentia Dei absoluta, potest esse aut creatura aut materia, aut Accidens, hoc enim differt prædicamentalis Relatio à transcendentali quia ista non potest adesse et abesse præter corruptionem subjecti quia cum ista re incipit et desinit. At verò prædicamentalis Relatio v. g. Paternitas, similitudo etc. potest adesse et abesse præter rei corruptionem. Ergo Relationes Transcendentales sunt realiter suo fundamento identificatæ:

Major: Quia quod Fundamentum absque Relatione esse in rerum natura implicet intrinsecè, fit hoc propter identitatem solum Realem. Ergo Relationes illæ omnes sine quibus fundamentum etc sunt realiter identificatæ. Antec. prox. Nam implicantia fundamenti ad essendum sine Relatione et universaliter implicantia unius Entis ad essendum absque alio Ente solet accidere aut propter simultatem in naturâ, aut propter prioritatem, aut propter identitatem (intrinseca enim possibilitas separationis duorum ab invicem ex hoc triplici potest accidere capite Imo Quia sunt simul naturâ ut duo Relativa v. g. Paternitas et Filiatio. 2do: quia unum est prius à quo essentialiter dependet et posterius ratione, cujus dependentia non potest esse absque eo. 3tio Quia sunt idem Realiter) Sed si Fundamentum non potest esse absque Relatione aliqua, certè hoc non fit propter simultatem (quia Fundamentum & Relatio non sunt simul Naturâ) neque propter prioritatem (quia fundamentum potius est Relatione fundatâ prius) Ergo fit propter identitatem: nunquam enim implicat ab intrinseco prius separari, à posteriori nisi ob identitatem Realem ut constat de Subjecto et ejus

Realiter Transcendentalis non potest adesse vel abesse præter corruptionem rei. Sed Relatio et Accidens. Ergo.

Differentia Relationis Prædicamentalis à transcendentali.

et ejus propriâ passione. PARS 2DA THEOREMATIS (Relationes Transcendentales à suo fundamento differunt form[aliter] realiter) Probatur 1mo: Entitas absoluta non est formaliter relativa sed necessariò ab illa formaliter distincta. Ergo. Antec. Realitas Relationis non includit in suo conceptu Formali ~~præcisiuo~~ præcisivo Realitatem absoluti formaliter, neq[ue] è contra. Ergo. Ans: Nam Entitas absoluta ut sic est formaliter ad se, non verò ad aliud: Relativa autem ut sic est formaliter ad aliud, non verò ad se. Ergo. Hæc conseq. probatur: quia alias eadem omninò Entitas per eundem formalissimè conceptum esset simul ad se et non ad se. Ergo si realitas Relationis includeret formaliter realitatem absoluti et tamen Realitas absoluta ut sic, formaliter sit ad se etc. Sequeretur quod eadem omninò Entitas per eundem formalissimè conceptum etc. DICES: Relatio est duplex. ALIA prædicamentalis et hæc non includitur in conceptu absoluti ut probat Argumentum. ALIA est Transcendentalis, et ista includitur in conceptu Absoluto. CONTRA: Utraq[ue] Relatio et Prædicamentalis et Transcendentalis est essentialiter habitudo ad aliud, in hoc solum differunt quia prædicamentalis accidit merè suo fundamento, transcendentalis verò non accidit. Ergo si prædicamentalis non includitur in conceptu Formali absoluti, etiam non includitur Transcendentalis. Præterea per Absolutum et respectivum tota dividitur latitudo Entis prius, quam in Decem Prædicamenta descendat. Ergo præscindendo etiam à Prædicamentali respectu, Entitas respectiva, quo ad conceptus formales non potest coincidere cum Entitate absoluta, neq[ue] una in alterius conceptu Formali[ter] includitur. 2do: Inter quæ intercedit Formalis et Essentialis identitas, illorum unum claudit[ur] in Definitione alterius. Sed Relatio Transcendentalis non clauditur in Definitione Fundamenti. Ergo. minor: [quia] alias Relatio dependentiæ fundata in homine ad DEUM (quam constat esse transcendentalem) deberet poni in Definitione Hominis, quod est omninò falsum. Nam dum definitur homo, nulla fit mentio talis dependentiæ, dicitur enim tantum quod homo est Animal Rationale. Sequela: quia in Definitione quidditativa debet poni omne id quod est de Essentia Definiti, et sine quo Definitum non potest quidditativè intelligi.

OBJECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIONES.

OBJECTIO PRIMA (Relationes Transcendentales differunt Realiter à suo Fundamento) Probatur: Quicquid essentialiter pendet ab aliquo, ab illo est distinctum Realiter (quia Essentialiter ...

[est] ad se et non ad se, ad aliud et non ad aliud, quod implicat contradictionem: Sequela patet: qua enim ratione est ad se, eâ non est ad aliud, et quâ ratione est ad aliud ea non est ad se. Ergo si Realitas rationis etc.

dependentia simpliciter infert realem Distinctionem inter dependens et id à quo dependet.) Sed Relatio Transcendentalis essentialiter pendet à suis extremis scil à fundamento et termino (nam impossibile est illam esse absq terminis) Ergo Relatio Transcendentalis differt realiter à fundamento. RESPONDETUR Disting. majorem: Dependere essentialiter dupliciter. 1mo Dependere instar effectus per motum aut creationem producti. 2do Dependere instar effectus per emanationem pullulantis. Quicquid priori modo dependet, realiter differre Concedo; secundo autem modo Nego. Relatio Transcendentalis pendet à fundamento instar effectus per emanationem, nam ita pendet sicut passio propria à subjecto v. g. visibilitas ab homine quæ suo Subjecto est consubstantialis et realiter eidem identificata. Secundo autem modo non dependet quia non causatur à Fundamento Physicè et Realiter. OBJICI. 2da (Relationes Transcendentales non differunt formaliter à suo Fundamento) Probatur: Si Entitas creatura differret formaliter à Relatione dependentiæ ad DEUM, sequeret quod in Essentia creaturæ et conceptu ejus quidditativo non includeret. Conseq. Falsum. Ergo et Ans. Falsitas: quia quatenus Entitas creata non includit in suo conceptu dependentiam. Quæro Aut illa creata entitas hoc modo concepta dependet à DEO, aut non dependet? Non potest dici secundum scil quod in Conceptu quidditativo Relatio dependentiæ ad DEUM non includeret. RESPONDETUR Neg. Falsitatem. Dum autem quærit fundamentaliter sit ne dependens an non Entitas creata, ut concipit sine dependentia? Dico quod realiter est dependens quia ipsi debet formalis dependentia: Formaliter verò neq est dependens neq independens sicut Homo neq non visibilis quatenus concipit secundum prædicata primi modi dici per se, non est Formaliter visibilis sed solum radicaliter prout scilicet ei soli in secundo modo debet visibilitas.

Dependere Essentialiter dupliciter sumitur.

non dependeat. E. debet dici primum. Si sic, ergo falsum est. quod in concep. etc.

THEOREMA SEPTIMUM

Relatio Prædicamentalis non dicit sola extrema absq ullo superaddito; sed dicit Formam Accidentalem Fundamento superadditam Realiter, Actualiter, ab ipso distinctam.

Notandum: Circa hanc Difficultatem Tres sunt opiniones. 1ma Nominalium qui negant absolutè Relationes Prædicamentales veras esse ac reales formas Accidentales; sed asserunt tantum denominationes esse extrinsecas ex combinatione rerum desumptas. 2da Opinio Realium scil: Scotistarum & Thomistarum quæ tenet Relationem Prædicamentalem veram esse Formam Accidentalem rebus superadditam et ab eis realiter distinctam. 3tia Henrici Soncinatis et aliorum concedit quidem Relationes Prædicamentales veras esse Formas Accidentales, negat tamen Realiter distinctas. P.

Probatio

Probatio Theorematis.

Pars Prima Theorematis (Relatio Prædicamentalis non dicit sola extrema absque ulla superadditi[illegible])
Probatur: quia aliàs sequerentur ista inconvenientia. 1mum Quia omnes Relationes essent mutuæ, q[illegible]
tamen est falsum. 2dum Quod prædicamentum Relationis tolleretur et consequenter nullæ Relation[es]
reales
prædicamentales darentur, quod etiam est falsum, nam dantur in creaturis denominationes puræ Relati[væ]
Ergo Dantur etiam puræ Relationes prædicamentales. Conseq. patet: Effectus enim Formalis non est [nisi]
Forma insit Subjecto. Ans. verò probatur: quia Denominationes Relativæ; Similis, dissimilis, æqualis, in-
æqualis sunt purè prædicamentales. Sed istæ dantur Reales. Ergo et Formæ Relativæ Reales utique da[ri]
debebunt à quibus illæ Denominationes desumantur. Dices: Denominationes istas Relativas esse purè
extrinsecas et ideò Formas earum Reales relativas non posse vocari. Contra: Omnis Denominatio extrin-
seca Realis ex aliqua forma reali in aliquo Subjecto substrata desumitur (ut constat de esse viso, audito
cognito etc.) Ergo et istæ Denominationes Relativæ extrinsecæ (ut dicis) ab aliqua forma alicui Subje[cto]
intrinsecè inhærente sunt desumendæ. Tunc quæro Aut sunt desumendæ à forma absolutâ, aut à forma
respectivâ? Non potest dici primum Ergo est dicendum Secundum: Atque sic dabuntur Relationes Reales vere
inhærentes et fundamento superadditæ. Quod autem non possit dici primum probo sic: quia forma absoluta
non potest tribuere denominationem Relativam (quia Denominatio debet proportionari Formæ denomi-
nanti) Ergo ab illa non potest desumi. Pars Secunda Theorematis (Relatio Prædicamentalis est re-
aliter à suo fundamento distincta) Probatur: Illa realiter distinguuntur quorum unum potest esse sine altero
absque contradictione. Sed Relatio Prædicamentalis et fundamentum ita se habent ut unum possit esse
absque altero scilicet: fundamentum absque Relatione (videmus enim sæpissimè paternitatem, filiationem,
similitudinem etc. adesse et non adesse homini) Ergo. Præterea quæ in diversis Prædicamentis collocan-
tur sunt Realiter distincta (quia prædicamenta Realiter inter se distinguuntur et sunt ~~imper~~ inter mixta) Sed fun-
damentum et Relatio in Diversis Prædicamentis collocantur v.g. Albedo in Qualitate, similitudo autem
in Relatione. Ergo. Deinde impossibile est simul et semel eandem Formam intendi et remitti (nam
intensio et remissio sunt motus contrarii, motibus autem contrariis unum et idem simul moveri non
potest per se) Sed Relatio potest intendi quandò suum fundamentum remittitur, et remitti quandò illud
intenditur. Ergo Relatio et Fundamentum non sunt una Forma et eadem realiter. Minor: Quia Suppos[i-]
to quod Paulus sit magis albus quàm Petrus; si remittatur albedo Pauli tunc Paulus fiet magis similis Petro
Si autem albedo ejusdem Pauli intendatur, tunc fiet minus similis Petro quia albedo ipsius continuo recedet à
gradu albedinis Petro inhærentis. Idem patet in sono Musicorum dum sua instrumenta intendunt vel re-
mittunt etc.

Obiec[illegible]

OBIECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIO.

OBIECTIO 1ᴹᴬ (Relatio Prædicamentalis sola dicit extrema absq ullo addito) Probatur: Relatio [...] Relatio nihil est præter absolutum. Ergo. Ans. Ponantur duo Alba in rerum natura, certè ista ex qualitatum vi, quas habent sunt inter se similia. Ergo Habent illam denominationem Relativam ex vi absolutorū simul existentium, seu simul sumptorum absq ulla alia reali additione: nam positis illis duobg albis in rerum natura, et circumscripto quovis alio, vel per Potentiam Dei, vel per nostram mentē, omninò illa alia erunt similia inter se (nec enim aliter mens potest concipere) Ergo quod sint similia vel quod habeant illam Denominationem non provenit hoc ab aliqua Entitate reali distincta ab illis quæ dicat Relatio. RESPONDETUR Neg. 2 Ans 2 Distingu. Dicendo: Duo Alba esse similia ex vi absolutorum dupliciter intelligitur: 1mo modo Fundamentaliter: 2do modo Formaliter. Illa igitur duo alba ex vi absolutorum sine ullo addito sunt similia (fundamentaliter) Concedo. Sunt similia (Formaliter) Nego. Non enim possunt hoc habere ut sint formaliter similia nisi p Entitatem Realem Relationis. Porrò potest mens concipere aliqua duo esse similia fundamentaliter, non autem formaliter: Effectg enim formalis cum à causa Formali proveniat non potest eē absq illa, et ita nullum est inconveniens si intellectg circumscriptā causā formali concipiat extrema esse absq effectu formali. DICES: Si duobg albis positis superadditr Relatio Realis Similitudinis. Ergo Positis decem Albis, si producatr undecimum Album, debebunt consurgere undecim similitudines, et si sint mille alba, tunc producto adhuc uno albo, consurgent mille similitudines et una, quod certè repugnat, et probo: Nam non videtur credibile ut ad positionem unius albi tot Entia in distinctis et remotissimis locis constituta ~~i~~immutentur quià hac ratione etiam in omnibg totig mundi Entibg possent Relationes, distantiæ et distinctiones consurgere si quis vel solum suum sursum elevaret digitum. RESPONSIO: Conc. tot consurgere Relationes, Nego autem esse inconveniens quod fieret ita sentire, imò est necessarium: quià omnia mundi Entia sunt ad invicem ~~.~~ ordinata ~~et~~ qui sese mutuo respiciunt licet unum sit Cracoviæ, et aliud in Italia aut in Prussia. DICES: Ergo tot esse debebūt in uno Ente Homine Relationes distantiæ et distinctionēs seu diversitatēs quot erūt in mundo Entia quià ab unoquoq distabit et distinguetr Ente ille unus homo. RESPONDEO ita esse omninò, nec enim est ullum onus etiam uni illi homini tot Relationes in se sustinere cum nec gravitent nec levitent ex sua natura. Sed QUÆRES A quonam Ergo Agente tanta multitudo Relationum producetr? DICO Quamlibet Relationem proximè et immediatè produci à solo fundamento posito tamen termino tanquam conditione necessariò requisitā per resultantiam quandam et naturalem sequelam quæ tamen non excludat veram efficientiam. &c.

OBIECT

Duo Alba esse similia ex vi absolutorum dupliciter intelligitur.

OBJECTIO 2DA (Relatio Prædicamentalis non est distincta Realiter à suo fundamento) Probat: quia... as album simile esset compositius seu magis compositum albo simplici. Conseq. falsum (quià communiter album simile non putatur esse compositius albo tantum) Ergo. Sequela: quià album simile habet Relationem similitudinis annexam quam non habet album tantum. RESPONDEO Neg. Falsitatem. Ratio: album simile habet in se Actum et potentiam distinctam Realiter simul: Nam Album est potentia respectu similitudinis et similitudo est Actus ipsius Albi, atque sic album simile magis est compositum albo tantum. Ad probationem Dico distinguendo: Duplex est compositio. Una ex duabus rebus absolutis. Alia ex uno absoluto et alio respectivo. Dum dicis quod album simile communiter non putatur esse compositius albo simplici. RESPONDEO hoc intelligendum esse de compositione ex duobus absolutis, non verò de compositione secunda: Quia ubi est Actus et Potentia, licet non sint ambo absoluta, tamen posset unum dici compositius alio.

Duplex est compositio.

THEOREMA OCTAVUM

Relatio non tantum constituitur per ~~Rationem~~ Esse AD, et istud quidem Reale; sed etiam per esse IN, Specificè quoque non autem solum Genericè acceptum.

Notandum Dictum 1mum: In fundamento Relationis creatæ, quæ est Accidens est alia habitudo fundamenti et alia Subjecti ideoque in ipsa duæ habitudines (ESSENDI IN) debent distinctè constitui. Una ad fundamentum sub ratione Subjecti in quantum est Accidens quæ propriè dicitur inhærentia. Alia ad Fundamentum Reduplicativè sub ratione fundamenti prout est relatio. Dictum 2dum: Has duas habitudines in Relatione creata distinctas esse cognoscimus ex eo quià Relatio Divina includit Rationem (ESSENDI IN) velut in fundamento non tamen velut in Subjecto cum non sit Accidens. Dictum 3tium: Dum sumitur (ESSE IN) pro ratione (Essendi in) velut in Subjecto concurrit ad constitutionem Relationis Prædicamentalis velut Ratio Generica; quià sic vel est ipsa Ratio accidentis communi ad absolutum et respectivum vel saltem ipsam nobis circumscribit. Dum autem sumitur idem (ESSE IN) pro (essendi in) velut in fundamento, tunc concurrit ad constitutionem Relationis tanquam Ratio specifica non minus quam (ESSE AD). Dictum 4tum: Dum dicitur quod Relatio essentialiter constituitur per (ESSE IN ALIO) et (ESSE ad aliud) voces (IN ET AD) debent sumi ut dicant ipsam habitudinem simplicem, non autem ut includant etiam extrema ipsius habitudinis.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS PRIMA THEOREMATIS (Relatio constituitur per (ESSE AD) Probatur: Ratio 1ma. Per illud Relatio constituitur per quod Relatio Relativorum ab omnibus Filosofis explicatur et nunquam aliter, sed per (ESSE AD ALIUD) ab omnibus Fil...

ab omnibus Philosophis Ratio Relativorum explicatur, et nunquam aliter. Ergo per esse ad aliud Relatio constituitur. Minor patet per Aristotelem in Organo ubi definiens Relativa dicit ea esse, quorum esse est ad aliud se habere. Ratio 2da. Per illud constituitur Relatio in quo ejus Differentia essentialis ab absoluto consistit et per quod essentialiter differt ab absoluto (quia eadem sunt Principia Distinctionis & constitutionis) Sed in (Esse ad aliud) essentialis differentia Relativi ab absoluto consistit. Ergo per (Esse ad aliud) Relatio constituitur. Minor: Quia Relativum dicit ordinem et habitudinem intrinsecam ad alterum tanquam ad terminum. Absolutum vero ab ejusmodi habitudine absolvitur, nec certe ullus Philosophus aliud discrimen inter Absolutum et Relativum cognovit, nisi quia illud est ad se, istud vero ad aliud. Ratio 3tia: Si habitudo ad terminum a Relatione secludatur, sequeretur quod Relatio nullum constitueret Relativum. Hoc falsum. Ergo et illud ex quo sequitur. Sequela: quia si constituit aliquod, Quaero quodnam Esse tribuat Relatio illa habitudine seclusa, num absolutum, num relativum? Non secundum quia per ipsam constituta non habent ad quod referantur, nisi dicatur ad se ipsam vel ad fundamentum referre quod est absurdum, quia res alba per similitudinem nec sibi, nec albedini dicitur similis sed alteri rei albae. Si vero concedatur primum. Ergo Relatio seclusa ejus habitudine ad terminum non est Relatio; sed Entitas absoluta. PARS SECUNDA THEOREM. (Ratio Essendi ad aliud per quam Relatio constituitur est vere Realis) Probatur: Illud est vere et essentialiter reale per quod Accidens reale & Ens finitum ad constituendum Genus Accidentium Relationum contrahitur (quia Differentiae rerum per quas superius aliquod Reale vere contrahitur ad inferius debent esse reales) Sed per (Esse AD) contrahitur Ens finitum et Accidens Reale ad constituendum Genus Relativorum. Ergo (ESSE AD) est ratio vere et essentialiter realis. Deinde in Relatione (ESSE IN) velut in subjecto quod convenit Relationi ut est Accidens est Reale ~~essentiale~~. Ergo etiam (ESSE AD) quod convenit Relationi ut est Relatio erit Reale. Conseq. Quia Relatio Praedicamentalis non tantum est Accidens REALE, Relatio sed etiam est ~~[illegible]~~ realis. Nam per eam vere, et realiter subjectum refertur ad aliud non minus vere quam et realiter per Quantitatem est Quantum et per Qualitatem est quale) Ergo si (Esse in) in Relatione etc. PARS TERTIA THEOREMATIS ~~(Ratio essendi ad aliud per quam Relatio constituitur [illegible])~~ ~~[illegible]~~ (RELATIO etiam per (esse in) specifice quoque, non autem solum Generice acceptum constituitur non minus essentialiter quam per (Esse ad)) Probatur 1mo ideo quia Relatio ut Relatio est habitudo essentialiter inter duo extrema. Ergo ~~aeque~~ aeque petit essentialiter fundari ut et terminari, et per conseq.

Relatio

et omnia in statu per quae est suff.

Relatio etiam per (Esse in) specificè quoque etc. 2do ideò quia (esse in) est essentiale Relationi. Ergo per ipsum Relatio ~~relativè~~ constituitur. Ans. Esse ad est essentiale Relationi ut est Relatio. Ergo et esse in. Consequentia ista: quia ita implicat Relationem esse sine fundamento sicut sine termino nec sufficit terminus absque fundamento. Ergo si (Esse ad) est essentiale, sequitur quod etiam (Esse in) sit essentiale. 3tio ideò quia per quod Relatio distinguitur, per id et constituitur (quia eadem sunt Principia constituendi et distinguendi) sed per (Esse in) ut in fundamento distinguitur Relatio ut patet ex 5 metaphysicae ubi Philosophus distinguit Relationes etiam penes fundamenta. Ergo. 4to ideò quia quod convenit Relationi ut differentia propria et Ratio specifica per illud constituitur. Sed (esse in) ut in fundamento convenit Relationi ut differentia propria et Ratio specifica non minus quam (esse ad) Ergo. Minor: quia licet Ratio (essendi in) genericè accepta (id est ut in subjecto universaliter) conveniat omnibus Accidentibus ideoque ad Relationis constitutionem concurrat velut Ratio + et communis: tamen Ratio (essendi in) specificè accepta (id est velut in fundamento) convenit praecisè Relationi ut à caeteris Entibus distinguitur et Relationibus praedicamentalibus ut ab Accidentibus Quantitatis et qualitatis secernuntur. Ergo. NOTES quod Ratio (Essendi in) specificè accepta et Ratio AD non sint duae Differentiae aut duae habitudines distinctae, sed quod unam et adaequatam nobis circumscribant Differentiam quae Genus Relationum in tali esse constituat.

+ generica.

OBIECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIONES.

OBIECTIO PRIMA (Ratio essendi (ad) aliud in Relatione non est quid Reale) Probatur: Illud non est reale quod aequè competit Reali et Relationis Relationi (quia Enti Reali et Enti Rationis nihil est commune Reale) sed Esse ad aliud competit aequè Relationi Reali et Rationis. Ergo. Minor quia ab utroque praescendit. RESPONDETUR Neg. minorem et ejus Probationem: Nam Relationi Reali et Rationis nihil est commune univocum nec potest ab illis abstrahi quicquam Reale. Deinde ESSE AD in Relatione reali est id quod à parte Rei competit: in Relatione autem Rationis fit per operationem intellectus. OBIECTIO 2DA (Ratio essendi (in) non constituit Relationem) Probatur: Per quid constituitur Relatio, per illud et definitur. Sed per esse in non definitur Relatio. Ergo Neque constituit. Minor: nam semper Aristoteles Relationem per (esse ad) definit, non verò per (esse in). Ergo. RESPONDEO Neg. minorem, ad Probationem dico Philosophum ita esse locutum quia illud solummodò volebat de Relatione explicare quod non erat ita clarum Antiquis nimirum quod vo Esset ad aliud. Nam quod Relatio esset in alio, id nullus ignorabat. Deinde Dico quod Philosophus semper supponebat ly (ESSE in) in Relatione tanquam

rem manifestam. Sive enim Relatio est ordo ad aliud, et si est aliud Accidens, certè est ordo alicujus ad aliud, et omninò est ad aliud tanquam verum Accidens.

THEOREMA NONUM
Subjectum Relationis Prædicamentalis debet esse Ens Reale et Finitum.

Notandum Dictum unicum: Licet una et eadem Relatio possit habere plura Subjecta diversarum Rationum scil: dicendo quod unum sit proximum, aliud verò remotum, tamen plura ejusdem Rationis et æquè immediata omninò impossibile est illam habere: quia cum Relatio sit verum Accidens et per se unum, unicum etiam Subjectum in hoc sensu postulabit

PROBATIO THEOREMATIS.

Pars prima Theorematis (Subjectum Relationis Prædicamentalis debet esse Ens Reale) Probatur 1. Non Ens non potest esse Subjectum ipsius. Ergo. Ans. Quia in non Ente Relatio prædicamentalis non potest subjectari (quia non ens non est aptum fundamentum Entis Realis) Porrò Relatio prædicamentalis est Accidens reale positivum. Probatur 2. Illud à quo habet Entitatem Realem res aliqua, debet esse Ens Reale (nam quod non est Ens reale, non potest dare Entitatem ‡ à fundamento in Genere Causæ efficientis ut patet ex præcedente Theoremate item ex 2 hujus controversiæ sub finem. Ergo Subjectum Relationis prædicamentalis debet esse Ens Reale. Pars secunda Theorematis (Subjectum Relationis debet Ens Prædicamentalis esse Finitum) Probatur: Ens infinitum non potest esse Subjectum ipsius. Ergo. Ans. Quia alias Deus gloriosus esset Subjectum Relationis Prædicamentalis, quod est falsum. Nam Relationes reales ad creaturam non dantur in Deo; sed removentur ab ipso. Ergo Deus non est Subjectum Relationum. Ans. Vel enim illæ essent in tempore si darentur in Deo, vel ab æterno. Neutrum dicendum. Ergo simpliciter non dantur in Deo ullæ Relationes. Non primum id est in Tempore: quia nulla Relatio Realis nova in tempore potest admitti in Deo ad creaturas, alias enim si admitteretur faceret compositionem cum ipso. Conseq. Falsum. Ergo et Ans. Sequela patet: quia Relatio Realis in tempore adveniens facit compositionem cum eo cui advenit. Falsitas est clara quia Deus est perfectissimè simplex, iam verò non esset ita simplex si aliquid cum eo faceret compositionem. Non 2dum id est non ab æterno, quia illa Relatio deberet esse eadem cum Deo realiter, quicquid enim in Deo est, Deus est, quod si esset distincta realiter, tunc faceret compositionem cum illo et sic non esset simplex ut modo est dictum. Verò non potest dici eadem esse Realiter nam hoc est contra perfectissimam Dei necessitatem cum Deus sit Ens ex se

‡ Realem, quia nemo dat quod non habet. Sed Relatio prædicamentalis habet suam Entitatem à fundamento etc.

ex se necesse esse. Jam verò non esset ex se necesse si talis Relatio in DEO ab Æterno poneretur eadem realiter. Sequelam istam Probo: Illud non est ex se necesse esse, quod habet Entitatem sibi realiter identificatam quæ ex se non est Ens necessarium. Sed si DEO adveniret ab Æterno aliqua Relatio, certè + Entitatem haberet sibi realiter identificatam scil: illam Relationem quæ Entitas non esset simpliciter Ens necessarium. Ergo DEUS non esset ex se necesse esse. **Minor**: Illa Entitas non est ex se necessaria, quæ ad suum esse et existere requirit necessariò id quod non potest dici simpliciter Ens necessarium (quia id quod est necesse esse, potest esse absq; omni eo, quod non est necesse esse; perfecta enim necessitas in hoc consistit ut aliquid sit ex se tale et ita necessarium, ut suum esse non varietur quacunq; hypothesi positâ sive possibili sive impossibili, circa aliud à se distinctum, quia alia non sunt necessaria nisi secundariò. Sed Relatio adveniens DEO ab æterno esset Entitas requirens ad suum Esse necessariò id, quod non potest dici Ens necessarium simpliciter. Ergo Haberet Entitatem non necessariam sibi realiter identificatam. **Minor**: Illa Relatio adveniens DEO ab æterno requireret ~~fundamentum~~ Terminum (nam nulla Relatio Realis potest absq; termino esse) tum iste terminus utiq; non esset Ens simpliciter necessarium (nihil enim aliud esset nisi creatura, nam solà creatura distinguitur à DEO realiter positivè jam verò constat creaturam non esse quid simpliciter necessarium atq; sic sequitur, quod in DEO nulla Relatio Realis potest statui ad aliud distinctum à DEO salvâ ipsius perfectissimâ necessitate. **Dices** Dari posse in DEO relationem realem ad creaturam non utiq; illi inhærentem sed quasi assistententem. **Contra**: Si illa Relatio est Accidens (ut hic supponimus) certè necessariò alicui subjecto inhærebit nisi dicatur, quod sit per se subsistens, sicut ipsa Substantia, quod et Rationi et naturæ Accidentis omninò repugnat. Ex his omnibus constat quod Relatio Prædicamentalis, ex quo est Accidens Fundamento superadditum pro subjecto debeat habere Ens Reale, finitum & limitatum.

+ DEUS

In quo perfecta consistat necessitas.

Ergo illa Relatio requireret id quod non est necessarium atquè etc.

Obiectiones et earundem Solutiones.

Obiectio prima (Subjectum Relationis Prædicamentalis non tantum Ens Reale debet esse) Probatur: Relationes Prædicamentales, possunt etiam fundari in non Entibus. Erg. Ans: Privatio non est Ens sed Entis Negatio et tamen fundat in se Relationem Principii ad Generationem (nam illa Relatio est Realis) Ergo. **Respondetur** Neg. mum & dum Ans. deindè Distingo. Probationem. Relatio Realis sumitur dupliciter 1mo Rigorosè et propriissimè prout scil. habet tres illas conditiones quia scil: habet Extrema Realia, quia illa extrema realiter differunt, et quia ex natura illorum extremorum, non autem per intellectum consurgit. 2. minus Rigorosè prout scil: distinguitur contra Relationem Rationis quæ fit per Actum intellectus collationum

Relatio Realis sumitur dupliciter.

relativum licet illas tres conditiones non habeat. Relatio ergo fundata in privatione est Realis Secundo modo, non autem primo. Unde talis Relatio Secundo modo sumpta potest convenire etiam non Enti: non quod illa Relatio sit Ens Reale positivum (quia verum Accidens Reale positivum non potest in non Ente Subjectari) sed dicatur Realis eo Sensu, quo tenebras & coecitatem Solemus appellare negationes Reales quatenus dantur nullo intellectu cogitante. Sic Privatio nullo intellectu cogitante concurrit suo modo ad Generationem per modum Principii. OBJECTIO SECUNDA. (Subjectum Relationis Prædicamentalis non tantum debet esse finitum Ens) Probatur: quia alias nulla esset Relatio in DEO ad creaturam realiter, cum DEUS sit infinitus. Hoc autem falsum est, nam sic sequeretur quod DEUS non esset Creator, non esset Dominus neque à creatura distinctus quod dici non potest. Hanc sequelam probo quia sicut Forma est in aliquo, ita illud denominat. Ergo si non est aliqua in DEO Relatio ad creaturam realiter, sequitur quod DEUS non esset Creator. RESPONDETUR Neg. Falsitatem utramque; Nam omnino nulla in DEO requiritur Relatio ad creaturam, per quam intrinsecè & Subjectivè dicatur Creator et Dominus et distinctus sed solummodò extrinsecè et terminativè talis denominatur prout determinat realiter creationem passivam in creaturâ existentem. Dices: Utique ista propositio est vera (DEUS est Realiter Creator) Ergo à Reali et intrinsecâ sibi Relatione sic denominatur. RESPONDEO quod vox ista (realiter) non ipsum Prædicatum denominat hujus (creator) sed totam propositionem et ipsam inhærentiam, id est: non dicit quod creator sit prædicatum Reale existens DEO intrinsecum; sed tantum indicat quod ista propositio (DEUS est realiter creator) est omnino verissima: Unde Realiter idem valet quod VERè. Dices: Si DEUS denominaretur Creator à creatione passivâ quæ in lapide existit, sequeretur quod DEUS deberet dici creatura, non verò Creator, quod est omnino falsum. Sequelam Probo: Quia quando aliquid denominatur à formâ quæ est in altero, tunc accipit denominationem illius talem, qualem apta nata est tribuere talis Forma. Ergo si DEUS denominaretur à creatione passiva sequeretur esse etc. RESPONDEO Neg. Sequelam, ad Probationem Dico ita esse tunc quando est uniformis non verò difformis denominatio; in proposito verò est difformis scil: una est intrinseca et Subjectiva, et alia extrinseca, et determinativa, et hanc DEUS non verò illam accipit etc.

THEOREMA DECIMUM

Relationis Prædicamentalis proximum et immediatum Fundamentum potest esse non solum Quantitas et Qualitas; Sed etiam Substantia imo et alia Relatio.

Notandum: Hoc Theorema Scotistæ quoad omnes partes tuentur. Thomistæ verò primam partem illius affirmant omnes. Secundam verò et tertiam quidam eorum affirmant et quidam negant. etc.

Probatio

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS PRIMA THEOREMATIS (Relationis Prædicamentalis proximum et immediatum Fundamentum est Quan-
titas et Qualitas) Probat: in quo fundat similitudo et dissimilitudo, item Æqualitas et inæqualitas illud est
Fundamentum Relationis Prædicamentalis. Sed in Qualitate fundat similitudo et dissimilitudo, et in Quan-
titate æqualitas et inæqualitas. Ergo. minor: In eo fundat similitudo et dissimilitudo quod tali similitudine
et dissimilitudine dicitur formaliter simile. Sed albedo dicit similitudine formaliter similis alteri et Quan-
titas formaliter æqualis alteri. Ergo In qualitate fundat similitudo etc. PARS SECUNDA THEOREMATIS (Rela-
tionis Prædicamentalis Fundamentum proximum et immediatum potest esse Substantia) Probatur: Relatio
Effectus ad Causam et Filiatio ad Patrem fundat in Substantia nullo mediante Accidente. Ergo. Ant: Dum
enim ignis generat ignem, et homo hominem, generatio prius terminat ad Substantiam ignis quam ad ullum
Accidens. Ergo in illo priori fundat Relatio effectus ad causam etc. Deinde duæ Quantitates, duæ Qualitates pos-
sunt fundare immediatè illam Relationem æqualitatis et inæqualitatis, istæ verò similitudinis et dissimi-
litudinis. Ergo Etiam duæ Substantiæ possunt fundare Relationem identitatis et diversitatis. Conseq:
Quia eadem est ratio in Substantiis quæ in Quantitatibus et Qualitatibus duabus: Sicut enim in Quantitate attenditur
æqualitas vel inæqualitas Accidentalis; item in Qualitate similitudo vel dissimilitudo accidentalis; ita in
Substantiis attenditur convenientia vel disconvenientia essentialis in natura quæ dicitur identitas et
diversitas et sunt Relationes Prædicamentales, nam possunt abesse à suo Fundamento tanquam Forma rea-
liter ab ipso distincta v. grat. potest diversitas abesse ab Alexandro quia destructo Bucephalo non amplius A-
lexander dicit ab illo diversus Actualiter; sed solum potentialiter: sicut Albedo non dicit amplius similis alteri al-
bedini iam destructæ. PARS TERTIA THEOREMATIS (Relationis Prædicamentalis proximum et immedia-
tum Fundamentum potest esse alia Relatio) Probatur: Entia quæ Relationes denominativas veras ac Re-
ales suscipiunt possunt esse Fundamenta Relationis: Sed Relationes sunt hujusmodi Entia quæ possunt suscipere
denominationes veras et Reales relativas non minus quam Quantitas aut Qualitas. Ergo Relationes pos-
sunt esse fundamenta aliarum Relationum. Si sic. Ergo Relationis Prædicamentalis fundamentum proximum
potest esse alia Relatio. minor: Duæ Paternitates ita inter se dicunt similes, sicut duæ Albedines (&
similitudo est Entitas diversa à Paternitate, similiter à filiatione dum ad aliam comparat filiatio-
nem) et hoc magis confirmatur: quia istæ denominationes sunt talibus Relationibus accidentales, stante
enim Paternitate v.g. Petri, incipit de novo esse similis; si alia paternitas de novo ponat in Paulo et de-
sinit esse similis, si eadem Paternitas in Paulo destruat: incipit esse diversa ab albedine si hæc de novo pro-
ducat, et desinit esse diversa si eadem destruat. Ergo istæ denominationes sunt Accidentales et similes
Relationes verè atque Realiter super additas. Deinde si una Relatio non esset Fundamentum alterius, sequeretur

quod proportio non possit esse Fundamentum Relationis. Conseq. Falsum. Ergo et Ans. Sequela: quia proportio est Relatio (nam proportio est similitudo, similitudo autem est Relatio) Falsitas: quia est contra Euclidem quia definit proportionalitatem esse duarum porportionum similitudinem. Præterea Relationes Rationis possunt fundare supra se aliam Relationem Rationis. Ergo et in Relationibus Realibus poterit fundari alia Relatio Realis. Cons. Quia eadem est Ratio utrobique, et magis convenit relationi Reali fundare aliam Relationem quam Relationi Rationis. Ans: Nam in Relatione individui seu Generis fundatur Relatio speciei (quia vera sunt ista propositiones: Individuum secundo intentionaliter sumptum est Species. Item: Genus Formaliter seu secundo intentionaliter sumptum est Species. Item species est Species) Ergo &c. &c.

OBIECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIO.

OBIECTIO PRIMA (Relationis proximum Fundamentum non potest esse Substantia) Probatur: Quia alias sequeretur quod Relatio esset perfectius Accidens omnibus aliis Accidentibus. Conseq. Falsum. Ergo et Ans. Falsitas: Quia Relatio est minimæ Entitatis. Sequela: Quia suum esse immediatius, et magis proximè sic participaret à Substantia. Ergo perfectiori modo. et per consequens erit perfectius Accidens. Nam quod perfectiori modo participat, est quoque perfectius v. g. Si ignis calefaciat aquam, et aqua calefaciat manum, perfectiori modo participabit calorem aqua quam manus. Porrò quod immediatius participat, dicitur perfectiori modo participare. RESPONDETUR Neg. Sequelam et Conseq. Ratio: Quia perfectio Accidentis consistit non in immediatiori ordine ad Substantiam quoad inhærentiam; sed potius in perfectiori participatione Entitatis. OBIECTIO SECUNDA (Relationis proximum Fundamentum non potest esse alia Relatio) Probatur: quia alias daretur processus in infinitum in Relationibus realibus, quod est maximè inconveniens. Sequela probatur: Si enim una Paternitas fundat Relationem similitudinis ad aliam paternitatem, et è contrà, hæc utique similitudo rursus fundabit similitudinem ad aliam et è contra, quæ similitudines etiam erunt inter se similitudines vel similes. RESPONDEO Neg. præfatam Sequelam quia dabitur status in secundis Relationibus, quæ se ipsis referuntur. Unde quandò duæ Paternitates dicuntur similes, utique tales dicuntur per se similitudinem ipsis additam; sed quandò postea istæ duæ similitudines dicuntur inter se similes, non hoc fit per alias Relationes superadditas; sed per hasce ipsas. Ratio huius est: quia implicat unam conservari absque alterâ, cum sint simul naturâ, iam verò est Regula Generalis: Quando Fundamentum non potest esse sine termino ad quem refertur, tunc illa Relatio quâ refertur non est ab ipso Fundamento realiter distincta. Sed contra instabis: Adhuc dari processum in infinitum hac admissa solutione. Nam licet similitudo unius Paternitatis ad aliam nequeat esse sine similitudine alterius Paternitatis sibi correspondente, et sic locum habeat dicta solutio, tamen similitudo duarum paternitat

paternitatum potest esse sine similitudine inter alias duas Paternitates reperta, et hic locum non habet alia solutio, atque sic in similitudine tam priorum, quam posteriorum duarum Paternitatum alia atque alia fundabitur Relatio, quod idem patet in identitate Petri ad Paulum correspondente, tamen identitas Petri ad Paulum potest esse sine identitate Joannis ad Paulum. RESPONDEO Nego etiam sic posse dari processum in infinitum. Nam dabitur statim in ea Relatione, cum qua caetera, quas consurgere concipimus conveniant in Ratione fundandi, et in Ratione referendi v. g. Duae paternitates fundant Relationem similitudinis inter se, scilicet si haec similitudo conferatur cum altera, quae reperitur inter alias duas paternitates, ut est casus in Argumento positus, tunc seipsa dicetur illi similis, non autem alia superaddita, quia si ulterius pergas, eandem semper reperies Rationem fundandi scil: convenientiam et eandem semper rationem referendi et terminandi scil: ut simile. Et hoc modo oportet respondere si fieret Argumentum ad multiplicandas Relationes dissimilitudinis seu diversitatis eodem modo arguendo. Ratio autem cur in his secundis Relationibus non consurgant aliae relationes est ista: quia quod accidit in aliis Formis, hoc idem in istis Relationibus evenit, et sicut in qualibet denominatione devenitur ad aliquid, quod in illo ordine denominandi est ita QUO ut nequeat esse QUOD v. g. sicut albedo non potest esse Alba, nec Quantitas Quanta, nec Scientia Sciens, et sic de aliis: ita in proposito consistere oportet in illis Relationibus quae dicuntur ad aliud per denominationem ejusdem Rationis, cum illa quam secum intrinsece afferunt: ut dum similitudo dicitur similis, diversitas diversa, ad suscipiendas enim ejusmodi denominationes non indigent Relatione Realiter distincta, sed ad summum Formaliter.

+ nam licet haec posset esse sine identitate Pauli corresp. etc.

THEOREMA UNDECIMUM.

Omnis Relatio tam mutua quam non mutua terminatur ad Terminum sub Ratione Absoluta non vero respectiva.

NOTANDUM Sensus istius Theorematis est hic: Quando Petrus refertur Paternitate ad Paulum filium, tunc illam Paternitatem non filiatio existens in Paulo, sed ipsa Pauli Substantia genita terminat et sistit. Circa hanc Difficultatem tres referuntur Opiniones: Ima est Scoti quae tenet quod quaelibet Relatio terminetur ad terminum sub Ratione absoluta. 2da Thomistarum quae pro termino unius Relationis statuit alteram correspondentem Relationem. 3tia Quorundam Thomistarum Massii, Ferrariensis, Olisiponensis, Ruvii quae tenet multas Relationes terminari ad Relationem oppositam, non mutuas vero ad absolutam. Probatio

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS 1ma THEOREMATIS (Relatio mutua terminatur ad terminum ut ille terminus est quid absolutum) Ratio 1ma: Si Relatio mutua non terminaret ad terminum absolutum, sequeret quod ad oppositam Relationem deberet terminari v. g. Paternitas deberet terminari ad ipsam filiationem, non verò ad fundamentum illius filiationis. Conseq. Falsum. Ergo et Ans. Falsitas: ad quod Relatio terminatur illud debet esse prius tali Relatione. Sed altera cor/Relatio opposita v. g. Filiatio non est prior Paternitate (quià Relationes mutuæ sunt simul naturâ, et in eodem signo positis extremis consurgunt) Ergo Relatio non terminat ad oppositam correlationem. Major: Quod præsupponit Relationi, est illâ prius. Sed Terminus præsupponitur Relationi. Ergo Terminus est prior Relatione quam terminat. Minor prox. Nam Relatio terminum præexigit ad suum esse, sicut et ipsum fundamentum (quià his duobus scil: fundamento et termino positis consurgit; omnis enim Relatio ex Esse in ut in fundamento, et ex Esse ad constituit) Ergo. Ratio 2da: Alias sequeret quod terminus esset prior et posterior Definitione quam suum Relativum. Conseq. implicat contradictionem. Ergo et Ans. Sequela: Pater refert ad filium ut ad terminum, ideò filius est prior definitione Patre, quià si pater definiat ut Pater, in ejus Definitione poneret Filius, et è converso in Definitione filii ponet pater, quià pater est terminus Relativus filii Ergo si pater terminat filiationem ut pater, filius quoque terminabit Paternitatem ut filius, sequit quod filius est prior et posterior definitione quam Pater. Sic quoquè Pater est Prior et posterior filio atque sic asserta erit contradictio. Dicendum ergo est ad hanc Contradictionem quod Relativum terminet ad terminum sub Ratione absoluti, et sic Pater primo referet ad absolutum, in quo filiatio primo fundat & filius primo refert ad absolutum, in quo primo fundat Paternitas; nam dicendo sic, habemus quod fundamentum Paternitatis est prius filio quam filius, seu est prius illâ filiatione, et quod fundamentum filiationis est prius patre quam Pater seu prius Paternitate quod omninò est concedendum. Nam Relatio nõ potest ~~...~~ insurgere in illis extremis, nisi ipsis secundum esse absolutum in suo esse positis: undè utrumque absolutum, tam Fundans paternitatem quam fundans filiationem prius ponit in suo esse absoluto, postmodum insurgit in uno Paternitas, in alio Filiatio, et sic apparet quod sine ulla contradictione absolutum in quo est Paternitas, est prius filiatione, et è contra illud in quo est filiatio est prius paternitate. PARS SECUNDA THEOREMATIS (Relatio non mutua terminat ad terminum sub Ratione absoluta) Probat. 1mo: Nulla Relatio non mutua potest terminari ad terminum sub Ratione Respectiva. Ergo. Ans: Quià Relationes tertii modi sunt non mutuæ. Ergo Deberent terminari sub Ratione respectiva. Atqui hoc est falsum. Ergo. Minor: Quià in terminis Relationis tertii modi nulla est cor-

respondens

correspondens Relatio (et si esset aliqua, tunc deberent istæ relationes tertii modi dici mutuæ, non verò non mutuæ propter defectum enim et absentiam correlationis correspondentis dicuntur non mutuæ) Ergo Relationes tertii modi non terminant ad terminum sub ratione respectiva. Dices duplicem esse Relationem aliam Realem, aliam Rationis. In terminis ergo Relationum tertii modi licet non sit opposita Relatio Realis, tamen est opposita Relatio rationis. Contra: Illa Relatio rationis ~~relationis~~ in termino non potest esse ratio terminandi Relationes tertii modi. Ergo Solutio nulla. Antec. quia alias in Scibili causata Relatio Rationis posset esse Ratio terminandi Relationem Scientiæ. Atqui non potest. Ergo. Minor: quia sequeretur quod Scientia non referretur ad Scibile nisi intellectu operante. Hoc autem est falsum: nam Scientia nullo intellectu cogitante refert Actualiter ad Scibile. Sequela: quia Relatio rationis in Scibili non poneretur nisi intellectus Actualiter illud Scibile consideraret. Probatur 2do: Actus et Potentia sunt Relativa non mutua. Sed Actus terminat Relationem potentiæ ut est quid absolutum, non autem Relativum. Ergo Relatio terminat ad suum extremum sub Ratione absoluta. Minor Alias si terminaret sub ratione Respectiva, sequeretur quod Actus deberet definiri per potentiam, id est si esset ille Actus quid Relativum. Atqui hoc est falsum. Quia Actus esset posterior Definitione quam Potentia quod est contra Philosophum, ut patet ex hac sequenti probatione majoris. Major: quia licet potentia referatur ad Actum, tamen Actus non refert ad potentiam. Ergo sunt Relativa non mutua. Actus et potentia. Ans: Si enim Actus referretur ad potentiam sequeretur quod sicut potentia definitur per Actum, ita Actus definiretur per Potentiam. Conseq. Falsum. Ergo et Ans: Sequela patet ex Porphyrio cap. de Specie ubi dicit quod in Relationibus mutuis necessitas est ~~[illegible]~~ [sit] quæ Definitionibus utrisque uti. Falsitas: Quia sic sequeretur quod Actus esset prior et posterior Definitione quam Potentia, quod est mera contradictio. Esset prior 1mo ideò: quia Aristot. 9 metaph. t. 13 dicit illum esse priorem Definitione quam potentiam. 2dò ideo: quia illud per quod aliquid definitur est prius Definitione eo, quod per ipsum definitur. Sed per Actum definitur potentia. Ergo Actus est prior Definitione quam potentia. Deindè esset posterior quam Potentia quia per illam definitur.

vi utrorum

OBIECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIO.

OBIECTIO 1MA (Relatio mutua non terminat ad terminum sub Ratione absoluti) Probatur: quia alias relativa mutua v.g. Pater et Filius non essent simul naturâ quod est contra Philosophum. Sequela Nam illa non sunt simul naturâ quorum unum est prius naturâ alio: Sed si Relatio v.g. Paternitas terminaret ad absolutum esset prior filiatione. Ergo Paternitas et Filiatio non essent simul naturâ. Minor ‡ Paternitas prior consurgeret quam Filiatio. Ergo. Ans: Terminus paternitatis esset prior filiatione. Ergo ipsa p[aternitas]

‡ Ergo Paternitas et filiatio non essent simul natura. minor. Paternitas prior consurgeret quam filiatio Ergo et ipsa paternitas etc.

ipsa Paternitas erit prior eadem filiatione. RESPONDEO Neg. 1am Sequelam 2 minorem. 3 Antec. 4 Cons. Ratio: nam utraq; et Paternitas et filiatio simul natura consurgunt licet earum fundamenta utraq; praecedant. Nam in eo signo in quo producitur fundamentum relationis necdum est paternitas, sicut nec ipsa Filiatio, sed tum demum cum fundamentum filiationis consurgit in fundamento suo, utraq; quasi in secundo signo fundat. OBIECTIO 2DA (Relatio non mutua non terminatur ad terminum sub ratione Respectiva) Probat: Tale extremum non est sufficiens ad terminandam Relationem. Ergo ad illud non terminat Relatio non mutua. Ans: Non est capax Relationis illud extremum. Ergo non est sufficiens ad terminandum. Consequentia ista: id quod est sufficiens ad fundandam unam Relationem, erit etiam sufficiens ratio+ ad fundandam Relationem neque erit ad terminandam. Sed sic est in opposito. Ergo. Rx Neg. 1am Ans. 2 et 3 Cons. Ratio: quia licet verum sit Ans: tamen Conseq. est falsum, plura enim requiruntur ad fundandam Relationem quam ad terminandam, nam exigitur capacitas Accidentis quidem talis, quod possit unum ordinare ad aliud. Unde ex parte fundamenti requiritur quaedam imperfectio ut nimirum illud fundamentum sit et capax accidentis et ordinabile ad aliud: At vero ad ordinationem termini non requiruntur istae imperfectiones, quia terminatio non addit aliquod Accidens intrinsecum termino, nec supponit rem ordinabilem ad aliud, sed potius contra quod aliud sit ordinabile ad ipsum.

[+ ad terminandam alteram. Ergo ubi non est sufficiens ratio ad fundandam relationem etc.]

THEOREMA DUODECIMUM.

In uno Patre tot sunt Paternitates distinctae numero quot habet Filios: et idem debet dici de quolibet alio Relativo.

Notandum: Hoc Theorema aliter sic potest generaliter proponi. Tot debent esse in uno eodemq; fundamento seu Subiecto Relationes, quot sunt termini totales et adaequati non solum specie sed etiam numero distincti. Vel sic: Una Relatio numero, non potest plures ejusdem Rationis attingere seu respicere terminos, id est, non potest terminari ad plures numerice distinctos. Vel sic: Relationes multiplicantur numero ad multiplicationem numericam terminorum. Circa hanc materiam est duplex opinio. 1ma Thomistarum quae tenet unam tantum Paternitatem in uno patre licet habeat duos, tres imo et decem filios. 2da Scotistarum quae tenet oppositum. Porro agitur hic de terminis non specie sed numero solum distinctis et iis quidem totalibus et adaequatis, non vero partialibus et inadaequatis.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS 1MA THEOREMATIS (In uno Patre tot sunt Paternitates numerice quod habet Filios) Probatur Ratione 1ma: Relativa cum correlativa v.g. Pater & Filius sunt simul natura. Sed si in uno Patre non essent tot paternitates distinctae quot habet filios, sequeretur quod relativa scilicet pater et filius non essent simul natura. Ergo in uno

Patre

Patre etc. <u>Minor</u>: Quiâ dum Pater habet duos filios diverso tempore genitos, est utriusque correlativum
et tamen cum secundo filio non est simul naturâ, nam præcessit eum multo tempore nimirum ex quo illi est
primus filius genitus, et sic uno relativorum posito non poneretur alterum et per consequens relativa posita
sese non ponerent et tandem hoc modo non essent simul naturâ. Deindè si primus filius moriatur
secundo superstite, adhuc Pater erit Pater. Ergo uno Relativorum perempto alterum permanet, et
sic Relativa perempta sese non perimerent, quod falsum est. <u>Dices</u> Adhuc esse simul naturâ filium et Patrem li-
cet una sit paternitas, et duo filii, quiâ pater cum primo filio est simul naturâ secundum sub-
stantiam Relationis, cum secundo verò secundum ejus extensionem Accidentalem. <u>Contra</u>. Re-
lativa per solam extensionem Relationis Accidentalem non possunt esse simul naturâ. Ergo solutio
nulla. Ans. quiâ respicere terminum non est Accidentale sed Essentiale Relationi (totum enim esse
Relationis est ad aliud se habere) Ergo. <u>Ratio 2da</u>: Una et eadem numero Relatio non potest esse ad
diversos terminos. Ergo in uno Patre etc. Ans: quiâ aliàs sequeretur illam Relationem esse et non esse.
<u>Sequela</u>: Nam si hæc Paternitas una respicit duos filios, tunc destructo uno non esset, et tamen alte-
ro permanente esset, atquè sic esset et non esset, quod est pura contradictio. Deinde sequeretur quod una
et eadem Paternitas penderet essentialiter à termino utroque id est à filio et non penderet quod etiam
implicat contradictionem: Penderet quiâ utrumquè respicit: non penderet quiâ uno termino subla-
to adhuc permaneret; iam verò certum est quamlibet Relationem essentialiter dependere à termi-
no non minus quam à fundamento. <u>Dices</u> duplicem esse terminum. Alium certum et determinatum
Alium vagum et indeterminatum. Relatio ergò dependet à termino vago essentialiter, non autem
à termino determinato. <u>Contra</u> Determinatum pendere à indeterminato essentialiter non est
credibile. Sed Relatio est quid determinatum (nam omne existens Actualiter est determinatum
est unum unitate transcendentali) Ergo non potest essentialiter Relatio pendere à termino vago. 3tia
<u>Ratio</u>: In quolibet Relativo tot sunt Relationes numero quot sunt termini numero distincti. Ergo
in uno Patre tot sunt paternitates quot habet filios. Ans patet ex sequenti 2da parte Theorematis.

<u>PARS SECUNDA THEOREMATIS (In quovis Relativo tot sunt Relationes ponendæ etiam numer-
ricè distinctæ quot habet terminos numero distinctos) Ratio 1ma</u>: In uno patre tot sunt paternita-
tes quot habet filios ut modo fuit probatum. Ergo et in quovis alio Relativo. Conseq. Quiâ de simi-
libus, simile est ferendum judicium. <u>Ratio 2da</u>: Si in uno eodemque fundamento seu Relativo non
essent tot Relationes quot termini solo numero distincti sequeretur quod eadem Relatio v.g. similitudo
posset

posset simul et semel eodem tempore intendi et remitti. Conseq. falsum. Ergo et illud ex quo sequitur. Sequela: quia ponantur v.g. Tria alba vel tres albedines sintque illarum albedinum duæ scil: prima et secunda æque summe intensæ ut 8 tertia vero sit remissa ut 4, tunc dico si in secunda albedine juxta te est una numero similitudo tam ad primam quam ad tertiam albedinem. Ergo ista una similitudo numero simul & semel intendetur et remittetur quod implicat contradictionem. Sequela quoad secundam partem quod scil remittatur probatur: Nam si 1ma Albedo remittatur, etiam similitudo secundæ albedinis remittetur, illa enim albedo secunda, minus erit similis albedini primæ ex quo illa prima non est æque summe intensa ut prius erat. Quoad primam partem scil: quod intendatur probatur: quia ad intensionem albedinis tertiæ (si illa tertia albedo intendatur) intendetur illa similitudo secundæ ~~intentionis cum prius~~ albedinis, quia tunc magis accedet tertia albedo ad secundam atque sic magis fiet illi similis et per consequens eadem similitudo intendetur et remittetur. Ratio 3tia Relatio multiplicatur multiplicatis terminis. Ergo. Ans: Illud quod est quidditative ad aliud, necessario multiplicatur illo alio multiplicato. Sed Relatio est quidditative ad aliud. Ergo illo ad quod est tanquam ad terminum multiplicato necessario ipsa multiplicabitur. Si sic: Ergo in uno quovis Relativo tot erunt Relationes quot termini.

OBIECTIONES ET SOLUTIO EARUNDEM.

OBIECTIO 1ma (In uno Patre non possunt esse tot Paternitates quot habet filios) Probatur: quia si in uno Patre ~~non~~ possunt esse tot Paternitates v.g. duæ vel tres vel decem Paternitates, sequeretur quod talis Pater non esset unus Pater sed plures patres. Conseq. falsum. Ergo et Ans. Falsitas clara. Sequela probatur. Tot debent esse Patres quot sunt Paternitates. Ergo si erunt duæ Paternitates erunt duo Patres, si tres paternitates etiam tres patres etc. Ans. prox. Tot debent esse concreta quot sunt abstracta. Sed in proposito sunt duo vel tria vel decem abstracta scil: paternitates. Ergo totidem etiam erunt concreta sc. patres. Major: Quia ad multiplicationem Abstracti, multiplicatur concretum. Ergo tot debent esse concreta quot abstracta. RESPONDETUR Neg. 1 Sequelam. 2 Ans. 3 majorem. 4 Ans. Ratio quia ut possint multiplicari concreta non sufficit multiplicatio abstractorum seu formarum sed adhuc requiritur ultra istarum formarum pluralitatem suppositorum seu subjectorum pluralitas ideo autem utraque pluralitas et Formarum et Suppositorum ad hanc multiplicationem concretorum est necessaria, quia concretum non tantum dicit solam Formam, sed etiam Subjectum, in quo est illa Forma, connotat, unde et hujus et illius plurificationem omnino requirit idque patet in exemplis v.g. Si quis habeat plures Scientias, ut Physicam, metaphysicam Geometriam unus tantum sciens, non vero tres Scientes dicetur.

Item si

Item si quispiam quatuor habeat Artes mechanicas certè ejusmodi homo unus Artifex vocabitur non verò 4
Artifices, sicut ergo non valet hæc consequentia (iste homo habet quatuor Artes. Ergo non unus Artifex
est sed quatuor artifices) ita non valet etiam hæc (iste homo habet quatuor vel decem Paternitates. Ergo
est non unus Pater, sed quatuor vel decem Patres) sed solum poterit dici plures et non una vice Pater. Si

Instabis 1mo: Petrus habens plures filios est tantum unus Pater numero. Ergo per unam tantum
numero Paternitatem est pater respectu omnium. Cons. quia si per aliam numero Paternitatem
Ergo Non est idem pater numero ad omnes; sed alius atque alius numero unâ enim paternitate est
unus Pater et alterâ paternitate est alter pater. Ergo aliâ paternitate erit alius Pater. Respon-
sio: Neg. Cons. et ejus probationem. Ratio Nam hoc modo arguendo (hac Paternitate est hic Pa-
ter. Ergo Aliâ paternitate est alius pater) committetur fallacia consequentis ad destructionem an-
tecedentis ad alietatem enim Patris non sufficit alietas Paternitatis sed requiritur etiam alietas
suppositi. Instabis 2do. Filius unicam habet filiationem respectu ~~[illegible]~~ Patris
et matris et per unicam numero filiationem respicit hunc utrumque terminum: quia ambo differunt vel
tantum numero si maternus concursus est Activus, aut specie si idem concursus maternus est passivus in ge-
neratione filii. Ergo Etiam Pater respectu trium vel decem filiorum unam habebit paternitatem.
Respondeo duplicitur: 1. Neg. Ans. Ratio quia et filius duas habet filiationes numero distinctas
non unam respectu utriusque superstitis Parentis et unâ quidem respicit Patrem alterâ verò respi-
cit matrem, et harum filiationum una potest manere sublata altera si sic. alteruter parentum
extinguatur. Hoc idem debet dicere opinio quæ tenet quod maternus concursus sit tantum passi-
vus, sic enim alterius rationis jam erunt termini ad quos terminari deberet una Relatio. 2.
Neg. Conseq. quia non valet ~~[illegible]~~ paritas: nam Pater et mater sunt quasi termini partiales qui unum
totalem constituunt, at verò in proposito quilibet filius est terminus adæquatus et totalis paterni-
tatis. Objectio 2da (In uno Relativo non possunt esse plures Relationes ~~non~~ numero distinctæ) pro-
batur: Plura Accidentia solo numero distincta non possunt esse in eodem subjecto. Ergo nec Re-
lationes in uno Relativo. Conseq. clara. Quia Relationes plures sunt plura Accidentia. Ans.
patet. Nam omnis distinctio numerica Accidentium sumitur à subjecto. Ergo. Responde-
tur Neg. Ans et ejus probationem. Ratio: Quia omnes Formæ tam substantiales quam Acci-
dentales non per subjectum quod est illis prorsus extrinsecum, sed per proximas hæcceitates indivi-
duantur ~~individuantur~~ Formaliter. Unde falsum est Antec. et de absolutis et de respectivis Acciden-
tibus. De absolutis est falsum quia quando aliquis videt plures homines et quemlibet eorum per
propriam distinctam speciem certè habet in oculo plures species intentionales solo numero distinctas

igitur repugnat plura esse Accidentia numericè distincta in eodem Subjecto quandò omnia eundem prorsus effectum Formalem Subjecto tribuerent quod in proposito non evenit quia hac Relatione seu paternitate respicit Pater hunc numero filium et aliâ paternitate alium sicut etiam in absolutis ista Species intentionalis repræsentat Paulum, illa Joannem, hac bovem. Dices Utiquè Accidens accipit à Subjecto Entitatem. Ergo et unitatem numericam præcipuè autem Relatio quæ non potest esse sine Fundamento utpote eo quo posito, unà cum termino consurgit. Respondetur Neg. Conseq. Ratio Licet enim Subjectum sit causa efficiens et materialis ipsius Accidentis, tamen non est ipsius causa Formalis, undè non sequitur plura Accidentia numero distincta in eodem Subjecto esse non posse quandoquidem cum unitate causæ potest stare pluralitas effectuum. Notes Hanc Doctrinam in Theologia etiam valere, nam in Christo Domino (juxta hanc præsentem nostram opinionem) duas quoque filiationes opus est tenere. Unam Æternam quâ ad Deum Patrem refert. Alteram Temporalem per quam ad Virginem Sanctissimam Matrem suam conferatur, et utramque istam filiationem esse Realem. At verò juxta oppositam sententiam tantum una filiatio est admittanda. Porrò Filiatio nihil est aliud nisi Relatio seu respectus producti naturaliter ad ipsum producens in similitudine Naturæ in Natura intellectuali; imò (sed impropriè) etiam in natura sensitiva.

Quid Filiatio sit.

Theorema Decimum Tertium, Decimum Quartum, et Decimum Quintum.

13tium Relationis Prædicamentalis Divisio in Relationem intrinsecus et Extrinsecus advenientem seu propriè assignata est admittenda. 14tum Per Relationem intrinsecus advenientem constituitur quartum Prædicamentum, et per Relationem extrinsecus advenientem alia sex Prædicamenta.

Hæc Theoremata sufficit explicare per aliquot Dicta.

Dictum 1mum. Relatio Prædicamentalis aliter potest dici Relatio adveniens id est Relatio quæ advenit seu quæ accidit suo fundamento tanquam verum Accidens. Dictum 2dum Relatio intrinsecus adveniens est illa quæ positis in suo esse extremis scil: Fundamento & termino, statim necessariò

Definitio Relationis intrinsecus advenientis.

necessariò absq̀ ullo alio tertio superveniente extrinsecè ex ipsa extremorum natura in quâcunq̀ distantia consurgit v. g. Paternitas, Filiatio, similitudo etc. Impossibile enim est ut sint duo Alba, et quod inter se non sint similia. Dictum 3tium: Relatio extrinsecus adveniens est illa quæ positis Actualiter extremis scil: Fundamento et Termino non statim consurgit, sed adhuc eget aliquo tertio extrinsecus adveniente qualis est, Calefactio, Ubicatio etc. Posito enim igne et aquâ non statim pullulat calefactio, sed requiritur aliquid tertium ab extra veniens quod ignem approximat Aquæ. Dictum 4tum: Quicquid ponitur per se in Prædicamento 6. 7. 8. 9 et decimo est Relatio Extrinsecus adveniens: quicquid verò ponitur in Prædicamento Relationis per se, est Relatio Intrinsecus adveniens. 15tum Theorema: Quarti Prædicamenti unum Genus supremum, non autem duo debent assignari. Probatur: Accidentia quæ eodem modo Subjectum suum denominant sunt unius Generis supremi. Sed Relationes eodem modo denominant (quia referunt illud ad aliud) Ergo, Relationes intrinsecus advenientes sunt unius Generis supremi. Si sic. Ergo Datur unum Genus Relationum. Deindè si duo essent Genera suprema, illa haberent inter se convenientiam essentialem (quia ambo essent Relationes seu respectus ad aliud) Ergo Ab illis ~~fortè denominationem~~ unum commune posset abstrahi. et istud esset Genus Generalissimum. Præterea si essent duo Genera generalissima Relationis, tunc constituerent duo Prædicamenta, et sic non decem, sed undecim haberemus Prædicamenta. OBIICIES: Duo debent esse Relationis Genera suprema quia unum ipsius Genus non potest statui. Ergo. Ans. Nam illud Genus deberet esse Relatio vel Relativum in communi (cuilibet enim Abstracto correspondet suum concretum sicut Qualitas vel Quale, Quantitas vel Quantum in tertio et secundo Prædicamento) Atqui Relatio vel Relativum in communi non potest dici Genus Supremum. Ergo. MINOR: Quia essentiale est Relationi, ordinari ad aliud[f] ut eundem terminum à se distinctum. Ergo illa Relatio in communi non est Relatio et per consequens non potest dici Genus Supremum. MINOR: Nam illud aliud id est ille terminus (AD QUEM) terminatur Relatio in communi, aut est quid Absolutum aut Relativum. Neutrum potest dici. Ergo. Non 1mum: Quià in Relationibus mutuis utrumq̀ extremum est Relativum v. g. Pater, Filius etc. Non 2dum: Quià ille terminus aut Quid superius esset aut inferius illâ Relatione aut ipsi æquale (superius & inferius dici non potest quià sic non esset simul natura neq̀ æquale) quià sic duo darentur Genera suprema. RESPONDETUR Neg. 2 Antec. 2 minorem. 3 Minorem. Ad Probationem dico quod ille terminus qui terminat Genus Supremum Relationis est quædam Entitas ut habet vim sufficientem ad terminandum abstrahens ab omnibus terminis particularibus

[f] Sed illa Relatio vel Relativum in communi non potest ordinari ad aliud ut ~~[illegible]~~ ad terminū à se distinctū. etc.

particularibus quae entitas plurimum est absoluta, et si est aliquando Relativa, quod tum Accidit quando una Relatio fundat in alia, id non habet ut exerceat munus Relationis impositum sed ut habet conditionem aliquam communem cum Entitate absoluta ratione cujus terminat Relationem, neque ipsa Entitas seu terminus communissimus unam Relationem potest constituere aliud Genus Supremum. Unde talis debet fieri circa hoc abstractio qualis circa ipsas Relationes. Sicut enim à Relationibus singularibus abstrahitur aliquid commune, deinde communius, tandem communissimum et generalissimum: ita et à terminis singularibus abstrahi debet terminus magis communis et tandem communissimus adaequatus Relationi ut est Supremum Genus v. g. Hic Pater est terminus ad hunc Filium; deinde Pater in communi terminatur ad Filium in communi et sic ulterius progrediendum ut in fine seriei et supremo gradu Relativum communissimum terminatur ad terminum communissimum.

THEOREMA DECIMUM SEXTUM

Definitio Relativorum optimè à Philosopho assignatur hoc modo: Ad aliquid sunt quibus hoc ipsum esse est ad aliud se habere, id est Relativa sunt quorum totum esse est ad Terminum referri. Theorema 17timum: Una Relatio differt ab alia specifice intrinsecè per suam Differentiam, Extrinsecè autem per sua extrema Formaliter non autem materialiter accepta, aut Ambo conjunctim, aut alterutrum ipsorum.

Duplex Relationum Distinctio.

Notandum Dictum 1mum: Duplex est Relationum Distinctio seu Specificatio. Una intrinseca quae penes id quod est intrinsecum et Essentiale ipsi Relationi consideratur. Altera Extrinseca quae penes illa attenditur quibus opus est ad Relationem constituendam quantumvis ea extrinsecè ad hanc constitutionem concurrant. Dictum 2dum: Fundamentum Relationis et Terminus potest sumi dupliciter 1mo Formaliter scil: pro Ratione formali et proxima fundandi & terminandi Relationem. 2do materialiter pro illo ipso in quo talis ratio Fundandi Formalis et terminandi Relationem reperitur v.g. Unitas Specifica albedinis dicitur Fundamentum vel terminus Formaliter sumptus quia est Ratio fundandi et terminandi similitudinem; At verò ipsa Albedo est fundamentum seu terminus materialiter acceptus.

Terminus dupliciter sumitur. Formaliter & materialiter.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS PRIMA THEOREMATIS (Una Relatio differt ab alia intrinsecè specificè per suam differentia

Differentiam essentialem) Probatur: Per id differt una Relatio ab alia intrinsecè per quod constituitur (nam eadem sunt Principia distinctiva et constitutiva rerum) Sed Relatio intrinsecè et essentialiter per propriam & intrinsecam differentiam constituitur. Ergo. Minor: Cum enim sit Accidens quælibet Relatio certè non potest constare ex materia et Forma, sicut constat materialis Substantia et cum non sit Ens omninò simplex, exigit necessariò compositionem ex Genere et Differentia atque ideo per differentiam componitur et constituitur et per consequens etiam per eandem debet differre ab alio. PARS SECUNDA THEOREMATIS (Relatio differt ab alia extrinsecè per extrema) Probatur: Quandò aliquid differt ab alio per id quod est extra ejus essentiam et naturam, certè differt ab illo extrinsecè. Sed una Relatio differt ab alia per fundamentum et terminum quorum utrumque est extra Relationis Essentiam. Ergo. PARS TERTIA THEOREMATIS (Relatio una differt ab alia per sua extrema formaliter accepta) id est per rationem Formalem fundandi atque terminandi Relationem) Probatur: Non differt per extrema materialiter accepta. Ergo debet differre per extrema Formaliter accepta. Ans. Per illa extrema una Relatio ab alia non differt extrinsecè quæ possunt distinctas specie Relationes aut fundare aut terminare.[†] Ergo. minor: Quià unum et idem fundamentum materialiter acceptum potest supra se fundare Relationes specie distinctas. Similiter unus et idem terminus materialiter acceptus potest terminare Relationes specie distinctas. Ergo. Ans patet in exemplis v.g. Similitudo et dissimilitudo distinctio sunt Relationes specie distinctæ. Sed istæ omnes possunt in eadem albedine fundari, similitudo respectu alterius albedinis, dissimilitudo respectu nigredinis quià hæc albedo est dissimilis illi nigredini: et tandem distinctio respectu Quantitatis quià hæc albedo est distincta ab illa Quantitate. Ita quoque ad eandem Albedinem possunt terminare omnes prædictæ Relationes v.g. Hæc similitudo istius albedinis, deindè dissimilitudo istius nigredinis. Et tandem distinctio Quantitatis. At verò si sumantur Formaliter tam Fundamentum quàm terminus, nequaquam hoc fieri posset v.g. in unitate specifica albedinis respectu alterius albedinis tantum fundatur similitudo, non autem dissimilitudo aut distinctio neque ad unum Terminum Formalem distinctæ specie Relationes possunt terminari. Ratio igitur formalis et proxima fundat, terminat et extrinsecè distinguit Relationem v.g. Unitas Albedinis fundat et terminat similitudinem, pluralitas verò ejusdem fundat et terminat dissimilitudinem. PARS QUARTA THEOREMATIS (Relatio una differt ab alia per extrema sua quæ aliquandò ambo sunt distincta ab extremis alterius Relationis aliquandò etiam unum tantum) Probatur quoad 1mum Quia similitudo et inæqualitas sunt Relationes. Sed similitudo distinguitur ab inæqualitate extrinsecè per sua extrema quorum utrumque est

[†] Sed extrema materialiter accepta possunt distinctas specie relationes fundare aut terminare Ergo etc.

utrumque differt ab extremis inaequalitatis. Ergo Relatio una etc. Minor: Quia Fundamentum et terminus formalis similitudinis est unitas Qualitatis: Fundamentum vero et terminus Formalis inaequalitatis est pluralitas Quantitatis. At vero unitas Qualitatis et pluralitas Quantitatis differunt inter se. Ergo Similitudo distinguitur ab inaequalitate. Quo ad 2dum etiam probatur: Quia in eodem fundamento Formali diversae Specificae Relationes ad diversos terminos terminatae saepissime fundantur et e contra ad unum eundemque terminum Formalem diversae Relationes in diversis fundamentis fundatae referuntur. Ergo Ad diversitatem specificam Relationum sufficit diversitas alterutrius extremi aut fundamenti aut termini, solius licet ad unitatem Specificam Relationis exigatur utriusque extremi unitas. Non enim sicut quaecunque Differentia est sufficiens ad distinguendum, ita quaecunque identitas est sufficiens ad perfectam aliquorum identitatem. Antece. patet. Dum idem effectus v.g. Homo terminat Relationes diversarum causarum et alterius Rationis et e contra fundat diversas Specie dependentias ad easdem causas, quia ex parte ipsius semper est eadem Ratio fundandi et terminandi easdem.

Obiectiones et solutio earundem.

Obiectio 1ma (Una Relatio non differt ab alia intrinsece) Probatur: Nullam habet differentiam. Ergo. Ans. Vel enim illa Differentia esset quid Relativum vel absolutum. Neutrum potest dici. Ergo. Non secundum: Quia relatio non differt intrinsece nec constituitur per aliquid absolutum. Non primum quia una Relatio non potest esse Differentia alterius. Ergo. Respondeo Neg. Ans: 2 minorem. Nam illa Differentia erit Relatio non quidem in recto sed in obliquo sicut et materia prima. Item visibilitas est Substantia in obliquo non autem in recto. Obiectio 2da (Relatio non differt per extrema) Probatur: Vel enim differret per fundamentum vel per terminum. Neutrum potest dici. Ergo. Non per Terminum. Probo: Ab eo habet Relatio distinctionem et Unitatem a quo accipit suum esse (eadem enim sunt Principia essendi et distinguendi) Atqui a termino non accipit suum esse sed a fundamento. Ergo. Minor: quia posito termino tanquam conditione quadam, statim a fundamento solo efficienter pullulat Relatio. Non per Fundamentum quia alias similitudo inter duas albedines esset Specie distincta a similitudine quae est inter duas nigredines. Cons. Falsum. Ergo et Ans. Sequela quia fundamentum primae similitudinis specie distinguitur a fundamento secundae. Ergo. Respondeo Nego minorem quoad utramque partem. Ad probationem secundae partis respondeo negando minorem: Quia Relatio pendet etiam a termino quatenus non potest emanare a fundamento nisi prius posito termino. Unde Relatio et a fundamento &

fundamento et à termino tanquam à suis causis accipit suum esse; sed aliter ab hoc, aliter ab illo quia à Fundamento accipit esse initiativè et radicaliter: à Termino autem completivè et formaliter quoniam terminus est id, in quo ultimo sistit Relatio. Ad Probationem primæ partis nego sequelam. Ratio: Quià non est opus ut tanta sit distinctio in ipsis Relationibus quanta est in Fundamentis præcipuè mentis (ut in proposito accidit) Undè licet Naturæ duarum Albedinum et duarum nigredinum quæ sunt prima illarum similitudinum sint alterius Rationis; tamen modus unitatis qui est proxima Ratio fundandi et terminandi ipsas est ejusdem Rationis utrobique. Et quemadmodum dicimus proportionem duplam quæ inter duo et quatuor intercedit esse ejusdem Rationis, cum ea proportione quæ inter tres et sex, item inter sex et duodecim intercedit, licet numeri ipsi in quibus talis proportio fundatur differant specie ad invicem. Item sicuti in Relationibus Rationis dicere solemus Genereitatem in Substantia fundatam esse ejusdem Speciei cum illa genereitate quæ fundatur aut in Quantitate, aut in Qualitate, aut in aliquo alio Prædicamento: quià nimirum idem est modus prædicandi utrobique; ita in proposito dicere debemus illam similitudinem, quarum una est inter duas albedines et altera inter duas nigredines ejusdem esse speciei Rationis, quod enim reperiātur in his et illis naturis prorsus est accidentale earum Rationibus. Sed CON. Duæ similitudines fundatæ in duabus albedinibus distinguuntur numero. Ergo Duæ similitudines quarum una fundatur in albedine et Altera in nigredine debent differre specie. Conseq. Quià omninò debent aliter distingui similitudo Albedinis à similitudine fundata in alia albedine et aliter quoque à similitudine quæ fundatur in nigredine (suppono hic in duabus albedinibus duas esse similitudines numero distinctas, deinde in duabus nigredinibus alias duas similitudines F comparentur cum similitudine quæ intercedit inter nigredines) RESPONDETUR Neg. Cons. Ad probationem dicitur: quod istæ similitudines aliter Accidentaliter, non verò aliter essentialiter distinguant. Sub Finem hujus controversiæ istæ observes hac Dicta circa tres modos Relativorum quos Aristoteles 5 meta Phys. assignat. Dictum 1mum: Relationes primi modi sunt illæ quæ fundantur in unitate et multitudine seu in convenientia et disconvenientia ubi unitas et multitudo non prædicamentaliter; sed transcendentaliter est accipienda. Dictum 2dum: Ex parte ✝ Convenientiæ tres sunt Species Relationis: Identitas, Æqualitas et Similitudo. Ex parte Disconvenientiæ itidem Tres: Diversitas, Inæqualitas, Dissimilitudo. Dictum 3tium: Istæ Species omnes si accipiantur Transcendentaliter, universo Entis Generi conveniunt. Nam omne Ens cōparatum alteri, aut est idem aut diversum in aliquo prædicato. Item aut est æquale, aut inæquale Virtutis ~~unitatis~~ Quantitate. Item aut est simile aut dissimile.

✝ Ex parte Unitatis vel convenientiæ etc

F similitudines, et dico quod aliter differrant similitudines duarum albedinum inter se et aliter si illæ duæ similitudines comparent etc. vide supra.

dissimile. Dictum 4tum: Relationes secundi modi sunt illæ quæ fundantur in Potentia Activa et Passiva ut Paternitas, Filiatio et omnis inter causam et effectum Relatio. Dictum 5tum. Potentia hoc loco non Formaliter, sed Fundamentaliter est accipienda, id est non pro potentialitate; sed pro fundamento Potentialitatis seque non nudo sed Actionem et Passionem iam habente. Dictum 6tum: Ad hunc secundum modum spectant non solum Relationes intrinsecè advenientes fundatæ supra potentiam; sed etiam Relationes extrinsecè advenientes. Dictum 7timum: Omnes Relationes primi et secundi modi sunt mutuæ saltem secundum rationem Genericam. At verò Relationes tertii modi non sunt mutuæ. Dictum 8tavum: Illa Relativa dicuntur mutua quæ adinvicem reciprocè dependent per Relationes oppositas sibi realiter ex utraque parte inhærentes. Illa autem non mutua quorum unum realiter fundat Relationem, aliud verò tantum terminat ipsam, undè non est tam Relativum quam absolutum. Dictum 9num: Relationes tertii modi sunt tantum illæ omnes quæ ad primum et secundum modum spectant quoties eorum extrema assignantur Difformiter, id est unum in Actu vel alterum in Potentia, ‡ quia uniformiter sic assignata, pertinent ad primum & secundum modum v. g. Scibile est essentialiter ad aliud Scili: ad Scientiam in Potentia, neque accidit Scibili quod Sciatur in Potentia, nam Scibile est non Scibile nisi quia ejus potest esse Scientia: quia si esset Scibile & non esset Scientia ejus in Potentia sequeretur quod esset et non esset scibile quod implicat. Idem dici debet de Scibili in Actu et Scientia in Actu, item de Sensibili et sensu. Dictum decimum: Relativa assignata uniformiter sunt simul naturâ et mutuam habent dependentiam et posita se ponunt, perempta perimunt. Difformiter autem assignata non sunt simul naturâ, nec posita se ponunt, nec perempta perimunt. Dictum Undecimum: Relativa primi et secundi modi differunt essentialiter ex suorum Fundamentorum essentiali diversitate, sed 3tii modi non nisi Accidentaliter à primi et secundi modi relativis distinguuntur.

‡ non verò uniformiter, id est ambo in actu vel ambo in potentia, quia uniformiter etc.

Controversia Septima.

De Sex ultimis Prædicamentis.

Ad habendam istius controversiæ Septimæ Notitiam, iuvat plurimum proximè præcedentis cognitio. Nam ista sex prædicamenta quæ plerumque à Philosophis et Theologis nomine sex principiorum appellant cum Relatione 4ti Prædicamenti maximè conveniunt, et ut istud quartum, ita et illa sex ultima ex sua natura dicunt respectum vocanturque respectiva. Hoc uno differunt quia in quarto intrinsecè, in reliquis autem sex extrinsecè advenientes relationes seu respectus continentur. Porrò controversiæ huius sint hæc Theoremata.

Theorem

THEOREMATA.

1mum Actio de sexto Prædicamento non est productiva termini; sed tantum transmutativa Subjecti et pro termino non respicit effectum: sed aliquod Subjectum transmutativum. 2dum: Omnis Actio transmutativa Subjecti et transiens et imanens Successiva et instantanea Accidentalis et Substantialis ad hoc Prædicamentum Sextum Actionis est reducenda. 3tium: Actio non est in passo Semper [illegible] te; sed in ipso Agente est verè Subjectivè. 4tum: Passio ut est Septimum Prædicamentum est correlatio Actionis et nihil est aliud nisi transmutati ad transmutans extrinsecus adveniens Relatio estq in Passo Subjectivè et totidem consimiles divisiones recipit quot habet Actio. 5tum: Præter Locum extrinsecum scil: superficiem quæ ab extrinseco ambit corpus est admittendum UBI tanquam Forma Accidentalis rei superaddita per quam res formaliter dicitur Locata seu UBIcata. 6tum:

Duplex est UBi, unum Locale, alterum Præsentiale.

Duplex est UBI, unum LOCALE, Alterum PRÆSENTIALE: illud attenditur in ordine ad Superficiem ambientem quæ propriè est Locus et per se terminus motus Localis: Alterum verò attenditur in ordine ad diversas partes, non quidem Formales; sed Virtuales DIVINÆ Substantiæ ubiq diffusæ. 7timum: Ubicatio circumscriptiva seu Ubi circumscriptivum. Item Ubi Angelicum: imò et ubi Sacramentale in hoc Prædicamento continetur. 8tavum Situs est positio quædam non quæ dicit Formaliter ordinem partium in toto (per hanc enim circumscribere et circumloqui solemus Differentiam Quantitatis continuæ) sed quæ Formaliter dicit ordinem partium in Loco. quum Habitus est Unio seu connexio absoluti ad absolutum et respectus Subjecti ad Formam et Formæ ad Subjectum item Realis connexio inter partes ad invicem sive sint essentiales, sive integrales. 10cimum: Quando: Juxta quosdam est Forma Realis quâ una res in tempore existens refertur Formaliter ad Tempus; juxta quosdam verò est denominatio extrinseca à Tempore sumpta cui res coexistunt, et in quo esse dicunt denominanturq esse hodie, fuisse heri, fore cras etc. Notes Nullam esse adeò urgentem necessitatem quæ nos cogat ut posita Theoremata hoc loco examinare velimq cùm alibi multo commodiq absq ullâ vel minima jactura debeant et possint absolvi. Nam de UBI et Quandò, imò et de Actione et Passione etiam in Physica circa Locum, Tempq et Motum multa supervenient dicenda. Quare secuti ipsum Philosophum qui hæc Prædicamenta paucissimis tractavit: sed versiculis absolvit, alio ipsa rejicimq solâ Actione et Passione exceptâ quas cum et Relationi sint proximæ et Doctrinam pulcherrimâ maximèq necessariam in se habeant hic statim absolvere decrevimus. &.

THEOREMA UNDECIMUM.

Actio ut constituit Quintum PRÆDICAMENTUM est Formaliter Relatio Extrinsecus adveniens Agentis ad passum.

Notand

Notandum 1mum Dictum 1mum: Hoc Theorema ad plurimas non solum Philosophicas sed et Theologicas difficultates solvendas, pulcherrimam et maximè necessariam continet Doctrinam ut et alia sequentia Theoremata quæ omnia maximè inter scholam Scotisticam et alias sunt controversa (ut licet in expressis Authoribus videre) Nam juxta Scotistas Actio est pura Relatio et quidem Agentis ad passum subjectaturq non in Passo sed in Agente. Juxta aliarum verò Scholarum sententiam non dicit Relationem sed quidpiam aliud, neque est in Agente subjectivè; sed in quopiam alio.

Secundum Scotistas Actio Quid.

Dictum 2dum: Hoc Theorema potest sic Formari aliter: Actio Formaliter non potest dicere aliquam Formam absolutam neque relationem effectus ad Agens vel illius modi ut ad Principium aut istam cum respectu simul ad terminum, neq relationem aliquam mediam inter causam et effectum: Sed si impropriè sumatur dicet habitudinem producentis vel educentis ad effectum ubi talis Relatio nata est insurgere. Si verò propriè ut constituit quintum Prædicamentum, dicit Relationem Agentis ad passum seu transmutantis ad transmutatum in quo ponit Formam. Dictum 3tium: In qualibet Actione multa concurrunt. v. g. quandò ignis calefacit Aquam vel quidpiam aliud, præter ipsum ignem et ejus calorem ipsamq aquam et caliditatem productam quæ omnia sunt entitates absolutæ concurrunt multi respectus. 1mus Respectus ignis ad caliditatem productam. 2dus respectus Caliditatis productæ ad ignem. 3tius Caliditatis ad Aquam. 4tus Aquæ ad caliditatem. 5tus Ignis ad Aquam. 6tus Aquæ ad ignem. 7timus Ignis ad totum compositum. 8tavus Totius compositi Accidentalis ad ignem.

In qualibet Actione 8 vel etiam plura concurrunt.

Notandum 2dum Dictum 1mum: Agens triplicem potest habere respectum 1mum Ad Terminum totalem et adæquatum qui primo producitur. 2dum ad Formam quam inducit in Subjectum vel in passum. 3tium ad ipsum passum: et hunc quidem triplicem respectum ideò habet quià tria quasi exercet munera dum agit 1mo enim ex potentia materiæ passivæ educit Formam, et in ordine ad hanc requirit Relationem quæ dicitur Eductio seu inductio. 2do: Producit totum compositum et sic ad illud acquirit Relationem, quæ dicitur productio. 3tio Ipsum Subjectum transfert à privatione Formæ ponendo illam in eo et sic acquirit ad tale Subjectum Relationem dictam Actionem. Dictum 2dum: Isti tres respectus sunt ab invicem distincti: Aliud enim est terminus Totalis ipsiq Generationis qui est ipsum compositum

Agens triplicem potest habere respectum.

compositum. Aliud Forma quæ in materiam inducitur, aliud Subjectum sustentans Formam, respectu autem distinguuntur ad distinctionem terminorum. Dictum 3tium: compositum quod per terminum totalem et adæquatum significatur nihil est aliud nisi aggregatum ipsum ex materia prima et Forma v. g. Ignis, Aqua, Homo, aurum. Item Aqua calida etc. Terminus autem partialis nihil est aliud nisi ipsa Forma quæ quæ introducitur in materiam vel Subjectum quæ est duplex. Alia Substantialis ut Anima Forma Auri. Alia Accidentalis ut caliditas, albedo etc. Passum deinde seu patiens nihil est aliud nisi illud in quo recipitur terminus partialis id est Forma vel Substantialis vel Accidentalis cujusmodi patiens est materia prima quæ respicit Formam ignis item aqua quæ respicit caliditatem. Dictum 4tum: Istis tribus respectibus Activis prædictis quorum primus vocatur Productio Activa alter inductio vel Eductio Activa. 3tius Transmutatio Activa, seu Actio quâ Agens formaliter Agit, correspondent tres respectus effectus passivi. Unus in termino Totali qui appellatur productio passiva. Alius in termino Formali seu partiali seu in Forma ipsa qui appellatur inductio vel eductio passiva. Tertius in Subjecto seu in materia qui appellatur Transmutatio passiva seu passio. Dictum 5tum: Penes 1mum respectum terminus totalis per se, et primo producitur, terminus verò Formalis seu partialis non nisi per Accidens, Forma enim convenit per se educi vel induci per respectum secundum. Penes tertium respectum Subjectum transmutatur et patitur; sed ab isto respectu non denominatur terminus Totalis neq Formalis, quiâ falsa est ista propositio (compositum Substantiale transmutatur et Forma Substantialis transmutatur) vera autem ista: (Subjectum seu materia transmutatur) cujus Actus ejus est Transmutatio. Dictum 6tum: Primi duo respectus Activi et Passivi sibi correspondenter sunt intrinsecus advenientes et pertinent ad Prædicamentum Relationis, quiâ non potest poni Agens et terminus partialis neq totalis in Fieri, quin tales respectus necessario oriantur. At verò illi respectus tertii Agentis ad passum et passi ad Agens sunt extrinsecus advenientes quorum prior est in Prædicamento Actionis, posterior autem in Prædicamento Passionis.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS PRIMA THEOREMATIS (Actio ut constituit Quintum Prædicamentum non est quid absolutum. Ratio: quiâ alias daretur Actio ad Actionem progrediendo in infinitum. Conseq. Falsum. Ergo et Ant. Falsitas: quiâ est contra Philosophum 5 Physicorum ubi dicit ad Actionem non dari motum. Sequela: quia ad omnem Formam novam absolutam potest aliqua esse Actio. Ergo si Actio est Forma absoluta sequitur quod

Quid compositum sit.

Quid terminus partialis.

Forma est duplex.

Patiens quid.

quod ad ipsam poterit dari alia Actio, et ad hanc alia usq in infinitum. Ans: proximi Quia talis Actio quam dicis esse Entitatem et novam et absolutam non est à se (nihil enim seipsum producit) neq est ex nihilo sed ex præexistente materia à cujus potentia passiva educitur alicujus Agentis virtute. Ergo Ad illam debet aliqua terminari Actio æquivocè sumpta scil: Eductio. Ratio 2da: Si Actio est Entitas absoluta. Quæro quidnam significet? Vel enim dicit Entitatem Agentis vel Entitatem motq. vel entitatem Effectus. Nihil horum. Ergo. MINOR: Non primum id est non dicit Entitatem Agentis quia Agens est id quod agit et habet se ut QUOD: Actio verò est Forma quâ Agens denominatur Agere et habet se ut QUO. Item Actio non semper manet, Agens verò potest diu durare sublatâ Actione. Item Entitas Agentis est in Prædicamento Substantiæ vel Qualitatis; Actio verò constituit quintum Prædicamentum ab aliis distinctum. Non 2dum. Id est non dicit Entitatem motus, nam motus est in mobili, Actio verò in Agente. Item motus formaliter non est de numero absolutorum Entium. Item Actio potest separari à motu. Ergo Non dicit Entitatem motq. Ans: Nam si v.g. Subjectum non præfuerit sub privatione sed simul cum Forma producatur (ut patet in omni Animatione, ubi corpus in eodem instanti in quo completur, recipit Animam) tunc non adest motus et tamen est Actio. Ergo. Non 3tium id est non dicit Entitatem effectus: quia Entitas ipsiq effectus manet post Actionem. Item effectus non semper in Agente recipit reperitur. Item Effectq non constituit 5tum Prædicamentum sed est in aliis Prædicamentis, Actio verò constituit quintum Prædicamentum. Item ad effectum est Actio ad Actionem verò non est Actio. Item Effectq non est Ratio quâ Agens respicit Subjectum vel effectum. Actio verò non est talis Ratio. Ergo. SECUNDA PARS THEOR. (Actio non dicit Relationem effectus ad Agens) Probatur: Agens per Actionem refertur ad aliud. Ergo Id respicit ad quod tendit Actio suo modo. Sed illa Relatio juxta tuam opinionem tendit ad Agens ipsum ut ad Principium. Ergo Agens ut Agens ad seipsum refert. Hoc est falsum. Ergo et ea ex quibus sequitur. PARS TERTIA THEOREMATIS (Actio non dicit Relationem aliquam mediam inter causam et effectum) Probatur: Nullus respectq extrinsecq adveniens quo Agens dicitur agere potest mediare inter causam et effectum. Sed Actio est respectq extrinsecq adveniens constituens quintum Prædicamentum quo Agens respicit passum in ratione transmutantis ad transmutatum. Ergo Actio non potest mediare inter causam & Effectum et per consequens non dicit Relationem aliquam mediam. Major: Quia id quod est posteriq nequit mediare inter illa quæ sunt priora

priora sed respectus extrinsecus adveniens quo agens agit est quid posterius causâ et ipso effectu. Ergo Negi mediare. Minoris 1ma pars patet, 2da probatur: quia illud est prius quam respectus quo Agens denominatur agere quod tali respectui præsupponitur. Sed Effectus Formalis seu Forma inducta vel educta præsuponitur tali respectui. Ergo effectus est prior tali respectu. Si sic? Ergo ille respectus est posterior. Min. Nam Subjectum ideò ab Agente dicitur transmutari quia ab illo recipit de novo Formam, et si tali licet Agens et passum essent approximata, adesset autem aliquod impedimentum, tum non reperitur

Formã recipet

PARS QUARTA THEOREMATIS (Actio dicit Formaliter respectum extrinsecus advenientem qui est posterior Entitate absolutâ causa, Effectus et Subjecti) Probatur: Actio non dicit Entitatem absolutam (ut patet ex prima parte hujus Theorematis) Ergo debet dicere Relationem. Tunc Quaro vel dicit Relationem intrinsecus advenientem, vel extrinsecus? Non 1mum: quia aut illa Relatio erit productio, aut inductio, aut eductio. Sed hoc non potest dici quia istæ Relationes non sunt Transmutationes, Actio verò est transmutatio. Ergo. Minor prox. Quia istæ Relationes non respiciunt aliud in quantum aliud; sed potius de uno faciunt aliud: Actio verò est transmutatio alterius in quantum alterum quia est Actus potentiæ Activæ. Porrò potentia Activa juxta Philosophum 5 meta. tex. 16. est Principium transmutandi aliud in quantum aliud. Si dicit secundum scil: Relationem extrinsecus advenientem. Ergo habetur propositum quia hæc ~~Relatio~~ Actio extrinsecus adveniens constituit et quintum Prædicamentum quod est respectivum. Confirmatur 1mo Actio et passio sunt quædam correlationes oppositæ. Sed passio non est habitudo Producti sed Passi transmutati ad Agens Transmutans. Ergo Neque Actio erit habitudo agentis ad Formam eductam; sed potius ~~Agentis~~ Habitudo Agentis Transmutantis ad passum transmutatum. Confirmatur 2do: Actio juxta Gilbertum Porretanum qui vocatur Author 6 Principiorum est Forma secundum quam in illud quod Subiicitur Agere dicimur. Ergo Actio propriè respicit passum: Hoc idem, exempla philosophi docent scil: calefacere, frigefacere, calefieri, frigefieri. Ignis autem dicitur calefacere aquam non calorem. Similiter aqua calefit non calor, et solum Subjectum dicitur passum non effectus ita ut passio sit in Subjecto non autem in effectu, atque sic Agens ut respicit ~~P.~~ passum non dicit habitudinem productivi; sed potius Transmutantis.

OBIECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIONES.

Obiectio 1ma (Actio dicit Entitatem Absolutam) Probatur: Omnis perfectio ~~Agentis~~ operantis est quid absolutum. Sed Actio est perfectio operantis (quia est finis ipsius) Ergo. Respondetur Disting. majorem: Actio sumpta pro re Acta est quid absolutum, Concedo. Actio sumpta pro Forma respectiva est quid absolutum

absolutum Nego. Contra: Actio non potest sumi pro Forma respectiva. Ergo est quid Absolutum. Ans: Quia alias Actus secundus esset Forma respectiva quod est falsum. Sequela: Nam omnis Actus secundus est Actio. Ergo si Actio est quid respectivum, etiam Actus secundus erit quid respectivum. Respondetur Neg. 1 Ans: 2 Sequelam. 3 Disting. Ans. Actus secundus dicitur Actio impropriè concedo: propriè Nego. Nam Actus secundi dicuntur operationes propter assimilationem, quam habent cum vera Actione quia sicut Agens per Actionem attingit terminum ponendo illum in suo esse, ità potentia vitalis per operationes suas attingit objectum et quasi transit in illud. Contra: istæ operationes seu Actus secundi dicuntur propriè Actiones. Ergo non dicuntur impropriè. Ans: Illæ Entitates dicuntur propriè Actiones quæ habent terminum productum[+] (quia producunt habitum) Ergo. Respondeo Neg. 1 Ans. 2 Disting. majorem: Entitates habentes terminum ut QUOD sunt Actiones, Nego. ut QUO sunt Actiones concedo. Sed operationes Vitales habent seu producunt terminum Disting. ut QUOD conc. ut QUO, Nego. Obiectio secunda (Actio dicit Relationem ad Agens) Probatur: 3 Physicorum distinguit philosophus Actionem à Passione dicens: Quod Actio et Passio sunt idem Actus; sed dicitur Passio prout est in passo, dicitur Actio prout est ab Agente. Ergo Actio Formaliter dicit respectum ad Agens ut ad Principium. Respondetur Distinguendo Authoritatem Philosophi. Actio ibi non sumitur propriè sed impropriè scil: pro Re Acta: Nam res Acta scil. Forma producta ab Agente v. g. Caliditas ab igne dicit duplicem Relationem, unam ad Agens à quo provenit. Aliam ad passum in quo recipitur, quarum neutra in Prædicamento Actionis continetur. etc.

> [+] simpliciter, sicuti qualibet vera Actio. Sed operationes vitales habent terminum productum quia etc.

Theorema Duodecimum.

Actio est in Agente non verò in passo Subjectivè.

Notandum Dictum 1mum: Hoc Theorema aliter sic potest exprimi: Actio de Ratione sua Formali exigit Subjectum inhæsionis quod non est terminus productus, vel motus vel passum; sed Agens ipsum. Dictum 2dum: Actio sumitur ~~du~~plìciter multipliciter 1mo pro operatione, et sic omnis ~~operatio~~ Actus Vitalis solet vocari Actio, ejusmodi est Volitio, Intellectio, Visio. 2do Pro respectu producentis ad productum totale. 3tio pro respectu Educentis ad Eductum vel inducentis ad inductum vel producentis ad productum partiale. 4to Pro Respectu Transmutantis ad transmutatum seu Agentis ad passum id est pro illa Relatione quâ Agens formaliter respicit passum v. g. Ignis aquam. 5to pro re Acta et producta ut tamen simul includit respectum qui exprimitur per ESSE AB ALIO ut producente et educente. Nam si res Acta v. g. Calor consideretur in ordine ad Subjectum in quo est, tum dicetur passio, non verò Actio. Dictum 3tium: Actio sumpta 1mo et 2do modo et 3tio modo nec non 5to dicitur sumi æquivocè 4to autem modo Univocè. Dictum 4tum: Actio sumpta pro operatione item pro re Acta est duplex. Alia inmanens alia t.

> Actio sumitur multipliciter.

> Actio sumpta pro operatione item pro re Acta est duplex.

Immanens Actio quid. Transiens Quid?

Actio accepta pro eductione est duplex.

alia transiens. Immanens est quæ in ipso manet et recipitur à quo est producta. v. g. Intellectio est Actio immanens quià recipitur in intellectu à quo producitur, sic visio volitio etc. Transiens Actio est quæ non manet nec recipitur in eo à quo producitur. v. g. Calor à Sole productus est Actio Transiens quià non recipitur in Sole sed transit in Lapidem vel aliquod aliud Subjectum. Dictum 5tum Actio Accepta pro eductione vel inductione est quoque duplex. Alia immanens et Ratione sui et ratione termini sui Subjectivè et terminativè. Alia immanens Ratione sui; sed transiens ratione termini seu immanens Subjective et transiens terminativè. 1ma est quæ manet in ipso Agente unà cum termino per ipsam producto v. g. Dictio vel dicere, Spiratio vel Spirare. 2da est cujus terminus transit in aliquod aliud distinctum ab Agente. v. g. Productio Activa quâ Sol refertur ad calorem est transiens terminativè. Dictum 6tum: Actio 4to modo sumpta pro Transmutatione Activa, an possit dici transiens manet terminativè pro hâc vice manet indecisum.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS PRIMA THEOREMATIS (Actio ex sua Ratione Formali opus habet Subjecto inhæsionis) Probatur. Qualibet Actio tam eductiva quàm alia quævis est propriè Accidens (nam Accidens in novem Prædicamenta velut in suas Species distinctas dividitur) Ergo Formaliter debet habere Subjectum inhæsionis. Consequentia quodvis Accidens debet vel Actualiter vel aptitudinaliter suo Subjecto inesse. Ergo si Actio est Accidens, requiritur quod debeat habere Subjectum. Ans. præcedens Actio distinguitur à Substantia per inhærere seu inesse (nam Accidentis esse est inesse juxta Philosophum) Ergo. PARS SECUNDA THEOREMATIS (Actionis Subjectum inhæsionis non est terminus seu ipse effectus) Probatur: Actio non potest subjectari in ipso effectu seu termino. Ergo. Ans: Illud non potest subjectari in effectu, per quod talis effectus suum esse accipit. Sed Actio secundum Te tanquam qua per viam effectus accipit suum esse (Nam per Te Actio est causalitas Agentis prior naturâ quàm effectus) Ergo. Major: Alias talis effectus et illud quod in eo subjectaret essent sibi invicem causæ quoad existentiam, quod est falsum. Nam causæ quæ ad causandum requirunt existentiam, non possunt esse sibi invicem causæ quoad existentiam, hoc enim modo esset prius et et posterius idem esset, quià quâ ratione causat est existens et prius; quâ ratione causatur, accipit existentiam Ergo posterius. Dices Quod Actio in illo priori, dum per illam effectus accipit suum esse non inhæreat Actualiter sed aptitudinaliter, postquam verò effectus est productus, tunc Actu inhæret, et ideò non est simul prior et posterior. Contra. Si Actio in illo priori non inhæreret Actualiter, Sequeretur quod in qualibet Actione adesset miraculum. Conseq. Falsum. Ergo et Ans. Sequela: quià Accidens esse sine Subjecto est miraculum ut patet in Sacramento Altaris. PARS TERTIA THEOREMATIS (Actio non Subjectat in motu) Probatur. Illud motus non potest subjectare quod est Ens Reale simpliciter) Sed Actio est Ens Reale simpliciter

Verè

simpliciter. Ergo Actionem motus non potest subjectare. Major quia motus est respectus secundum quid realis. Ergo. Deinde Actio et Passio possunt esse absque motu v. g. si subjectum non praeexisteret sub privatione. Ergo. Praeterea si in motu esset Actio, sequeretur quod motus deberet de nominari Agens. Cons. Falsum. Ergo et Ans. PARS QUARTA THEOREMATIS (Actio non habet pro subjecto inhaesionis passum) Ratio 1ma. Respectus oppositi non possunt esse in eodem subjecto. Sed Actio et Passio sunt respectus oppositi. Ergo Subsumo Sed passio est in passo (namque passum a passione denominatur ~~passum~~) Ergo Actio non erit in Passo. Ratio 2da. Si Actio esset in patiente, utique denominaret illud. Atqui non denominat (quia passum ut passum non agit) Ergo. Major: Forma illud, in quo est et quod informat debet denominare. Ergo si Actio est in passo, sequitur quod illud debeat denominare. Ans prox. Quia rationi adversatur Formam esse in aliquo et nullam illi denominationem attribuere. Ratio 3tia: Passio est in passo. Ergo Actio non potest esse in eodem passo. Cons. quia in quo est passio, in eo non potest esse Actio. Ans: Actio et passio se non patiuntur in eodem subjecto. Ergo in quo est passio, in eo non potest esse Actio. Ans: proxime ~~Quorumcunque~~ Principiorum effectus sunt incompossibiles, et ipsa Principia sunt incompossibilia. Sed ita est quod effectus Actionis et Passionis sunt incompossibiles in eodem. Ergo ipsa Actio et ~~et~~ Passio erunt incompossibiles. Minor: Agere est effectus Formalis Actionis, similiter pati est effectus Formalis Passionis. Sed ita est quod Agere repugnat passo, sicut pati repugnat passo agenti. Ergo Effectus Formales Actionis et Passionis sunt incompossibiles. Haec tertia ratio coincidit cum prima. PARS QUINTA THEOREMATIS (Actionis subjectum cui inhaeret est Agens ipsum) Probatur 1mo In eodem sunt respectus Fundamentum et Ratio fundandi: Sed fundamentum et Ratio fundandi Actionem est in Agente. Ergo et ipsa Actio. Minor: Nam Ratio fundandi Actionem est potentia Activa. Sed haec est in Agente. Ergo. Probatur 2do: Actio debet esse in aliquo subjecto, quia est Accidens: Sed in nullo alio nisi in Agente. Ergo. Minor: Non est in Effectu neque in motu, neque etiam in passo ut modo fuit probatum. Ergo. &c.

Nam possunt esse in eodem subjecto subjecto &c.

OBJECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIONES.

OBJECTIO 1ma (Actio non eget subjecto inhaesionis) Probat: Actio significatur ut ab alio. Ergo ex sua Ratione Formali non est in alio, et per consequens non eget subjecto inhaesionis. Cons: Esse ad distinguitur ab esse in. 1mum convenit Actioni, 2dum vero passioni secundum Philosophum 3 Physicorum t. 18 et 22. RESPONDEO Concedo Ans. quod Actio significetur ut ab alio, id est quod formaliter dicat habitudinem a quo aliud transmutatur per receptionem Formae. Sed neg. Conseq. ad Probationem dico quod esse in posit sumi dupliciter. 1mo modo prout dicit inhaerentiam Relationis in Fundamento vel subjecto et hoc est essentiale cuicunque Relationi creatae tam primi quam secundi modi per et consequens etiam Actioni quia et Actio est quaedam relatio licet extrinsecus adve

Esse in potest sumi dupliciter.

extrinsecus adveniens. 2do modo accipitur (esse in) pro receptione passiva Formæ in passo ab ipso Agen-
te et hoc Actioni non convenit sed passioni. OBIECTIO 2DA (Actio non est in Agente) Probatur: Si Actio
est in Agente, tunc Quæro vel est Principium Activum Agentis, vel respectus Agentis ad passum, vel ali-
qua Entitas absoluta de novo producta in Agente dum Agit? Atqui nihil horum dici potest. Ergo simpliciter
Actio non est in Agente. ~~Non~~ minor ~~1mum~~ primò ideò, quia ubi est Actio, semper Agens Actu agit. Atqui Agens
non semper actualiter agit, licet semper habeat Actualiter principium Activum ut patet de igne qui semper
habet Actu Principium calefactivum neq tamen semper Actualiter agit. Secundo ideò Quia alias sequeretur
quod Actio esset Principium Actionis et idem esset Principium sui ipsius, quod est impossibile. Sequela: Nam
Principium Activum est principium Actionis. Ergo si Actio esset Principium etc. (id est non respectus agentis ad passum) Non 2dum: Quia om-
nis respectus pertinet ad Prædicamentum Relationis. Actio autem non pertinet ad cathegoriam Relatio-
nis (quia constituit distinctam cathegoriam à Relatione) Ergo. Nec valet si dixeris Actionem esse respe-
ctum extrinsecus advenientem, et propter hoc ipsum non spectare ad Prædicamentum Relationis. Non
valet inquam, nam respectus iste extrinsecus adveniens, videtur esse Figmentum. Deinde Ratio Formalis Relati-
onis quam tradit Philosophus est ESSE AD ALIUD. Ergo Quicquid per se refertur ad aliud sive intrinsecè, si-
vè extrinsecè, ad prædicamentum Relationis spectabit. Non 3tium (id est non entitas absoluta) ~~N~~ Nam si Actio esset quid absolutum
de novo in Agente productum, sequeretur quod deberet per Actionem produci, illa iterum per aliam A-
ctionem produci, et sic in infinitum. Deindè iam ~~[illegible]~~ tunc Agens prius pateretur quam Ageret quod est in-
conveniens. RESPONDEO Neg. 2dam partem minoris et Dico quod Actio sit respectus extrinsecus adveniens,
porrò respectum extrinsecus advenientem appellare Figmentum, est verè figmentum sed. Instabis adhuc: Si
Actio est in Agente. Ergo Nulla datur Actio transiens, sed quælibet debet esse immanens. Conseq. Fal-
sum. Ergo et Ans. Falsitas quia est contra Philosophum 9 metaphys. t. 16 ubi duplicem statuit Actionem
Aliam immanentem, Aliam Transeuntem. RESPONDEO Disting. Actio sumitur dupliciter 1mo Pro Re
Acta seu operatione, 2do Pro Forma respectiva. Divisio illa Philosophi est Actionis primo modo non verò se-
cundo sumpta. Si etiam sumatur secundo modo, adhuc poterit esse duplex Actio. Alia immanens tam sub-
jectivè quam terminativè si terminus ejus manet in Agente. Alia solum transiens terminativè, imma-
nes verò subjectivè, si terminus eius transit in aliquid aliud distinctum ab Agente. OBIECTIO TERTIA
(Actionis Subjectum est passum) Probatur: Actio est in passo. Ergo. Ans: Passio est in passo Ergo et Actio.
Cons: quia Actio ~~et~~ et passio sunt unum et idem. Ergo si passio est in passo, etiam Actio erit in passo.
Ans: Actio et passio versant inter eadem extrema et sub eadem Ratione. Ergo sunt Formaliter unum et idem.
Consequentia ista: Quia distinctio Relationum pendet ex distinctione extremorum. Ans: Actio enim
respicit Agens

Actio sumitur dupliciter

respicit Agens in Ratione Agentis, et passum in Ratione Subjecti et patientis. Passio etiam respicit passum non in Ratione Agentis sed patientis et respicit Agens non in Ratione Subjecti sed Agentis. RESPONDEO Negando Ant. 2 Cons. 3 Ant: 4 Secundam partem Antecedentis quod scil: sub eadem Ratione respiciat Actio & Passio sua extrema sc. agens et passum, nam utraq alio atq alio modo respicit, illa Actio enim respicit Agens ut Agens sed tanquam Subjectum et Fundamentum, sic quoque passum ut passum, sed tanquam terminum. At verò passio respicit passum ut passum, sed tanquam fundamentum, respicit quoque et Agens ut Agens sed tanquam terminum, quod idem evenit in omni alia Relatione.

THEOREMA DECIMUM TERTIUM.

Passio est Formaliter Relatio transmutati ad transmutans, per novam Formam estq in Passo Subjectivè.

Notandum: Passio multis accipitur modis. 1 Pro conceptu mentis. Sic accipitur 1mo perihermeni: Voces sunt signa earum quæ sunt in Animo passionum. 2do Pro innata proprietate sic visibilitas, hinnibilitas sunt Passiones. 3tio Pro Qualitate tertiæ speciei facilè mobili. 4to Pro Qualitate corruptiva vel perfectiva. Sic sumit Philosophus dicens (intelligere est quoddam pati) 5to Pro Qualitate quæ consequitur Actum Potentiæ appetitivæ, sic gaudium et tristitia dicitur Passio. 6to pro re acta seu Forma producta in passivo, sic calor ut recipitur in aqua dicitur passio 7timo Pro respectu actioni opposito, id est pro Transmutatione passivi et sic hoc loco sumitur. THEOREMATIS HUIUS PROBATIO (Passio Formaliter est Relatio Transmutati ad transmutans per Formam novam) Probatur: Passio non dicit aliquid absolutum neq respectivum productionis passivæ termini neq receptionis Formæ in Subjecto, nec quicquam aliud. Ergo dicit habitudinem Subjecti transmutati ad Agens Transmutans per novam Formam. Ant: prox sic explicatur. Non 1mum id est non dicit aliquid absolutum, quia oppositum ipsius scil Actio etiam nihil dicit absolutum ut patet ex superius dictis. Non 2dum: id est non dicit productionem passivam quia productio passiva est Relatio intrinsecus adveniens, passio verò est respectus extrinsecus adveniens; deinde terminus non dicitur passus sed tantum productus. Non 3tium id est non dicit Relationem Subjecti ad Formam receptam, quia hæc propriè ad Prædicamentum Habitus reducitur et permanet transacta passione. Nam si agens corrumpatur, tunc passum non dicetur pati licet Formam retineat. Non 4tum: quia si tale quidpiam dicit adducatur in medium et oppugnabitur. PARS 2DA Theorematis (Passio est in Passo Subjectivè) Probatur: In illo est passio Subjectivè in quo Fundamentum seu Ratio ipsam fundandi recipitur (quia Fundamentum, Ratio fundandi et ipsa Relatio in eodem concurrunt et existunt) Sed Ratio fundandi passionem est in Passo (scil: potentia passiva) Ergo et Passio

Passio multipliciter accipitur.

Præterea

Præterea in illo est passio quod denominatur ab illa. Sed Passum denominatur à passione patiens, et aliter quàm ab Actione Agens et à Paternitate Paulus Pater. Ergo etc. OBJECTIONES si quæ possunt esse, non erit difficile hæc ex superioribus dissolvere. Hæc de Prædicamentis sufficiant. LAUS DEO.

CONTROVERSIA OCTAVA.
DE
POSTPRÆDICAMENTIS.

In sterilissimis et tristi solo sita sunt Postprædicamenta. Difficultates enim quæ in ipsis reperiuntur non tam probationibus quàm declarationibus et explicationibus tantum egere videntur et hoc omninò requirunt ut potius in Summulis quàm cursu de illis agatur. Quare dimissis ipsis pergimus ad aliud.

CONTROVERSIA NONA.
DE
ENUNTIATIONIBUS.

Omnia quæ in Controversia ista habentur non ambigimus esse pulcherrima. Cæterum quià non merè ad Logicam; sed ad Libros de Anima et magna ex parte ad Metaphysicam pertinent, nolumus circa ipsa immorari isto loco, de ipsis Divino Auxilio in Metaphysica tractaturi.

CONTROVERSIA DECIMA
DE SYLLOGISMO DEMONSTRATIVO.

Scimus probè plerosque ut Naturam Syllogismi Demonstrativi exactè cognoscere possint prius et copiosius quidem hoc loco de ipsa Scientia quæ est Syllogismi Demonstrativi effectus tractare, et non paucas Disputationes quasi prævias disputare solere quorum consuetudinem licet non damnemus, nos qui tamen negligimus eo quod commodiorem Locum, de Scientia agendi in Libris de Anima esse arbitramur, neque etiam nobis tantæ curæ est hac vice Demonstrationis perfecta cognitio quantumvis illa pro Objecto et Fine Logices magis Principali assignetur, quandoquidem eam non minus est difficile habere quàm Rempublicam Platonis, aut Oratorem Ciceronis non in Idea; sed in re ipsa videre: Quare sufficiet necdum adulto Philosopho hæc quæ sequuntur circa illam nostra Theoremata.

THEOREMA PRIMUM.

Duas non verò plures veras Demonstrationis Species Subalternas esse scil: propter QUID et QUIA persuadet Ratio.

Demonstratio Quid sit.

NOTANDUM 1mum Dictum 1mum: Demonstratio ut est quid superius ad Demonstrationem propter QUID et Quia dictam nihil est aliud nisi Syllogismus verus, certus & evidens. Verum ad Differentiam

Differentiam Sophistici: Certus ad differentiam Topici: Evidens ad Differentiam Syllogismi Theologici. Dictum 2dum: Demonstratio in communi sumpta habet sub se duas species quarum prima vocatur Demonstratio propter QUID, secunda verò Demonstratio Quia. 1ma illa est quæ per causam proximam et adæquatā procedit à tali causa tanquam per medium ad demonstrandam conclusionem. 2da est quæ non procedit à tali causa. Dictum 3tium: Demonstratio propter QUID juxta Philosophum nihil est aliud nisi Syllogismus faciens scire (seu scientiā) (Scire seu scientia sumitur hic rigorosè prout scil: per causam proximam et adæquatam habetur) Aliter definitur etiam sic: Demonstratio est syllogismq constans ex veris, primis, immediatis, prioribq, notioribus et causis conclusionis. Dictum 4tum: Demonstratio propter QUID ideò sic vocatur quiā demonstrat non solum Prædicatum convenire subjecto in conclusione sed etiam causam reddit, propter quam insit et subjecto conveniat. Dictum 5tum: Demonstratio Quia aliter vocatur Demonstratio QUOD est, ostendens quod hoc sit, hoc, cujq rei non reddit propriam et adæquatam causam. Notandum 2dum Dictum 1 Demonstratio Quiā 1mo modo fit cum per effectum demonstratur causa 2do cum per causam remotam non et proximā demonstratr effectq. 3tio cum una passio per aliam infertur cui est indissolubiliter unita, vel cum ex uno Relativo infertur alterum. Dictum 2: Demonstratio propter Quid differt à Demonstratione QUIA. 1 Quia illa procedit semper à causa proxima adæquata et à priori. Demonstratio verò QUIA procedit vel à causa Remota et inadæquata vel à posteriori. 2 Illa pertinet ad Scientiam Subalternantem quæ cum sit superior, reddit causam Principiorum Scientiæ Subalternæ et probat illa à priori. Ista verò spectat ad Scientiam Subalternatam, quæ sæpiq ab effectū procedit. Illa est nobilior quam ista, eo quod magis facit scire. Dictum 3: Demonstratio alia est Affirmativa, alia Negativa et illa prior est perfectior posteriore, non enim Demonstratio affirmativa indiget propositione Negativā; sed Demonstratio Negativa indiget propositione affirmativā. ~~Ergo~~ eo quod Ex puris negativis nihil concludit. Dictum 4: Demonstratio Ostensiva est dignior Demonstratione ducente ad impossibile eò quod illa procedit ex propositionibq veris, ista saltem ex unā falsā. Dictum 5tum: Inter Figuras Syllogismorum, tertia non est apta Demonstrationi eo quod partialiter concludit, cum tamen Scientia sit universalium. Secunda Figura licet pro Demonstratione negativa valeat, tamen est aptior prima, et inter omnes primq modq est aptissimq eò quod ~~hujq~~ prima non indiget aliis Figuris, at verò aliæ indigent ipsā et propter hoc est nobilior cæteris, et primus modq concludit universaliter affirmativè quod omninò ad Demonstrationem PROPTER QUID requirit. etc.

Probatio

Demonstratio in communi sumpta habet sub se duas species.

Demonstratio propter QUID, juxta Philosophum quid sit.

Demonstratio propter Quid, cur sic dicatur.

Demonstratio Quia, aliter vocat. Quod est.

Demonstratio tribq fuit modis.

Differentia Demonstrationis Quiā inter et Propter Quid.

Demonstratio alia est Affirmativa, alia Negativa.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS PRIMA THEOREMATIS (Species Demonstrationis sunt duæ non verò una) Probatur: Præter Demonstrationem Propter Quid datur (Demonstratio Quia) quæ est vera Species Demonstrationis. Ergo. Antecedens patet tum ex Philosopho 1 Posteriorum t. 30 ubi de ipsa loquitur tanquam Distincta à Demonstratione Propter Quid, ex tex. 17 et 18 utramq docet ex necessariis debere procedere. Tum et aliunde nam duplex Scientia à Philosopho assignatur 1 Post. t. 42. et 2 Posteriorum t. 25. nimirum Scientia Quia et Propter Quid

Duplex Scientia.

Ergo Demonstratio quoquè duplex ibi assignatur, et per consequens Demonstratio Quia erit vera Species Demonstrationis. Confirmatur 1. (Scientia Quia) fuit origo (Scientiæ propter Quid) nam juxta Philosophum 1 metaph. c. 2 ex cognitione effectuum ceperunt homines Philosophari qui modus est ab ipsa natura profectus. Confirmatur 2do: Illa Demonstratio est vera Species Demonstrationis quæ generat cognitionem Scientificam. Sed Demonstratio quia est talis. Ergo. Minor: Cognitio genita per Demonstrationem Quia est certa, evidens et necessaria ab opinione essentialiter distincta. Ergo est Scientifica. Vel sic. Ille Syllogismus debet dici vera Demonstratio qui est ex evidenter veris et necessariò inferentibus conclusionem veram. Sed Demonstratio Quia est talis. Ergo. Major: Non enim alia de causa Demonstratio propter Quid est Demonstratio, nisi eo, quod est ex veris evidenter et necessariò conclusionem inferentibus (nam cum illi conveniant omnes illæ conditiones requisitæ, omninò debent necessariæ causæ conclusionis vocari) Ergo esse ex veris evidenter, et necessariò inferentibus conclusionem constituit Demonstrationem veram. et per consequens ille Syllogismus debet dici vera Demonstratio qui est etc. Minor: Propositiones (Demonstrationis Quia) sunt per experientiam notæ, habent quoq connexionem necessariam cum veritate Demonstrata Nam effectus proximus necessariò cum causa proxima connectitur, ut videre est, in exemplo Philosophi 1 Post. cap. 10. nimirum isto) Omne non scintillans est propè. Planetæ non scintillant. Ergo Planetæ sunt propè. In hoc exemplo major est propositio vera ex effectu deducta scil: ex non scintillare quod est medium in hac Demonstratione positum; similiter et minor præmissa atq sic ambæ sunt nobis per experientiam notæ et juvant Nos ut per illas hanc veritatem de Planetis probemus quod scil: (propè sint) quæ est veritas pertinens ad causam nam propè esse, est causa non scintillandi. PARS SECUNDA THEOREMATIS (Præter duas Demonstrationis Species non dantur plures immediatæ) Probatur: Nullum Genus potest sub se habere plures quam duas Species immediatas. Demonstratio est Genus. Ergo Demonstratio non plures potest habere quam duas Species immediatas et per consequens præter duas non dabuntur plures. Major: Quia nullum Genus potest dividi per plures differentias quam per duas (omnis enim Divisio ad bimembrem dirigitur) Ergo. Cons: quia tot sunt sub Genere immediatæ Species, per quot Differentias Genus dividitur (nam una differentia non nisi unam constituit Speciem). Ergo. PARS TERTIA THEOREMATIS (Demonstratio Propter Quid et Demonstratio Quia sunt Species Subalternæ) Probatur: non sunt

non sunt specialissimæ species (Demonstratio Propter Quid et Quia) Ergo Sunt Subalternæ sub Demonstratione in communi contentæ, tanquam Sub Genere Univoco Analogo de illis prædicabili. Ans. Illæ non Sunt Specialissimæ species, quæ habent alias sub se differentes species. Sed Demonstratio propter Quid et Demonstratio Quia habent alias Species distinctas. Ergo. minor: Nam Demonstratio quia continet sub se Demonstrationem ab Effectu. Item à causa remota. Item à concomitanti. Similiter Demonstratio propter Quid continet Sub Se Demonstrationes ex causa Formali, materiali. Sed tales Demonstrationes differunt specie. Ergo. minor: Illa Demonstrationes differunt ab invicem specie, quarum Principia differunt inter se (quia diversitas Principiorum Specifica, infert distinctionem demonstrationem specificam) Sed talium Demonstrationum Principia differũt specie (nam Principia procedentia ab effectu vel causa remota; vel à concomitanti: Item quæ procedunt ex diversis causarum Generibus, Specie differunt inter se) Ergo et Demonstrationes ex talibus principiis constitutæ debent differre specie.

OBIECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIONES.

OBIECTIO PRIMA (Una est tantum non verò duæ Species Demonstrationis) Probatur: Demonstratio quia non est vera Demonstratio. Ergo. Ans: Omnis Demonstratio est Argumentum necessarium constans ex propositionibus necessariis. Sed Syllogismus seu (Demonstratio Quia) non est ex necessariis. Ergo. Major patet: Nam illos tantum Syllogismos vocamus Demonstrativos seu Demonstrationes qui Sunt necessarii ~~et~~ ex propositionibus necessariis constant. Minor: In (Demonstratione quia) accipimus effectum seu proprium Accidens inhærere Subjecto et per hunc effectum probamus causam inesse Subjecto. Sed quod effectus inhæreat subjecto necessario, est nobis ignotum, quia id non possumus Scire certò, nisi cognoscamus causam (causa enim est ratio cur accidens proprium necessariò insit subjecto) Ergo (Demonstratio Quia) non est ex certissimis et necessariis et consequenter non est vera Demonstratio. Confirmatur: Demonstratio est Syllogismus faciens Scire. Sed Demonstratio Quia non facit Scire. Ergo Non est Demonstratio. Major patet ex Definitione Formali Demonstrationis quam Philosophus π Post. cap. 2. ponit isto modo: Demonstratio est Syllogismus faciens scire. minor quoq ex Definitione est clara ipsius Scire seu Scientiæ. Nam Scire est rem per causam cognoscere. Atqui in (Demonstratione Quia) non Scimus per causam sed per effectum. Ergo (Demonstratio Quia) non est vera Demonstratio. RESPONDETUR Neg. π Ans. 2 et 3 minorem. Ratio quia Scimus per experientiam, talem effectum inesse tali subjecto licèt per causam nesciamus: experientia autem est adhuc perfectior cognitio quàm per causam: Nam Experientia est radix Scientiæ; undè tales propositiones quas per experientiam novimus sunt certissimæ et sunt Fundamentum Scientiarum. Sed CONTRA Non valet quod istæ propositiones sint notæ per experientiam, non enim omnes propositiones, quas per experientiam novimus sunt necessariæ; nam licet experientiâ sit nobis notum omnem corvum esse nigrum

Demonstratio quid.

Scire quid sit.

Definitio Experientiæ

nigrum, tamen hæc propositio non est necessaria. RESPONDETUR Quod experientiâ sit manifestum corvum esse nigrum, sed tantum ignoratur hanc esse proprietatem corvi ut sit niger, imò experientiâ scimus quod nigredo est commune Accidens corvo, non enim soli illi convenit. At verò in (Demonstratione Quia) quâ ab effectu proceditur ad causam, notum est per experientiam quod tale Accidens sit tali Subjecto proprium ità quod illi soli, et semper et omni convenit, atq̃ cognitio talis est certissima et Scientia Fundamentum.

Scire sumitur dupliciter.

Ad confirmationem Nego minorem, probationem autem ejus distinguo: Nam scire sumitur 2pliciter 1mo modo rigorosè pro cognitione per causam acquisita. 2do modo Largius et communius pro cognitione certa sed non per causam. Tunc Dico quod (Demonstratio Quia) non pariat Scire primo modo sumptum, sed tantum secundo modo sūptū, quod quidem Scire potest dici Scientia, eo quod est cognitio certa. OBIECTIO SECUNDA (Præter duas dantur plures Species Demonstrationis) Probatur: Datur Demonstratio potissima quæ est distincta species à (Demonstratione Quia) et à (Demonstratione propter Quid) Ergo. Ans: Illæ sunt diversæ species Demonstrationis quæ diversa habent media, et diversas causas. Sed Demonstratio Propter Quid et Demonstratio Potissima, et Demonstratio quiâ, ex diversis causis et mediis procedūt. Ergo sunt diversæ. Minor: Nam Demonstratio propter Quid omnia quatuor causarum Genera admittit, non item Demonstratio potissima. Ergo. RESPONDETUR Negando 1 Ans. 2 minorem. 3 Ans. p.

THEOREMA SECUNDUM.

Quodlibet Genus causæ potest ēē medium in Demonstratione PROPTER QUID, imò plura possunt eandem conclusionem Demonstrare.

In Omni Demonstratione quemadmodū in syllogismo sunt tres termini.

Notandum Dictum 1mum: Ut in quolibet Syllogismo, ita et in Demonstratione tres sunt termini nimirum: Major Extremitas seu prædicatum conclusionis, minor Extremitas seu Subjectum ejusdem et medium. Dictum 2dum: Medium in Demonstratione Propter Quid est causa adæquata et proxima inhærentiæ prædicati cum Subjecto, idest, majoris extremitatis cum minori quæ quidem causa potest esse aut materialis, aut Formalis. Dictum 3tium: Dum dicitur quodlibet Genus causæ posse esse medium in Demonstratione propter Quid, non debet hoc intelligi universaliter de quacunq̃ conclusione, quod sit per omnia Genera Demonstrabilis, sed disjunctim scil: aliquando per causam Efficientem, aliquandò etiam per Formalem, vel materialem vel Finalem, nec intelligitur de qualibet causa etiam per Accidens; sed tantum de ea, quæ est p se, et cum effectu convertitur.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS PRIMA THEOREMATIS (QUODLIBET GENUS CAUSÆ POTEST ESSE MEDIUM IN DEMONSTRATIONE PROPTER QUID) Probatur: In quolibet Genere potest dari causa per se et adæquata alicujus effectus

effectus. Ergo per ipsam potest fieri (Demonstratio Propter Quid) et per consequens quodlibet Genus causae etc.
Minor patet quia hoc nullam implicat contradictionem: Nam sicut effectus pendent à pluribus causis, ita quoquè
possunt ab ipsis demonstrari, quod probari potest inductione, quia in Genere causae Formalis potest osten-
di v.g. Esse Sensitivum de Animam sensitivam, quae est causa Formalis physica. Sic quoque passio ex Defi-
nitione Subjecti, quae Definitio est Forma metaphysica. Item esse corruptibile de composito physico per
materiam primam quae est causa materialis Ex Qua. Item esse Spirituale de intellectione potest
demonstrari per immaterialitatem intellectus, in quo intellectio subjectatur, nam nullum materiale
potest recipi in Spirituali. Sic etiam potest demonstrari vitalitas de Actibus liberis, quod sit ipsis essen-
tialis, ex hoc quod à Principiis vitalibus producuntur, et libertas essentialis de Actu voluntatis eo
quod à principio libero proveniat: Principium enim vitale non potest operari non vitaliter nec prin-
cipium liberum agere naturaliter ut opponitur liberè Agenti. Tandem de causa Finali patet. Nam
domus ideò ex Lapidibus et lignis est constructa, ut à nobis possit injurias coeli arcere. Deambulatio
fit propter Sanitatem. Huc sunt referendae Demonstrationes, quas Aristoteles format de Ecclipsi
Lunae propter interpositionem tertii, nempè Terrae inter Solem et Lunam, quae interpositio habet se
per modum causae Efficientis. Confirmatur: Sicut isti effectus modo enumerati valent à posterio-
ri ad Demonstrandas suas causas: ita quoquè causae valebunt à priori ad demonstrandos hosce ipsos effe-
ctus, atque sic quodlibet Genus causae poterit esse medium in Demonstratione propter Quid. PARS SE-
CUNDA THEOREMATIS (PLURES CAUSAE POSSUNT EANDEM CONCLUSIONEM DEMONSTRARE) Probatur:
Non implicat plures causas diversi Generis effectum unum constitui, et ab iisdem essentialiter
pendere ut patet. Ergo Etiam non implicabit eundem effectum per easdem causas demonstrari. Conseq.
Quia quaelibet causa est apta ad demonstrandum suum effectum qui ab ipsa per se dependet, quod
potest confirmari ex 2° Phys. cap. 1. ubi dicitur (Tunc putamus nos cognoscere unumquodque cum cau-
sas primas cognoscimus et principia prima usquè ad ipsa Elementa). etc.

OBJECTIONES ET SOLUTIONES EARUNDEM.

OBJECTIO PRIMA (In Demonstratione PROPTER QUID non quodlibet Genus Causae potest esse me-
dium) Probatur: Alias sequeretur posse fieri Demonstrationem ex causa materiali, Finali & Effici-
ente. Conseq. Falsum Ergo & Antec. Ima pars minoris, probatur quod scil. ex causa materiali non possit fieri
Demonstratio: quia in Demonstratione propter quid medium debet esse necessarium. Sed causa ma-
terialis non potest esse medium necessarium. Ergo Ex causa materiali non potest fieri Demonstratio.
Minor: Quod potest esse medium necessarium, illud est causa necessitatis. Sed materia prima non est
causa necessitatis (quia est causa contingentiae corruptionis et est in potentia contradictionis+) Ergo non
potest

+ ad esse et non esse, quod autem est tale, certè non potest dici causa necessitatis. Sed materia est causa contingentiae corruptionis et est in potentia contradictionis. Ergo non etc.

+ tamen cum hoc stet quod sit causa necessitatis cõplexæ et propositionis sempiternæ etc.

potest esse medium necessarium. 2da et 3tia Pars minoris probatur: Quod scil: ex Finali & Efficiente causa non possit fieri demonstratio. Nam quicquid ponitur pro medio in Demonstratione propter quid illud debeat esse intrinsecum (nam Demonstratio debet esse ex propriis, propria autem illa censentur quæ sunt intrinseca) Sed Finis et Efficiens non sunt intrinseca ut patet. Ergo Causa Finalis et Efficiens non possunt servire pro medio. RESPONDEO Neg. Falsitatem. In Probatione 1mæ partis Neg. minorem.

Necessitas est duplex.

Deinde Distinguo majorem. Necessitas est 2plex. Alia complexa alia incomplexa. Applices propositionem et dicas, quod licet materia sit causa corruptionis et contingentiæ Realis et incomplexæ + et propositionis ~~vera~~ sempiternæ veritatis. [majore.] Ad Probationem 2dæ partis Neg. minorem. Ratio: Quia non requiritur ut medium rei sit intrinsecum licet debeat esse proprium. Aliud enim est ẽẽ intrinsecum aliud proprium, neq̃ ista duo convertuntur. OBIECTIO SECUNDA (Pluves causæ non possunt eandem conclusionem demonstrare) [Probat.] ~~Medium~~ in demonstratione (~~sic Probatur 1m~~) debet esse quid unum et per se. Atqui si plures causæ possent demonstrare eandem conclusionem, non esset unum & per se, sed quid aggregatum per Accidens. Ergo. Deinde in Definitione Scientiæ dicitur: Scire est per causam cognoscere, non verò per causas. At si plures causæ possent eandem conclusionem demonstrare, jam opus esset dicere quod Scire sit rem ꝑ causas, non ꝑ causam cognoscere. RESPONDEO minoris Præmissæ duplicem esse sensum. 1mus est quod una conclusio debeat demonstrari per plures causas + quæ non unum syllogismum sed plures constituant. Nos in 2do sensu loquimur tantum dicimusquè illam unicam conclusionem non demonstrari per illas causas unicâ Demonstratione sed pluribus: quia conclusio dupliciter accipitur scil: materialiter pro ipsa propositione reali demonstrabili. 2do Formaliter pro respectu qui in illa Demonstrabili propositione fundatur et ad diversa Principia ut ad suos terminos terminatur. Nos illam accipimus hoc loco materialiter non verò Formaliter, nam Formaliter accepta non erit una sed multiplex, ad diversitatem enim Principiorum ad quæ termanatur opꝫ erit illam diversificari. Porrò in Definitione Scientiæ non negatur quin una conclusio possit per plures causas demonstrari; sed solum exprimitur id quod simpliciter ad Scientiam requiritur, nimirum ut saltem detur una causa ꝑ se per quam possit fieri Demonstratio.

+ unum syllogismũ integrantes ~~quod etc.~~ aliq est quod una conclusio debeat demonstrari ꝑ plures causas quæ non unũ etc.

Conclusio 2pliciter accipitur.

THEOREMA TERTIUM.

Medium in Demonstratione potissima tantum est Definitio causalis passionis: Definitio verò Formalis ejusdẽ, aut ex Formali et causali, integrata nequaquam.

Demonstratio tripliciter sumitur.

Notandum 1mum Dictum 1mum. Demonstratio potissima tripliciter potest sumi. 1mo pro specie certa condistincta à Demonstratione (Quia et propter Quid) in quo sensu opinio tenens tres species Demonstrationis accipit ipsam. 2do Prout à (Demonstratione Quia) secernitur, et sic accepta ...

est quod Demonstratio Propter quid atque cum ipsa convertitur. 3tio Prout est Species sub Demonstratione propter Quid contenta, et sic hoc loco à nobis accipitur. Dictum 2dum: Demonstratio potissima est illa quæ Simpliciter et perfectissima potest dici Demonstratio, id est, quæ est omnibus numeris absoluta quæ scilicet parit Scientiam perfectissimam, nimirum in maxima certitudine et necessitate et cui speciali modo conditiones à Philosopho assignatæ conveniunt. Dictum 3tium: Non quodlibet genus causæ est idoneum medium, ad producendum perfectissimam Scientiam, neque enim omnes causæ æqualem inferunt certitudinem, evidentiam & necessitatem, quià una est intrinseca et essentialis, alia extrinseca. Dictum 4tum: Causa Efficiens est duplex. ALIA EXTRINSECA quæ agit Actione Transeunte id est, quæ agit in Subjectum à se distinctum. ALIA INTRINSECA quæ agit in se ipsam. Rursus Intrinseca est duplex. Alia quæ agit Actione Physicâ quæ scilicet producit effectum quæ realiter ab ipsa distinguitur v. g. Dum Aqua producit in se frigiditatem. Alia quæ agit Actione Metaphysicâ, quæ scil: per resultantiam metaphysicam facit à se emanare aliquid quod solum Formaliter ab ipsa distinguitur, hujusmodi sunt passiones rerum v. g. Risibilitas, hinnibilitas etc: Veritas, bonitas etc. Et hæc quidem causa non erit alia, nisi essentia et quidditas ipsa Subjecti. Notandum 1dum Dictum 2dum: Ista causa Agens actione metaphysica, quæ nihil est aliud nisi Essentia et Quidditas Subjecti, potest variis nominibus in ordine ad Subjectum appellari. Nam dicitur causa Formalis quatenus est, quod quid est ipsius potest etiam in ordine ad Subjectum ad passionem dici causa Formalis, quià est ratio prima Formalis quâ talis passio convenit Subjectó. Deindè potest dici causa materialis quià à Subjecto in quo Passio recipitur non est realiter distincta. Et tandem dicitur Finalis, quià passiones ad complementum et perfectionem essentiæ Subjecti ordinantur. Dictum 2dum: De passione Triplex potest dari Definitio. 1ma FORMALIS in quâ ponitur Genus et Differentia circumscriptiva sive per Subjectum, sive per terminum v. g. Ecclypsis est privatio Luminis in Luna à Sole recepti. 2da CAUSALIS in qua ponitur tantum causa propria et adæquata illius passionis, ut Ecclypsis est interpositio Terræ inter Solem et Lunam. 3tia Ex Utraque, et ex FORMALI et ex CAUSALI integrata, quam Philosophus dicit differre solâ terminorum positione, et situ quià includit totum id, quod habet Demonstratio. Ut Ecclypsis est privatio Luminis in Luna à SOLE recepti causata per interpositionem Terræ. Dictum 3tium. In Demonstratione potissima debet concludi passio de Subjecto. P.

PROBATIO.

Demonstrationis Definitio.

Causa Efficiens est duplex Alia externa, alia interna. Intrinseca iterum duplex.

Passionis triplex Definitio.

PROBATIO THEOREMATIS Potissimæ

PARS PRIMA THEOREM: (Medium in Demonstratione Potissima est Definitio Causalis Passionis) Ratio 1ma. Illud est medium in Demonstratione potissima per quod satis fit interrogationi propter Quid? ex 2 Post. t. 8. Sed per causam seu causalem ~~[illegible]~~ Definitionem passionis satis fit huic interrogationi ex 2 Post. c. 2 et 2 Physicorum t. 27. Scientia enim quærit causam cur Passio insit Subjecto quâ cognitâ, quiescit intellectus nec ultra quærit. Ergo Causa seu Definitio causalis passionis erit medium. Ratio 2da: Philosophus 2 Post. t. 25. majorem extremitatem id est, passionem Demonstrabilem, vocat id, cujus medium est causa. Minorem verò extremitatem scil: Subjectum vocat id, cujus medium est causa quatenus causa est. Medium vocatur ratio, cur major extremitas insit minori id est passio Subjecto. PARS 2DA THEOR. (Medium in Demonstratione Potissima non est Definitio ~~Differentia~~ Formalis Passionis) Ratio 1ma: Illud non est medium in Demonstratione Potissima quo cognito restat adhuc quærere, Propter Quid passio sit in Subjecto. Sed cognita passione de Subjecto per Formalem ejus Definitionem restat adhuc inquirendum cur insit Subjecto (nam talis Definitio Passionis, non est causa cur passio inhæreat Subjecto) Major: Quià medio cognito, id est causâ ipsâ cognitâ, debet cessare omnis dubitatio, præmissæ autem Demonstrationis potissimæ, debent ex causis et immediatis quidem procedere. Ratio 2da: Quicquid pro medio assignatur in Demonstratione potissima, potest & debet prædicari immediatè de Subjecto. Ergo, Sed Definitio formalis passionis non prædicatur immediate de Subjecto. MINOR: Ipsa passio non prædicatur immediatè de subjecto sed tantum mediatè. Ergo nec ejus Definitio Formalis. Ratio 3tia. Alias sequeretur petitio Principii quià æquè dubia erit Definitio passionis, ac ipsa passio, ut patet in exemplo. Nam qui negat hominem esse risibilem, ille quoque negabit hominem esse aptum ad ridendum, quæ est Definitio Formalis Risibilitatis. Præterea sequeretur in Demonstratione potissima majorem præmissam non esse naturalem, quià prædicatum non prædicaretur de Subjecto naturaliter seu directè sed è contra potius. Etenim Propositio in qua Definitum prædicatur de Definitione non est naturalis, quia potius Definitio debet prædicari de Definito quam è contra. Iam verò sic fieret si medium esset Definitio Formalis. PARS TERTIA THEO: (Medium in Demonstratione potissima non potest esse Definitio ex Formali et causali integrata) Probatur 1mo: Medium in Demonstratione potissima debet esse per se unum. Sed Definitio integrata ex causali et Formali non est una per se sed duæ. Ergo. Probatur 2do. Philosophus 2 Post. t. 9. et 2 Posteri. t. 22 Dividit Definitionem in tres alias, et unam dicit esse illam quæ est principium seu medium. 2dam Dicit illam quæ est conclusio. 3tiam illam quæ sola positione differt à Demonstratione. Sed Definitio Passionis ex Formali et causali integrata continetur sub tertio membro. Ergo non potest esse medium, alias si esset [illegible]

OBIIC

Si esset medium talis Definitio, sequeretur quod tertia Definitio modo à nobis assignata ex Aristotele coincideret cum prima quod est inconveniens. R.

OBIECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIO.

OBIECTIO 1MA (Definitio Formalis passionis est medium in Demonstratione potissimâ) Probatur 1mo Authoritate Philosophi qui 2 Post. t. 41 dicit medium esse Definitionem 1mi extremi id est passionis. Ergo. RESPONDEO Philosophum eo in Loco non loqui de Demonstratione Potissima, sed tantum de demonstratione PROPTER QUID in communi. Quod si autem loquatur de Demonstratione Potissima, tunc per Definitionem eo loco non intelligitur Definitio Formalis Passionis sed tantum causalis. Probatur 2do: Passio immediatè inest propriæ Definitioni, et mediante eâ inest Definitioni Subjecti. Ergo Definitio Formalis Passionis, non verò Subjecti debet ēē medium. Cons: Quià Demonstratio debet esse ex immediatis. RESPONDEO Neg. Ans. Ratio: quià Definitum non potest dici inesse Definitioni; undè tam passio ipsa quàm ejus Definitio immediatè insunt Subjecto licet Definitio insit notius et clarius quàm Passio utraq; tamen per Definitionem Subjecti. OBIECTIO 2DA (medium in Demonstratione Potissima debet esse Definitio Passionis ex Formali et causali integrata) Probatur: medium debet ēē causa adæquata connexionis passionis cum Subjecto. Ergo Utramq; Definitionem continebit. Conseq. Connexio enim pendet à Subjecto et Passione (quià connexio est Relatio, Relatio autem pendet à suis extremis scil: à Fundamento et Termino) Ergo Definitio Subjecti et Definitio Passionis erunt causæ hujus connexionis. RESPONDETUR Connexio sumitur 1mo Pro Relatione seu Formaliter, et istius causa extrinseca est utrumq; extremum, undè connexio pendet et à Subjecto et à passione. 2do pro inexistentia seu Fundamentaliter, et ipsius causa effectiva est Definitio Subjecti. Porrò medium in Demonstratione Potissima ~~est~~ causa connexionis hoc 2do modo non autem primo acceptæ. Sed Instabis: In Demonstratione potissima præmissæ debent esse maximè propriæ et immediatæ. Atqui tales esse non possunt nisi Definitio passionis ex Formali et causali integrata sit medium. Ergo Utraq; debet assumi pro medio. Minor: Si enim solum esset Definitio Subjecti, tunc essent maximè propriæ tantummodo Subjecto non verò Passioni. Si autem solum esset Definitio Passionis, tunc essent maximè propriè passioni non Subjecto. R. Disting. maj. 2pliciter possunt præmissæ esse propriæ. 1 Quoad causalitatem. 2 Quoad Formalitatem et quasi identitatem. Tunc Dico debere illas ēē maximè proprias quoad causalitatem (porrò adhoc sufficit ut in præmissis accipiatur causa inhærentiæ proxima) At verò non est opus eas esse maximè proprias quoad Formalitatem ita ut medium sit Formalitas passionis, imò debet esse diversum à passione quià medium est causa respectû passionis, passio verò est effectus respectu medii, jam autem causa ab effectû debet esse diversa vel Realiter vel Formaliter &c.

Connexionis duplex acceptio.

Dupliciter præmissæ possunt esse propriæ

Theorē.

THEOREMA QUARTUM.

Per causalem Definitionem Passionis quæ pro medio in Demonstratione Potissima assignatur, debet intelligi Definitio quidditativa Subjecti et quidem secundum utramque sui partem scil: Genus et Differentiam concurrens ad Rationem medii non solum ut est causa passionis, sed etiam ut est Definitio Subjecti.

Notandum hoc Theoremate 4to explicatur Theorema tertium. Definitio enim illa causalis quam in Theoremate tertio diximus medium esse Demonstrationis Potissimæ, non debet ex quocunque Genere causæ constitui sed solum ex Causa Formali Subjecti ita ut sit Definitio Quidditativa Subjecti secundū omnem partem, et causa ipsius effectiva Metaphysica, quia talis Passio debet à Subjecto per Metaphysicam resultantiam pullulare, non vero Actione Physicā produci, et licet radicaliter ut plurium passiones approprientur Formæ, tamen Definitio Subjecti ponitur pro medio secundum materiā seu Genus, et secundum Formā seu differentiam, eo quod passiones, à tota rei quidditate fluūt, iam verò quidditas rei non solum ex Forma; sed etiam ex materia constituit v. g. Humanitas ex Anima et corpore.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS PRIMA THEOREMATIS (Per causalem Definitionem passionis pro medio in Demonstratione Potissima assignatur, debet intelli Definitio Quidditativa Subjecti) Ratio 1ma: Quià alia causa distincta à causa Formali Subjecti non potest esse medium Demonstrationis potissimæ. Ergo. Ans: Quia medium in Demonstratione potissima debet constituere præmissas universales per se in primo vel secundo modo necessarias, et quatenus ipsum (nam potissima Demonstratio illa dicit hoc loco quæ est omnium lia ~~perfectissima~~ rum perfectissima, non potest autem esse perfectissima, nisi habuerit ejusmodi præmissas, sed aliæ causæ extrinsecæ, ut Finalis et Efficiens non constituunt propositiones universales per se in primo vel secundo modo necessarias, et quatenus ipsum. Ergo. minor: Quià licet effectus sequitur per se ad causam extrinsecam, tamen causa non semper, vel saltem non necessariò convenit Subjecto ut patet de interpositione terræ quæ est causa Ecclypsis in Luna. Ratio 2da: Scientia perfectissima quam causat Demonstratio Potissima seu Perfectissima est illa, quæ habext necessitatem et certitudinem perfectissimam. Sed causæ extrinsecæ quæ scil: sunt diversæ à causa Formali Subjecti, non possunt habere talem certitudinem et necessitatem. Ergo Causæ extrinsecæ non possunt constituere Demonstrationem Potissimam. Minor: quia certitudo, quam requirit demonstratio potissima, debet esse metaphysica. Sed causæ extrinsecæ solum habent certitudinem physicam. Ergo. Minor prox: quià à causa physica non ita necessariò sequitur effectus à causa metaphysicā &c.

PARS

PARS SECUNDA THEOREM (Medium Demonstrationis Potissimæ debet esse Definitio quidditativa Subjecti totalis et secundum omnem partem) Ratio 1ma: Quicquid est causa prima, et adæquata, et immediata cur insint passiones Subjecto illud debet pro medio assignari in Demonstratione Potissima (quià ad medium Demonstrationis Potissimæ hoc requiritur ut sit causa prima atq̀ ab illo seu ab adæquato Principio fluat passio atq̀ illo posito ponatur et ablato tollatur) Sed Definitio Subjecti est causa prima immediata et adæquata cur passiones sint in Subjecto. Ergo Definitio Subjecti debet assignari pro medio in Demonstratione potissima. Minor: Illud est causa proxima per se et immediata, propriæ passionis, quâ positâ ponitur propria passio et sublatâ verè aufertur. Ergo Definitio Subjecti est causa proxima, immediata, prima et adæquata inhærentiæ passionis. Major prox: est clara; quandò enim causa non est per se, nec proxima, nec immediata, sed remota, tunc posita causâ non ponitur effectus v. g. Animal est causa remota visibilitatis et ideò posito Animali, non ponitur visibilitas vel visibile. E contra verò quià Rationale est causa proxima visibilitatis ideò posito rationali seu posito Animali rationali ponitur visibile. Semper ergo propria Passio comitatur ~~[illegible]~~ suam proximam causam et immediatam. Minor: Quià positâ Formâ seu Definitione Subjecti, statim consequitur propria Passio immediatè absq̀ ulla alia causa. Quod si autem requireret aliqua alia causa ad hoc ut passio esset in Subjecto, tunc illa passio, non esset passio illius Subjecti sed esset illi Accidens commune, nam proprium est illud, quod inest alicui Subjecto soli, omni et semper, ideò si posito illo Subjecto et Forma essentiali seu Definitione illius Subjecti, non inest ei propria passio, certè non inerit semper atq̀ debebit dici potius esse Accidens commune quam proprium. Ratio 2da: Medium potissimæ Demonstrationis debet esse maximè Demonstrativum, nam Demonstratio potissima demonstrat maximè (quià propter hoc ipsum vocatur potissima) Sed Definitio Subjecti totaliter accepta est maximè Demonstrativum medium et præter illam nihil aliud potest esse ita Demonstrativum. Ergo Definitio Subjecti est medium in Demonstratione potissima. Minor: Illud quod est causa cur alia sint medium Demonstrandi, ipsum debet esse magis Demonstrativum (nam propter quod unumquodque est tale, illud ipsum magis est tale: Sed quod est Principium seu causa aliis ut sint talia, illud est maximè tale v. g. Ignis est causa cur alia sint calida ideò ipse est maximè calidus, loquendo de causis univocis) Sed Definitio Subjecti tota est causa aliis ut sint media Demonstrandi. Ergo Illa est maximè Demonstrativa. Minor prox: Nam quantò aliqua magis accedunt ad Definitionem Subjecti, tantò magis habent rationem Demonstrandi: ut patet in passionibus essentialiter ordinatis quarum 1ma est magis Demonstrativa quam Secunda, hoc autem inde provenit, quià illa magis accedit ad Definitionem Subjecti quam ista. Confirmatur Authoritate Philosophi qui 4 Physicorum t. 31. et alibi docet, quod quod est, Subjecti esse causam Demonstrativam omnis passionis et hoc ipso compulsus Philosophus in 2 Posteriorum agit de Definitione quià scilicet Definitio est medium. PARS 3tia De Definitio

+ Sed sic est quod quod posita definitione Subjecti ponitur propria passio et sublata aufertur. Ergo etc.

Proprii Definitio.

Axioma.

(Definitio Subjecti ponitur pro medio non solum ut est causa passionis: sed etiam ut est Definitio Subjecti
Probatur: medium ut medium non solum debet dicere connexionem necessariam cum majori extremi-
te, id est cum prædicato, seu passione, sed etiam cum Subjecto (quia ideò subjectum necessariò cum passio-
ne unitum in conclusione concluditur vel potius passio cum Subjecto unita necessariò, quia ambo in præmis-
sis cum medio unita ostenduntur) Ergo sicut dicitur medium Formaliter, ut est causa passionis quia sub
Ratione est necessariò connexum cum illa: ita quoque Definitio dici debet Formaliter medium un-
tem materialiter, quia non nisi sub hac ratione dicit connexionem necessariam cum Subjecto. p.

OBIECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIONES.

OBIECTIO PRIMA (Medium in Demonstratione Potissima non sola est Definitio quidditativa Subjecti) Pro-
batur: Qualibet causa proxima etiam externa debet esse medium in Demonstratione potissima. Ergo
Ans. Illa debet dici demonstratio potissima quæ perfectissimam generat Scientiam, ita ut nihil de illa am-
plius quæri vel cognosci possit. Sed qualibet causa proxima etiam externa est nata talem generare Sci-
entiam. Ergo qualibet potest esse medium. Major patet: quia quæ et qualis sit Demonstratio consistit ex
Fine qui est Scientia. Demonstratio igitur quæ parit Scientiam perfectissimam, est perfectissima et de-
bet appellari potissima. Illa autem Scientia est perfectissima quæ omni satis facit quæsito atque toti de-
siderio Animi nostri, quietans intellectum perfectè ita ut nihil amplius remaneat quærendum vel con-
siderandum. minor probatur Authoritate Philosophi qui 2 Post. cap. 1 docet per causam satisfacien-
tem Quæstioni (Propter quid) satis fieri omnibus aliis quæstionibus, in exemplis hoc patet quia De-
monstratio de Ecclypsi Lunæ gignit Scientiam perfectissimam, et quietat intellectum perfectè ita
ut nihil amplius remaneat; nam per interpositionem terræ inter Solem et Lunam potest satisfi-
eri omnibus Quæstionibus de Ecclypsi: An sit? quid sit? et qualis, accurrit? RESPONDETUR Ne-
Ans: deinde Disting. majorem. Syllogismus generans perfectissimam Scientiam est 2plex. Alius qui ge-
nerat Scientiam necessariò, id est, ex præmissis necessariis, et talis est Demonstratio potissima. Alius
qui generat Scientiam sed non necessariò, id est, non ex necessariis propositionibus et talis non est

Syllogismus duplex generans perfectissimam Scientiam

Demonstratio potissima: Licet ergo etiam causa externa generet Scientiam perfectissimam, ta-
men non potest esse medium in Demonstratione potissima, eo quod non generet eam necessariò, quia
tamen ipsa ex præmissis per se et necessariis semper deducitur. Porrò præmissæ ex causa externa non
sunt necessariæ neque universales. Unde Demonstrationes illæ de Ecclypsi Lunæ non possunt dici potissimæ.
Nam Licet illud medium scil: interpositio Terræ satis faciat omnibus quæstionibus de Ecclypsi, tamen
non satis facit necessariò sed tantum Accidentaliter, quia non est medium necessarium sed Acciden-
tale

Accidentale, estq simile medio ex quo Syllogismus Topicus verus constituitur, quod etiam satisfacit omni Quæstioni de Problemate proposito, quia est verum, at non necessariò sed solum ex Accidenti. OBJECTIO 2DA (Definitio non est medium sub ratione Definitionis, sed sub ratione causæ) Probatur: Esse Definitionem est Accidentale medium. Ergo. Ans. Medium est aliquandò oratio, aliquandò simplex dictio. Sed dictio non potest dici Definitio (nam Definitio semper est oratio) Ergo. RESPONDETUR Neg. Ans. Ratio Licet enim aliquandò utamur unâ parte seu Formali seu Materiali quatenus ea radicaliter et originativè causat passionem, tamen propriè loquendo semper pro medio debet poni tota Definitio. OBJECTIO 3TIA (Definitio Subjecti non est medium in Demonstratione Potissimâ) quia alias sequeretur quod Demonstrationis principia non essent ex propriis sed ex communibus quod est inconveniens. Sequela probatur: Quia omnes passiones ab eadem essentia fluentes per eandem Definitionem Subjecti deberent probari, et sic per causam communem, non verò per propriam demonstrarentur v. g. Animal rationale seu rationale est medium ad ostendendum de homine quod sit visibilis, erit etiam medium ad probandum quod homo sit Disciplinæ capax, et ad demonstrandum alias proprias passiones, atque sic non quævis passio erit ex causa propria, et per consequens Demonstratio non erit ex propriis. Rx Neg. Sequelam et Conseq. Ratio: Quia Aristoteles, quandò dixit Principia debere esse propria non verò communia, intelligebat quod Principia debeant esse per se immediata, necessaria et proxima quia tunc sunt proxima, non verò remota, aut mediata: tunc enim non possunt dici propria. Undè dum dicitur quod Demonstratio debeat esse ex propriis, per hoc non putet quispiam requiri ut principia nulli conveniant nisi uni; sed potius hoc exigi ut Principia convertantur, seu ex terminis constent convertibilibus, & quia unum medium potest cum pluribus passionibus converti ideò potest dici proprium medium respectu earum. Instabis adhuc ex illa opinione sequi Petitionem Principii quia Definitio non est quid distinctum à Definito realiter. Ergo si passio demonstraretur convenire Subjecto Definito quia convenit Definitioni, sequeretur quod probaretur idem per idem atque sic esset petitio Principii. Hinc Philosophus 2 Post. cap. 5. Unum modum ponit Petitionis Principii quandò probatur Definitum per Definitionem vel contra. RESPONDETUR Neg. Sequelam, ejus autem Probationem Distinguo. Definitio à Definito non est quid distinctum realiter. Concedo. Non est quid Formaliter distinctum, Nego. Et certè clarius Passio convenit Definitioni quam Definito. Porrò Aristoteles dicit Petitionem Principi committi dum probatur Definitum per Definitionem, tunc quandò Definitio non est magis nota respondenti quam Definitum.

Theorema

THEOREMA QUINTUM.

Accidens commune est Demonstrabile demonstratione Propter Quid sed non potissima. Proprium vero etiam Potissima.

Tria sunt, quæ possunt habere rationem majoris extremitatis in Demonst. Definitio Subjecti potest statui duplex.

Notandum Dictum 1mum: Hoc Theorema aliter sic potest proponi: Accidens commune potest esse majus extremum in Demonstratione propter Quid, Sed non in potissima. Jam vero Accidens proprium semper est majus extremum in Demonstratione potissima. Dictum 2dum: Tria quæ possunt habere rationem majoris extremitatis in Demonstratione Propter quid Accidens commune, Accidens Proprium et Definitio Subjecti. Dictum 3tium: Definitio Subjecti potest statui duplex. ALIA completa seu Adæquata atque ex omni parte perfecta et continet omnes causas, tam intrinsecas quam extrinsecas à quibus res per se dependet in esse. Alia incompleta et inadæquata ut cum datur per unum vel duo Genera causarum v.g. Si datur per causam materialem, vel Formalem vel Finalem, vel Efficientem vel per Ambas causas intrinsecas Materialem et Formalem, sive sint Physicæ seu MetaPhysicæ. THEOREMATIS HUJUS PROBATIO. PARS PRIMA THEOREMATIS (Accidens commune potest esse majus extremum in Demonstratione Propter Quid) Probatur: Accidens commune est demonstrabile Demonstratione Propter quid. Ergo. Ans: Illud est Demonstrabile Demonstratione Propter Quid, quod potest cognosci per causam proximam. Sed Accidens commune potest cognosci per causam proximam Ergo. minor: Quia Accidens commune habet causam à qua per se causatur, et ad cujus positionem ponitur. Ergo Per illam potest cognosci. PARS SECUNDA THEOREMATIS (Accidens commune non potest esse majus extremum in Demonstratione Potissima) Probatur: Conclusio Demonstrationis potissimæ debet esse simpliciter necessaria per se, de omni et quatenus ipsum. Sed si Accidens commune esset majus extremum, non esset conclusio simpliciter necessaria per se, de omni et quatenus ipsum. Ergo. minor: quia Accidens commune unitum Subjecto non facit propositionem simpliciter necessariam per se, de omni et quatenus ipsum. Ergo. Antec. 1ma Pars: Accidens commune ex sua Ratione Formali potest adesse et abesse à Subjecto. Ergo Non convenit illi necessariò et per consequens non facit propositionem simpliciter necessariam per se de omni et quatenus ipsum. 2da pars Antecedentis: quia non inest omni tempore Subjecto. Ergo Non est de omni posterioristico. 3tia pars: Non prædicatur in primo aut 2do modo. Ergo Non est per se quod tamen ad Demonstrationem requiritur. 4ta Pars: Non convertitur necessariò cum Subjecto

~~necessario~~ ita ut conveniat omni, soli et semper quia hoc est peculiare Accidentis proprii seu propriæ passionis ut docet Porphyrius cap. de Proprio. Ergo Non est quatenus ipsum. Ergo Non est majus extremum. PARS TERTIA THEOREMATIS (Accidens proprium id est passio propria est majus extremum in Demonstratione Potissima) Probatur: Propria passio constituit propositionem simpliciter necessariam per se, de omni et quatenus ipsum. Ergo est majus extremum in Demonstratione potissima. Conseq. clara. Quia Demonstratio Potissima est quæ habet ejusmodi conditiones omnes istas. Ans Probatur: quia convenit omni, soli et semper, et ne quidem per Potentiam DEi absolutam potest à Subjecto separari. OBIECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIO (OBIECTIO 1ma: Accidens commune non potest esse majus extremum in Demonstratione propter QUID) Probatur: Sola propria passio ex Accidentibus potest esse majus extremum in Demonstratione (quia nullum Accidens commune prædicatur per se de Subjecto) Ergo. R. Disting. Ans: In Demonstratione Potissima sola Passio est maj. extremum Concedo. Sed in Demonstratione propter quid Nego solam esse posse, nam et Accidens commune potest, dum per causam à qua per se dependet de Subjecto demonstratur. OBIECTIO SECUNDA (Accidens commune potest esse majus extremum in Demonstratione potissima) Probatur: Quod per se convenit Subjecto, potest esse majus extremum in Demonstratione potissima. Sed Accidens convenit per se Subjecto. Ergo. Ans. Non convenit per Accidens, id est, ratione alterius. Ergo per se. Ans: Alias esset idem quærendum ‡ de illo alio, et sic vel daretur processus in infinitum, vel daretur Subjectum cui per se inesset commune Accidens. RESPONDETUR Disting. majorem quia dupliciter aliquid potest convenire per se. 1mo Per se id est id est immediatè. 2do per se id est necessariò et hoc requiritur ad Demonstrationem. Accidens Ergo commune convenit per se id est immediatè, at non convenit per se, id est, necessariò. SED CONTRA: Accidens commune dicitur de Subjecto in secundo modo per se. Ergo per se necessariò. Ans illud prædicatur in secundo modo per se de Subjecto cujus Definitionem ipsum Subjectum ingreditur; Sed Definitionem Accidentis ingreditur Subjectum (nam Accidens debet definiri per Subjectum) Ergo. R. Neg. Ante. Ratio: quia ad propositionem per se secundi modi præter hoc quod Subjectum ingrediatur Definitionem prædicati requiritur necessaria habitudo causæ metaphysicæ efficientis ad effectum quæ solum est inter Subjectum et Accidens Proprium.

‡ An scilicet per se vel per accidens conveniat Subjecto, et sic etc.

Dupliciter aliquid potest convenire.

THEOREMA SEXTUM.

Definitio quæ non habet causam priorem non potest esse majus extremum in Demonstratione PROPTER QUID. quæ verò habet, potest etiam ut est Essentialis suo Definito. Porrò talis Demonstratio non videtur esse Potissima.

Notan

Notandum Dictum 1mum: Una Definitio non potest Demonstrari per aliam Definitionem ejusdem Generis propterea, quia nulla causa adæquata in suo Genere aliam supponit priorem in eodem Genere, alias non esset totalis, sed tantum partialis. Dictum 2dum: Una Definitio potest demonstrari per aliam Definitionem diversi Generis v. g. materialis per Finalem. Item Definitio Formæ per materialem et è contra v. g. Omne constans ex corpore organizato, constat etiam ex Anima quæ est Actus talis corporis. Homo constat ex corpore organizato. Ergo Homo etiam constat ex Anima.

Probatio Theorematis (Definitio quæ non habet causam ~~propriam~~ priorem, non potest esse majus extremum in Demonstratione Propter quid) Probatur: Nam caret medio sufficienti, quo possit demonstrari à priori de Definito. Ergo. F. Antec. Ergo; patet præcipuè loquendo de Definitione adæquata quæ datur per omnes causas à quibus res pendet in esse. Quià cum Definitio completa omnes illas causas includat, nulla remanet accipienda, quæ possit valere pro medio: quod si autem una illis acciperetur cum etiam talis deberet in conclusione demonstrari, sequeretur quod idem demonstraretur per idem. Hoc idem dicendum est de Definitione, quæ omnes causas essentiales continet, scilicet proprium Genus et Propriam Differentiam, quod scil: non poterit per aliam causam essentialem demonstrari, nam quidditas Subjecti esset Quæstio et simul ac semel præsuppositum. Esset quæstio quià demonstraretur in Conclusione, de Definito. Esset præsuppositum, quià assumeretur ut medium saltem secundum partem. Pars secunda Theorematis (Definitio quæ habet causam priorem potest esse majus extremum in Demonstratione propter quid) Probatur: ~~Probat~~ potest demonstrari. Ergo potest esse majus extremum. Ans: Illa Propositio potest demonstrari, seu est demonstrabilis à priori quæ habet causam proximam connexionis prædicati cum Subjecto. Sed talis Definitio esset ejsmodi. Ergo Talis Definitio esset Demonstrabilis. Pars tertia Theorematis (Demonstratio in qua una Definitio ex alia Demonstratur non videtur esse Potissima) Probatur Demonstrationi Potissimæ omnes conditiones ad potissimam requisitæ conveniunt: Sed tali Demonstrationi omnes non conveniunt. Ergo Talis Demonstratio non est potissima. Minor: quià præmissæ non videntur esse de omni, per se et secundum quod ipsum.

F. Ans: Caret causa, ut principio à quo in suo esse dependeat. Erg. Ans. patet etc.

Objectiones et earundem Solutiones.

Objectio prima (Qualibet Definitio potest à priori Demonstrari etiam adæquata) Probatur: Potest probari per Regulas Logicales scilicet per Definitionem Definitionis. Ergo Potest à priori demonstrari. Antecedens: Syllogismum esse bonum probamus per Regulas Logicales quæ de Syllogismo traduntur. Ergo similiter Definitionem esse veram et quidditativam poterimus probare per Regulas Logicales et per Definitionem Definitionis. Respondetur Neg. consequentiam. Ratio: quià illa probatio non erit Demonstratio vera, eo quod conclusio procedit ex communibus: nam Regulæ istæ cuilibet

cuilibet Definitioni possunt adaptari. Deinde per illas Regulas non ostenditur Definitio de Definito proprié loquendo; sed solum demonstratur Definitionem adæquatam habere conditiones optimæ definitionis.

OBJECTIO SECUNDA (Nulla Definitio potest esse majus extremum in Demonstratione. PROBATUR QUIA) Probatur Authoritate Philosophi qui 2 Post. c. 2 dicit prædicatum seu majus extremum in conclusione Demonstrativa habere esse Accidens. Ergo Non potest esse Definitio. RESPONDETUR Authoritatem Philosophi intelligendam esse de Demonstratione Potissima.

THEOREMA SEPTIMUM ET ULTIMUM TRACTATUS hujus Logicæ Scoti.

§1.

Regressus est Possibilis et Scientiis utilis; similiter circulus, sed tantum in aliquibus in diverso vel eodem Genere, non tamen in iisdem numero rebus. Porrò uterque eorum non uniformis, sed difformis esse debet.

Circuli duplex Acceptio.

NOTANDUM 1mum. Dictum 1mum. Circulus Dupliciter accipitur 1. Strictè 2. Latè. Si sumatur latè, est Genus ad circulum rigorosum et Regressum. Si verò strictè accipiatur ~~[illegible]~~, tunc erit species syllogismi circularis condistincta à regressu. Dictum 2dum: Circulus latè sumptus aliter solet vocari Syllogismus circularis non absolutè, sed in habitudine ad aliquem priorem Syllogismum, eo quod revertitur ad aliquam præmissam, à qua prior Syllogismus processit. Sicut motus circularis dicitur qui fit revertendo ad illud unde venit ~~[illegible]~~ mobile. Dictum 3tium: Quicquid Syllogismo circulari ~~convenit~~ tanquam Generi, convenit æquè circulo strictè accepto et regressui tanquam suis Speciebus. Dictum 4tum. Syllogismus circularis est ex conclusione et convertente illatio alterius præmissæ unius præmissæ. Dictum 5tum: Ut circulariter syllogizetur duplici est opus processu seu Syllogismo, et secundus qui idem Syllogismus est, qui circularis dicitur in ordine ad primum. In primo arguitur à præmissis dispositis in modo et Figura. In Secundo autem à Conclusione primi cum propositione convertente alterius præmissæ ad inferendam aliam præmissam in eodem modo et Figura. Notandum 2dum Dictum 1mum: Ut Syllogismus circularis ex veris possit procedere et concludere, debet fieri ex terminis convertibilibus, quia una præmissa debet converti conversione simplici (nam alià conversione) alias non esset in eodem modo quia mutaretur quantitas vel qualitas propositionis. Unde si termini non erunt convertibiles, propositio convertens non erit vera v. g. Omne rationale est visibile. Omnis homo est rationalis. Ergo Omnis homo est visibilis. Fit Syllogismus circularis in BARBARA sic: Omne visibile est rationale. Omnis homo est visibilis. Ergo Omnis homo est rationalis. In quo concluditur minor per conclusionem et convertentem majoris primi Syllogismi. Vel sic

omnis

Omnis homo est visibilis. Omne reale est homo. Ergo omne reale est visibile. Concludit major per conclusionem et convertentem minoris ex primo Syllogismo. Dictum 2dum. In modis particularibus præmissa universalis non potest circulariter syllogizari, quia conclusio universalis non sequitur nisi ex ambabus præmissis universalibus, ex puris autem particularibus nihil potest inferri. Dictum 3tium. In modis negativis præmissa affirmativa non potest circulariter inferri, quia conclusio Affirmativa ex duabus præmissis Affirmativis infertur, illo autem in casu ambæ sunt Negativæ. Porrò ex puris negativis nil potest concludi. Notandum 3tium Dictum 3 Circulus & regressus Demonstrativus sunt species syllogismi circularis. Differunt autem inter se quia

Differentia Circuli à Regressu.

circulus procedit semper in eodem Demonstrandi genere scilicet à priori et propter Quid, sequendo eam quod potest primo contingere vel in Diverso Genere causæ, ut cum ex causa Finali inferimus causam Efficientem, et deinde ex causa Efficiente probamus Finem, sive cum ex Forma inferimus materiam, et ex materia Formam. Vel 2do modo evenire potest in eodem Genere causæ, ut cum ex causa materiali infertur Effectus, deinde assumimus effectum pro medio à priori in Genere causæ materialis et concludimus causam materialem quæ prius erat medium, et hoc dupliciter vel enim concluditur eadem omninò numero causa vel eadem specie. Regressus autem non procedit in eodem Genere Demonstrandi sed diverso. Nam unus syllogismus est Demonstratio Quia. Alter verò est Demonstratio propter QUID. Dictum 2 Tam circulus quam Regressus est duplex. ALIUS uniformis Formaliter & Propriè. ALIUS Difformis materialiter et impropriè. Uniformis accidit tunc, cùm conclusio assumpta pro præmissa non aliter est nota nisi ex vi prioris Syllogismi in quo fuit ex præmissis illata. Difformis accidit tunc quandò conclusio assumpta pro præmissa non solum est cognita per priorem syllogismum, sed etiam aliâ viâ, ita, ut cum loco præmissæ ponitur, sit aliis modis magis nota ac quandò erat conclusio. Dictum 3tium: Dicitur Difformis ideò quia non revertitur ab eadem notitia ad quam per priorem syllogismum fuerat perventum sed ab alia perfectiori.

Tam Circulus quam Regressus ē duplex.

Quare dicatur Difformis.

THEOREMATIS HUIUS PROBATIO.

PARS PRIMA THEOREMATIS (Regressus est possibilis) Probatur: Ratio est: Possibile est ut effectus sint nobis notiores quam propriæ causæ. Ergo Ejusmodi effectus poterunt (Demonstratione Quia) inferre suas causas. Deindè possibile est ut causæ sint notiores naturâ per cognitionem distinctam quam ipsi effectus. Ergo istæ causæ poterunt Demonstratione PROPTER QUID inferre suos

suos effectus. Sed talis processus Argumentandi nihil est aliud nisi ipse regressus. Ergo siquidem iste Processus est possibilis etiam Regressus debebit esse possibilis. Probatur porrò Authoritatibus Philosophi 1ma ex 2 Posteriorum c. 10 ubi docet duplicem Demonstrationem Quia et propter Quid et ait, quod quandò termini sunt reciproci, posset fieri transitus de una ad aliam et dat exemplum de non Scintillatione Planetarum, quæ à priori probatur per esse propè nos, et à posteriori demonstrat pro pinquitatem Planetarum. 2da Authoritate ex 2 Physicorum cap. 1 ubi dat modum investigandi ex notioribus nobis, notiora naturâ quandò hæc sunt manifesta et 8 Physicorū t. 52 ex motu æterno probat æternitatem motoris, et 8 tex. 53 ex æternitate motoris ostendit motum æternū. 3tia Authoritate ex 1 Physicorum tex 62. Ex rerum corruptibilitate demonstrat existentiam materiæ. Et 1 de Generatione cap. 1. Ex materia Demonstrat à priori corruptibilitatem. PARS SECUNDA (Regressus est utilis Scientiis) Probatur: Hæc via ab effectu ad causam est nobis innata et ab ipsa natura insita ut ait Philosophus 1 Physicorū c. 1. et 1 Metaph. cap. 1. Et non nisi hâc viâ ex notioribus nobis fuerunt adinventæ Scientiæ. Quare si deindè non liceret reverti à causa ad effectum, nulla vel paucissimæ darentur Scientiæ propter Quid. Præterea per Regressum à causa ad effectum, ubi prius erat effectus nobis confusè notus et per sensum, fit cognitus distinctè et Scientificè, undè postmodum alias proprietates possumus de effectu, quæ prius ignorabantur indagare. PARS TERTIA THEOREMATIS (circulus non potest dari in omnibus sed tantum in aliquibus) Probatur: Nam si de omnibus posset dari circulus jam quælibet præmissa esset circulariter Demonstrabilis, quod est Falsum ut patet ex secundo Notando v. g in FERIO nulla præmissa potest circulariter demonstrari. Non major: quiâ universalis non infert ex particulari qualis est minor, nequè potest minor inferri, quiâ Affirmativa non infert ex negativa, qualis est major. Restat ergo dicere quod tantum in BARBARA et cum termini sunt convertibiles possunt ambæ præmissæ circulariter deduci, et sic tantum in aliquibus dabitur circulus. Confirmatur: Si de omnibus daretur circulus, sequeretur quod unumquodque deberet esse prius et posterius naturâ. Item deberet esse causa et effectus. Item deberet esse notius et ignotius naturâ respectū ejusdem etiam in diverso Genere causæ. Conseq. Falsum. Ergo et Antec. Sequela: quiâ in circulo semper proceditur Demonstratione propter Quid et consequenter à prioribus et notioribus naturâ. PARS QUARTA THEOREMATIS (Potest admitti circulus in diverso Genere Causæ) Probatur: Aliàs una Definitio unius Generis non posset demonstrari per aliam alterius Generis de Definito et è contra. Conseq. Falsum

Ergo

Ergo et Antecedens. FALSITAS patet ex superiore 6to Theoremate a nobis dato, et Fundamentum istius habetur in Philosopho 2do Libro Physicorum t. 30 ubi dicit causas esse sibi invicem causas. PARS QUINTA HUIUS THEOREMATIS (Circulus et Regressus non debent esse uniformes) Probatur: Non sufficit in circulo vel Regressu quod procedat ex virtute prioris Syllogismi cognitâ. Ergo. Consequentia: Nam circulus vel Regressus uniformis non est aliud, nisi progressus à conclusione virtute prioris Syllogismi tantum cognitâ. Antecedens patet 1mo: quia alias idem esset notius et ignotius respectu ejusdem, quia quilibet syllogismus debet procedere ex notioribus. Ergo. Conclusio primi Syllogismi erit ignotior et quælibet præmissa erit ignotior. Si autem in circulo vel Regressu aliqua præmissarum probaretur per conclusionem solum ut cognitam vi prioris Syllogismi, iam erit notior et præmissa illata ignotior, et hoc eadem omnino notitiâ quâ prius noscebatur non tantum intensè. Patet Antecedens 2do quia alias idem per seipsum probaretur. Quia si præmissa illata in Regressu nosceretur per conclusionem primi Syllogismi tanquam per causam saltem in cognoscendo quâ in cognoscitur conclusio in primo Syllogismo tanquam per eandem præmissam tanquam per causam, iam probaretur in secundo Syllogismo tanquam per se ipsam. Sed DICES quod idem possit esse causa et effectus, prius et posterius in diverso Genere causæ vel notius et ignotius in Diverso ordine cognoscendi v. g. Notius nobis; sed ignotius naturâ. CONTRA: Hæc responsio non valet quia hoc ipsum impugnatur quod non possit in hoc casu idem habere rationem effectus et causæ. Nam si conclusio ut cognita, per primum Syllogismum, non habet majorem cognitionem non potest esse causa cognoscendi aliquam Præmissarum nec in eodem, nec in diverso Genere causæ, quia ut sic est minus nota ut ea possit Demonstrari, deberet perfectius cognosci quam præmissa Demonstrabilis. PARS SEXTA THEOREMATIS (Circulus et Regressus debent esse Difformes seu materiales) Probatur: Non possunt esse uniformes. Ergo Debent esse Difformes. Antecedens modò fuit probatum. Consequentia clara quia si admittitur circulus et Regressus, et is quidem duplex possit assignari, tunc si non datur unus, debet alter eorum omnino concedi. Porrò circulus dicitur MATERIALIS eo quod fiat reversio ad eandem materiam sed non ad eandem cognitionem. Item dicitur Difformis eo quod alia cognitione cognoscatur in conclusione et aliâ dum pro præmissa adhibetur. Formaliter verò dicitur seu uniformis quia non solum ad eandem rem sed etiam ad eandem cognitionem formalem fit reversio et permutatur cognitio. Alia enim habetur de propositione dum pro conclusione ponitur, et Alia dum loco præmissa adhibetur.

Cur circulus materialis dicatur.

Cur Difformis?

Formaliter cur.

OBIECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIONES.

OBIECTIO 1MA (Regressus non est admittendus) Probatur: Regressus est vitiosus seu superfluus. Ergo Non est admittendus. Antecedens: Quia secunda Demonstratio esset superflua. Ergo. Antecedens. Quando ab Effectu ad causam procedimus QUAERO vel cognoscimus illum effectum pendere ab illa causa vel non? Si non, non possumus etiam facere illam Demonstrationem, et illum Effectum ejusmodi causam invenire quia major propositio istius Demonstrationis esset falsa v. g. Si quis vellet arguere quod datur ignis in ligno, quia est fumus in Ligno, debet sic formare Demonstrationem. Ubicunque est fumus, ibi est ignis. Sed in ligno est fumus. Ergo in ligno est ignis. Modo si ignotum esset fumum pendere ab igne nulla talis esset Demonstratio, quia major esset ignota. Si verò scimus illum effectum pendere ab ista causa. Ergo superfluus est secundus processus, in quo ostenditur effectus per causam. Nam per Demonstrationem PROPTER QUID quaerimus scire causam talis effectus, hoc autem iam consecuti sumus per processum priorem. Ergo superflua est secunda Demonstratio, et per consequens etiam Regressus. RESPONDETUR Neg. Antecedens 1mum et 2dum. Ad Probationem autem Dico quod ex primo processu, cum ab effectu procedimus ad causam scimus et nescimus esse causam illius effectus diversimodè: nempè scimus (confusè) sed nescimus (distinctè) Ideò dum objicitur illum secundum processum à causa ad effectum esse superfluum, negamus hoc esse verum quinimò dicimus esse necessarium ut distinctè talis effectus à tali causa esse cognoscatur. OBIECTIO SECUNDA (Circulus nullo modo potest admitti) Probatur Authoritate ipsiusmet Philosophi qui primo Poster. cap. 3. rejicit circulum et ostendit eum non posse dari rationibus quia scilicet idem esset notius & ignotius respectu ejusdem et per se ipsum probaretur, essetque seipso prius et notius. Ergo. RESPONDETUR Distinguendo circulum ~~circulum~~. Duplex enim est circulus. ALIUS UNIFORMIS SEU FORMALIS. ALIUS DIFFORMIS SEU MATERIALIS. priorem Philosophus rejicit, non autem posteriorem, et rationes ejus contra Formalem, non contra materialem militant, non enim sequitur idem eodem modo cognitum esse notius et ignotius, prius et posterius aut per seipsum probari eadem Ratione ut deducebatur ex regressu uniformi; sed solum idem uno Actu cognitum esse notius cognitum alio Actu, et ut sic posse esse prius vel posterius. &c.

Circulus duplex.

FINIS HUIUS TRACTATUS LOGICES.

Hæc cum de aliis, tum de circulo atq Regressu nos dixisse sufficiat, quorum quidem uterq[ue] ran-
do nos Amicè et prè hortatur ut horce ingeniorum nostrorum labores ad eum, cujus centrum [...]
ubiquè et circum-ferentia nusquam, seu ad Summum Principium redire jubeamus, sed etiam Aure[m]
nobis vellicat ut ab ipsius primæ commutationis orbe, seu circulo quem hac tanta
Seraphi[ci] Francisci Patroni nostri Sanctissi[mi] solennitate consulto conficimus,
ac ad initium Alterius (si ita licet et lubet) regrediamur incolumes, iã
non umbras et vanas [vanid] rerum imagines quas videndas propone-
bat Logica, sed ipsas res, et rerum naturas, quas suo fæ-
cundo et beato sinu Philosophia naturalis continet
infinitas cum voluptate, Utilitate, imò
etiam facilitate proculdubio longè
majori, quàm hactenus Divino
Suffragante auxilio specta-
turi, amplexuri et
persecuturi.
Diximus.

Scaturigini ac Veræ Sapientiæ Fonti
quod salvos ac incolumes absq valetu-
dinis nostræ dispendio, inimicæ
hostis humani Generis, Diaboli
insidiis depulsis, Servave-
rit Sit laus et Gloria
in omnium Secu-
lorum Æter-
nitates.
Amen.

Cursus Aristotelico-Scotistici in Celeberrima & Florentissima Universitate Cracoviensi. Ad Veram Germanamq́ Aristotelis et Subtilis Doctoris Scoti mentem traditi

Pars 2.

Libris Octo Physicorum, item Libris de Cœlo, Generatione & Corruptione correspondens.

Sum Christophori Schwabij.

Σὺν τῷ Θεῷ ἀγαθῷ καὶ χειρὶ

PRÆFATIO IN PHYSICAM SUBTILIS DOCTORIS SCOTI.

Symplegadas et asperiora Logicæ Acroceraunia, aut emensi aut prætervecti ad amoena Philosophiæ Naturalis tempe DEO optimo Maximo ita volente, absq naufragio appulimus, ubi quidem jam clariore obtutu ceu in lucida et magis ingeniis nostris Amicā propitiāque Philosophiæ Regione, mens nostra rerum Naturalium Principia et eorundem communes Affectiones inspiciet, atque ad altiora quorundā desiderio flagrat Divino suffultā auxilio, magis ac magis, sese ~~agilitare~~ habilitare conabitur, harum quæ sequunt controversiarum debita cum diligentia juxta monita in Logica à nobis tradita trutinādo Theoremata.

CONTROVERSIA PRÖEMIALIS.

Nonnullas Difficultates pröemiales, quas nefas est præterire, per aliquot istius controversiæ prima Theoremata re-solvere statuimus: Unde sit in nomine Individuæ Trinitatis.

THEOREMA PRIMUM.

Objectum Adæquatum Physicæ, ut eam Aristoteles conscripsit est CORPUS NATURALE quatenus NATURALE: At verò ut in tota sua Latitudine potest considerari est Substantia Finita naturalis quatenus Naturalis.

NOTANDUM 1mum Dictum 1mum Physica quæ aliter vocatur Philosophia Naturalis dupliciter potest considerari: 1mo in se absolutè, prout adæquatè potest institui secundum totam suam Latitudinem. 2do prout est ab Aristotele conscripta qui non omnia Entia mobilia agnovit licet Physicam à metaphysica per ordinem ad motum secreverit: Undè Substantias Separatas dixit esse penitg immobiles et immutabiles et pariter omnes in Essendo necessarias, quod verum non est, siquidem constat quod Angeli non sint in Essendo necessarii. Dictum 2dum: OBJECTUM ADÆQUATUM constat parte materiali scil: Re considerata. Item parte Formali sc: modo considerandi, et hoc utrumquè quoad utramque Physicam in Theoremate nostro assignatur. Dictum 3tium: OBJECTUM adæquatum Scientiæ est id, cujus Principia, Partes et Passiones in Scientia ità inquirunt, ut ad illud omnia quæ in tali Scientia considerant habeant attributionem adæquatam. Dictum 4tum: Principia objecti alia sūt ESSENDI quibg suo modo subjectum est atq in rerum Natura existit. Alia COGNOSCENDI quæ nihil sunt aliud nisi propositiones quædam

Duplex Physica consideratio illiq quæ vocat Naturalis.

Angeli in Essendo non sunt necessarii.

Objectum Adæquatum constat parte materiali et Formali.

Objectum Adæquatū Scientiæ.

Principia Objecti duplicia.

quædam et Axiomata, quibus Subjectum cognoscitur. Dictum 5tum: Ad Subjectum Attributionis omnia reducuntur quæ in Scientia traduntur. Sed non eodem modo omnia. Nam alia reducuntur veluti partes Subjectivæ: Alia verò veluti partes integrantes: Alia veluti passiones: alia veluti Principia: Alia veluti partes partium Subjectivarum; alia aliquo alio modo. NOTANDUM 2dum. DICTUM NATURALE multis accipitur modis. 1mo Pro eo, quod fit ordinario naturæ cursu, et sic opponitur Supernaturali v. g. Naturale est in igne esse et aduri. At verò Supernaturale in igne esse et non aduri. 2do ut opponitur violento v. g. Naturale est, ut lapis tendat deorsum; sed VIOLENTUM ut tendat sursum. 3tio pro eo quod alicui A NATIVITATE convenit v. g. Natus absque oculis dicitur naturaliter seu à natura coecus. 4to PRO ESSENTIA cujuscunque rei. 5to Prout OPPONITUR LIBERE seu libere OPERANTI v. g. Homo naturaliter crescit, intelligit, videt, audit. Sed Liberè hoc vel illud vult et non vult. 6to Prout distinguitur CONTRA ARTIFICIALE et sic hoc loco sumitur. Unde Naturale sic sumptum est illud quod est principium ~~[illegible]~~ motus et quietis. Dictum 2: De objecto materiali variæ sunt Authorum Sententiæ. 1ma GALENI tenet corpus generabile et corruptibile esse Objectum Physicæ. 2da Ægydi Romani tenet corpus mobile, prout est commune ad corpora caduca et æterna. 3tia Thomistarum quorundam tenet Substantiam materialem et corpoream, prout est communis ad compositum, et ipsas partes compositi. 4ta Aversæ, Ens mobile in tota sua latitudine ut est commune per prædicationem ad composita Substantialia, partes eorum et ad composita Accidentalia. 5ta Cajetani tenet Ens mobile, ut est commune per prædicationem ad compositum Substantiale et Accidentale. 6ta Scotistarum veterum tenet Substantiam Finitam prout Angelos et corporeas Substantias complectitur. 7tima Scotistarum recentiorum quorundam tenet corpus Naturale. Dictum 3: De OBJECTO FORMALI Physices itidem non est una Sententia. Nam alii assignant Generabilitatem et corruptibilitatem: Alii Sensibilitatem: Alii mobilitatem: Alii Substantialem corporeitatem: alii denique ut Scotistæ Naturalitatem.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS PRIMA THEOREMATIS (Objectum MATERIALE Adæquatum Physicæ Aristotelicæ est corpus Naturale) Probatur 1. Quod habet omnes conditiones objecti adæquati, id est assignandum pro objecto. Sed corpus naturale habet omnes etc. Ergo. Minor: Conditiones objecti adæquati sunt istæ: ut habeat Naturam, Principia, Passiones, Partes utque ista explicentur in tali Scientia ut sit primo consideratum ut in ejus gratiam alia considerentur, ut in eo tota cura Artificis versetur, ut omnes veritates virtualiter contineat. Sed conditiones istæ omnes conveniunt corpori Naturali. Ergo corpus Naturale habet minor.

Naturale multis accipitur modis, præcipuè autem quintupliciter.

De Objecto materiali Physices referuntur opiniones.

Conditiones objecti adæquati.

Minor: Habet Naturam seu Essentiam quam Philosophus explicat 2 Physicorum, ubi dicit, CORPUS NATURA-
LE esse id, in quo est internum Principium motus et Quietis. Habet Principia tam Essendi, ut est materia &
Forma de quibus fuse Philosophus: quam Cognoscendi, ut est: Definitio Naturæ, definitio motus et alia-
rum rerum. Habet Proprietates, quæ de illo demonstrantur, ut sunt: motus, Tempus, Generatio, Corruptio,
Locus etc. de quibus in 8 Lib. Physicorum. Habet PARTES Scil: Coelum, Elementa, mixta imperfecta, per-
fecta Animata de quibus in Lib. de Coelo, de Generatione et Corruptione et in Lib. de Anima etc. Pro-
batur 2: Præter corpus Naturale nihil aliud potest assignari pro Objecto. Ergo. Ans: Vel enim illud esset
corpus corruptibile, vel Ens mobile, vel aliquid aliud. Sed nihil horum. Ergo. minoris 1ma pars: (id est
non corpus corruptibile) quia alias Coelum, et Elementa, non spectarent ad Physicam consideratione
quod est falsum 1mo ideo quia est contra Philosophum qui 1 meteororum docet, Coelum et Elementa esse
corpora Naturalia ac per se mobilia. Item 7 Metaphys. inter corpora Naturalia enumerat Elemen-
ta Coelum et partes ipsius Lunam, Solem etc. 2do Quia est contra rationem: nam Sublatis omnibus
corporibus aliis corruptibilibus, si coelum et Elementa manerent, adhuc daretur Physica. 2da pars minoris
(id est non Ens mobile) quia sic non esset distinctio inter Subjectum, Partes ejus, Principia et Proprieta-
tes, nam hæc omnia considerarentur veluti Species, siquidem conceptus Entis mobilis includitur in ipsis
intrinsece. 3tia pars. Quia si est aliquid aliud, adducatur et oppugnabitur. PARS SECUNDA THEOREMATIS
(Objectum adæquatum materiale Physicæ in tota sua latitudine est Substantia Finita) Probatur 1
Illud est Subjectum in Philosophia Naturali, ad quod omnia mobilia habent attributionem, et sub quo con-
tinentur. Sed ad Substantiam Finitam reducuntur, et habent attributionem omnia mobilia et sub i-
psa continentur. Ergo. Minor: Nam Angelus non potest habere attributionem ad corpus, cum sit no-
bilior corpore et tamen est mobilis. Probatur 2: Illud est Subjectum physices in sua tota latitudi-
ne quod est Subjectum adæquatum mobilitatis (nam mobilitas est prima et communissima Passio quam
Philosophia naturalis considerat et per quam in suo esse constituitur atque à metaphysica distinguitur)
Sed Substantia Finita est Subjectum adæquatum mobilitatis. Ergo est quoque Subjectum Adæquatum
Physices. Minor: Corpus non potest esse adæquatum Subjectum talis passionis. Ergo Substantia Finita.
Ans: quia alias idem corpus esset quoque Subjectum ipsius Physices quod falsum esse probo. Nam quod
est Subjectum in aliqua Scientia, ad illud omnia, quæ in tali Scientia tractantur, habent attributionem (nam
hæc conditio inter alias convenit Subjecto) Sed ad corpus non habent omnia attributionem quæ tra-
ctantur

tractantur in Physica secundum se sumpta. Ergo corpus non est Subjectum Physices. Minor: Si enim omnia haberent attributionem ad corpus, sequeretur quod ad illud etiam Entia incorporea aliqua haberent attributionem. Consequ. Falsum. Ergo et Antec. Falsitas patet: Quia, quæ sunt nobiliora corpore, non dicunt attributionem ad corpus. (Nobilius enim non dicit ordinem Attributionis ad ignobilius) Sed incorporea Entia sunt nobiliora corpore. Ergo sequeretur quod omnia quæ tractantur in Physica dicant secundum Te attributionem ad corpus. Sed Entia incorporea aliqua tractantur in Physica. Ergo. Minor prob. Ea tractantur in Physica quæ sunt per se mobilia. Sed aliqua Entia incorporea sunt per se mobilia.

Ergo. — Minor prox. potest probari per has duas propositiones. Ima Quilibet Angelus est naturaliter per se mobilis. Quod sic probatur. Quidquid habet Potentiam passivam ad UBI, necessario id debet esse mobile

localiter — (nam UBI est terminus motus Localis) Sed omnis Angelus est in potentia passiva et Naturali ad UBI. Ergo. Minor: Quod est receptivum alicujus Formæ, qua caret, est in potentia Passiva ad illam recipiendam (nam posse recipere aliquid nil est aliud quam esse in Potentia Passiva ad illud) Sed Angelus est receptivus Formæ Accidentalis, nempe ubi seu Ubicationis. Minor prox. Quia Angelus non potest esse illimitatus ad omne UBI (nam sic esset immensus) Ergo est receptivus illius, quod autem caveat illo patet: nam non est ubique (quia hoc soli DEO convenit) 2da Propositio est hæc: Angelus potest se movere localiter sic probatur: Illud potest se movere localiter in quo Potentia est Activa ad ut hoc se moveat. Sed in Angelo est potentia Activa. Ergo. Minor: In quo Ente est potentia passiva ad aliquid acquirendum quod dicit aliquam perfectionem, in eo est etiam potentia Activa ad illud acquirendum (nam Potentia Activa in quo est dicit perfectionem) Sed in Angelo est potentia passiva ad UBI quo caret. Ergo. Conseq.

Illud patet ex Ima propositione. Ergo. etc.

Axiomate probatur tali: Quod est perfectionis in aliquo imperfecto, debet attribui Enti perfectiori. Sed gravia et levia habent in se potentiam Activam sui motus uti patet ex Physicorum Metaphys. quæ tamen sunt imperfectiora Angelo. Ergo multo magis Angelo. ⊕ PARS TERTIA THEOREMATIS (OBJECTUM FORMALE Physicæ tam Aristotelicæ quam in tota sua latitudine spectatæ per Naturalitatem constituitur) Probatur: Naturalitas est Ratio Formalis sub qua omnia in Physica considerantur. Ergo. Ant: Ratio Formalis est illa, qua posita res ponitur, et qua sublata res aufertur quocunque alio remanente. Sed posita Naturalitate in rebus et quocunque alio sublato remaneret Physica, ~~et è contra~~. Ergo Naturalitas est ratio Formalis considerandi Objectum materiale Physices. Ergo consequens ~~omnia~~ considerantur in Physica sub Naturalitate. Minor: Nam si sublata Naturalitate maneret mobilitas vel sensibilitas et aliæ passiones, certè Physica non esset eadem

⊕ debet tribui potentia Activa, qua possit se movere localiter.

ipsa autem sublata et posito alio quocunque aufert Physica. Ergo etc.

esset eadem Scientia quæ nunc est sed alia (Nam Scientia quæ est de Accidente, non est illa Scientia quæ est de Substantia) Ergo Sublatâ Naturalitate, et posito quocunq alio aufertur Physica. Notes per Naturalitatem (ut ait Canonicus) nil aliud intelligi nisi conceptum quidditativum illius quod pro Subjecto in Physica assignatur, per quam est Principium motus et Quietis, quæ quidem Naturalitas venitâ Natura quam Aristoteles definiendo dicit quod sit Principium motus et quietis. Probatur porrò: Præter naturalitatem nil commodè potest statui pro objecto Formali Physicæ. Ergo. Dices 1mo: Posse statui mobilitatem. Contra: Quicquid est passio, et consideratur ut passio, illud non potest esse Ratio Formalis Objecti: (quia passio supponit Subjectum per rationem Formalem ex qua fluit constitutum) Sed mobilitas est passio et consideratur in Physica ut passio Ergo. 1ma Pars minoris: Quicquid alicui convenit semper, omni et Soli neque est de conceptu illius quidditativo, est passio ejus. Sed mobilitas ita convenit Subjecto Physicæ. Ergo. Minor: Nam convenit convertibiliter, ut patet ex 6. Meta Phy. t. 2. ubi dicitur Omnia Naturalia esse mobilia, et è contra; neque est de quidditate ipsius, prius enim res concipitur in se, quam ut sit Principium motus et operationis. 2da Pars minoris, Quod motus et mobilitas consideretur in Physica ut Passio probatur: Quia nulla Scientia speculatur oppositam Rationem Sui Subjecti Formalis, licet considerat circa illud oppositas passiones v. g. Arithmetica par et impar. Sed Physica considerat opposita scil: motum et quietem, mobile et quiescibile. Ergo mobilitas consideratur ut passio non verò ut Ratio Formalis Subjectiva. Dices 2do Posse assignari corruptibilitatem. Contra: Nullum Objectum Formale alicuius scientiæ probatur à priori, de Subjecto materiali ejusdem (quia Scientia præsupponit suum Subjectum quoad materialem et Formalem partem) Sed corruptibilitas probatur à priori de corpore Naturali. Ergo. Minor patet arguendo sic: Omne illud in quo est materia, est corruptibile intrinsecè. Sed corpus naturale habet materiam. Ergo Corpus Naturale est corruptibile. Hoc idem Argumentum valet contra mobilitatem quia et mobilitas potest à priori demonstrari arguendo sic: Omne quod habet Naturam est mobile (nam natura est principium motus et quietis) Sed objectum Physicæ habet naturam. Ergo est mobile.

Per Naturalitatem conceptus quidditativus intelligit.

OBJECTIONES ET EARUM

DEIN SOLUTIONES.

Objectio prima (Corpus Naturale non est Objectum Physicæ Aristotelis) Probatur: Objectum Physicæ Aristotelis est corpus corruptibile. Ergo Non corpus Naturale Substantiale in communi. Consequens: Corpus corruptibile, et corpus Substantiale non sunt idem neque convertuntur (quia unum latius, alterum strictius patet) Ergo Si objectum Physicæ Aristotelis est corpus corruptibile, sequitur quod non corpus Substantiale

Substantiale. Antec. Illud est Subjectum Physicæ Aristotelis, cui Principia & Passiones ab Aristotele in Libris Physicorum ~~explicata~~ adæquatè conveniunt. Ans: quià vel illa principia essent in fieri, vel in facto esse. Sed neque ista, neq illa conveniunt. Ergo. Minor Non Principia in fieri quià illa sunt tria: Materia Forma et Privatio. Sed privatio non reperitur in Cœlis. Ergo. Non etiam Principia in facto esse quià tale Principium est Natura, quæ dividitur in materiam et Formam. Porrò ista non sunt secundum Philosophum in cœlo. Passiones quoque non conveniunt nempe Locus, et Tempus, de quibus agitur in Libris Physicorum eo quod Cœlum est sempiternum, nec ullum corpus habet extra se à quo ambiatur. Ergo. RESPONDETUR 1. Ans. 2. minorem. 3 Ans. 4. minorem quoad utramque partem. Ratio: quià Privatio convenit Cœlo quod mutationi Accidentali subjiciatur: Principia quoq in Facto esse conveniunt illi nempe ipsa natura non quatenus dicitur de materia et Forma; sed quatenus accipitur pro Essentia et quidditate, ex quâ rerum habet ut possit moveri: Natura enim adæquatè dividitur in Materiam, Formam et Quidditatem. Passiones itidem in Libris Physicorum sic: Explicatæ conveniunt cœlo scil: motus circularis ratione cujus tribuit ei Philosophus Tempus Æternum, similiter Locus quatenus semper inferior orbis seu sphæra à superficie concava superioris ambitur. OBIECTIO SECUNDA (Substantia Finita non est objectum adæquatum Physicæ absolutè considerata) Probatur: quià alias sequeretur quod Angelus posset moveri. Consequens Falsum. Ergo et Ans. Sequela patet, Falsitas probatur: Tum quià omne quod movetur est in loco. Sed Angelus non est in loco (quià non est corpus) Ergo Angelus non movetur. Tum etiam, quià indivisibile non movetur. Sed Angelus est hujusmodi. Ergo Non movetur. RESPONDETUR Neg. 1 Falsitatem. 2 Distinguendo primam partem probationis. Dupliciter aliquid est in Loco. 1mo Circumscriptivè, et hoc modo in Loco est omne illud quod occupat et replet Locum qualia sunt corpora. 2do Definitivè et hoc modo in Loco est omne illud quod caret Principio corporeitate, seu partibus per quas possit occupare Locum; Angelus non est in Loco (circumscriptivè) concedo. Non est (Definitivè) Nego. 3 Disting. 2dam probationem: Indivisibile est duplex. Aliud de Prædicamento Quantitatis ut punctus. Aliud extra prædicamentum Quantitatis ut Angelus et Anima Rationalis. Primum illud indivisibile non movetur; Sed secundum commodè potest moveri. OBIECTIO TERTIA (Objectum Formale non constituitur per Naturalitatem) Probatur quià Naturalitas non est Ratio Formalis objectiva. Ergo. Ans. Illud est Ratio Formalis objectiva Physicæ, per illud Physica distinguitur ab aliis Scientiis (præcipuum enim munus Rationis Formalis objectivæ est unam Scientiam ab aliâ distinguere) Sed per Naturalitatem non distinguitur Physica ab aliis Scientiis. Ergo. Minor patet in primis quià Natura ut est Principium motus consideratur à Metaphysica, undè eam definit Philosophus 5 metaphysi. tex 5. Deinde Astrologia tractat de corpore Naturali quatenus

> Principia in Fieri sunt tria.

> Dupliciter aliquid est in Loco.

> Indivisibile est duplex.

F conveniunt adæquatè. Sed tantum corpori corruptibili talia principia et passiones adæquatè conveniunt. Ergo Corpus corruptibile est objectum. Minor: Non possunt competere corpori incorruptibili v.g. cœlesti ejusmodi principia et passiones. Ergo tantum corpori corruptibili conveniunt.

Ante: quia vel illa principia. etc. vide supra.

quatenus habet in se Principium motus. Undè Astrologus considerat Cœlestium corporum Figuram, Situm, ordinem et motum. RESPONDETUR Neg. 1. Antec. 2 minorem. Ad 1mam probationem ejus dico quod metaphysicus considerat Naturam, non ut Rationem Formalem objectivam; sed potius, ut eam probet et existentiam ipsius Demonstret, quià ad ipsum pertinet omnium Scientiarum Principia probare contra eos qui illa negant. Ad 2dam probationem dico: Quod non eâdem ratione agat de corpore Naturali Coelesti Physicus et Astrologus. Quia Astrologus considerat situm et Figuram ejus. Physicus verò Essentiam, et Naturam et Accidentia sensibilia quæ ab illa fluunt et proficiuntur, et licet uterq̀ motum coelestem consideret, tamen aliâ Ratione hic, et alia ille: Nam Physicus considerat motum quatenus est Actus Entis in Potentia et illius sunt tria Principia scil: materia, Forma et Privatio, quæ etiam reperiuntur in Coelo suo modo. Astrologus verò secundum rationes Mathematicas, eundem speculatur, nempe secundum numerum, æqualitatem, mensuram, propinquitatem et alia attributa.

X^A^ Diversâ ratione physicus et Astrologus cœlum considerat.

THEOREMA SECUNDUM

Philosophia Naturalis + est verè Scientia una unitate Genericâ, simpliciter Speculativa, nec propriè metaphysicæ subalternata, multum utilis et maximè jucunda.

\+ seu Physica

Notes: Hoc Theorema supponere cognitionem plurimorum, quæ Deo volente in Libris de Anima Afferent, ubi de habitibus Intellectualibus, et de Natura ac proprietatibus Scientiæ in communi erit agendum.

THEOREMATIS PROBATIO.

PARS PRIMA THEOREMATIS (Physica est vere et propriè Scientia) Ratio 1ma: In Physica habentur multæ Demonstrationes, non solum à posteriori et per Effectum, sed etiam à priori et per causam. Ergo. Conseq. clara: quià Scientia est effectus Demonstrationis ex 1mo Posteriorum. cap. 2. Ante. patet inductivè v.g. Demonstrationes per causam sunt: Ubi est materia, ibi Generatio et corruptio. Sed in rebus Sublunaribus est materia. Ergo Etiam Generatio et corruptio. Item quod habet Naturam est mobile. Elementa habent Naturam Ergo Elementa sunt mobilia. Demonstrationes ab effectu sunt v.g. Est motus. Ergo Est Natura. Item sunt composita. Ergo Sunt Principia. Item mixta corrumpuntur. Ergo Ex contrariis componuntur. Ratio 2da: De rebus Naturalibus est Scientia, sed non est alia nisi Physica. Ergo Physica est verè Scientia. Major: De rebus naturalibus scimus causas propter quas sunt necessario atq̀ evidenter. Ergo. Consequentia: Nam tunc rem scimus aliquam cum causas ejus propter quas existit, et tali passioni subjicitur, cognoscimus per principia proxima. Ans. patet per inductionem. Novimus enim probè ideò res naturales esse mobiles quià habent Naturam quæ est principium motus et Quietis: Item esse corruptibiles ideò, quià ex contrariis constant. Item corpus esse Divisibile, quià est continuum. Item Animalia moveri à se, quià habent Animam. PARS 2DA Theorematis (Physica est Scientia una Unitate Genericâ) Probatur: Illa Scientia est una Unitate Generica

Generica, cujus Objectum est unum unitate Genericâ (quia Unitas Scientiæ extrinseca et objectiva sumitur ab unitate objecti) Sed Physicæ objectum est unum unitate Genericâ. Ergo. Minor: Quodlibet Genus habens sub se Species, est unum unitate Genericâ. Sed Subjectum Physicæ tam Peripateticæ quàm secundum se spectatæ est Genus nempe corpus substantiale naturale et Substantia Finita. Ergo. Minor: Nam habent sub se varias species v. g. cœlum. Elementa, metalla, Animalia, Herbas etc. quæ omnia specificè differunt ab invicem. Scias ad cognoscendam hanc Unitatem prodesse cognitionem Arboris Porphyrianæ. PARS TERTIA THEOREMATIS (Physica est Simpliciter ex naturâ suâ Speculativa) Ratio 1ma: Non est practica. Ergo est Speculativa. Ans: Scientia Practica est directiva praxis cum respectu prioritatis et conformitatis ad praxin et tradit præcepta ac Regulas operandi. Sed Physica non est talis. Ergo. Minor: Cognitio rerum Naturalium non dirigit opus voluntatis ad hoc ut sit bonum vel malum (nam in Physica non accidit malitia, sed tantum error intellectus vel ignorantia circa objectum quod ex se et natura sua est sine errore cognoscibile) Ergo. Ratio Secunda: Quæ Scientia habet pro Fine contemplationem veritatis, est simpliciter Speculativa. Sed Physica est ejusmodi. Ergo. Minor: Nam cognitio hujus propositionis (Corpus naturale est mobile, Ignis est calefactivus) consistit in simplici speculatione corporis Naturalis et ignis, nec ulterius progreditur. Confirmatur Authoritate Philosophi qui 6 metaph. numerat ipsam inter Scientias Speculativas. Notes additum (EX NATURA SUA SPECULATIVA) quià per Accidens, et ex intentione Speculantis potest aliquo modo dici practica: Nam speculans potest eam ad aliquod referre v. g. ad Lucrum, ad Honorem et ad Amorem Dei. PARS 4ta Theorematis (Physica non Subalternatur metaphysicæ Propriè) Probatur: quià alias deberet habere omnes conditiones subalternatæ Scientiæ. Atqui non habet. Ergo Non est Subalternata. Minor: Tres conditiones requiruntur ad perfectam Subalternationem. 1ma ut Scientia Subalternata habeat pro Objecto Speciem seu partem objecti aliquam Scientiæ Subalternantis. 2da Ut illi Speciei pro objecto acceptæ addat Differentiam aliquam aptam Accidentalem. 3tia Ut assumat præmissas probatas et Demonstratas in Scientia Subalternante illisque tanquam notis Principiis et in superiore Scientia Demonstratis utatur. Sed Physica præter primam non habet istas conditiones. Ergo. Minor: Licet enim habeat primam quià corpus Naturale vel Substantia Finita continetur sub Ente, tamen caret secundâ conditione: Nam Naturalitas addita corpori vel Substantiæ Finitæ non est Differentia Accidentalis sed Essentialis. Ratione 3tiæ conditionis non potest dici etiam propriè Subalternata, quià licet Metaphysica probet Principia omnibus Scientiis communia per deductionem ad impossibile quâ ratione cœteras Scientias sibi subalternat, tamen Physica non utitur Principiis ad suas conclusiones probandas tanquam notis et in Metaphysica Demonstratis; sed habet sua Principia Propria quibus intellectus statim assentitur veluti per se notis et evidentibus in ipsa Physica absque recursu ad Metaphysicam. PARS QUINTA THEOREMATIS (Physica est multum utilis) Probatur: quià plurimis Scientiis et Facultatibus deservit, et imprimis quidem Metaphysicæ: quià de primo Motore, de motu coelesti, de intellectu humano ex professo tractat, quæ omnia sternunt viam metaphysico ad investigandam intelligentiarum cognitionem

Tres requiruntur conditiones ad perfectam subalternationem.

cognitionem. Deindè est utilis Medicinæ quià tradit Doctrinam de Elementis, de corpore humano, de Facultatibus rerum Naturalium et virtutibus, quarum primas causas expedit nosse medicum. Item deservit mathematicis Disciplinis v. g. Astronomiæ propter Scientiam coloris, luminis et eorum quæ spectant ad visum. Præterea musicæ propter cognitionem Soni, vocis atq̃ eorum quæ spectant ad facultatem Audiendi. Deindè est utilis Philosophiæ morali quià tractat de potentiis, operationibus atq̃ affectib9 hominis. Tandem conducit Theologiæ: Nam in Sacris Literis v. g. in Libro Geneseos, Ecclesiasticq̃, Psalmis etc. planè physica plurima memorantur, quæ cognoscere absq̃ auxilio Physicæ plusquàm difficile. PARS SEXTA Theorematis (Physica est jucunda) Probatur 1mo Authoritate Philosophi qui 10 Lib. Ethicorum ita scribit: Videt Philosophia mirabiles quasdam tum sinceritate, tum stabilitate continere voluptates. 2do Experientiâ quià nemo circa Physicam versatur cujus Animus sit absq̃ voluptate quam cognitio rerum Naturalium solet afferre.

Physica omnibus scientiis et Facultatibus maximè est utilis.

326

OBJECTIONES ET SOLUTIO EARUNDEM.

OBJECTIO 1ma (Physica non est Scientia) Probatur: Scientia est de rebus necessariis et perpetuis. Sed Physica non est de talibus. Ergo Non est Scientia. Minor: quià tractat de rebus corruptibilib9 et generabilib9 considerando mixta Generabilia, eorum interitum et varias mutationes. RESPONDEO Disting. minorem: Physica non est de necessariis necessitate incomplexâ, Concedo. Non est de necessariis necessitate complexa. Nego. Nam motus, corruptio et transmutatio non tollunt Physicæ necessitatem, quæ ad Scientiam requiritur. quià scire corruptibilitatem et mobilitatem per causas proprias et immediatas veram arguit et infert Scientiam per causam et propter quid, et tantæ est necessitatis hæc propositio (Quæ constant ex Elementis sunt corruptibilia) quanta etiam ista (Substantiæ abstractæ sunt incorruptibiles) Præterea licet res sint mutabiles quoad suam existentiam, tamen quoad fluxum et mutabilitatem suam sunt omninò stabiles et perpetuæ. OBJECTIO 2DA (Physica non est Speculativa) Probatur: Illa Scientia est practica quæ considerat Act9 voluntatis. Sed Physica contemplatur Actus Voluntatis. Ergo Physica est Practica et per consequens non est Speculativa. RESPONDEO Nego minorem: quià non sufficit contemplari Act9 voluntatis quæ dicunt praxes propriè, sed adhuc requiritur ut illa Scientia regulet eosdem per Regulas quod quidem Physica non præstat. OBJECTIO TERTIA (Physica subalternatur Metaphysicæ) PROBAT: Metaphysica est subalternans respectu Physicæ. Ergo. Ans: Quia metaphysica probat principia aliarum Scientiarum. Ergo. RESPONDETUR Neg. Ans 1mum. Deindè Distinguend. 2dum. Probat indirectè per causam extrinsecam, et ex communib9 Concedo. Probat directè et simpliciter et ex propriis quæ habent evidentiam ex terminis et sunt ejus Nego. NOTES sub finem hujus Theorematis physicam esse priorem Naturâ quam Mathematicam, at verò Evidentiâ posteriorem. 1mum Probat: Scientia quæ tractat de Substantia et prior naturâ quàm Scientia, quæ tractat de accidente (quià Substantia est prior accidente) Sed Physica est de Substantia (quià ej9 objectum est corpus Naturale vel Substantia Finita)

Physica naturâ est prior ~~Meta~~ physicâ. mathematicâ.

mathemati

Mathematica verò est de Accidente (quià versatur circa Quantitatem) Ergo Physica est prior quàm mathematica. 2dum Probatur: Quia puer potest esse mathematicus aliquis, at non physicus: Nam Physicus scrutatur vim Naturæ post longam experientiam quod in mathematica non est necessarium ob claritatem et evidentiam. Deindè mathematica est de Sensibilibus per se; Sed Physica de sensibilibus per Accidens. Ergo est evidentior quàm Physica. Ans: Quantitas et Figura de quibus tractat mathematica sunt per se Sensibilia, Substantia autem naturalis est tantum per Accidens Sensibilis.

CONTROVERSIA SECUNDA: DE PRINCIPIIS IN COMMUNI.

Commodè et prudenter tam Aristoteles quàm ejus Sequaces rerum Naturalium Doctrinam ab ipsis earundemque Principiis auspicantur. Nam (ut Plato ajt) Qui tenet Principia, plus quàm dimidium habet: cognitis enim Principiis facilius ea quæ sequentur teste Philosopho licet percurrere. Sed neque non aliundè quàm ab iisdem lubet aut decet incipere, Sit itaque in nomine Dei:

THEOREMA PRIMUM.

Definitio Principiorum Adæquata.

Definitio Principiorum hæc (Principia sunt quæ nec fiunt ex aliis, nec mutuo ex se ipsis, ex illis autem omnia) Est recta et exacta exprimitque conceptum communem Principii univocè, Analogicè convenientem materiæ, Formæ et Privationi ut Subsunt Relationibus Principii, et describit Principia non rei genitæ sed Generationis et hujus quidem ut est communis ad Substantialem et Accidentalem sub Ratione mutationis, non verò productionis.

Notes Definitionem ab Aristotele assignatam recipi ab omnibus, sed non eodem modo explicari ab omnibus. Eorum interim explicationes et expositiones quas afferunt haud nobis placet modo refutare imò nec licet hâc vice.

THEOREMATIS PROBATIO.

Natura et munus Principiorum rerum Naturalium in tribus consistit conditionibus.

Pars prima Theor: (Definitio superior Principiorum ab Aristotele tradita est recta) Probatur: Ex: adæquatè per illam explicatur Natura Principiorum in fieri rerum Naturalium. Ergo. Ans: Natura et munus Principiorum rerum Naturalium in tribus consistit conditionibus quas optimè explicant tres particulæ illius Definitionis. Ergo. Antec. Prima conditio est (ut non fiant ex aliis) hoc est Principia non debent fieri ex aliis quasi prioribus nec in eodem Genere principiandi nimirum. Forma non debet fieri ex alia Forma, nec materia ex alia materia. Additur (in eodem genere principiandi) Quià in diverso genere non repugnat ut unum Principium fiat ab alio. Sic materia in genere Principii Activi est ab alio nempe à Deo, non tamen in genere Principii Passivi quod est sibi proprium. Hæc Prima conditio patet: Nam si prima principia fierent ex aliis, Sequeretur quod essent, et non essent, prima quod implicat. Essent prima quià ita dicis, non essent autem quia darent alia ipsis priora nempè illa ex quibus fierent. Deberent deindè non principia sed Principiata quia ab aliis

aliis Principiis dependerent prioribus. 2da CONDITIO est (ut non fiant mutuo ex se ipsis) hoc est ut materia non fiat ex Forma, nec Forma ex materia. Sensus hujus secundæ conditionis est idem quæ est in prima: principia enim non debent fieri mutuo ex se ipsis (Supple) in eodem genere principiandi. v.g. Quia Forma principiat tanquam terminus Actum (ad quem) ideò est omninò primum principium in hoc Genere principiandi, neque fit ex aliis, neque ex alterutris in hoc genere; sed solum in alio ex materia tanquam ex subjecto, ex privatione tanquam ex termino A QUO. Et quod iste sit sensus istius secundæ conditionis, probatur: quia eo modo Principia non debent esse ex aliis, vel ex se ipsis alterutris quomodo omnia fiunt ex ipsis. Sed ex ipsis omnia fiunt, vel tanquam ex subjecto, vel tanquam ex termino (ad quem) vel tanquam ex termino A QUO juxta Distributionem accommodam. Ergo Unumquodque non fit ex alio in eo genere quo ipsum est Principium: Licet in alio Genere nullum sit inconveniens unum fieri ex alio: Nam respectu diversorum idem potest esse principium et Principiatum.

3tia CONDITIO est (ut omnia fiant ex ipsis) Quæ patent. Nam cum principiata non possint esse ex semet ipsis tanquam simpliciter primis, necessariò debent ex aliis esse et non ex principiatis (quia principiata non possunt vocari principiorum esse Principia) Ergo ex Principiis. NOTES hæc Dicta.

Dictum 1mum: Particula (ex) in omnibus istis tribus conditionibus eodem modo sumitur et dicit generalem habitudinem Principii in FIERI præscindentem à ratione principiandi per modum subjecti vel termini Generationis, et ab hoc omni principio communi competit, quia ex omni tali seu ut ex subjecto seu ut ex termino pendet omnium rerum (Fieri) Dictum 2dum: (VOX OMNIA) denotat rerum omnium generationes tam substantiales quam Accidentales non verò corpora aut composita, quia hic sermo est de principiis rerum in (Fieri) non autem (in facto esse) PARS SECUNDA THEOREMATIS (Per Definitionem præfatam describuntur Principia Generationis in ratione mutationis, non verò productionis)

Probatur. Pro istius partis probatione, Scias: quod Generatio in Creaturis habeat regulariter annexam mutationem, et quod ideo possit sumi dupliciter. 1mo In Ratione productionis quo sensu convenit composito. 2do in ratione mutationis quo sensu convenit subjecto, seu mobili, quod de privatione transit ad Formam, hoc præmisso probatur: In eo sensu Philosophus definit Principia Generationis in quo subjectum exigit. Sed subjectum non exigit illa definiri in ratione productionis; sed tantum in ratione mutationis. Ergo Principia hic describuntur generationis in ratione mutationis non verò productionis. Minor patet: quia generatio in ratione productionis convenit cum ratione quæ subjectum quodcunque excludit. major patet ex processu Philosophi 1 Physicorum ubi ut necessaria principia Generationis adinveniret præter contraria exigit tertium scil: subjectum, id est præter Formam
OBJECTION.

Formam et privationem requirit materiam

Generatio in creaturis habet regulariter annexam mutationem et ideo sumitur dupliciter.

OBJECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIO.

OBJECTIO PRIMA (Principia ex se ipsis fiunt mutuo) Probatur: Forma fit ex materia. Ergo unum Principium fieri ex altero non repugnat. Ans: Quicquid educitur de Potentia materiæ, fit ex materia. Sed Forma educitur de potentia materiæ. Ergo Fit ex materia. RESPONSIO 1ma Disting. Ans. Fit (in alio genere Principiandi) Concedo. Hoc enim modo fieri unum ex alio Principio, nullum est inconveniens. Fit (in eodem genere principiandi) Nego. RESPONSIO 2da. Fieri accipitur dupliciter: Propriè et impropriè. Forma fit ex materia (impropriè) Concedo. Fit (propriè) Nego. Ratio istius est quia solum compositum dicitur propriè Fieri juxta Philosophum 7 Metaph. t. 22. Ubi dicitur Omne quod fit debet esse per compositum ‡, quod quidem esse verum patet, quia cum Generatio sit mutatio de non esse ad esse ejus est generari aut Fieri cujus est esse. Sed solius totius compositi est esse; id est solum totum compositum habet esse. Ergo solum ipsum dicitur fieri. Minor: materia et Forma potius sunt Rationes essendi, quam habeant esse, cum in suo esse naturali et duratione à completo esse totius dependeant. Ergo solum compositum fit propriè. OBJECTIO SECUNDA (Per Definitionem præfatam describit Principia Generationis non solum ut Generatio sumitur in ratione mutationis; sed etiam ut sumitur in ratione productionis) Probatur: Generatio non tantum sub ratione mutationis; sed etiam sub ratione Actionis et productionis potest considerari, quomodo accepta intrinsecè respicit Agens pro principio. Ergo Cum hic assignet Principia Generationis eaque definiat Philosophus non debet restringi ista Definitio ad Principia Generationis in ratione tantum mutationis; sed debet extendi ad Principia Generationis ut sic prout à quacunque speciali acceptione præscindit. RESPONDETUR Conced. Antecedente Neg. Conseq. Ratio Licet enim possit Generatio considerari etiam sub ratione productionis, tamen in Physicorum non consideratur sub tali ratione; Sed tantum sub ratione mutationis et Principia ejus, hoc secundo modo accepta assignantur in primo Libro Physicorum.

Fieri accipitur dupliciter.

‡ Et Formam per se non generari sed tantum compositum, quod etc.

THEOREMA SECUNDUM.

Principia intrinseca cujuscunque Physicæ mutationis sunt tantum Tria non plura, nec pauciora, scilicet: MATERIA, FORMA ET PRIVATIO.

Notandum Dictum 1mum: A mutatione Physica, de qua hic est sermo, opus est excludere creationem et Transmutationem quia neutra harum est mutatio, vel si est, tamen non potest dici Physica. Dictum 2dum: mutatio ista Physica de qua hic loquimur continet sub se omnes mutationes Physicas Scilicet Substantiales et Accidentales, Naturales, Violentas et Neutras, acquisitivas et deperditivas. Dictum 3tium: Licet ista mutationes omnes ad Physicum spectent, quia ipse de omnibus mobilibus

mobilibus universim agit, tamen Naturalis mutatio et ea quidem acquisitiva potissimum ipsius est juris et ejus Principia debet potissimum inquirere. Dicitur 4tum. Per materiam hoc loco intelligitur quodcunque Subjectum tam mutationis quam motus. Item per Formam quaevis Forma tam Substantialis quam Accidentalis; item per privationem qualibet privatio tam Formae Substantialis quam Accidentalis.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS PRIMA THEOREMATIS (MATERIA, FORMA & PRIVATIO sunt Principia intrinseca omnis mutationis Physicae) Probatur: Illa sunt Principia intrinseca omnis mutationis Physicae quibus positis vel intellectis, ponitur vel intelligitur mutatio. Sed MATERIA, FORMA ET PRIVATIO sunt ea, quibus positis vel intellectis ponitur mutatio. Ergo Haec tria sunt Principia intrinseca omnis mutationis physicae. MINOR: mutatio essentialiter est transitus de quodam ad quoddam. Sed ad hunc Transitum requiritur id scil: quod transit nempe materia; terminus ad Quem transit scil: FORMA et terminus A Quo transit scil: PRIVATIO. Ergo Positis vel intellectis etc. PARS SECUNDA THEOREMATIS (Principia mutationis Physicae intrinseca sunt tantum tria) Probatur: In omni mutatione concurrunt ista tria et haec sufficiunt, pauciora vero nequaquam. Ergo. Ans: quia aliter mutatio non potest concipi nisi concipiendo id quod mutatur ut est materia: id AD QUOD mutat id est Forma in acquisitivis, et Privatio in deperditivis et id a quo mutatur scil: Privatio in illis et Forma in istis. Ergo. Antec. prox. Nam ista tria includuntur in conceptu essentiali mutationis Naturalis (Est enim mutatio Naturalis transitio de non esse ad esse) Ubi duo explicite habentur nempe Privatio et Forma: quia per NON ESSE intelligitur PRIVATIO, per ESSE autem FORMA. 3tium vero habetur implicite: Nam de privatione debet fieri transitus ad FORMAM in aliquo Subjecto ex quo illa expellatur, et haec introducatur. Vel hoc modo. Si Principia non sunt tantum tria. Ergo Aut plura tribus aut pauciora, nil horum. Ergo sunt tantum tria. SECUNDA PARS minoris probatur: Quia si sunt pauciora tribus QUAERO aut sunt duo, aut tantum unum. Sed Neutrum potest dici. Ergo. Non sunt pauciora tribus. Quod non possit esse unum patet: quia Principia debent esse contraria ex 1 Physicorum. At si unum esset Principium, nulla daretur principiorum contrarietas (quia idem non potest sibi ipsi opponi) Ergo Non est unum. Neque etiam possunt esse duo quia unum contrarium non transmutat, nec convertit aliud, sed a communi Subjecto illud expellit. Ergo requiritur quod debeat dari tertium quod sit Amborum susceptibile. Prima Pars minoris: Quod scil: non possint esse plura tribus. Probatur: Quia pro una contrarietate sufficit unicum principium, circa quod, tanquam circa commune Subjectum illa versentur opposita. Porro unam contrarietatem duo tantum extrema constituunt quae quidem contrarietas nonnisi unica in qualibet praedicamento reperit. Extrema vero ipsius duo sunt ista scilicet privatio et Forma in Genere seu in communi, privationes autem et Formae in Specie seu in particulari.

Mutatio Naturalis quid.

Objection.

OBIECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIO.

+Sicut privatio, quandoquidē etc.

Terming A Quo est duplex.

OBIECTIO 1ma (Principia mutationis Physicæ sunt plura tribus) Probatur: Præter ista tria scilt: materiam, Formam et Privationem debet quoque quartum assignari Scilicet Forma expellenda. Ergo erunt plura tribus. Ans: Privatio Formæ introducendæ numeratur inter Principia. Ergo et Forma expellenda debet quoq numerari. Conseq. Quia ista Forma expellenda est terming Generationis à Quo + (quandoquidem materia semper debet esse sub Forma aliqua, certè non potest transire ad novam Formam, nisi à Forma priori) Ergo si Privatio Formæ introducendæ est Principium, sequit quod etiam Forma expellenda erit Principium. RESPONDETUR Neg. 1 Antec. 2 Conseq. 3 Distingu. Antec. Terminus A QUO est duplex. Alius per SE: Alius per Accidens; Forma est terminus A QUO sed per Accidens, non verò per SE, et propter hoc non numeratur inter principia. At vero Privatio est terminus A QUO sed per Se, et ideò est Principium. OBIECTIO 2DA (Principia mutationis Physicæ sunt pauciora tribus) Probatur: Duo sunt tantum. Ergo Non tria. Ans: Generatio in ratione mutationis accepta est Relatio quædam Subjecti informati ad non informationem præcedentem. Ergo Generationis sic acceptæ duo tantum sunt Principia. Cons: quià cujuslibet respectus duo sunt tantum Principia nempè ejus extrema, Fundamentum et Terminus. Ergo. RESPONDETUR Neg. 1 Ante. 2 Cons. Licet enim Generatio in ratione mutationis sit respectus materiæ vel ad Formam novam, vel ad non informationem immediatè præcedentem, tamen hoc non tollit Principiorum ~~[illegible]~~ trinitatem. Ratio quià Respectus iste non fundatur in materia quasi quomodocunq; sed in ea ut de novo informata seu ut aliter se habente secundum Formam ad quam immediatè antea se habebat in quo tria constat intervenire materiam, scilicet veluti subjectum et Fundamentum respectg, Formam in materia quasi rationem fundandi, et privationem immediatè præcedentem tanquam terminum: quare sive explicet per respectum ipsa mutatio, sive per transitū semp tria insinuant in ea.

THEOREMA TERTIUM.
Quartum et Quintū.

3tium: Materia concurrit ad mutationem per modum Subjecti aliter se habentis nunc quam prius. Forma per modum Termini ad Quem transit et quem acquirit scil: ipsa materia. PRIVATIO Per modum termini A QUO transit ~~ad~~ et quem abiicit scil: eadem materia. 4tum: Non omnia Principia Physicæ mutationis sunt positivè vel privativè contraria sed duo tantum scil: Forma et Privatio quæ ambo ad invicem primo per se et directè opponuntur. 5tum: Contrarietas inter Formam et Privationem, seu oppositio ista est ꝑ se privativa, per Accidens autem et Concomitātèr positiva convenitq Formæ et Privationi in communi ut utraq earum extendit se se tam ad Substantialem quam accidentalem tā quā superius ad sua inferiora.

Notes Locum tantummodo non verò tempus his tribg Theorema, tibg à nobis concedi, neque enim tantam hujg quantam illig copiam habemus hac vice.

Contro

CONTROVERSIA TERTIA DE MATERIA PRIMA TRACTANS.

Quia secundo Theoremate Præcedentis controversiæ conclusum est Tria esse mutationis Physica Principia scil: materiam, Formam et Privationem, ideo operæ pretium est ut ea sigillatim expendamus et de singulis ordine agamus, ac imprimis de materia prima circa quam multæ, graves et utiles exstant Difficultates.

THEOREMA PRIMUM.

Materiam et Formam Substantialem dari in rerum natura est certissimum.

Notandum Dictum 1mum: Materia et Forma sunt transcendentaliter Relativa et ideò unius cognitio confert maximè ad cognitionem alterius. Dictum 2dum. Ex nihilo Naturaliter nihil fit, et dum aliquid corrumpitur, non corrumpitur in nihil sed semper in aliquid, est enim verissimum illud Philosophorum dogma: Ex nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.

PROBATIO THEOREMATIS.

Pars prima Theorematis (Datur materia in rerum Natura) Probatur: Id ex quo tanquam ex Subjecto primo omnia fiunt, et in quod tanquam in ultimum resolvuntur, debet dari in rerum natura. Sed materia prima est id, ex quo tanquam ex Subjecto primo omnia fiunt, et in illud resolvuntur. Ergo materia prima debet dari. Major: quia si non daretur id, ex quo, tanquam ex Subjecto omnia fiunt, sequeretur quod omnes res fierent ex nihilo, et in nihilum redirent. Conseq. Falsum. Ergo et Ans. Falsitas: quia si ita esset, tum omnis productio esset creatio aut Transubstantiatio, et omnis corruptio esset annihilatio quod falsum esse patet ex eo quia ex nihilo nihil fit naturaliter, et nulla res in nihil penitus desinit. Sequela: Quandò ex Ligno fit ignis. Quæro vel tum remanet aliquid in igne quod prius erat in Ligno, vel nihil? Si nihil Ergo ignis factus est totus de novo et ita factus est de nihilo sui, et per consequens dicetur creatus potius quam genitus. Si aliquid remanet, hoc non potest esse Forma ligni, quia sic adhuc in igne esset Lignum postquam destructum est lignum: Nam quamdiu est Forma alicujus rei in materia, extat etiam illa res cujus est Forma. Ergo illud quod remanet erit materia. Similiter quandò lignum corrumpitur in ignem, Quæro Aut in igne manet aliquid quod prius inerat ligno, aut nihil? Si nihil. Ergo Naturaliter dabitur Annihilatio, Si aliquid? hoc non potest esse Forma. Ergo Erit materia. Præterea in quavis mutatione necessariò debet dari quodpiam Subjectum quod sub utroque termino possit manere seu quod à non esse ad esse transeat. Ergo etiam in mutatione Substantiali, qualis est generatio Substantialis debet assignari aliquod Subjectum quod à non esse sub Forma ista Substantiali v. g. ignis transeat ad esse sub illa v. g. Aëris. Vel ergo hoc Subjectum præsupponit ante se aliud vel non præsupponit? Si secundum? Ergo Habeo intentum quod scil: detur materia prima: quia Subjectum istud erit Subjectum primum. Si vero tale Subjectum præsupponit aliud, rursus de illo inquiram Subjectum quod supponitur an sit primum, vel an eo aliquid prius detur? Et cum processus in infinitum in causis subordinatis sit impossibilis, necessariò opus erit stare in aliquo, quod ita sit Subjectum ut aliud non præsupponat. Ergo Cum nomine materiæ

materiæ primæ nihil aliud intelligatur nisi subjectum ejusmodi primum omnino opus erit eam dari in rerum Natu-
ra. <u>PARS SECUNDA Theorematis (Datur Forma Substantialis in rerum Natura) Probatur</u>: Illud in rerum Natu-
ra debet dari, quod est principium, quo una Substantia materialis ita in suo esse constituitur, ut per illud Substantiali-
ter differat à quacunque alia re, hoc principio constitutivo carente (nam tale principium omnino est admittendum
quià dari Substantias materiales specie et genere diversas v.g. Hominem, Lapidem est satis manifestum) Sed
Forma Substantialis est tale Principium. Ergo Datur. <u>Minor</u>: Nam Quæro Quid sit illud quo ignis differt essentia-
liter ab Aquâ? vel enim est materia vel Accidentia quæ sequuntur Naturale corpus, ut sunt Qualitates, connatu-
rales, ut sunt calor, frigus, humiditas, siccitas vel Forma Substantialis. Sed Non duo priora. Ergo est ipsa For-
ma Substantialis. <u>Minoris 1ma pars</u> (id est non materia) Quia ratione materiæ non differt ignis ab aqua es-
sentialiter (materia enim est ejusdem rationis in omnibus saltem Sublunaribus) Ergo. <u>2da pars minoris</u> (id
est non accidentia) quià Qualitates unius Elementi aliquandò insunt alteri Elemento v.g. calor ignis a-
liquandò inest Aquæ; Ergo per tales Qualitates substantiæ materiales non possunt ab invicem differre Sub-
stantialiter quià Accidentia hujusmodi non nisi ad summum Accidentalem efficiunt diversitatem. Ergo
concedi debet, <u>3tia pars minoris</u>: Quod scilicet Forma Substantialis sit tale Principium, quo una Substan-
tia differt ab alia essentialiter. <u>Formæ enim Substantialis munus est istud, ut rem Specificè consti-
tuat et distinguat</u>. Undè in Homine non solum Philosophia sed etiam fides docet Animam rationalem esse

<u>Formæ Sub-
stantialis
munus.</u>

tanquam veram Formam informantem, quæ hominem distinguit essentialiter à brutis, quam esse Acciden[s]
non licet dicere quandoquidem etiam post mortem à corpore separata possit existere. <u>Probatur deinde</u>:
Res Naturalis v.g. homo vel lapis est compositum de Prædicamento Substantiæ. Ergo Præter materiam
in tali re est altera pars Substantialis, per quam Formaliter ista res est homo vel lapis quæ pars vocatur à nobis
Forma. Conseq. Quià homo et quodvis aliud Substantiale compositum, vel ideò dicitur compositum quià
solum componitur ex materia et Accidentibus, vel quià constat ex materia et forma Substantiali. Non
primum quià ex accidentibus non fit per se unum. Ergo Secundum.

<u>OBIECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIONES.</u>

<u>OBIECTIO 1ma (Non datur materia prima) Probatur</u>: Materia prima non est necessaria ad genera-
tionem Substantialem. Ergo Non datur. <u>Ans</u>: quià vel est necessaria ita, ut ex illa fiat aliquid vel ita, ut For-
mam sustentet. Sed Neutrum potest dici. Ergo Non est necessaria. <u>Minor quoad 1mum</u>: Quia in Substan-
tiali Generatione debet fieri Ens ex non Ente simpliciter (sicut enim in Accidentali Generatione fit
Ens secundum quid, ex non ente ita in Substantiali cum fiat Ens simpliciter, debet fieri ex non ente simpliciter) Sed
si fieret ex materia, non fieret ex non Ente simpliciter (quià materia non est nihil, sed aliquid) Ergo ma-
teria prima non est necessaria ita, ut ex illa fiat aliquid. <u>Minor quoad 2dum Probatur 1</u>: quià sine ma-
teria potest Forma de novo introduci ut patet in Speciebus Sacramentalibus quibus nutritur homo; nam tunc
inducitur Forma carnis absque materia, non enim est ulla materia ibi. <u>Probatur 2</u>: Quià materia in Substanti-
ali generatione non manet sed corrumpitur, ut dum ex cibo generatur caro, tota cibi Substantia corrumpitur

et tota Substantia carnis generatur: Nam Generatio Substantialis est mutatio totius in totum ex Libro 1 de Generatione. Confirmatur: In Generatione Substantiali totum dicitur produci et fieri. At totum non fieret nisi omnes partes producerentur. Ergo et materia producitur et consequenter non manet eadem sub posteriore quae erat sub priore Forma. RESPONDETUR Neg. 1 Antec. 2 minorem. 3 Probationem Disting. Non Ens simpliciter sumitur dupliciter: 1mo Pro nihilo ut idem sit dicere: Non Ens simpliciter et Nihil. 2do pro illo Ente quod est in Actu incompleto et imperfecto quod est scilicet ordinabile ad aliquem Actum perfectum, et tale Ens est materia prima. Dum ergo generatur aliquid Substantialiter, dicitur fieri ex non ente simpliciter prout Non Ens simpliciter hoc secundo modo accipitur non autem primo. Ad Probationem aliam dico Negando Formam de novo introduci sine materia, quia dum homo nutritur per species Sacramentales dicimus cum Theologis, tunc à DEO produci materiam primam quae Formam carnis recipit introductam. Ad Secundam probationem dico Negando materiam corrumpi in Generatione Substantiali, et dum probatur Disting. Totum: Quia dupliciter totum accipitur 1mo Syncathegorematicè id est pro toto et singulis ejus partibus. 2do Cathegorematicè pro toto ut dicit compositum ipsum ex partibus. Generatio ergo Substantialis est mutatio totius in totum sumendo totum non syncathegorematicè sed tantum cathegorematicè prout scilicet dicit compositum illud per se unum ex materia & Forma constitutum, nam vera est mutatio totius hoc modo sumpti in Substantiali Generatione quia materia cum nova Forma novum totum constituit specie distinctum à priori toto. Ad confirmationem per eandem Distinctionem de toto datam Respondeo; dum enim generatur totum non est sensus quod producantur singulae ejus partes sed quod unum Ens per se ex iis constitutum producatur et generetur.

Definitio Generationis Substantialis.

Non Entis duplex Acceptio. puta Simplicis.

330

Totum dupliciter accipitur. Syncathegorematicè et Cathegorematicè.

OBJECTIO SECUNDA (Forma Substantialis non datur) Probatur: Ubi sufficiunt pauciora ibi non sunt opus plura (quia Natura ut nihil omittit necessarium, ita nihil addit superfluum) Sed omnia ea propter quae Forma Substantialis poni asseritur, possunt poni et fieri per sola accidentia. Ergo Forma Substantialis non est necessaria. Minor: Tria sunt quorum causa deberet poni: Forma Substantialis Primum esse aut constitutio rerum Essentialis. 2do Distinctio earum. 3tio Operatio. Sed ad haec omnia obeunda sufficiunt sola Accidentia. Ergo possunt ea omnia poni per Accidentia propter quae Forma Substantialis requiritur. Minor: Quia per sola Accidentia res una potest distingui ab alia, ut ignis per calorem differt ab aqua. Porro una res potest differre ab alia per Accidentia. Ergo et constitui poterit per eadem, quia per id res constituitur per quod distinguitur, eadem enim sunt principia constitutiva et distinctiva. Idem per sola Accidentia potest operari, sicut idem ignis per eundem calorem per quem distinguitur ab aqua agit in ipsam. Ergo ad omnia ista obeunda sufficiunt Accidentia. RESPONDEO Negando 1 minorem. 2 etiam minorem. 3 Distinguo Probationem: Accidentia sufficiunt ad ponendam distinctionem Accidentalem Concedo. Sufficiunt ad ponendam Distinctionem ~~[illegible]~~ Essentialem Nego. Deinde res potest constitui

Axioma.

Axioma.

Substantia agit per sua Accidentia non simpliciter sed melius.

constitui per sola Accidentia in ESSE Accidentali Concedo. Potest constitui in esse Substantiali Nego.

THEOREMA SECUNDUM.

Materia Prima est Ens Reale positivum de Prædicamento Substantiæ distinguiturque à Forma Realiter.

Materiæ Primæ Definitio.

Notandum 1mum Dictum 1mum: Materia non sumitur hoc Loco metaphoricè pro præmissis Conclusionis aut pro terminis Enunciationis, aut pro quocunque alio. Nec metaphysicè pro quocunque perfectibili quâ ratione Genus dicitur materia, respectu Differentiarum. Nec in acceptione Artificiali pro Subjecto Arte factorum sicut dicitur Lignum esse materiam Statuarii: Nec mathematicè quo modo quantitas dicitur materia Figurarum, quià perficitur et determinatur à Figuris: sed sumitur Physicè prout significat alteram partem compositi Physici substantialis.

Quomodo materia hic sumatur

NB

Divisiones materiæ sunt variæ.

Dictum 2dum: Divisiones materiæ sunt variæ. 1mo materia est duplex. 1ma Alia quæ est Simplex in Formis et omnium Formarum capax de qua loquimur in hac controversia tota. Alia Secunda quæ est quid compositum ex materia 1ma et Forma, et est Substantia perfecta et Subjectum Accidentium, vocatur tamen materia respectu Formæ posterioris et perfectioris cui Subjicitur recipiendo ipsam: Sic Elementa v.g. Ignis Aër etc. Sunt materia Elementatorum v.g. Lapidum, Arborum, Animalium etc. et corpus organicum ipsius Animæ. 2do Materia est Triplex. ALIA ALTERATIONIS tantum ex qua mutata res manente res efficitur, sic alimentum viventis et ligna ignis materiam dicimus. ALIA COMPOSITIONIS tantum ex quâ manente nec alteratâ res fit, Sic literæ sunt materia syllabarum et lapides domus. ALIA utriusque et ALTERATIONIS ET COMPOSITIONIS simul, ex qua vinizum [illegible] et manente et tamen aliquomodo alteratâ res fit, sic se habent miscibilia ad mixtum ut patet in eximele. 3tio materia est triplex: EX QUA, IN QUA et CIRCA QUAM. 4to: Materia est duplex: Alia Proxima, alia Remota. Proxima est ex qua immediatè potest fieri id cujus dicitur esse materia: Sic Lignum est materia Scamni, Terra verò vel Aqua est remota. 5to materia alia est ESSENTIALIS ut corpus respectu hominis. ALIA INTEGRALIS seu Quantitativa ut caput, manus respectu ipsius corporis.

NB

Nomina quibus materia prima appellatur sunt varia

Duæ sunt Definitiones materiæ primæ ab Aristotele assignatæ.

Dictum 3tium: Nomina quibus materia prima appellatur sunt varia v.g. Chaos, Hyle, Subjectum, materia massa, Origo, Elementum, Sylva, Mater, Turpe, Genus, maleficum, Non Ens, Propè nihil, Crema[illegible]um, Receptaculum, Nutrix etc. Notandum 2dum Dictum 1: Duæ sunt Definitiones materiæ primæ ab Aristotele assignatæ Una est talis: Materia Prima est Substantia quæ ita se habet ad Formas Substantiales sicut æs vel Lignum ad Artificiales (Æs et lignum non accipiuntur hic ut sunt in suo esse Substantiali completa, sed ut in Genere Artificiali sunt in pura potentia ad hanc vel illam Formam Artificialem

+ umbra inanis simul parvum et magnum, etc.

Duæ Definitiones materiæ primæ Aristotelis.

Artificialem arbitrio Artificis recipiendam: Sic materia prima est in pura potentia ut hâc vel illâ Forma Substantiali informetur). Alia Definitio est talis: Materia prima est primum Subjectum uniuscujusque ex quo fit aliquid cum insit non secundum Accidens, et si aliquid corrumpitur in hoc ultimum abit. Cui Definitioni potest addi quod materia prima est Substantia quædam imperfecta et incompleta, Subjectum primum omnium Formarum Accidentalium et Transmutationum, et pars essentialis compositi Substantialis per modum per se potentiæ. Dictum 2: Per verba (Subjectum primum omnium Formarum et Transmutationum) differt materia prima à composito quod est subjectum omnium Formarum Accidentalium ac etiam transmutationum et quandoque etiam Substantialium, si est compositum incompletum Formæ nobiliori essentialiter subordinatum, non tamen primum. Item per eadem verba differt à Forma quæ est Actus et Terminus transmutationis, non verò Subjectum (Per ly ex quo fit aliquid) ~~cum insit~~ Datur intelligi quod materia prima sit Principium in FIERI. Per (ly cum insit) insinuatur materiam primam esse principium nedum in Fieri ut est Privatio; sed etiam in Facto esse quià remanet in composito (Per ly non secundum Accidens) differt à Subjecto Accidentis ex quo non ~~fit~~ unum per se sed per accidens (Per ly et si corrumpitur aliquid, in hoc ultimum abit) 1mo assignatur Differentia materiæ à Formâ quæ in corruptione desinit. 2do ostenditur materiam esse Subjectum non tantum in Generatione, sed etiam in corruptione. 3tio Significatur: quod licet in aliquibus corruptionibus non fiat immediatè resolutio usque ad materiam primam, ut in viventium interitu accidit, tamen in aliquibus oportet eam esse usque ad materiam 1mam quæ est ultimum Subjectum. Per (Substantiam imperfectam et incompletam) differt non solum à corpore Elementato composito, quià etiam sic Forma dicitur substantia imperfecta et incompleta; sed etiam ab ipsa Forma à qua petit Substantialiter perfici et absolvi; quià etiam materia in suo gradu potest dici perfecta, sicut Latro in suo Genere dicitur bonus quatenus in latrocinando est diligens, et cautus et hoc est verum: Nam juxta Philosophum 5 metaphysicorum PERFECTUM est cui nihil deest in suo Genere. Sed materia ita se habet quià nihil illi deest eorum, quæ ad ejus essentiam et integritatem spectant. Ergo materia prima est perfecta. Per (Pars essentialis compositi) differt à parte integrali, sine quâ Essentia compositi potest consistere ut homo sine manu. Per (modum per se potentiæ) differt à Forma quæ est pars per modum per se Actus. Dictum 3tium. Hoc Theorema quoad omnes partes est verum in omnibus Scholis.

Declaratio 2dæ Definitionis.

Definitio Perfecti.

PROBATIO THEOREMATIS HUIUS.

PARS PRIMA THEOREMATIS (Materia prima est Ens verum Reale positivum) Probatur: Materia prima secundum se considerata vel est aliquid in Rerum Natura vel nihil? Non potest dici Secundum. Ergo debet dici primum. MINOR: quia illud non est nihil quod est Principium rerum in Fieri et primum Subjectum omnium mutationum substantialium quodque est per se causa intrinseca compositi Substantialis et Fundamentum Formarum ac secundum Theologos Terminus creationis. Sed materia prima est ejusmodi. Ergo materia prima non est nihil. Confirmatur eadem minor: Si materia prima esset nihil, sequeretur quod composita naturalia in suo esse dependerent à nihilo, id est à Non Ente. Cons. Falsum. Ergo et Antec. Sequela: quia principiatum et causatum dependet à causa, et suo principio. Ergo si materia prima est nihil et est tamen Principium rerum Naturalium, sequitur quod res naturales dependeant à nihilo. PARS SECUNDA THEOREMATIS (materia Prima est Entitas de Prædicamento Substantiæ) Probatur: Materia prima est aliquid, non verò nihil ut modo fuit probatum, tunc Quæro vel est Substantia vel Accidens. Non secundum. Ergo primum. Minor: Illud non est Accidens quod est Subjectum Formæ substantialis, et est pars constitutiva substantiæ compositæ. Sed materia est talis. Ergo. PARS TERTIA THEOREMATIS (Materia prima est realiter distincta à Forma) Ratio 1ma quia extrema Relationis realis actualis sunt actualiter inter se reipsâ distincta. Sed inter materiam et Formam est Relatio realis scil: unio earum ad invicem. Ergo sunt Actu et reipsâ inter se distincta. Ratio 2da: Omnis entitas absoluta quæ successivè stat cum rebus essentialiter distinctis, distinguitur Actu realiter ab eis. Sed materia est Entitas absoluta, et stat successivè cum Formis essentialiter distinctis videlicet cum Forma ignis, Aëris, plantæ etc. Ergo Distinguitur Actu realiter ab eis. Ratio 3tia. Ens incorruptibile distinguitur Actu realiter ab Ente corruptibili. Sed materia prima est incorruptibilis ex π Physicorum c. 9. Forma verò est corruptibilis. Ergo distinguitur à Forma Actu realiter. Ratio 4ta: Illud quod præcedit aliud duratione, est ab eo realiter distinctum. Sed materia præcedit Formam duratione. Ergo. Ratio 5ta. Alias si materia non esset distincta à Forma realiter, sequeretur quod non esset Subjectum Formæ; deinde non esset altera pars (totum enim corrumpitur, nullâ parte corruptâ) compositi. Item Generaretur et interiret ad interitum Formæ; tandem compositum esset entitas simplex non autem composita. Conseq. Falsum Ergo et Antecedens.

OBJECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIONES.

OBJECTIO PRIMA (Materia prima non est Ens) Probatur: A quo removentur omnia prædicata Generalissima quæ conveniunt Enti, illud non est Ens. Sed à materia prima removentur omnia prædicata generalissima. Ergo materia prima non est Ens. MINOR: Quia prædicata ista: QUID, QUALE, QUANTUM etc sunt generalissima. Sed hæc removentur à materiâ Primâ (quia π metaphysicorum dicitur

dicitur quod materia nec est Quid, nec Quale, nec Quantum, nec aliud eorum quibus Ens denominatur)
RESPONDEO Nego minorem et Probationem Distinguo. Prædicata ista: Quid, Quale, Quantum possunt sumi dupliciter scil: Prædicamentaliter et Transcendentaliter, item pro Entibus completis vel incompletis. Si sumantur Prædicamentaliter vel completè, tunc dico ea removeri à materia quià revera materia non est Substantia in recto, nec est quid perfectum et completum, sed est Ens incompletum. Si verò sumantur Transcendentaliter, et pro Ente incompleto, sic Nego removeri quià materia est aliquid et continetur sub Ente seu sphæra Entis non verò sub Nihilo seu non Ente. Undè sensus illius Definitionis est iste: Materia prima non est quid id est non est Substantia in recto (Supple completa) qualis est homo, aqua, metallum etc. Non est Quale, nec Quantum, id est non est Qualitas aut Quantitas, aut Relatio aut aliud Accidens. Ut hoc concipiatur proderit materiam primam dupliciter considerare 1. Absolutè quoad se ipsam quasi non descendendo ad ea quæ fiunt ex illa materia. 2do Respectivè scil: eundo ad ea quæ fiunt ex illa. Primo modo tunc ista habebit Prædicata et est q^d seu aliquid, est Ens, Unum, verum, bonum. etc. Secundo autem modo nihil erit eorum quæ fiunt ex illa: quià non est asinus, nec ignis, nec Aurum. OBJECTIO SECUNDA (Materia prima non est de Genere Substantiæ) Probatur: Quod pertinet ad aliquod Genus scilicet Prædicamentum, necessariò pertinet ad aliquam determinatam et infimam illius Generis speciem (quod enim determinat sibi Genus determinet sibi quoque speciem ut patet inductivè. Nam quod est Animal, necessariò quoq; est vel Homo, vel equus, vel Asinus) Sed materia prima ad nullam determinatam speciem prædicamenti Substantiæ pertinet. Ergo etc.
DICES majorem esse veram de his tantum quæ pertinent ad Prædicamentum directè, non autem de illis quæ spectant reductivè sicut est materia prima. CONTRA: Etiam de his major est vera. Nam Anima Rationalis indirectè spectat ad Genus Substantiæ, et tamen est in specie determinata Substantiæ reductivè scil: in specie humana. RESPONDETUR Neg. majorem, probationem autem ipsius Distinguendo. Ea quæ pertinent ad aliquod Prædicamentum sunt duplicia. Alia sunt completa, alia incompleta. Item alia sunt Determinantia, alia verò determinabilia. Propositio ergo illa (quod sibi determinat Genus, determinat quoq; sibi Speciem) valet de Entibus completis, qualia sunt individua: Si enim Petrus est Animal, necessariò quoquè est homo, at verò de Entibus incompletis non est vera. Deindè licet sit vera de partibus determinantibus tàm Physicis quàm metaphysicis tamen non est vera de partibus determinabilibus, quamvis enim Rationalitas necessariò sibi Speciem humanam determinet, non tamen Animalitas, et ideircò non valet paritas de Anima et materia prima, quià Anima est pars determinans et Specificè distinguens, non sic materia.

THEOREMA TERTIUM

Materia prima ante adventum Formæ licet careat Actu Formali, non tamen caret Actu Entitativo, et licet sit in pura potentia Subjectiva, non tamen est in Objectiva.

Notand.

Marginal notes:

Prædicata ista Quid, quale, quantum, possunt sumi dupliciter.

Prodest materiam dupliciter considerare.

Ea quæ pertinent ad aliquod prædicamentum sunt duplicia.

Juxta Scotistas.

Quid intelligit. pilla verba materiam trā-sire à non esse ad esse.

Notandum 1mum Dictum 1mum: Hoc Theorema indiget multâ explicatione, estquè nimis controversum
Quiâ materiam primam habere Actum Entitativum modo icus/ Scotistæ affirmant: Thomistæ verò negāt; sed
negant quoad vocem potius, quam quo ad rem: nam et in ipsorum Sententia materia prima ante adventum For-
mæ debet esse sub altera parte contradictionis scilic(Sub esse): quiâ materiam transire à non esse ad esse nihil
aliud intelligitur juxta nos/ nisi eam esse in rerum Natura Actualiter, non vero potentialiter. Dictum 2dum: Theorema
istud nihil aliud docet, nisi materiam primam ita in rerum Natura esse Actualiter ante adventum Formæ
ut liceat dicere de illa quod dum est sub altera parte contradictionis, non sit in potentia objectiva, sicut est
Antichristus modo, sed quod iam sit in Actu, seu Actualiter prout Actus iste negat Potentiam Objectivam &
prout actualiter opponitur voci/ τῷ (potentialiter) Dictum 3tium: Ne sit controversia de nomine, seu voce
dicimus apud nos pro eodem ista sumi. Materia 1ma ut est sub Affirmativa parte contradictionis post
sui productionem habet Actum Entitativum. Materia 1ma non caret Actu Entitativo. Materia prima
est Actu, seu est in Actu, seu est Actualiter: non est possibilis seu producibilis; sed est iam Actualis seu jam
Actu producta: Id est non est ita Ens in pura potentia ~~sicut Rosa hyeme~~ sed magis Ens ~~quia~~ scilicet iam
habet suam Entitatem Realem in rerum natura Actualiter, quam quidem entitatem Rosa hyeme solum

N3

habet potentialiter. Notandum 2dum Dictum 1mum: Sicut sunt duæ partes contradictionis (non esse
et esse) ita duo sunt status rei: Unus Possibilis seu Objectivus. ALTER Actualis seu Entitativus. Quandò
Scotistæ volunt exprimere materiam esse in primo statu, id est ante productionem, tum sic loquunt: Mate-
ria est pura potentia seu est in potentia objectiva, seu caret Actu Entitativo, seu non est in rerum na-
tura Actu; sed tantum potest esse id est est ~~Ens~~ producibile, non verò iam Actu productum. Quandò autem vo-
lunt eandem exprimere in secundo statu ~~in~~ scil: Sub affirmativa parte contradictionis post ipsius producti-
onem, tunc sic loquuntur: Materia prima habet Actum Entitativum, seu materia prima est
Actu, seu materia 1ma est in rerum natura Actualiter, non verò potentialiter seu est Ens iam Actu pro-

+ non vero producibile.

ductum+. Dices: Utique materia prima in secundo statu etiam ut est jam producta, est Ens in pura po-
tentia. RESPONDEO Concedo (licet alii negent) esse in pura potentia scili: ~~aut~~ autem subjectiva ô objectiva, non quod
sit producibilis sicut in primo statu erat, sed quod jam producta ita se habeat, ut omninò perfici, actuari &
determinari à Forma cupiat. Licet enim materia prima in secundo statu sit Actu, tamen non est ipse Actus
Formaliter sed est potentia seu entitas fundans potentialitatem. Dictum 2: Sicut Entitas illa de qua
verè dicitur vulgo Actus potest dici potentialis, seu Esse in potentia, seu potentialiter v.g. Anima Rati-
onalis est Actus, et tamen antequam producatur per creationem, dicimus Animam esse in pura poten-
tia. Ita Entitas illa de qua prædicatur Potentia potest dici Actualis, seu esse in Actu seu Actualiter dum
reperit in rerum natura extra suas causas, et hoc modo materiam primam nos dicimus esse Actu seu habe-
re Actum entitativum. Hujus rei sit istud exemplum: Paulus duos annos natus est in potentia Actualiter

out sit Sacerdos.

ut sit Sacerdos, quiâ si Paulus concipiatur ante nativitatem verum est dicere quod Paulus est in Potentia ut
item concipiatur post nativitatem verum etiam erit dicere quod Paulus est in potentia ut sit Sacerdos. Quæro
nunc an idem sit omninò sensus utriusque propositionis, et ante nativitatem & post nativitatem de Paulo Forma-
ta: [illegible]

Formatæ? mihi sanè videtur diversus: quia 1ma Propositio non modo Sacerdotium; sed etiam ipsum Paulum esse in Potentia significat. At verò in secunda Propositione Paulus est in Actu, Sacerdotium verò in Potentia, et ideò in prima propositione licet dicere Paulus est non Actualiter, sed potentialiter tantum in potentia ut sit Sacerdos + quià (Ly esse in potentia ut sit Sacerdos) est prædicatum conveniens Paulo et ante et post nativitatem † quod prædicatum opus est determinare non scilicet Actu an verò potentiâ solummodo insit ipsi Paulo (omne enim prædicatum quod alicui tribuitur debet inesse vel Actu vel potentiâ) et determinatur ita dictum est. Notandum 3tiû

+ in secunda verò è contra Paulus est Actualiter ô verò potentialiter ut sit Sacerdos quià Ly etc.

Dictum (1) Potentia est duplex et similiter Actus. 1ma Potentia dicitur OBJECTIVA secundum quam res cujus est talis potentia potest esse objectum alicujus potentiæ productivæ. undè Rosa generanda dicitur esse in potentia objectiva, et generaliter omne id, quod non est sed potest esse dicitur esse in potentia objectiva: huic potentiæ respondet proprius Actus: nam ipsa eadem res quæ ante sui productionem dicebatur esse in potentia objectiva, postquam est producta dicitur esse in Actu objectivo, seu in Actu Entitativo, quià est entitas Actu posita in re extra suas causas habens verum esse reale Actuale. Alia est POTENTIA SUBJECTIVA et est illa per quam aliquid subjicitur Formæ, ipsa verò Forma sive Substantialis sive Accidentalis dicitur Actus Formalis huic potentiæ subjectivæ correspondens. Dictum (2) Istæ duæ potentiæ differunt. 1mo: Quià potentia objectiva non est subjectum alicujus Transmutationis, sed potius est veluti terminus, potentia verò subjectiva est reale subjectum transmutationis. 2do Differunt quià Potentia objectiva multiplicatur ad multiplicationem suorum Actuum: Alia enim est potentia objectiva quâ rosa est possibilis produci, alia quâ Leo, alia quâ homo etc. Potentia verò subjectiva est una plurium Actuum ~~(saltè Accidentalium tantum)~~ eadem enim superficies est in potentia ad albedinem et nigredinem, et ad alios colores, et eadem materia prima ad plures Formas Substantiales.

† ut enim ante nativitatem est in potentia ut sit Sacerdos, ita et post nativitatem, quod etc.

Potentia est duplex, similiter Actus.

Dictum (3) Potentia OBJECTIVA De qua nunc est sermo, non est illa quæ est Principium operandi, ut est visus, gustus, intellectus, sed illa quæ distinguitur contra Actum qui est altera Entis Differentia. Ens enim dividitur à Philosopho et Metaphysicorum per Actum et Potentiam tanquam per Differentias compositas.

Entis Divisio.

Dictum (4) Potentia Objectiva non est aliquid Reale Actu existens in re cujus est, sed solum est non repugnantia Rei ad produci, in esse Actualis existentiæ quæ competit rebus ante mundi constitutionem per esse cognitum quod habent in Divino intellectu, rei enim habenti esse cognitum in DIVINO INTELLECTU per se ipsam Formaliter non repugnat esse, et per se ipsam Formaliter repugnat habere esse necessarium ex se, in quibus duobus consistit tota possibilitatis ratio. Res ergo se ipsa Formaliter et intrinsecè est possibilis, extrinsecè verò et quasi principiativè à Divino intellectu producente illam in esse cognito. (Dictum (5) Potentia objectiva dupliciter accipitur: 1mo pro ipsa re possibili quæ nondum ~~nunquam~~ habet esse extra suas causas: sic accipitur in Divisione Entis juxta aliquos cum in Actum et in Potentiam dividitur; et in hac significatione quicquid non habet esse extra suam causam, potest tamen ~~dici tamen~~ illud habere dicitur Potentia. ~~Sicut quod habet esse extra suam causam. Potest tamen illud habere, dicitur Potentia~~ sicut quod habet esse extra suam causam potest dici ~~(non potentia sed)~~ Actus; sed tunc Actus et Potentia non sunt Differentiæ Entis; sed veluti partes ejus subjectivæ. 2do sumitur potentia objectiva pro non repugnantia rei ad

Potentia Objectiva quid.

Potentiæ objectivæ duplex Acceptio.

rei ad esse in Actuali existentiā, et tunc res quæ non est in rerum natura, potest tamen esse dicitur Ens in potentia objectiva, sicut res habens esse extra suam causam dicitur Ens in Actu, et tunc Actus et Potentia sunt veluti Differentiæ Dividentes Ens, ab hac potentia Objectiva dicitur aliquid possibile quod est objectum potentiæ Activæ, quia non illud in esse possibili producat; sed quia illud in esse existentiæ Actualis potest producere. Notandum 4tum Dictum 1mum. Si quis concessa majoris propositione neget consequentiam hic (Materia prima est pura potentia Actu seu Actualiter. Ergo materia prima habet Actum entitativum) Scias de voce tantum esse litem et vix opus esse Disputatione. Nam revera apud Nos ut-

Per Actum Entitativum quid intelligat

mus in hoc Theoremate per Actum Entitativum nihil aliud intelligit, nisi id, per quod potentia objectiva excluditur, id est id, per quod res non amplius dicitur possibilis, sed actu esse in rerum Natura, seu id per quod verificatur ~~propositio~~ propositio de præsenti, et de inesse quod scilicet res est. Et dum dicimus quod materia prima habeat Actum Entitativum, per hoc exprimimus illam esse extra suas causas et jam productam non verò producibilem, neque hic adhuc de ejus existentia disputamus sive enim habeat illam absque Forma ut Nos dicimus, et sequenti Theoremate ostendemus, sive illam à Forma recipiat ut Thomistæ docent, hoc certum est quod materia prima ante adventum Formæ ut transiit à Non esse ad Esse sit in rerum natura Actu seu Actualiter, et quod de illa verificet hæc propositio (Materia prima est) Non vero illa propositio (Materia prima potest esse) Dictum 2dum: Etiam Thomistæ Actum Entitativum coguntur admittere saltem re, si concedunt hanc propositionem (Materia prima post sui productionem ante adventum Formæ est Actu) quia (lÿ Actu) non dicit Actum Formalem à Forma provenientem, sed aliquem alium, et secundum nos dicit quidem existentiam ipsam, quæ est veluti modus intrinsecus quo dicitur extra causas stare, hoc enim sonat vox (Existere) et ita Actus Entitativus materiæ erit existentia ipsius materiæ id est modus intrinsecus materiæ. At verò secundum Thomistas apud quos existentia realiter differt ab Essentia, et entitate rei, etiam extra causas positæ per Actum Entitativum, qui potentiam objectivam à re primo excludit debet intelligi Entitas rei, ut actualiter extra causas posita. Et cum hoc materia habeat antecedenter ad existentiam secundum ipsos, fateri debent Actum Entitativum ipsam obtinere etiamsi non existeret nisi existentia Formæ vel compositi sicut humanitatem assumptam in Christo utique fatentur propriam Actualitatem habere etiamsi non habeat juxta ipsos propriam existentiam.

‡ Nec propterea dicetur materia materiæ sed aliquid ipsius materiæ id est etc.

Dictum 3tium: Ad hoc ut aliquid sit in potentia Subjectiva duæ requiruntur conditiones 1ma est (QUOD sit) ideò illa quæ non sunt sicut Antichristus non dicuntur esse in potentia subjectiva nisi fortè potentialiter. 2da (ut possit aliquid recipere) ideò DEUS non dicitur esse in potentia Subjectiva, cum nihil possit recipere, unde esse in potentia Subjectiva, illud dicitur esse quod est et potest recipere aliquam Formam, sive Substantialem sive Accidentalem, et hoc modo materia prima dicitur esse in potentia.

Ut aliquid sit in potentia Subjectiva duæ requiruntur conditiones.

Dictum 4tum: Ad hoc ut aliquid sit in Potentia objectiva etiam duæ conditiones requiruntur. 1ma (Quod non sit) ideo Entia quæ existunt non

Ut aliquid sit in Potentia objectiva, duæ requiruntur conditiones.

existunt non sunt in Potentia objectiva. 2da (QUOD POSSIT ESSE) ideò Chymæra non est in Potentia objectiva quià non potest esse. Undè illud dicitur esse in potentia objectiva quod non est et potest ẽẽ. De acceptione Actus vide alibi.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS PRIMA THEOR: (Materia prima caret Actu Formali) Hæc pars ab omnibus conceditur quià materia prima est simplex Entitas, at si haberet Actum Formalem iam non esset simplex sed composita (quià constaret ex Actu et potentia) Ergo. PARS SECUNDA THEOREMATIS (materia prima non caret Actu entitativo) Probatur 1mo materia prima est Principium verum in Fieri, est causa Realis, est Entitas extra suas causas posita, est realiter actualiter distincta à Forma (ut dictum est 2do Theoremate) Ergo. Probatur 2do Ex Modullensi. Dum dicis materiam non esse in Actu, sed tantum in Potentia, seu esse Entitatem potentialem non verò Actualem, ne sit quæstio de nomine Quæro aut intelligis ipsam esse potentialem, quià est receptiva Formæ Substantialis, aut quià in se non est quidditativè aliqua Entitas Actualis? Si 1mo modo vocas materiam potentialem, nobiscum sentis, atq ex hoc non potes inferre, ipsam non esse secundum se in rerũ natura Entitatem actualem, imò debes inferre oppositum, cum solum Ens Actu extra causas positum sit fundamentum idoneum, et susceptivum Actualis Entitatis, qualis est omnis Forma Substantialis. Si secundo modo vocas potentialem, hoc tueri non potes, nisi dicendo vel materiam esse rem possibilem in rerũ natura, et non extra causas productam, ut est Antichristus, vel esse in rerum natura per solam Entitatem Formæ, seu quid indistinctum ab ea quod est falsum: quià tunc in composito non esset nisi sola Entitas Formæ. Item iam sic materia non esset compars cum Forma. Item compositum esset simplex Entitas. DICES concedendo materiam esse Entitatem in composito ab Entitate Formæ realiter distinctam, non tamen ideò eam habere rationem Actus entitativi, non enim verum est quod quicquid habet rationem aliquam Entis, etiam habeat Actum Entitativum, quià hoc tantum convenit existentiæ — quæ dicitur Actus respectu essentiæ quâ caret etc. — quâ caret materia. CONTRA Si iuxta te materia prima habet entitatem distinctam à Forma. Ergo etiam distinctam existentiam habebit ab existentia Formæ. Conseq. quia essentia non differt realiter ab existentia. vide sequens Theorema. Probatur 3tio: Illud non caret actu Entitativo, quod potest dici Entitas Actualis ante adventum Formæ. Sed materia prima est talis. Ergo. MINOR: Omnis entitas realis quæ terminat productionem Agentis Actualem potest dici Entitas Actualis, quià iam non est amplius res possibilis sed Actualis) At materia prima ante adventum Formæ, est Entitas realis terminans Actu productionem Agentis (quià est terminus creationis secundum suam Substantiam) et prius naturâ terminat eam quàm informetur à Forma. Porrò illud habet veram Entitatem Actualem et veram existentiam, quod est terminus creationis (nam creatio terminatur ad Entitatem in Actuali existentiâ non verò possibili) Ergo. DICES 1mo: materiam ẽẽ terminum creationis.

sed

Sed post receptionem existentiæ à Forma. CONTRA Materia prima, ante receptionem istius existen-
tiæ à Forma est Actualiter creatura. Ergo et terminus creationis est ante receptionem. Conseq.
Quià esse creaturam, et esse terminum creationis inferunt sese. Ans: Prius in re est id, quod est illi
intrinsecum, et realiter identificatum quàm illud quod est ei extrinsecum. Sed esse creaturam est
intrinsecum materiæ, et realiter ipsi identificatum (quià est Relatio Transcendentalis essentialis de-
pendentiæ) existentia verò à Forma proveniens est quid illi extrinsecum. Ergo esse creaturam prius est
materiæ quàm existere ipsam per Formam. Dices 2do: materiam non creari sed concreari. CONTRA
Sit ita, non tamen per hoc excludetur ab ea vera Actualitas, quià sicut creatio est necessaria ad rem ex-
istentem tanquam ad terminum; ita et concreatio. Præterea demus, quod DEUS TER. OPT. MAX.
ex nihilo materiam bovis generandi producat, ex qua Formam ejusdem producat, in hoc casu creatio solum
terminabitur ad materiam, quià Forma bovis non creatur. Ergo materia sola tunc est terminus creatio-
nis. Ergo habet Actualitatem aliquam, quià creatio necessariò habet pro termino rem in Actuali
existentiâ. Sed illa existentia non est Forma, quià prius terminatur Actio creandi ad materiam
quàm sit Forma educta, vel quàm educatur ex materia, siquidem ex ipsâ educitur. Ergo. Dices
3tio: Materiam primam esse Ens in Actu; sed non nisi per Formam. CONTRA: Licet Forma præ-
cedat materiam ordine perfectionis, non tamen ordine originis quià simpliciter materia est prior
quàm Forma. Atque ita nullum esse actuale intrinsecum, habet ab ea, quià prius non habet esse à
suo posteriore. Nec sufficit dicere, quod Forma est prior in genere causæ Formalis, tùm quià abso-
lutè loquendo materia præcedit Formam, siquidem est subjectum de quo Forma educitur. Tum etiam
quià Forma respectu materiæ non habet rationem causæ, imò è contra. materia est causa Formæ
siquidem eam sustentat, et de sua potentia emittit. Probatur 4to: Quod habet suam propriam
existentiam, illud habet Actum entitativum (quià per Actum entitativum intelligitur existentia)
Sed materia prima habet suam propriam existentiam. Ergo. Minor: Non habet illam à For-
ma, quià non potest materia existere per existentiam distinctam à se realiter, nam alias debe-
ret inter talem existentiam, et ipsam materiam intercedere Unio distincta et à materia &
ab existentia tali, tanquam ab extremis, quod certè est falsum. Nam ante talem Unionem, cum
existentiâ à Forma provenientem, iam materia prima habet suam propriam existentiam. Quod
probo: Quià illa unio, cum existentiâ Formæ non potest concipi esse inter materiam et existen-
tiam, antequam informetur materia à Forma (nam ideò materia unitur cum existentia Formæ
quià informatur à Forma) illa enim unio oritur ex informatione materiæ per Formam.) Sed ante in-
formationem, iam materia habet suam existentiam. Ergo. Minor: Quia informatio Actualis sem-
per

semper præsupponit extremam existentia Actualiter. Probatur 5to: materia prima ante receptionem existentiæ à Forma est realiter actualiter distincta à Forma. Materia prima ante receptionem existentiæ actualiter unitur Formæ. Item verificatur de illa hæc propositio (materia prima est; seu materia prima jam est producta) Non verò illa (materia jam potest esse, seu materia prima est producibilis, seu materia prima est in sua causa) Ergo pro illo instanti non caret Actu Entitativo. Cons. quia omnis relatio Actualis præsupponit fundamentum Actuale. Sed Distinctio, item unio Actualis est Relatio. Ergo. Probatur 6to: Rationibus sequentis Theorematis.

OBJECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIONES.

OBJECTIO 1ma (Materia 1ma non caret Actu Formali ante adventum Formæ) Probatur: Materia ante formæ adventum habet aliquem Actum, sed ille nullus est alius præter Formalem. Ergo. Minor Quià ille Actus quem habet materia, non est Entitativus. Ergo est Formalis. Ans. Vel enim iste Actus entitativus est aliquid vel nihil? Si nihil. Ergo Non datur. Si aliquid? vel est Substantia, vel Accidens. Neutrum potest dici. Ergo. Non est Accidens quià alias materia prima esset accidens. Non est Substantia. Substantia enim secundum Philosophum dividitur in materiam, Formam et compositum. Sed iste Actus entitativus non est Forma, quià distingitur ab illa, multo minus est compositum quià sequeretur quod in Entitate materiæ esset compositio materia cum Formâ. Si autem iste Actus est materia, sequitur quod erit materia materiæ, et sic materia constabit ex alia materiâ. RESPONDETUR Neg. minorem 2 Antec. Ad probationem Dico Actum Entitativum esse aliquid, non verò nihil et licet non sit Substantia aut Accidens, est tamen passio Entis quià Actus entitativus et existentia est passio Entis Realis, seu modus intrinsecus, et sic non est materia, neque Forma neque compositum; sed est existentia materiæ, et dum dicitur materiam habere Actum Entitativum, est ac si dicatur quod materia prima habeat existentiam quià per Actum Entitativum nihil intelligitur nisi esse extra suam causam, et esse Ens positivum ut distinguitur à nihilo. OBJECTIO 2da (Materia prima caret Actu Entitativo) Ratio 1ma Alias ex materia et Forma non fieret per se unum, quia ex duobus entibus in Actu non fit per se unum, ex 7 Metaph. nam Forma adveniens Enti in Actu est accidentalis. Ratio 2da: Alias esset aliquis Actus. Sed non est Actus (quià Actus distinguit et dividit, materia verò nec distinguit nec dividit, quià in fundamento Naturæ nihil est distinctum) Ratio 3tia. Ita se habet materia ad potentiam, ut Forma ad Actum. Sed Forma est sic actus, ut excludat omnem potentiam et Subjectivam et objectivam. Ergo materia est ita potentia, ut excludat omnem Actum et Formalem et Entitativum. RESPONDETUR ad 1mum Neg. Sequelam. Ad probationem Dico quod Auctoritas Philosophi intelligatur de duobus in Actu completo et totali, non autem incompleto et partiali, alias id quod

Substantia Divisio.

Actus Entitativus est passio Entis Realis.

Quid per Actum Entitativum Intelligatur.

+ et differentiæ cujusmodi non est materia prima, nam habet se in composito ad modum generis cuius non etc.

<u>Differentiæ munus est dividere et distinguere.</u>

alias id, quod non esset in Actu Entitativo, nihil esset, nec unum quid, aut p se, aut per Accidens posset constituere. <u>Ad 2dam</u> concedo materiam primam esse Ens in Actu et habere aliquem Actum distinctum contra Potentiam objectivam. Cùm verò ille Actus sit imperfectus et materialis, non distinguit rem unam ab alia, quià hoc munus convenit Actui Formali +, cujus non est dividere aut distinguere sed ipsius Differentiæ. <u>Ad 3tiam</u> Nego omnimodam paritatem de materia in ordine ad Potentiam, et forma in ordine ad Actum. Ita enim Forma habet suum Actum Entitativum excludendo potentiam objectivam sicut materia.

<u>THEOREMA QUARTUM.</u>

<u>Tam materia quàm Forma habent suas partiales et incompletas existentias ex quibus adæquata et completa compositi coalescit Existentia.</u>

<u>Notandum Dictum 1mum</u>: Hoc Theorema maximè convenit cum præcedenti, undè Rationes unius valet ad probationem alterius. <u>Dictum 2dum</u>. Existentia est passio Entis sive modus intrinsecus, nam omne Ens Reale per hoc differt ab Ente Rationis, et à figmentis quià existit in rerum natura, et quod non existit non est Ens Reale ut patet de mundo antequam fuisset creatus. <u>Dictum 3tium</u>: Existere est quasi extra stare id est extra suas causas stare, et in seipso aliquid esse. <u>Dictum 4tum</u>: Entia realia quæ existunt non semper sola solitariè et sejunctim existunt, sed multa cum alio conjunctim ut patet 1mo de Forma Substantiali. 2do De Accidentibus. 3tio Passionibus. <u>Notandum 2dum Dictum 1</u> Consequentia non valet arguendo sic: Hoc Ens reale non potest reperiri per se solum in rerum natura sine alio. Ergo Non habet propriam existentiam, alias enim tantum primæ Substantiæ dicerentur existere, imò neque ipsæ, quià Substantia per se sola non existit absque Accidentibus, et licet non habeat suam existentiam solitariè extra suas causas, non tamen illâ caret. <u>Dictum 2</u> <u>Materia</u> prima cum sit Ens Reale, habet etiam suam existentiam distinctam ab existentia Formæ, non tamen sine Forma reperitur sed semper sub Forma propter ordinem, et dispositionem universi, undè quasi coexistit Formæ. Porrò quod coexistit alteri, omninò habet suam existentiam, nam sicuti duo, qui cohabitant in domo, uterque habitat et qui simul vivunt, quisque habet propriam vitam, sic si materia et Forma coexistunt, sibi utraque existit. <u>Dictum 3tium</u> Forma et materia simul juncta, faciunt in composito aliam Entitatem, quæ dicitur subsistere, nam proprius modus essendi substantiæ primæ et compositi substantialis, est subsistentia seu subsistere, sicut existere seu existentia est quoque proprius modus essendi Entis Realis.

<u>PROBATIO THEOREMATIS.</u>

<u>PARS 1MA Theorematis (Forma habet suam partialem existentiam)</u> Probatur: Nisi Forma haberet ~~[illegible]~~ existentiam propriam ~~[illegible]~~, non posset illam composito dare <u>nemo enim dat quod non habet</u>. Præterea Forma est Ens Reale p se. Ergo Habet existentiam. <u>Conseq.</u> Quià existentia non distinguit realiter ab essentia, sed tantum Formaliter, nec est alia Entitas super addita essentiæ sed est ipsamet essentia posita extra causas in Actu, undè cum Forma et materia habeant Entitatem distinctam, realiter et habebunt quoque existentiam distinctam realiter. Hanc partem Theorematis nemo negat. <u>PARS 2DA Theorematis (Materia</u> ...

<u>Quid sit existere.</u>

Licet enim sit verum quoad potentiam subjectivam et Actum ~~[illegible]~~. Formalem, tamen falsum est quoad potentiam objectivam et Actum Entitativum. Ita.

<u>habet suam partialem existentiam propriam</u>) Hanc partem contra Thomistas probant Scotistæ, et recentiores firmissimis argumentis. <u>Ratio 1ma</u>: materia 1ma est subjectum mutationis, causa materialis Formarum, receptaculum earundem, pars altera compositi substantialis. Ergo habet propriam existentiam distinctam ab existentia Formæ et independenter ab ea dependentia propria et à priori. <u>Conseq.</u> Nam nec mutatio fit, nisi in subjecto in rerum Natura existente, et sub utroque termino manente: nec Forma in subjecto recipitur, aut sustentatur, nisi prius naturâ existente, nec compositum constituitur nisi ex partibus prius naturâ existentibus. Porrò id quod est prius, non accipit existentiam suam ab eo quod est posterius, et certe difficilè est concipere quod subjectum actuale Formæ ab eadem Formâ quam sustentat accipiat existentiam. <u>Item quod</u> materia Physica exerceat causalitatem erga Formam et non præintelligatur existens, quià <u>existentia est ratio vel saltem conditio necessariò prærequisita ad exercitium Physicæ causalitatis.</u> <u>Dices</u> Materiam præexistere ante productionem Formæ quæ producitur, quià existit existentiâ alterius Formæ quam amittit, et secundum illam priorem existentiam concurrere ad productionem novæ Formæ. <u>Contra</u>: Causa in Actu et effectus in Actu, sunt simul tempore; sed quandò primò fit nova Forma, non amplius prior existit in materia, tunc enim primo fit nova Forma quando primo non est Forma præcedens. Ergo materia non potest causare existentiam novæ Formæ per existentiam prioris, aliàs id quod non est in Actu causaret Ens in Actu. Et si Deus crearet materiam simul tempore cum Forma, productio illa Formæ à Deo, non esset creatio sed eductio, quià fieret Forma in materia et dependeret ab ea. Undè et materia concurreret Physicè ad illius Formæ existentiam, nec in tali casu posset dici concurrere per existentiam Formæ præcedentis, quià in tali casu supponitur, quod materia nullam præhabuerit Formam. <u>Dices</u> Quod in instanti generationis existat per existentiam Formæ subsequentis. <u>CONTRA</u> Forma succedens non potest tribuere materiæ existentiam prius naturâ quàm informet, quià mediante informatione communicatur existentia. At informatio exigit subjectum præexistens, quià est unio quædam Actualis Formæ ad subjectum, jam verò unio præsupponit extrema existentia. <u>RESPONDEMUS</u> materiam prius naturâ existere in genere causæ materialis, Formam verò in genere causæ Formalis. <u>CONTRA</u>: In nullo genere causa potest effectus secundum esse reale causam suam præcedere et repugnat dicere materiam prius existere in genere causæ materialis, et Formam in genere causæ Formalis. Nam existentia quam sibi priorem vendicat materia in genere causæ materialis. <u>Quæro</u> vel competit illi per seipsam independenter à Forma in quocunquè genere vel non? Si primum ergo habetur intentum. <u>Si 2dum</u> Ergo existentia effectus, erit in causa ratio causandi ipsum vel conditio prærequisita in causa ad actualem ejus causationem, et eadem existentia Formæ à seipsa dependebit, et ipsa seipsam in materia præcedet, et in seipsa recipietur, quæ implicant. <u>Ratio 2da</u>: Eadem Actione quâ producitur essentia rei, producitur et existentia ejusdem et ab eodem agente. Sed materia est terminus creationis, Forma verò materialis est terminus generationis. Ergo existentia materiæ est omninò diversa

Quid existere sit.

diversa ab existentia Formæ, et à diverso agente. Major patet 1mo quià Actio terminata ad essentiam producendam, tendit ad eam constituendam extra causas nec essentia rei potest concipi esse terminus Actionis Agentis nisi posita extra causas et existens, quià existere est extra causas stare. Ergo eadem Actione etc. Item 2do Cum ab agente essentia rei producitur in rerum natura. Quæro Vel per eam extra causas constituitur vel non? Si 1mum. Ergo constituitur per eam existens. Si 2dum. Ergo Non erit vera Productio, nec revera poterit dici producta in rerum natura; sed erit Essentia solum possibilis produci. Dices: Veram esse majorem ibi, ubi essentia suâ propriâ existentia existit, ut est de Forma et composito, non ibi, ubi existit alienâ, qualis est essentia materiæ, tunc enim eâdem Actione producitur essentia rei, et ejus unio cum existentiâ alienâ, cujus auxilio dicatur existere quod potest declarari exemplo Humanitatis Christi, in verbo non habentis existentiam propriam, unde non existentia sed essentia Humanitatis cum Unione ad Divinam existentiam fuit terminus productionis illius. Contra 1mo Falsum est Humanitatem Christi carere in verbo propriâ existentiâ. Item 2do Unio præsupponit existentiam extremorum, præcipuè autem in proposito cum non sit nisi informatio, et debet utrumque extremum prius naturâ existens præsupponere. Nam nec Forma possibilis solum actu potest informare, nec subjectum in esse possibili est idoneum actu informari. Item 3tio Actus secundus præsupponit ex natura sua primum, informationem passivâ ex parte materiæ et Activa, ex parte Formæ habet rationem Actus secundi. Item 4to Redit eadem difficultas, quià essentia materiæ producta in rerum Naturâ præcisa ita unione ad Formam est Ens simpliciter in Actu extra causas existens, ex vi illius productionis et non ex vi unionis, quià unio non facit rem existentem sed tantum facit unitam, ut patet de unione Animæ ad corpus quæ non facit Animam nec reddit eam existentem sed tantum corpori unitam. Ratio 3tia: Munus Physicum materiæ primæ est manere sub utroque termino mutationis, quâ de causâ ponitur à Philosophis ingenerabilis et incorruptibilis. Sed si propriam existentiam non habet existit atque existentiâ Formæ, iam non erit ingenerabilis et incorruptibilis, non permanebit eadem numero sub utroque termino mutationis, sed cum veteri Forma, veterem amittet existentiam, et cum nova, novam acquiret, atque sic Agens naturale poterit materiam creare et annihilare in qualibet mutatione quod est falsum. Dices Eam permanere sub utroque termino mutationis quoad esse existentiæ, quià existentia ejus absque ulla interruptione conservatur per Formas subsequentes eo modo quo idem Lumen productum ab uno luminoso conservatur successivè ab alio, et alio simili agente absque interruptione. CONTRA: Si Agens naturale Formam in materia corrumperet, et consequenter existentiam quam materiæ communicabat, tunc si DEUS suspenderet eo momento concursum suum ad novæ Formæ introductionem, verè materia per Actionem Agentis Naturalis annihilaretur, quià amitteret priorem existentiam et non acquireret aliam.

OBIECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIONES.

Objectio

OBJECTIO PRIMA (Forma non habet suam existentiam Propriam) Probatur: Quicquid habet existentiam, existit. Sed Forma non existit. Ergo. Minor: Quod existit est entitas determinata. Sed Forma non est Entitas determinata. Ergo. minor: Omnis entitas determinata est entitas informata* (quia sic ante Formam daretur alia Forma per quam determinaretur, et rursus de illa idem esset quærendum in infinitum. Ergo. RESPONDEO Neg. minorem unam et 2dam et deinde majorem. Quia non solum Entitas informata debet dici determinata, et in Genere entium una sed etiam Entitas informativa potest appellari determinata, quia in latitudine et Genere entium est quid unum, certum, ab aliis diversum. OBJECTIO SECUNDA (materia prima non habet suam existentiam) Probatur 1mo Authoritate Philosophi, qui esse et existere, docet provenire à Forma, dicit enim 2do de Anima et 2 Physicorum, et 1 de Generatione, et 5 Metaphysicorum quod Formam esse, quæ dat esse rei. RESPONDEO Duplex est esse seu existere. Aliud Entitativum seu Transcendens quod est commune omnibus rebus ut sunt Entia. Aliud FORMALE Specificum et completum in specie determinata Prædicamentali. Philosophi Authoritas intelligitur de secundo non de primo esse, nos autem tribuimus materiæ primæ esse primum, non autem secundum, id est transcendens, non vero Specificum. Probatur 2do: Si materia existeret Quæro aut per se ipsam, et ex se, aut cum alio scilicet cum Formâ. Si cum alio. Ergo Non existit suâ existentiâ sed alienâ. Si ex se. Ergo erit individua vel individuata, quia omne quod est, ideo est, quia unum numero est. Si est individuum. Ergo adhuc à Forma suum habebit esse quia omne individuum ponitur in Prædicamento et omne tale habet esse à Forma. Si est quid individuatum, vel hoc erit per Formam vel per compositum, & ita semper sequeretur quod ex se non habeat existentiam. RESPONDEO materiam existere cum alio scil: cum Forma seu coexistere Formæ, non tamen existentiâ alienâ id est ipsius Formæ, sed suâ, et quando isti Formæ coexistit in composito, est veluti individuata, non tamen per Formam vel compositum sed per propriam suam hæcceitatem. Potest quoque dici individuum sed partiale & incompletum ac proinde non erit directè in prædicamento etc vide pag. seq.

*Sed Forma non est entitas informata; quia etc

Formæ Definitio.

Duplex est Esse seu Existere.

Nihil desideratur.

non erit directè in prædicamento reponibilis quia hoc sola individua completa continet, ut est ab Aristotele constructum. Sed contra hoc argues: Quod est individuum substantiale, illud esse habet in certa ac determinata specie rerum (non enim potest esse aliquid individuum quod non sit in aliqua specie constitutum) sed materia prima non est in certa ac determinata specie rerum. Ergo materia prima non est individuum substantiale. Respondeo eo modo aliquid esse in certa ac determinata specie rerum quo est Ens. Unde Ens completum & perfectum est in certa ac determinata specie rerum completa: cum ergo materia sit Ens incompletum, erit utique in certa ac determinata specie entis, sed Entis incompleti. etc.

THEOREMA 5tum.

Substantia iste sumpta propriè, nec Formæ, nec materiæ subsistit. At verò sumpta communiter materia subsistit, non autem Forma excepta anima rationali: sumpta tandem communissimè utraque subsistit.

Substantia varias habet acceptiones.

Notandum Dictum 1mum: Substantia habet plures acceptiones veras ac rationales, si tamen rigorosè accipiatur, excludit quamcumque communicabilitatem tam respectu subjecti quam totius et suppositi. Dictum 2dum: Substantia iste tripliciter accipitur: Communissimè, communiter et propriè. Dictum 3tium substantia iste accepta communissimè illud subsistit quod per se est, et non in alio ad modum accidentis. In quo sensu subsistere convenit omni substantiæ tam completæ quam incompletæ. Dictum 4tum. Substantia iste accepta communiter, illud subsistit quod est per se vel quod existit independenter ab alio tanquam à subjecto et sustentante, et hac subsistentia non subsistunt formæ materiales. Dictum 5tum: Accepta substantia propriè illud est subsistens quod ita est per se existens ut habeat ultimam Actualitatem, nec sit ordinabile per se ad aliquem totum ultra istum quem habet, nec possit esse alteri ratio essendi sed omninò sit incommunicabile (ut QUOD et ut QUO).

Substantia iste triplex Acceptio

Notandum 2dum Dictum 1mum Quia incommunicabile est quid privativum, privatio autem semper per habitum cognoscitur. Ideoque qui vult scire quid sit incommunicabile ut QUOD et ut QUO, debet scire quid sit communicabile ut (QUOD et ut QUO). Dictum 2dum Communicabile (ut QUOD est) illud quod de pluribus prædicatur qualis est species & Genus in quolibet prædicamento v.g. homo, animal, albedo, color etc. Dictum 3tium: communicabile ut QUO est illud quo aliquid

aliquid est tale, vel quod alicuius potest esse Forma vel pars v. g. Albedo est communicabilitatis ut QUO, quia albedine paries est albus, idem dicendum de Forma Substantiali. Dictum 4tum. Sicut communicabile est duplex ita et incommunicabile etiam est duplex (ut

Incommunicabile est duplex.

Quod et ut QUO) quia quot modis dicitur unum oppositorum, tot et reliquum. Dictum 5tum. Incommunicabile (ut QUOD) est illud quod nulli communicatur eo modo quo communicatur superius suo inferiori, quod scilicet non potest dici in Recto de aliquo sic: Petrus & omnia individua cuiusque prædicamenti sunt incommunicabilia (ut QUOD) quia individuum nullum habet sub se inferius cui communicetur & de quo prædicetur. Dictum 6tum: Incommunicabile (ut QUO) est illud quod nullius potest esse Forma aut pars quo scilicet nihil denominatur tale, sive substantialiter sive accidentaliter. Dictum septimum: Potest aliquid simul esse incommunicabile (ut QUOD) et communicabile (ut QUO) v. g. Hæc Albedo est incommunicabilis (ut QUOD) quia de nulla inferiore prædicatur albedine. Est vero communicabilis (ut QUO) quia per ipsam subjectum dicitur esse tale accidentaliter, scil: Album. Dictum 8tavum: Subsistentia proprie accepta convertitur cum supposito & tantum prima substantia convenit.

Probatio Theorematis.

PAR. I. Theo. (Subsistentiam proprie acceptam nec Forma nec materia subsistit) Probatur: Quæ subsistunt per subsistentiam proprie acceptam sunt penitus incommunicabilia (quia subsistentia proprie sumpta, excludit omnem communicabilitatem prorsus (ut Quod et ut QUO) tam respectu subjecti per modum formæ inhærentis, quam respectu totius per modum partis constituentis, et respectu suppositi per modum naturæ) Sed materia et Forma non sunt prorsus incommunicabiles. Ergo non subsistunt proprie. Minor: Quæ possunt venire in compositionem alicuius tertii et esse illi rationes essendi, sunt communicabilia, non vero incommunicabilia. Sed materia & Forma veniunt in compositionem alicuius tertii et sunt illi rationes essendi (quia sunt principia rei intrinseca) Ergo. Pars IIa Theor (Subsistentiam communiter acceptam materia subsistit non autem Forma) Probatur: Quod à nullo dependet subjecto et sustentante, imò est per se subj

subjectũ primũ aliorũ, illud subsistit subsistentiã communiter dictã: è contra verò quod dependet ita, non subsistit tali subsistentiã (quia subsistentia communiter dicta significat existere independenter ab alio tanquã à subjecto et sustentante) sed materia primã à nullo dependet subjecto et sustentante (quià materia non habet aliud subjectũ, est enim ipsa primũ subjectũ formarũ materialiũ) porrò forma dependet à subjecto et sustentante scil à materia) Ergo materia subsistit communiter non autem forma. Pars 3tia Theorema: (~~Subst~~ Subsistentiã communissime acceptã tã materia quã forma subsistit) Probat. omnis ~~subst~~ substantia completa et incompleta subsistit ꝑ talem subsistentiam: sed materia et forma sũt substãtiae ut patet ex secũdo Theoremate. Ergo. Major: ꝑ subsistentiã communissimè acceptã, omne id ~~existit~~ subsistit, quod est ꝑ se et non in alio ꝑ modũ accidentis. sed omnis substantia tã completa quã incompleta est ꝑ se et non in alio ꝑ modũ accidentis. Ergo.

OBIECTIONES et earũdẽ solutio.

Objectio 1ma (Tam materia quã forma subsistit subsistentiã propriè sũptã) Prob. illud subsistit propriè, quod est incommũnicabile ut QUOD: sed materia et forma sũt incommũnicabilia ut QUOD (neqè enim prædicatur in recto de cõposito, itaut prædicatur supius de suo inferiore. Ergo subsistũt propriè. major: Non est de ratione subsistentiæ propriè sũptæ, ut faciat rem incommũnicabilẽ ut QUO, id est incommũnicabilem respectu subjecti inhæsionis ꝑ modũ formæ, aut respectũ compositi ꝑ modũ partis, sed tãtũ ut faciat incommũnicabilem (ut QUOD) id est respectũ alterius suppositi ꝑ modũ naturæ. Ergo. Ans: quia subsistentia propriè sumpta ñ opponitur unioni formæ ad materiã aut communicabilitati partium respectũ totius, sed opponitur tantũ unioni hypostaticæ ad alterũ suppositũ ꝑ modũ ~~ne~~ naturæ. R. Neg. primo majorem. 2 Ans. 3 ejus probationem. Ratio: quià subsistentia rigorosè accepta excludit omnẽ prorsus communicationẽ et communicabilitatẽ. Nam accepta propriè convertitur cum suppositalitate quæ individuũ reddit incommũnicabile et ut QUOD ~~et~~ et ut QUO.. OBIECTIO 2DA (materia et forma ñ subsistũt ~~ꝑ~~ per subsistentiam etiã communissimẽ acceptam.) Probat: id quod soli naturæ completæ et totali et incommũnicabili tribuitur, non potest tribui naturæ incõpletæ et communi

communicabili: Sed Subsistentia soli naturæ completæ, totali et incommunicabili tribuitur. Ergo non potest tribui incompletæ et communicabili. Subsumo. Sed materia et Forma sunt naturæ incompletæ et communicabiles. Ergo illis non potest tribui subsistentia ulla et per consequens materia & Forma non subsistunt. Minor supposita[?] tur soli naturæ completæ incommunicabili tribuitur. Sed [?] Subsistentia est suppositalitas. Ergo [?] & Neg. minorem et ejus probationem. Quia subsistentia latius patet quam suppositalitas, nec de ratione subsistentiæ absolutè sumptæ est incommunicabilitas sed tantum ut rigorosè accipitur. Sic enim cum suppositalitate convertitur.

Theorema 6tum.

Potentia materiæ primæ ad omnes & singulas Formas etiam + secundum gradum specificum & individualem inspectas est naturalis, sed indeterminata quæ coincidit cum neutra secundo modo.

Potentia Passiva, qualis est potentia materiæ, respectu Agentis est duplex.

Notes Dictum 1mum: Potentia Passiva qualis est potentia materiæ primæ respectu Agentis est duplex. Alia Naturalis dum agens est naturale, id est finitum, & limitatum naturaliter Formæ inductivum. Alia Supernaturalis dum agens est infinitum, seu increatum nec naturaliter Formæ impressivum. Dictum 2dum: Eadem potentia passiva materiæ respectu Formæ est triplex. Alia Naturalis cum ad Formam naturaliter inclinat patiens, talis potentia est in aqua ad frigiditatem. Alia Violenta cum patiens abhorret à Forma quia est contra suam inclinationem, talis potentia est in aqua ad caliditatem. Alia Neutra cum patiens nec inclinatur ad Formam, nec etiam abhorret ab illa, et utroque modo se habet tam ad illam, quam ad ejus oppositum, talis potentia est in tabella ad albedinem et nigredinem.

Naturalis Inclinatio est duplex.

Dictum 3tium. Quia Naturalis inclinatio est duplex. Alia determinata, quæ passum determinatè inclinat ad unum tantum ut grave deorsum. Alia indeterminata per quam passum indeterminatè in plura inclinat, hinc oritur duplex potentia naturalis alia determinata, alia indeterminata.

Potentia Naturalis est duplex.

Dictum 4tum: Potentia NEUTRA est duplex. Alia Rigorosè accepta quæ opponitur cuicunque inclinationi, tam determinatæ quam indeterminatæ, et hæc præ se fert duplicem negationem scilicet inclinationis & repugnantiæ, merum capacitatem connotando in subjecto. Alia communiter sumpta quæ opponitur inclinationi naturali tantum determinatæ, et hæc coincidit cum naturali indeterminata etc.

Probatio Theorematis.

Imprimis (Quod ista Potentia sit Naturalis patet) quia materia naturaliter inclinat ad quamcunque Formam introducendam. Deinde (Quod sit indeterminata) Probatur: Omnis potentia receptiva in ordine ad Formam, vel est naturalis vel violenta, vel Neutra: Sed potentia materiae primae est receptiva Formae. Ergo in ordine ad illam vel est naturalis, vel violenta, vel neutra. Non potest dici violenta ut patet, neque etiam neutra propriè quia Forma est perfectio materiae, iam vero quodlibet Ens in suam perfectionem naturaliter propendet. Ergo restat ut sit naturalis ista potentia: Sed non est determinata ad hanc Formam quia tunc violenter quiesceret sub opposita. Ergo. Est naturalis indeterminata ad omnes & singulas.

Theorema 7timum.

Materia prima habet potentiam naturalem remotissimam ad omnes Formas etiam corruptas, si comparetur ad Formam; At verò si comparetur ad Agens, non habet ad Formas corruptas potentiam naturalem; sed supernaturalem & obedientialem.

Notandum Distinctione 1 Quia Naturalis potentia materiae tribus modis potest respicere Formam. Proximè, Remotè et Remotissimè. Ideo est Triplex Proxima, Remota & Remotissima. Distinctione 2dum. Potentia proxima in materia est capacitas recipiendi Formam cum dispositione ad illam recipiendam. Sic materia ligni quando iam per calorem et siccitatem est disposita ad recipiendam Formam ignis, dicitur habere potentiam proximam ad illam. Distinctione 3. Potentia in materia remota est eadem capacitas materiae nudae absque dispositionibus ad Formam, quas tamen habere potest naturaliter per ab Agente naturali, sic eadem materia ligni antequam exsiccetur et calefiat dicitur habere potentiam remotam ad Formam ignis recipiendam. Distinctione 4. Potentia remotissima est nuda materiae capacitas ad Formam sine dispositionibus quas nec naturaliter potest habere, et sic materia dicitur habere potentiam naturalem ad formas corruptas ad quas tamen disponi non potest virtute Agentis naturalis &c.

Probatio Theorematis.

Probatur Pars prima The(orematis) (materia prima habet capacitatem recipiendi Formas etiam corruptas) Ergo et potentiam. Consequentia ~~Confirmatur~~: Potentia enim materiae ad recipiendas Formas nihil est aliud nisi capacitas recipiendi ipsas. ~~Ans.~~ Ans. Quia Talis capacitas vel est de essentia materiae vel saltem ~~mate~~ realiter ipsi identificatur tanquam passio. Dices: Cur ergo eas non recipit

recipit, aut cur naturaliter recipere non potest! R. Id provenire non ex parte materiæ qua in ea sit defectus capacitatis sed ex parte Formæ quæ semel corrupta, amplius redire non potest quia à privatione ad habitum non fit naturaliter regressus. Sic v.g. Vas semper habet capacitatem recipiendi vinum etiam corruptum. Sed non recipit nec recipere potest, non ob defectum capacitatis sed quia vinum corruptum non potest redire naturaliter. Pars 2da probatur (Non datur agens Naturale quod possit eundem numero reproducere effectum et eandem Formam in materia de novo reparare, potest tamen id efficere Agens supernaturale. Ergo potentia materiæ ad Formas corruptas in comparatione ad agens non est naturalis sed est supernaturalis) obedientialis.

Objectiones & earundem solutio.

Objectio 1ma (Materia prima non habet potentiam ad omnes Formas) Probatur Quia alias sequeretur 1o quod esset in potentia Naturali ad animam rationalem, quod est falsum. Nam ad illas Formas solum habet potentiam naturalem materia prima, quæ sunt ex ejus potentia educibiles. Sed anima rationalis non est de potentia materiæ educibilis (quia foris advenit à DEO, creatur, et separata potest manere) Ergo. 2 Sequeretur quod naturaliter posset esse simul sub omnibus Formis. R. Neg. Sequelam primam. Ad probationem ejus Neg. majorem tam quam falsam. Similiter nego 2dam sequelam. Licet enim materia prima habeat potentiam ad omnes formas habendas, non tamen ad habendas simul, sed ad habendas successivè. Objectio 2da (Materia 1ma non habet potentiam ad Formas corruptas) Quia ad impossibile nulla est potentia, nulla ~~est~~ inclinatio. Sed Formam corruptam redire est impossibile. R. Disting. Impossibile. Quia aliud est impossibile simpliciter & ad hoc nulla datur potentia. Aliud est impossibile secundum quid et ad hoc potest dari potentia. Ergo Formam Ergo corruptam redire est impossibile secundum quid id est, est impossibile secundum vires naturæ creatæ tantum, non verò etiam increatæ.

Impossibile est duplex.

Theorema Octavum

Potentiam materiæ remota et universalis est una ad omnes Formas. At verò partialis remota, et proxima est multiplex juxta Formarum multiplicitatem.

Potentia materiæ duplex.

Notes Dictum 1 Præter divisiones supius dictas adhuc Potentia materiæ est duplex. Alia particularis quæ coincidit cum proxima. Alia universalis quæ coincidit cum remota. Dicta 2: Potentia particularis & proxima dicitur esse illa ~~q~~ quam materia per aliquas dispositiones accidentales v.g. calorem & siccitatem est determinata, seu potens recipere

particularem Formam ignis. Dictum 3: Potentia Universalis seu remota est illa per quam materia nullis adhuc affecta dispositionibus respicit universaliter omnes formas & aeque omnes recipere potest cum non sit ab agente determinata per dispositiones accidentales potius ad hanc Formam quam ad illam. ~~Prob~~

Probatio Theorematis.

Pars 1a Probatur: Quia in homine una sufficit inclinatio ad multos actus videndi, similiter in gravi una tantum propensio ad multos descensus. Ergo pariter in materia sufficit una inclinatio ad omnes Formas. Item secundo in subjecto contrariorum susceptivo una est potentia contrariorum ~~susceptiva~~ receptiva disjunctive ex 9 metaphy. t. 17. Ergo pariter in materia tantum erit una potentia Formarum incompossibilium successive receptiva. Et propter hoc materia dicitur potentia contradictionis, quia nimirum per eandem potentiam respicit plures formas simul incompossibiles. Item 3tio Si alia esset potentia ad Formam ignis et alia ad Formam aquae, sequeretur quod possent simul recipi in materia istae Formae. Conseq. Falsum Ergo et Ans. Sequela: Quia reciperentur in ea non secundum eandem, sed secundum alias atque alias potentias sicut pariter eadem materia secundum diversas partes potest recipere diversas Formas. Pars 2a Probatur. Varia et multiplex est dispositio in materia pro varietate Formarum. Ergo et potentia ipsius proxima & particularis debet esse varia & multiplex. Ans: Patet. Nam alia dispositio in materia debet esse ut recipiat Formam aquae, et alia ut recipiat formam ignis. Conseq. Quia potentia particularis & proxima non aliter convenit materiae nisi prout per accidentia ad Formam certam disponitur. Ergo si varia est et multiplex etc. Sequitur quod potentia proxima debet esse varia. Obiicies: Tot potentiae universales in materia debent esse, quot sunt privationes. Sed privationes sunt multae non vero una (quia sunt multiplicabiles ad multiplicationem Formarum) Ergo et potentiae erunt multae et per consequens, remota potentia non erit una. Rx Neg. majorem. Ratio: Quia potentia non dicit formaliter privationem formae, sed tantum connotat illam. Unde non multiplicat pro Formali licet pro connotato multiplicetur. etc.

Theorema Nonum.

Sicut potentia materiae 1mae sustentativa est Formaliter distincta a Potentia Receptiva; ita Receptiva Formae substantialis a receptiva Formae accidentalis.

Potentia in materia est duplex.

Notandum Dictum 1mum: ~~ut~~ Potentia in materia est duplex adhuc. Alia Receptiva

per quam

per quam materia recipiendo Formam exercet Actum recipiendi. Alia sustentativa p quam eadem materia sustentando Formam exercet Actū sustentandi. Dictum 2dum: materia prima Formas corruptibiles non solum in se recipit sed etiam sustentat. At verò Animā rationalem recipit, tantū non autē sustentat. Dictū 3. Sustentare est concurrere ad existentiam alterius; recipere autem est concurrere ad unionē, non verò ad existentiam. Dictum 4tum. Unio & receptio est Actus correspondens potentiæ receptivæ, et est respectus extrinsecus adveniens. Dictum 5tum. Eductio et sustentatio est Actus correspondens potentiæ sustentativæ, et est respectus intrinsecus adveniens. Dictum 6. materia prima recipit aliqua Accidentia in se saltem relative, ut generationē, unionē in ordine ad Formā, causationem in ordine ad compositum.

Materia prima animā recipit & sustentat.

Probatio Theorematis.

PARS I Th. (Potentia receptiva differt à sustentativa) Probatur. Modus sustentationis ex natura rei differt à modo receptionis. Ergo et potentia sustentativa differt à receptiva. Cst. Illaō seq. Quia distinctio specifica Actuū arguit distinctionē potentiarū. Ans: probat: Illa differūt ex natura rei, quæ abinvicem separata inveniūt. Sed isti modi scil: sustentandi & recipiendi inveniūt separatim (Nam materia recipit animā rationalem, non tamen eam sustentat) Ergo. Deinde. Respectus intrinsecus adveniens ex natura rei differt à respectu extrinsecus adveniente. Sed unio et receptio est respectus extrinsecus adveniens. Ergo. 3tio Quarū unū dicit imperfectionem et aliud non dicit ea differūt ex natura rei, quia unū ac idem non potest dicere simul & non dicere perfectionē aut imperfectionem. Sed receptio dicit imperfectionē, sustentatio verò non dicit. Ergo differūt. minor. Illud dicit imperfectionē, quod DEUS in nullo genere causæ potest supplere. Illud vero non dicit perfectionem, quod DEUS potest supplere. Sed receptionē materiæ in ordine ad Formā in nullo genere causæ potest DEUS supplere, sustentationē verò potest ut patet ~~ut patet~~ in accidentibus Eucharisticis. Ergo. Confirmat: Illæ potentiæ non sunt ex natura rei una & eadem potentia, quarū una potest reduci ad actum sine altera (quia unā eandemque potentiā simul reduci & non reduci ad Actū implicat) Sed potentia sustentativa & receptiva ita se habent quod una potest reduci ad Actū sine altera (nā circa animā rationalem exercet potentia receptiva, non autem sustentativa) Ergo. PARS 2DA Theor (Potentia receptiva Formarū substantialiū differt à receptiva Formarū accidentaliū) Pro-

‡ Sustentatio autem et eductio est respectus intrinsecus advenies. Ergo etc.

Illa attributa ex natura rei differunt, quorum unum convenit alicui mediante alio (quia fa-
lis distinctio fit universaliter quando subjectum habet plures passiones, ex quibus unam
per aliam demonstrat, v. g. quia de quantitate demonstrat divisibilitas per impenetra-
bilitatem, ideo concludit quod, ista proprietates scil: divisibilitas & impenetrabilitas ex
natura rei differant abinvicem. Sed potentia receptiva Formarum accidentalium, et re-
ceptiva Formarum substantialium sunt talia attributa, quorum unum convenit ma-
teriae mediante alio, nempe receptiva formarum accidentalium convenit materiae
mediante receptiva Formarum substantialium. Ergo. Minor: Ideo materia receptiva
est Formarum accidentalium juxta eos qui docent dispositiones immediatè in materia recipi,
quia est receptiva Formarum substantialium. Item illo mediante receptiva potentia
Formarum accidentalium convenit materiae, ad quod talis potentia ordinatur. Sed ad recepti-
vam substantialium receptiva accidentalium ordinatur. Ergo. Minor: quia receptiva poten-
tia Formae accidentalis est ordinata à natura ut per ejus exercitium reducat in Actum
potentia receptiva Formae substantialis. Ergo. Ans: proxi: Dispositio quae fit per Formas
accidentales, ordinatur ad potentiam receptivam Formae substantialis. Confirmatur: Inter
illas potentias est distinctio ex natura rei, ex quibus una id non praestat materiae quod
praestat altera. Sed potentia receptiva Formarum accidentalium non praestet id, quod prae-
stat receptiva substantialium. Ergo. Minor: Quia ratione potentiae, quae est receptiva
Formarum substantialium materia constituit cum Forma substantiali unum per se, hoc autem non
constituit ratione potentiae illius, quae est receptiva Formarum Accidentalium. Ergo. etc.

(margin: introductionem Formae substantialis. Ergo et potentia receptiva Formae accidentalis ordinatur ad potentiam rec. etc.)

Objectiones & Earundem Solutio.

Objectio 1. (Potentia sustentativa non differt à receptiva) Probatur quia haec distinctio
potissimum deberet haberi ex Actibus. Atqui ex his non potest haberi Ergo Nulla est. Mi-
nor: quia hi Actus non distinguunt has potentias. Ergo. Antec. Tunc actus distinguunt
potentias, quando reduci non possunt ad unam rationem communem objectivam & ter-
minativam. Sed actus informationis & actus sustentationis, licet sint distincti,
possunt reduci ad unam rationem Formalem termini ex natura rei (nam ambo
respiciunt Formam ut informativam sic vel sic) Ergo isti Actus non differunt ita inter se,
ut has potentias valeant ex natura rei distinguere. R. Neg. 1. minorem. 2. Ans:
3. minorem et ejus probationem. Ratio: quia Actus isti terminantur utique ad Formam, sed sub

diver

diversa ratione specifica. Nam receptio terminat ad Formam ut præcisivè in Formationem, sustentatio autem terminat ad Formam ut sustentabilem: Hæc respicit Formā ut indigentem concursu materiæ quoad suam existentiam. Illa respicit Formā ut indigentem concursu materiæ non quoad suam existentiam; sed solum quoad unionē; unde materia p concursū sustentativum verè dicit causa Formæ: sed p concursū receptivi non dicit causa Formæ sed tantū unionis, ex quo patet Actgistos non posse reduci ad unā communem rationē Formalem & adæquatam, specificantem hujusmodi potentias secundū suas rationes formales consideratas. Objectio 2da (Potentia receptiva Formarū substantialiū non differtā receptiva Formarū accidentaliū)

Probat: Eadem est potentia respiciens finē & mediū v.g. (eadem voluntas inclinat p intentionē in finē et p electionē in media) sed materia inclinat in Formas substantiales ut in finē p potentiā receptivā earū. Ergo p eandem inclinat in Accidentia quæ sūt media in hunc finem ordinata. R. Neg. majorē. Neq enim opus est, ut p eandē potētiā semp res inclinet in media & finem sed potest etiā p diversas potentias inclinari, modo illa potentia quæ inclinat in media, subordinet illi quæ inclinat in finē, neq inde ullū sequit absurdum.

Theorema Decimum.

Potentia non est de Essentia Materiæ in primo modo dicendi p se, neq est Accidens realiter ab illa distinctū; sed est passio realiter ipsi identificata & tantum formaliter distincta.

Notandum Dictum 1mū Hoc Theorema non de potentia particulari & proxima sed de universali & remota, ipsiusq speciebus nempe de potentia sustentativa & receptiva tā substantialiū quàm accidentaliū Formarū procedit. Dictum 2dū Potentia materiæ

Potentia materiæ potest sumi tripliciter.

potest sumi tripliciter. 1mo Pro eo quod dicit fundamentaliter. 2 pro eo quod dicit formaliter. 3 Pro eo quod dicit concomitanter. Dictum 3tiū: Potentia primo modo accepta nihil est aliud nisi ipsamet essentia materiæ, aliter vocat principiū potentiale. Dictū potentia secundo modo supra Entitatē absolutam materiæ dicit ordinē receptivi ad receptū, qui ordo semp manet in materia quià consequit naturam receptivi, quod est natum perfici Formā, et nihil est aliud nisi naturalis aptitudo materiæ ad Formā suscipiendā. Dict.

Dictum 5tum: Potentia tertio modo connotat negationem Formae in materia praecedentem, haec potentia desinit in adventu Formae et est accidens per accidens. Dictum 6tum De potentia primo et tertio modo sumpta non est hic sermo sed de potentia secundo modo accepta. Dictum septimum: materia potest considerari in duplici notione seu conceptu. In 1ma notione consideratur ut substantia & Entitas quaedam absoluta, consideratur secundum se et quatenus perfecta est in suo genere quia nihil ipsi deest in ratione materiae eo modo quo perfectum describit 5 meta Phys. c. 16. In 2da Notione consideratur in ordine ad generationem cujus est principium. Item ad Formam cujus est subjectum, item ad compositum cujus est pars. Dictum 8tavum Quamvis materia in secundario conceptu relationem & habitudinem aliquam transcendentalem ad Formam & compositum includat, tamen in primario conceptu nihil tale includit.

Materia in duplici conceptu potest considerari.

Probatio Theorematis.

Pars 1ma Theor: (Potentia non est de Essentia materiae) Probatur: Quod est de essentia materiae, includitur in conceptu primario & quidditativo materiae, sed potentia non includitur in conceptu primario et quidditativo materiae. Ergo. Minor Relatio non includitur in conceptu absoluti. Sed potentia materiae est relatio, ipsa autem materia est quid absolutum. Ergo. Major: Quia relatio non intrat conceptum absoluti, nam sicut Relatio in suo conceptu quidditativo non continet absolutum, ita nec absolutum continet relationem. Porro ideo dicimus relationem non esse de essentia absoluti neque e contra quia Entitas absoluta, ut praescindit a Relativo est formaliter ad se: et relatio ut abstrahit ab Entitate absoluta [crossed out] est formaliter ad aliud. Sed idem simplicissime non potest formaliter esse ad se, & ad aliud, cum sit manifesta contradictio. Pars 2da Theorem (Potentia materiae non est accidens praedicamentale superadditum ipsi) Probatur: Si potentia materiae esset accidens realiter distinctum ab ipsa, sequeretur 1mo Quod potentia materiae non esset proportionata Actui. Sequela: Quia actus esset substantialis, potentia autem esset accidentalis. 2do sequeretur quod ex materia & Forma non fieret unum per se. Sequela. Quia materia uniretur Formae mediante aliquo accidente, non autem immediate et proxime per suam essentiam et partialem. 3tio sequeretur materiam esse in potentia ad hanc potentiam a se distinctam, et tunc quaero de illa potentia quam est potens ad istam, num sit distincta a materia nec ne? atque ita vel dabitur processus in infinitum, vel dicendum erit potentiam istam non esse accidens. Praeterea si potentia universalis materiae esset accidens sequeretur quod etiam receptiva Formarum substantialium potentia deberet esse accidens. Consequens. Falsum Ergo et Antecedens: Falsitas. Num vel hoc accidens quod dicit potentia materiae recipitur immediate in ipsa Entitate materiae vel mediante alia potentia. Si primum? Ergo aeque bene dici potest quod Forma substantialis ipsa immediate recipitur in materia, cum majorem affinitatem habeat materia cum Forma

substan

Substantiali quam cum accidentali. Si secundum? Ergo dabitur processus in infinitum. Dices: Hanc potentiam ita esse (Quo ut non possit esse Quo.) Atque ideo in ipsa standum esse. Contra: majorem habet proportionem et affinitatem Forma substantialis cum materia, quam accidentalis. Ergo si substantialis indiget potentia media, qua recipiatur in materia, tanto magis eam indigebit Forma quaecunque accidentalis a toto genere, etiam includendo hanc ipsam potentiam.

Pars 3tia Theorem: (Potentia materiae est passio propria ipsius, Formaliter distincta ab ea) Probatur: Si potentia non est de essentia materiae in 1mo modo neque est accidens realiter ab ea distinctum. Ergo superest ut sit passio realiter ipsi identificata, formaliter autem distincta, quia omnis passio solum Formaliter differt a suo subjecto. Item ex materia & Forma fit unum per se, quia materia est per se potentia, Forma per se Actus. Sed non est per se primo modo. Ergo secundo, et per consequens est propria ejus passio. Confirmatur: In omnibus aliis rebus potentiae et aptitudines ad actus sunt passiones. Ergo et potentia ista materiae erit passio.

Omnis passio formaliter differt a suo subjecto.

Objectiones et earundem Solutio.

Objectio 1. (Potentia est de essentia materiae) Probatur: Ubi est praedicatio quidditativa ibi praedicatum est de essentia subjecti in primo modo dicendi. Atqui dum potentia praedicatur de materia, est praedicatio quidditativa. Ergo. Minor: Illa praedicatio est quidditativa quae fit in recto et praecipue si adhuc fiat in abstracto v. g. Albedo est color est qualitas etc. Sed praedicatio potentiae de materia est in recto, et formatur ab ipso Philosopho sic: materia est potentia. Ergo. Confirmatur: Non solum in recto et in abstracto dicitur quod materia sit potentia & Forma Actus, sed semper dicitur cum additione particulae per se. R. Nego minorem et ejus probationem. Ratio: Quia in concretis accidentalibus tam absolutis quam respectivis multa praedicata enunciantur in recto de subjectis, nec tamen conficiunt praedicationes primi modi. Sic, v. g. dicimus quod ignis est causa caloris in recto, et tamen haec praedicatio non est essentialis primi modi. Sic etiam dicitur 4 Physi. quod Locus est superficies ubi: (ly superficies) in recto praedicatur de Loco, sicut et causa de igne dicitur in nominativo et tamen haec praedicatio non est quidditativa. Nam istae propositiones quoad vocem sunt in recto; sed quoad sensum sunt in obliquo. Sicut igitur sensus harum propositionum in recto est obliquus id est, ignis est subjectum fundans relationem causae. Item Locus est superficies fundans respectum activae continentiae ad Locatum: ita sensus harum propositionum: materia est potentia, Forma est Actus erit iste: materia est subjectum natum aptum fundare relationem potentiae, et Forma relationem Actus. Deinde licet Philosophus loquatur quod materia sit potentia & Forma sit actus in recto, tamen saepe etiam loquitur in obliquo appellando quod materia sit Ens in potentia; Forma autem sit Ens in Actu. Ad confirmationem concedo addi particulam (per se) nego autem inde sequi praedicationem primi modi, nam particula (per se) additur ideo ut denotetur ista praedicata non esse materiae et Formae accidentalia; sed essentialia & per se saltem in secundo modo. 2 ideo distingu

potentia est de essentia materiae minor etc.

distinguunt à Subjecto et accidente, ex quibus non fit unum per se, eo quod unum est per Accidens potentia, & alterum per Accidens actus. Objectio 2da. Potentia materiæ est Accidens. Probatur: Quicquid directè ponitur in prædicamento qualitatis est accidens: sed potentia materiæ ponitur in prædicamento Qualitatis. Ergo. Minor: Quia in secunda specie Qualitatis posuit Philosophus omnes naturales potentias agendi et patiendi, ut est mollities ceræ ad recipiendam impressionem sigilli, levitas ignis ut tendat sursum. R. Neg. minorem & ejus probationem: Quia illa potentia, vel impotentia quam Philosophus pro secunda specie qualitatis assignat non dicit ipsam potentiam naturalem Activam vel passivam, sed solum dicit facilitatem ad utendum illis potentiis agendo vel patiendo. Porrò Aliud est potentia & aliud facilitas ad utendum tali potentiâ, unde levitas in igne non est propriè potentia activa tendendi sursum, sed tantum est facilitas, ut ignis tendat sursum. Vide Faventini in Philosophia naturali Theorema 74 ubi cap. 2. duobus modis docet potentiam accipi. 1° Pro ipso principio & fonte à quo aptitudo agendi et patiendi emanat. Et hæc potentia non est accidens. 2° Pro ipsamet aptitudine et potentialitate agendi et patiendi, et hæc est accidens ut tantum facilitatem designat. Objectio 3tia. (Potentia non est propria passio materiæ) Probatur: Omnis propria passio manet, manente eo, cujus est passio. Sed potentia materiæ non manet manente materia (nam adveniente Formâ manet materia) potentia vero ad eam perit, tum quia adveniente actu perit potentia. Ex Averroe 1 Physicorum. Tum quia actus & potentia opponuntur ex 9 Metaphys. Ergo. R. Disting. minorem: quia potentia sumitur tripliciter Formaliter, fundamentaliter et concomitanter. Tertio modo acceptam Concedo non manere cum enim potentia secundum communem usum connotet privationem quæ solet in materia præcedere Formam, quo ad hoc dicitur potentia cessare adveniente Actu, et dicitur ei opponi; at verò 1mo & 2do modo acceptam Nego non manere, imò semper manet accepta Formaliter; nam actus perficit potentiam & in ea recipitur et certè dum quis actu videt, non dicitur amisisse potentiam ad visum, similiter dum scribit. Porrò nos potentiam non tertio sed secundo modo acceptam dicimus esse materiæ passionem. &c.

Aliud est potentia aliud facilitas.

Potentia duobus accipitur modis.

Potentia sumitur tripliciter.

Theorema Undecimum.

Materia prima appetit tam Formam in communi quàm omnes & singulas in particulari nec dum ut sunt Formæ, sed etiam ut sunt tales in specie et individuo, idque uno et eodem naturali ad omnes universali & indeterminato appetitu.

Appetitus Elicitus quid.

Notandum 1° Dictum primum: Duplex est appetitus. Alius Elicitus qui reperitur tantum in rebus cognitione utentibus, & nihil est aliud nisi actualis inclinatio rei cognoscentis in bonum præcognitum: Alius innatus seu naturalis quem habent res etiam illæ quæ sine cognitione agunt & nihil est aliud quam propensio rei in bonum sibi connaturale, quo sensu dicimus quod grave appetat esse deorsum & leve sursum. Nos hic de isto secundo non verò de primo loquimur appetitu. Dictum 2dum: appetitus materiæ ad Formas Formaliter, non est aliud nisi innata ejus inclinatio & naturalis potentia aptitudinalis ad omnes & singulas Formas, ut patet ex superioribus. Dictum 3tium: De appetitu materiæ idem prorsus est dicendum quod de ejus naturali potentia. Sicut ergo potentia tripli

Appetitus est duplex.

Innatus seu Naturalis quid.

Appetitus materiæ ad Formas formaliter quid.

tripli

triplicitur potest considerari. 1. ut actuata, et sic connotat Formam. 2do ut privata & sic connotat privationem. 3. secundum se, et sic abstrahit à Forma & Privatione dicitur prima. Ita in praesenti appetitus materiae potest sumi tripliciter vel cum Privatione boni sibi convenientis et Formae, et vocatur desiderium; vel cum eius Possessione et vocatur complacentia; vel secundum se ut abstrahit à privatione et possessione et dicit tantum inclinationem in bonum sibi connaturale, sive fuerit praesens sive absens, et in hoc sensu vocatur appetitus materiae. Dictum 1. Sicut juxta supius dicta potentia alia est universalis seu remota; alia particularis seu propinqua et sicut illa est una, & indeterminata ad omnes Formas: haec vero multiplicatur ad multiplicationem Formarum ita hic appetitus. Alius est particularis, et iste est multiplex prout variis dispositionibus afficit materiam. Alius universalis, et iste est unicus tantum quia materia omnes Formas appetit sub eadem ratione actus & tendit ad Formam in suppositione absolute non autem simplici aut personali sumptam. Vide Parva Logicalia. Notandum 2dum Dictum 1. Sicut potentia universalis potest sumi dupliciter 1. Pro tali inclinatione subjecti in suam perfectionem, ut si illam careat dicatur in statu violento manere. 2. modo pro quacunque inclinatione subjecti ad perfectionem sibi proportionatam, quam licet careat, non tamen propterea dicitur esse in statu violento, quia aliam consimilem habet. Et primo quidem modo potentia materiae est naturalis ad Formam in communi, & non ad Formam in speciali acceptam, quia si Formam careat vagè sumptam, dicitur esse in statu violento, non si careat hac & illa signatam. Secundo autem modo est naturalis ad omnes & singulas in speciali, quia quaelibet est sibi proportionata perfectio, et juxta eius universalem inclinationem: unde si unam deserat, non propterea ponitur in statu violento, dummodo aliam consimilem acquirat. Sic hic dicendum est quod appetitu universali materia appetat Formam in communi & vagè acceptam, at vero particulari & proximo appetit etiam hanc vel illam signatè. Dictum 2. Licet appetitus coincidat cum potentia naturali, tamen differt à potentia in communi. Nam aqua licet habeat potentiam ad calorem, non habet tamen appetitum dum illo caret, quia calor non est aquae naturalis perfectio ita ut est frigiditas.

Appetitus materiae potest sumi tripliciter.

Appetitus duplex Particularis et Universalis.

Differentia Appetitus à ~~Naturali~~ potentia in communi.

Probatio Theorematis.

Pars 1ma Th.: (materia appetit Formam) Probatur: 1mo Authoritate Philosophi qui 1 Physicorum t. 81 ait quod materia appetat Formam ita, sicut turpe appetit pulchrum, et imperfectum appetit perfectum. 2do Ratione: quia quaelibet res inclinatur ad perfectionem sibi connaturalem & appetit illam appetitu naturali. Ergo et materia appetit suam perfectionem. Sed Forma est perfectio materiae. Ergo. Confirmatur: Illud materia appetit, ad quod habet potentiam naturalem (quia appetitus iste innatus, nihil est aliud in re nisi aptitudo eius vel naturalis potentia ad propriam perfectionem recipiendam) Sed ad Formam materia habet naturalem potentiam ut fuit satis probatum. Ergo. Pars 2da Theor. (materia appetit Formam etiam in particulari

particularis. Ratio 1ma. Illud omne materia prima appetit ad quod naturalis potentia in ea reperitur. Sed ad omnes Formas etiam in speciali & individuo inspectas reperitur in materia potentia naturalis (quia Forma secundum omnes suos gradus est perfectio materiae, illo solo gradu excepto in quo convenit cum materia. Ergo. Ratio 2da: Forma terminat appetitum materiae ut supponit absolute pro Forma scilicet in communi & quacunque Forma in particulari, non autem prout supponit simpliciter vel formaliter (nam licet omnes respiciat sub una ratione communi scilicet; tamen (ly Actus) ut terminat materiae appetitum continet sub se quemcunque gradum Formae in quo differt a materia et non significat tantum gradum genericum Formae) Ergo. Ratio 3tia Quia tantum materia dum est sub una Forma retinet adhuc appetitum ad alias, quia perfectionem quam posset habere ab alia Forma, non habet ab ista sub qua manet actualiter; sed perfectionem genericam Formae habet actualiter ab ista praesenti sicut haberet ab illa futura. Ergo dicitur appetere eam, quia caret sub ratione specifica, et in hoc sensu remanet ad eam in materia appetitus. Ratio 4ta: Nulla Forma satiat appetitum materiae totaliter (quia nulla Forma continet virtualiter aliarum Formarum perfectionem) sed si appeteret Formas tantum secundum gradum genericum, non vero etiam secundum specificum & individualem, satiaret appetitum ipsius totaliter. Ergo. Non tantum appetit genericum sed etiam specificum & individuale. Minor: Nam secundum gradum genericum quaelibet Forma continet aliam et cum ea convenit, cum hic gradus sit ejusdem rationis in omnibus. Pars Theorematis 3tia (Materia 1ma appetit Formas uno universali & indeterminato appetitu) Ratio 1ma: quia unus ad omnes est sufficientissimus indeterminatus & universalis, sicut in homine est una aptitudo videndi ad multos actus, in lapide una inclinatio ad multos descensus. Ratio 2da quia alias tot de facto reperirentur aptitudines & appetitus in materia simul, quot sunt Formae possibiles, quod est falsum. Ratio 3tia: multiplices appetitus determinati sunt incompossibiles in materia (quia et ipsae Formae sunt incompossibiles) Ergo Tantum unus datur.

Objectiones et earundem solutio.

Objectio 1ma (Materia prima non appetit Formam) Probatur: Cui convenit appetere, illi convenit etiam cognoscere (quia nihil est volitum, nisi praecognitum, v.g. Puer cognoscit pomum, deinde illud appetit) Sed materiae 1mae non convenit cognoscere: (quia materia prima caret omnibus potentiis cognoscitivis scil: intellectu, visu etc.) Ergo materiae primae non convenit appetere & per consequens materia prima non appetit Formam. R. Disting. majorem. Appetere duplici appetitu scil: Elicito vel innato. Tunc sic: Cui convenit appetere, illi etiam convenit cognoscere (appetitu elicito) Concedo. (Appetitu naturali) nego. Materia autem prima appetit solum Formam appetitu naturali, non autem elicito. Objectio 2da (Materia prima non appetit Formas in speciali) Probatur: Si materia appetit Formas in speciali, quaero, vel appetit Formam quam habet, vel appetit Formam quam non habet? Neutrum potest dici. Ergo non appetit Formas in speciali. Minoris 1ma pars: Nullus appetit illud quod possidet, et privatio est causa appetitus & oppositum

Axioma.

manif

manifeste habetur apud Philosophum. Ergo. 2da pars minoris id est materia non appetit formam quam habet. Probatur: quia cum possit non eam habere, nisi per expulsionem prioris quam habet, sequeretur quod appeteret corruptionem compositi, immo etiam aliquo modo interitum sui quoad illud esse substantiale quod à Forma, quam habet actualiter recipit. Tum quia causa appetitus Formae futurae non [illegible] est alia, nisi ipsa privatio. Sed hoc dici non potest: quia unum contrarium non causat appetitum alterius contrarii, et simplex negatio vel privatio non potest esse causa entitatis positivae. Sed appetitus est entitas positiva. Ergo ipsius causa non potest esse privatio. Praeterea si propter privationem materia appetit Formam, quam caret, certè non appetit eam per se & secundum propriam naturam sed per accidens scilicet ratione privationis, quae sibi merè accidit. R. Dupliciter appetitus in materia potest considerari. 1. Formaliter 2. Connotativè. Si primo modo, tunc appetitus est vera proprietas ipsius, et tendit in formam tanquam in connaturalem sibi perfectionem, praescindendo ab hoc quod sit praesens vel absens et appetitu isto materia [illegible] juxta [illegible] appetit Formas in speciali. Si autem secundo modo appetitus consideretur, tunc juxta ista connotatum aliter atque aliter vocabitur. Nam ut connotat praesentiam ~~Forma~~ Formae vocatur complacentia ut verò connotat ~~ipsam~~ absentiam vocatur desiderium. (ut patet ex notando) et hoc modo consideratus appetitus non est juxta nos proprietas materiae, quia, sicut ista connotata accidunt materiae ita et appetitus sub his rationibus consideratus accidit eidem. Materia igitur appetit Formam quam habet appetitu complacentiae, quatenus naturaliter & juxta suam inclinationem sub ea quiescit, et privatio non est causa complacentiae sed tantum desiderii et de appetitu sub ratione desiderii verum est nos appetere tantum ea quibus caremus, et in hoc sensu loquitur Philosophus cum dicit quod materia non appetat Formam quam habet. At verò Formam, quam caret appetit appetitu desiderii, non tamen inde infertur quod appetat per se corruptionem Formae praesentis & compositi; sed tantum per accidens quatenus ad formam habendam consequitur privatio habita, id enim quod appetit, est ista forma habenda, non verò privatio habita, quia privatio formae non est perfectio materiae eo modo quo dicere solemus generans generare per se novam Formam, privationem vero praecedentis solum per [illegible] eidem inducere praeter ejus intentum. Ad alteram probationem dico: Quod privatio sit causa appetitus non secundum se, ut dicit positivam inclinationem materiae in formam; sed in ratione desiderii praecisè, quo sensu nihil dicit positivum, & quamvis unum contrarium positivum non possit esse ratio appetendi aliud, id tamen potest esse in privatis. Ad 3tiam probationem concedo quod materia per accidens id est ratione privationis connotatae appetat formam appetitu desiderii, at verò per se et secundum propriam naturam appetit illam, ut appetitus dicit absolutam inclinationem in propriam perfectionem. p.

Theorema Duodecimum.

Licet materia prima dum omnes formas in ~~[illegible]~~ particulari appetit, magis appetat nobiliores quam ignobiliores; tamen dum est sub Forma nobiliori adhuc appetit ignobiliorem.

Dupliciter appetitus in materia potest considerari.

Notandum 1mū Dictum 1mū: Appetitus naturalis in re, non est æqualis ad omnes perfectiones illi rei consentaneas. Dictum 2dum: materia 1ma æqualiter seu æquè naturaliter quiescit sub perfectiori et imperfectiori Forma, ut naturalitas seu naturaliter excludit violentiam: At verò non æquè naturaliter, ut naturalitas dicit majorem vel minorē inclinationem. Dictum 3tiū. Licet per quācunque Formā substantialem cū materia conjunctam constituatur unū per se compositū, tamen hoc eo perfectius constituitur quo Formā est perfectior. Dictum 4tū. materia naturaliū rerū est in potentia naturali ad omnes Formas naturales: materia verò artificialiū, quæ vulgò vocatur materia secunda, est solum in potentia neutra ad formas artificiales: De Divisione potentiæ in Naturalem, violentam & neutrā vide Theorema 6tū. Dictum 5tū: Quies violenta nunquā est nisi quiescens determinatè inclinetur ad oppositū. Dictum 6tū. materia prima respicit quidam indivisibiliter uno et eodem respectu aptitudinali omnes Formas tanquā terminū adæquatum: Tamen respectus ille ex natura rei prius refert materiā ad Formā perfectiorē quā ad Formā imperfectiorem, et eodem respectu respicit illas cū tali subordinatione; et in isto sensu dicimus quod materia magis appetat Formā perfectiorē quā imperfectiorem, & non ideò quia intensionē aliquā vel remissionē in ea cogitare velimus in ordine ad diversas Formas. etc.

Probatio Theorematis.

Pars 1ma Theor: (Materia prima magis appetit Formas nobiliores quam ignobiliores) Ratio 1ma In causis præcisis sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, & maximum ad maximum. Sed materia simpliciter appetit Formam (quià Forma est ejus perfectio simpliciter) Ergo magis appetit Formā, quæ magis eā perficit, et maximè eam, quæ est ejus maxima perfectio. Subsumo: Sed Forma nobilior magis perficit materiā quām ignobilior. Ergo Nobiliores Formas magis appetit materia quām ignobiliores. Hoc eodem argumento utitur Philosophus initio metaphysices, dum metaphysicam probat esse maximè appetibilem dicens (Omnis homo naturaliter scire desiderat) Ergo nobiliorē scientiam magis desiderat, et nobilissimā qualis est metaphysica maximè desiderat. Ratio 2da: Quod magis à natura intenditur, magis quoq̀ appetitur. Sed Formæ perfectiores, seu nobiliores magis intenduntur à natura quam imperfectiores & ignobiliores. Ergo magis appetuntur, et per consequens materia prima magis appetit nobiliores etc. Ratio 3tia: materia prima magis appetit Formas substantiales quām accidentales (quià propter substantiales Formas fertur suo appetitu in accidentales; Jam verò propter quod unūquodq̀ est tale, illud ipsū magis est tale) Ergo Etiam inter Formas substantiales magis appetet eas quæ sunt nobiliores quām quæ sunt ignobiliores. Conseq. Quia eadem est proportio Formarū ignobiliorū ad suas Formas nobiliores quæ est Formarū accidentaliū ad substantiales. Pars 2da Theor: (Materia prima cum est sub Forma nobiliori adhuc etiam appetit ignobiliorem) Ratio 1ma: Perfectio Formæ nobilio

nobilioris non aufert à materia potentiam recipiendi alias Formas, quibus caret licet sint ignobiliores. Ergo neque aufert appetitum, & per consequens dum materia est sub Forma nobiliore, adhuc habet appetitum Formæ ignobilioris. Consequ. Quià appetitus sequitur potentiam sphæratam Formam. Ergo si possessio Formæ nobilioris etc. sequitur quod nec auferat appetitum. Ratio 2da: Nulla unquam Forma quantumvis perfecta satiat totaliter & extensivè appetitum materiæ. Ergo dum est sub Forma nobiliori etc. Ans: Quià illa solum potest satiare quæ omnium aliarum inferiorum & ignobiliorum continet in se perfectiones. Atque nulla talis de facto datur quæ sic adæquatè contineat aliarum perfectiones. Ergo nulla satiat. Ratio 3tia: Quià aliter sequeretur quod materia prima non posset naturaliter nobiliorem Formam amittere, quod quidem est falsum, ita enim sequeretur quod compositum ex illa resultans v. g. Homo ex Anima quæ ceteras Formas omnes sua nobilitate superat, esset incorruptibile, quod dici non potest, quià hoc est etiam contra ipsam experientiam. Sequela autem prima patet quià corruptio Formæ præsentis nascitur ex appetitu Formæ non habitæ. Ergo ubi deerit iste appetitus, ibi non erit corruptio Formæ habitæ, atque sic, si materia non appetit Formam ignobiliorem dum est sub Forma nobiliori, sequitur quod non possit illam nobiliorem amittere. DICES: Hanc corruptionem sequi ex appetitu Formæ nobilioris, quià inter Formas quoad perfectionem est processus in infinitum. CONTRA: Iste processus an sit possibilis nondum est decretum; Deinde dato quod sit possibilis Formæ perfectio quam anima rationalis: Tamen de facto nulla datur perfectio neque ordinariè loquendo est possibilis perfectior. Atque sic de facto homo erit incorruptibilis. Præterea experientia ipsa docet sequi corruptionem licet fiat compositum imperfectius. Ergo ex appetitu Formæ imperfectioris de facto sequitur corruptio. etc.

Objectiones et earundem solutio.

Objectio 1a. (materia prima non magis appetit Formas nobiliores quam ignobiliores) Probat: Æqualiter omnes appetit. Ergo. Ans: Potentia materiæ est æqualiter indeterminata, et indiferens ad omnes Formas, et non magis unam quam aliam est apta nata recipere. Ergo æqualiter omnes apetit. Cons. prox. Quià appetitus iste non differt à potentia naturali. Ergo si potentia est æqualiter indeterminata ad omnes Formas, sequitur quod et appetitus etiam sit indiferens æqualiter ad omnes Formas. R. Neg. Ans: et probationem ejus Disting. quià potentia materiæ est indeterminata & indiferens ad omnes Formas quatenus indifferentia excludit inclinationem determinatam, non verò prout excludit inclinationem majorem ad unam quam ad aliam Formam: Unde æqualiter quoque appetit omnes Formas prout (hoc æqualiter) excludit inclinationem determinatam, non autem prout excludit inclinationem majorem. Objectio 2da. (materia prima dum est sub Forma nobiliori

nobiliorem non appetit ignobiliorem. Probatur: Appetitus non fertur in malum. Quia malum non est appetibile) sed Forma ignobilior respectu nobilioris, habet rationem mali (quia dicit defectum perfectionis; iam verò quod dicit defectum perfectionis est malum) Ergo. Confir: Forma virtualiter continens aliam explet appetitum materiæ respectu illius. Sed Forma perfectior continet virtualiter imperfectiorem, sicut species superior inferiorem. Ergo. R. Neg. minorem. Falsum autem est quod minus bonum comparatum cum majori bono sit simpliciter malum. Nam potius est simpliciter bonum, et secundum quid malum; atque sic potest esse objectum, tam appetitus quam etiam fugæ quia in eo est admixtum bonum et malum. Ad confirmationem Dico distinguendo virtualem continentiam unius in alio. Dupliciter enim potest sumi 1° simpliciter et in vigore. 2° secundum quid. In primo sensu dicimus quod Anima Rationalis continet sensitivam et vegetativam, quia rationalis continet eas non tantum per excessum perfectionis sed etiam per aequivalentiam in muneribus. Secundo autem modo omnis species perfectior continet imperfectiorem per solum scilicet excessum perfectionis. Major igitur vera est quoad continentiam primo modo, minor verò quoad continentiam secundo modo acceptam. Quæres An sicut materia dicitur appetere Formam, ita dici queat quod Forma appetat materiam. R. Affirmando. Ratio 1ma Quia sicut tribuitur etiam ipsi Formæ potentia informativa nempe aptitudo ad informandum, ita hoc modo debet quoque tribui appetitus. Ratio 2da. Quia appetitus prout hic sumitur nihil est aliud quam inclinatio, Forma autem naturaliter inclinatur in materiam tanquam in suum subjectum perfectibile. Ratio 3tia: quia etiam Forma in unione ad materiam acquirit aliquam perfectionem. Notes absolutè loquendo appetitum potius materiæ quam Formæ esse tribuendum quia Forma est actus perficiens et determinans materiam, non sic materia Formam.

Virtualis continentia unius in alio dupliciter sumi potest.

Materiæ tribuitur appetitus quam Formæ

Theorema Decimum tertium.

Quamvis materia 1ma pro statu isto sit cognoscibilis, tantum per ordinem ad Formam, tamen absolutè loquendo et ex natura potentiæ est per se cognoscibilis sine tali ordine.

Notandum 1mum Dictum 1: Cognoscere materiam primam per ordinem seu ἀναλογίαν ad Formam est cognoscere illam per transmutationem de una Forma in aliam. Dictum 2: Unam rem duobus modis cognosci non est inconveniens v.g. ignis ut transmutatur localiter non est cognoscibilis nisi per comparationem ad locum, tamen est absolutè in se cognoscibilis alio nobiliori modo, scilicet ut est ignis: Sic quoque materia ut est subjectum mutationis, non est cognoscibilis nisi per comparationem ad Formam cuius est subjectum, non tamen

Unam rem duobus modis cognosci non est inconveniens.

propterea

propterea sequitur, quod non sit cognoscibilis in se quatenus essentitas absoluta sine relatio-
ne ad Formam. Dictum 3: materia prima non potest à nobis cognosci absolute
pro hoc statu sine Analogia ad Formam, licet ex natura sua sit cognoscibilis absque tali Analogia,
propterea quia valdè distat à sensibus nostris; jam verò intellectus noster, non nisi ea
potest cognoscere quæ sunt sensibilia in se vel in suis effectibus propter ordinem
naturalem potentiarum / materia verò non est in se sensibilis secundum suam enti-
tatem absolutam, neque est sensibilis per effectus, quia ut est Entitas absoluta, circumscri-
bunt ab ea omnes effectus, sed ut subjectum verum generabilium est cognoscibilis, quia
sic est sensibilis per suos effectus, scilicet: per sustentationem Formæ, unde cognoscit per trans-
mutationes quæ fiunt in ipsa. Notandum 2dum Dictum 1mum. Dum materia
prima per se et absolutè intelligitur, tunc non intrat intellectum se ipsam, sed per suam
speciem prout et quodlibet aliud intelligibile præcipuè autem materiale, et in hoc sensu
tia intelligibilia debent à materia denudari, id est ab extensione & materialitate ut
intelligantur: Prò hæc denudatio fit per abstractionem specierum. Dictum 2dum: ma-
teriam absolutè cognoscere est difficillimum, quia sicut est minima & imperfectissima
entitatis in genere substantiæ, ita et minimæ cognoscibilitatis. Dictum 3tio.
Falsum est quod materia prima sit essentialiter potentia, et essentialiter re-
lativa ad Formam in prima notione. Dictum 4tum. Si Angelus concipet materiam præ-
cisè abstractam, ordine aptitudinali ad Formam, tunc concipet eam tanquam entitatem
absolutam talis naturæ, ut sit exigitiva talis aptitudinis tanquam propriæ passio-
nis. Dictum 5tum: Qui materiæ primæ denegant actum et existentiam, etiam cog-
noscibilitatem sine ordine ad Formam eidem denegant. Contra: qui tribuunt ei
actum Entitativum, tribuunt quoque et cognoscibilitatem. Unde Scotistæ asserunt
eam in prima notione esse cognoscibile sine ordine ad Formam, licet in secunda notione non
sit ita cognoscibilis. etc.

Qui materiæ primæ denegant Actum et existentiam, etiam cognoscibilitatem eidem denegant.

Probatio Theorematis.

Pars prima Theor. (materia prima hoc pro statu solum est cognoscibilis per ordi-
nem ad Formam) Probatur: magis est Forma cognoscibilis à nobis quam materia. Sed Fo[rma]
non potest cognosci à nobis, nisi ex suis operationibus & effectibus. Ergo Nec materia [pri]-
ma sine suo effectu potest cognosci. Si sic? ergo materia prima pro hoc statu etc. Minor.
Quia ex nova operatione arguimus novam Formam, dum videmus operationem enim longè di[ver]-
sam à priore operatione, colligimus indè longè quoque aliam esse Formam à priore, ex hoc

infertur dari aliquod subjectum transmutationis, quod sustentat priorē & posteriorem formam, et illud quidem vocamus materiam primam. Pars 2da Theorematis (Materia prima est per se intelligibilis absq relatione ad Formā) Ratio 1ma: materia prima ex se habet Actū Entitativum, & non à Forma ut visū est supra. Ergo de se aliam habet propriā cognosci bilitatem sine ordine ad Formam. Conseq. Intelligibilitas enim, seu cognoscibilitas sequitur ipsā rei Entitatem, cum sit ejus passio, et sicut se res habet ad esse, ita & ad cognosci. Dices: Quod materia prima sit essentialiter potentia Receptiva Formæ, et quod ideò non possit cognosci absq relatione ad Formā. Contra: Falsum est potentiam esse de essentia materiæ in prima notione, licet in secunda notione ita sit. Ratio 2da: Si materia prima non potest cognosci absq ordine ad Formam, aut igitur sine ordine Actuali, aut sine ordine aptitudinali non potest cognosci. Neutrū potest dici. Ergo simpliciter falsū est quod non possit per se cognosci sine ordine ad Formam. Minoris 1ma pars. Quià si DEUS denudaret materiam omni Formâ (neq enim hoc implicat ullā contradictionem) adhuc materia prima posset cognosci ab angelo (quià adhuc retineret suam entitatem & suam Existentiam) pars 2da minoris probatur; Nam ordo ille aptitudinalis & transcendentalis ad Formas, ē est formaliter ipsa materiæ entitas, imò talis ordinis radix & origo est Entitas materiæ, quæ quidem Entitas potest quidditativè cognosci absq tali ordine aptitudinali ad Formam, eò quia est Entitas absoluta. Ratio 3tia: Forma non est causa constituens materiā in esse sed concurrens cū ea ad compositū. Ergo ESSE materiæ non est ESSE Formæ. Ergo nec intelligibilitas materiæ est per Formam. Dices: materiam primam non existere sine Formâ Actū, à parte rei, et ideò neq cognosci absq ea. CONTRA: Licet ita sit, tamen à parte rei est intelligibilis sine ea per se quià cognitio & scientia licet non abstrahat ab Ente, tamen abstrahit ab existentia Entis. Confirmatur Materia prima est prior naturā quàm Forma, potest esse sine Forma, habet distinctū esse ab illa. Ergo potest per se intelligi absq Forma. Ans: Materia prima in se est Entitas absoluta extra causas realiter distincta à Forma, causa per se, subjectum motus, pars compositi & habet in DEO distinctam ideam. Conseq. quià per se intelligi est passio Entis. Ergo quā ratione est Ens distinctum, eā ratione est per se ipsum intelligibilē, licet ita à nobis nunc non intelligatur.

Varia materia 1mæ attributa.

Confirma

Confirmatur 2: Accidentia sunt per se cognoscibilia. Ergo et materia prima. Conseq. Quia materia prima habet ESSE perfectius quovis Accidente nam et de Prædicamento Substantiæ substantia autem habet ESSE perfectius quam accidens. OBIICIES: Actus est causa cognitionis et manifestationis, potentia verò est causa ignorantiæ et occultationis (quia quæ sunt potentialia, non ostendunt se intellectui (PER SE)) sed per Accidentia vel quidpiam aliud v.g. per similitudines) sed materia est per se potentia, Forma autem est per se Actus. Ergo materia prima cognoscit per Formam. Unde Philosophus 2 metaphys. dicit materiam primam ex se esse ignotam. Confirm. Unum Relativum non potest per se intelligi absque altero. Sed materia & Forma sunt Relativa. Ergo materia non potest cognosci absque Forma. MINOR: Actus & potentia sunt Relativa. Sed materia est per se potentia, Forma autem est per se Actus. Ergo. Respondeo: Actus Formalis vel Actus Entitativus est causa cognitionis Concedo. solus autem Formalis est causa cognitionis Nego. Similiter potentia objectiva est causa ignorantiæ Concedo; potentia subjectiva est causa ignorantiæ Nego. Porrò materia prima est potentia sed subjectiva & habet Actum Entitativum: Aristoteles autem dicit eam esse ignotam I ideò, quia est minimæ Entitatis, ac proinde minimæ cognoscibilitatis. 2 ideò: quia pro statu isto non nisi eam per ordinem ad Formam cognoscimus. Ad confirmationem concedo in genere Physico esse Relativam, at verò in specie Entis materia prima est substantia absoluta, prior quam Forma. Deinde sunt Relativa in secunda notione, non verò in prima. Quæres An materia sit cognoscibilis quidditativo conceptu? Respondeo posse illam cognosci quidditativè non solum ab Angelis, sed etiam à nobis, sed ab Angelis distinctè, à nobis autem confusè: nam Angelus cognoscit distinctè omnia materiæ prædicata essentialia & proprietates: At vero Nos illa prædicata cognoscimus vel per conceptus qui sunt communes materiæ primæ & secundæ arte factorum, vel per negationes, quæ eius proprietates omnes noster cognoscit intellectus.

Theorema Decimum quartum.

Materia prima est ingenerabilis & incorruptibilis sumendo generationem & corruptionem strictissimè, scil: in Ratione productionis vel desitionis: At verò sumendo eam in Ratione mutationis vel latè pro quavis inceptione & desitione est omninò generabilis et corruptibilis.

No-

Generationis et Corruptionis duplex acceptio.

Notandum. Dictum 1mum: Generatio & corruptio potest sumi dupliciter 1mo Latè pro quavis rei inceptione & desitione quocunque modo illa fiat et sic comprehendit etiam creationem atque annihilationem. 2do modo Strictè pro inceptione rei, ex praesupposita parte seu subjecto & desitione rei remanente adhuc aliqua ipsius parte vel subjecto; et in hoc secundo sensu dupliciter adhuc accipitur 1mo in ratione mutationis. 2do in Ratione productionis. Duobus prioribus modis materia prima est generabilis & corruptibilis, at verò tertio modo est ingenerabilis et incorruptibilis.

Generationis Definitio.

Dictum 2dum: Generatio est mutatio totius in totum, capiendo totum Cathegorematicè, id est, pro ipsa tertia entitate vel pro ipsa totalitate quae unionem includit; non autem syncathegorematicè id est pro singulis partibus. Dictum 3tium Nobilitas major vel minor simpliciter attenditur ex perfectiori & imperfectiori gradu Naturae, non ex aliqua peculiari ejus conditione. Dictum 4tum: major vel minor duratio, non infert universaliter in istis inferioribus majorem vel minorem perfectionem. Nam non est perfectius id semper quod durat per tres Annos eo, quod durat per tres tantum horas. Dictum 5tum: Forma & compositum superant materiam nobilitate quia, quandò aliqua duo vel tria habent duas perfectiones alterius rationis, tunc illud simpliciter censetur esse nobilius quod habet perfectionem superioris ordinis: sed materia prima habet incorruptibilitatem, Forma verò & compositum habent actualitatem, et quia Actualitas est perfectio superioris ordinis quam incorruptibilitas, ideò Forma & compositum quod habet actualitatem est nobilius quam materia quae habet incorruptibilitatem. etc.

Probatio Theorematis.

Pars 1ma Theor. (materia 1ma est ingenerabilis & incorruptibilis sumendo strictissimè generationem & corruptionem) Probatur: Si materia prima posset generari vel corrumpi strictissimè sumpta generatione et corruptione, id est: Si fieri posset ex praesupposito subjecto &c et in illud idem desinere, sequeretur quod materia prima non esset materia prima. Consequentia implicat contradictionem. Ergo et Ans. Sequela: Quia non esset subjectum primum cujusque generationis, nec postremum cujusque corruptionis. Ergo si materia posset generari etc. sequeretur quod non esset materia prima. Ans. prox. Nam illud ex quo fieret haec materia, et in quod ultimo desineret, esset subjectum prius ista materia prima et deberet esse ingenerabile et incorruptibile, quia alias si & illud posset generari & corrumpi, daretur processus in infinitum quod non est concedendum, et in hoc sensu a Physicorum dicitur materia 1ma est ingenerabilis et incorruptibilis. Pars 2da Theorematis (materia 1ma

est generab.

est generabilis & corruptibilis sumendo generatione & corruptione in Ratione natu[...]
tionis) Probat: materia 1ma est subjectum cujuscunque mutationis substantialis tam ac[...]
quisitivae quam deperditivae. Ergo debet denominari generabilis & corruptibilis a gener[a-]
tione et corruptione ita acceptis. Conseq. Quia forma denominet subjectum in quo est
juxta suam naturam. Ergo et generatio cum corruptione denominabit materiam gene-
rabilem & corruptibilem, unde et ipse Philosophus in hoc sensu vocat materiam generabilem
& corruptibilem. Pars 3tia Theorematis (materia prima est generabilis et corruptibilis [su-]
mendo generatione & corruptione latius) Probatur: Quicquid est a DEO creabile et anni[hi-]
labile, est quoque generabile et corruptibile in hac acceptione (quia generatio & corruptio [la-]
te sumpta extendit sese ad creatione & annihilatione) sed materia prima est a DEO
creabilis et annihilabilis. Ergo est corruptibilis & generabilis. Minor: quia est Ens crea-
tum non autem increatum alias enim esset DEUS. Deinde est indifferens ad esse et non
esse; nam alias deberet esse Ens summe necessarium, id est, debet ex se necessario esse
quod est falsum: quia solus DEUS gloriosus est necesse esse. Ergo materia prima est genera[bi-]
lis et annihilabilis. Dices: si est annihilabilis. Ergo aliquando annihilabitur. Respond. [Ne-]
Conseq. quia a potentia ad actum non est necessaria illatio v. g. Non valet: Paulus po-
test esse sacerdos. Ergo omnino erit sacerdos. Hinc provenit scire Entia creata esse [du-]
plicia. Alia talis conditionis ut cum solo concursu DEI generali non sint in perpetuum
duratura. v. g. Homo, semel productus absque speciali miraculo non potest in aeternum perman[ere].
Alia sunt talis conditionis ut semel producta possint deinceps cum solo concursu DEI
generali in aeternum durare, et talis est juxta Theologos Angelus et Anima rationalis
quibus quoque materia prima est adjungenda (nam licet simpliciter & absolute possit a DEO an-
nihilari, libere enim a DEO conservatur, & ex se est indifferens ad esse et non esse
talis tamen est conditionis ut continuante DEO exhibitione solius generalis concursus ipsa in
aeternum duraret. Ratio enim: ob quam secundum communem natura cursum Entia creata des[i-]
nunt, est contrarietas immediata vel mediata, quam habent ad invicem ratione dispositionum [oppo-]
sitarum quas dispositiones formae substantiales exigunt pro sui conservatione: vel etiam naturalis quae[dam]
sequela, et sic ad corruptione subjecti corrumpuntur accidentia quae insunt illi subjecto. Quia [in]
materia prima nihil est contrarium mediate vel immediate, cum indifferenter omnes appe[tat]
formas, et praeterea cum in nullo sit subjecto ad cujus corruptionem naturaliter desinere debe[at]
DEO secundum communem natura cursum non deest, imo in aeternum est duratura cum solo ge[nerali]

[Margin: 8 Metaphys.]

[Margin: Entia Creata sunt duplicia.]

generali concursu Dei. Obiectio (materia 1ma est corruptibilis) Ratio 1ma: Illud est corrupti-
bile, quod est causa corruptionis in alio (quia propter quod unumquodque est tale, illud ipsum est magis tale)
sed materia prima est causa corruptionis in compositis ut postea ostendetur. Ergo. Ratio 2da. Si materia
prima non esset corruptibilis, sequeretur hoc ideo fieri quia nullum esset Agens naturale quod eam
posset corrumpere. Atqui falsum est agens naturale ejusmodi non posse assignari. Ergo. Minor: quia
datur Agens naturale quod potest agere generando & corrumpendo in compositum. Ergo etiam da-
bitur quod possit agere in materiam. Consequentia: quia quod potest agere in Ens perfectius, potest
quoque agere in Ens imperfectius;† sed compositum est Ens perfectius. Ergo si agens naturale potest agere in com-
positum, poterit et in materiam. Ratio 3tia: Corruptibilium Principia debent esse corruptibi-
lia ex Lib. 1 de Coelo. Sed materia est Principium verum corruptibilium. Ergo et ipsa est corrupti-
bilis. Ratio 4ta. Si materia ~~est principium verum corruptibilium~~ nec generatur nec corrumpitur. Ergo generatio non
est mutatio totius in totum. Contra Philosophum 1 de Generatione. Ratio 5ta. Alias materia
esset nobilior quam Forma & compositum. Conseq. quia incorruptibile est nobilius corruptibili. Sed
materia juxta se est incorruptibilis. Ergo est nobilior quam Forma & compositum. Rdeo Neg.
majorem: ad probationem Dico quod illa propositio (Propter quod unumquodque est tale &c.) non
verificatur de causis aequivocis sed tantum de univocis, quando scilicet Denominatio convenit u-
trique et causae et effectui v.g. valet consequentia: Si manus est calida propter ignem. Ergo et ignis
magis est calidus‡ et ita est in proposito. Ad 2dam Rationem Neg. minorem. deinde consequentiam:
Quia modus ille arguendi valet de illis passis, quae intra Sphaeram agentis continentur, quod si po-
test in perfectius, possit quoque in imperfectius; at si imperfectius sit extra Sphaeram agentis, non
valebit v.g. Homo potest generare hominem at non potest murem, licet mus sit Ens imperfectius
homine, quia scilicet est extra sphaeram Activitatis ipsius. Ad 3tiam rationem dicimus corrupti-
bilium principia esse corruptibilia non omnia, sed aliqua tantum unde apud Philosophum illa pro-
positio (corruptibilium principia debent esse corruptibilia) non est universalis sed indefinita Enun-
ciatio. Ad 4tam rationem et 5tam habetur Responsio in Notando Dicto secundo, 3tio, 4to & 5to.

† materia autem prima est ens imperfectius Ergo etc.

Axioma illud Propter quod unumquodque est tale valet de causis univocis non tantum aequivocis.

‡ Sed non valet: manus est calida propter Solem. Ergo Sol magis est calidus, et ita etc.

Theorema Decimumquintum.

In materia prima non sunt dimensiones interminatae.

Notandum 1mum Dictum 1mum: Hoc Theorema aliter sic proponitur: Materia prima neque
terminata neque interminata Quantitas est coaeva neque inhaeret illi immediate sed tan-
tum corpori & composito. Dictum 2dum Averroistae cum Nominalibus tenent quod materia
prima ante receptionem Formae sit Quanta et quod habeat Tres Dimensiones scil: Longi-
tudin

Longitudinem, Latitudinem et Profunditatem, quæ tamen dimensiones sunt indeterminatæ, idest absq determinatis terminis et limitibq, quos postea Forma adveniens materiæ præfigit illas dimensiones interminatas terminando. Dictum 3tium: Thomistæ & Scotistæ oppositam tenent sententiam, quod materia prima ante adventum Formæ non sit Quanta, nec ullas habeat dimensiones terminatas aut interminatas, sed quod Quantitas insequat Substantiam completã & pfectam, quæ est composita ut faciunt alia quoq Accidentia. Dictum 4tum. Existentia est duplex. Alia SIMPLEX, alia SINGULARIS. Simplex existentia est, habere esse extra suas causas ita quod sit in rerum natura, et sic materia prima habet existentiam, sed solù quià est pars compositi: Forma quoq habet existentiam hoc modo quià et ipsa est pars compositi, sed ista existentia non sufficit ad hoc, ut sit Subjectum accidentium, quià sic est Ens incompletum. Non autem potest esse Ens subjectivũ alterius Entis divisi genere et in suo genere completi antequã in seipso sit completũ et pfectũ, alias etiam Forma sine materia posset operari quià est Ens per se existens distinctũ à materia, licet actu nũquã reperiat sine materia, sicut nec materia reperit sine Forma. Existentia singularis est idem quod Subsistentia propriè sumpta, unde quod existit tali existentia, est capax accidentium; modo materia prima se solà sine Formã non existit hac existentiâ partiali, et ideò non potest in se recipe accidentia et consequenter nec Quantitatem. Notandum 2dum Dictum 1 Sicut Forma est ratio determinata composito recipiendi hoc vel illud accidens (materia enim indifferenter est ratio omnia recipiendi) ita quoq materia est ratio recipiendæ composito Quantitatem indeterminatã. Forma est Ratio recipiendi tantã vel tantam quià determinatio est à Forma. Dictum 2: Sicut materia est proximũ & immediatum Subjectum omniũ Formarũ Substantialiũ sic Quantitas est Subjectũ accidentaliũ. Sicut materia non est de Genere Activorũ sed merè passiva sic et Quantitas. E contra verò sicut Formæ est agere, sicut et Qualitates pertinent Activæ; sicut Formæ est pficere, ita et Qualitates, et hoc fuit in causa ut vulgo dicant Quantitatem tenere se ex parte materiæ, Qualitatem ex parte Formæ: Quantitatem sequi materiam, Qualitatem verò Formã; hanc esse Affectionẽ Formæ, illam verò materiæ non quod revera Quantitas sit materiæ proprietas. Dictum 3: In rebq Animatis Quantitas consequitur Formam mixtionis, non verò Animam et consequenter non in materia nuda sed in composito ex materia & Forma mixtionis subjectat. Dictum 4 Accidentia quædam materialia necessariò insũt composito, tanquã subjecto inhæsionis: quià Actq vitales materiales necessariò insunt toti composito, non soli materiæ vel Animæ. R.

Quid simplex Existentia.

Existentia est duplex, simplex et singularis.

Existentia singularis quid sit.

Probatio theorematis

Ratio 1ma: In quo sunt dimensiones interminatæ, illud habet Quantitatem (quià dimensiones

Dimensiones Interminatæ quænam.

dimensiones interminatæ sunt Longitudo, Latitudo et profunditas) Sed materia prima ante adventum Formæ non habet Quantitatem. Ergo in ea non sunt interminatæ dimensiones. Minor: Quod habet Quantitatem est in Loco. Sed materia prima non est in loco. Ergo. Minor: Subjectum generationis juxta Philosophum 5 Physicor. t. 8. Non est in Loco. Sed materia prima est subjectum generationis. Ergo. Major prior: Quia Quantitas est ratio essendi in Loco. Ergo quod habet Quantitatem est in Loco. Ratio 2da: Dimensiones interminatæ vel sunt propria Accidentia materiæ vel communia, neutrum potest dici. Ergo. Propria esse non possunt quia alias nec materia sine istis dimensionibus, nec istæ dimensiones possent esse absque materia. Non secundum: quia absurdum est dicere substantiam aliquam omnis actus substantialis expertem præditam esse actu accidentali (Actus enim substantialis ex toto genere præcedit actum Accidentalem) Ratio 3tia: Ideò Quantitatem dicis esse materiæ coævam quia putas esse illam ingenerabilem et incorruptibilem eandemque permanere in genito et corrupto. Atqui falsum est Quantitatem nec generari nec corrumpi. Ergo falsum quoque est illam esse coævam materiæ. Minor: 1mo quia in generatione compositi absolutè necessarium non est ut præcedat subjectum actu Quantum & Quale; sed potentia solum ex 7 metaphys. Ergo sicut in generatione novi compositi fit nova Qualitas, ita etiam nova Quantitas. 2do Quia si non fit nova Quantitas, saltem fit nova terminatio Quantitatis prioris. Sed hæc terminatio nihil est aliud nisi nova Quantitas (nam terminatio prioris longitudinis erit nova linea, seu nova delineatio, terminatio profunditatis erit ~~nova~~ nova superficies, quæ sunt veræ species Quantitatis) 3tio ad Quantitatem datur verè motus augmentationis & diminutionis. Ergo est generabilis & corruptibilis. 4to: Licet quantitas non possit per se corrumpi quia nullum habet contrarium à quo destruatur, adhuc tamen per accidens est corruptibilis ad corruptionem subjecti, prout et alia accidentia sunt corruptibilia licet nullum habeant contrarium. Ratio 4ta: Nulla est necessitas ponendi Quantitatem esse materiæ primæ coævam. Ergo. Ans: Vel enim ponitur ideò quia est ingenerabilis & incorruptibilis, sicut et materia, et hoc est falsum ut modo in tertia diximus ratione, vel ideò ut extendat materiam ad hoc quatenus secundum diversas sui partes, diversas quoque partes Formæ subjectet, et hoc supervacaneum est: nam materia prima habet extensionem partium Entitativam & Substantialem seclusâ Quantitate quantum sufficit ad subjectandas diversas Formæ partes, vel ideò ut sit idoneum subjectum Actionis agentis naturalis, quod non agit nisi in Quantum et attingere non potest essentiam nudam materiæ. Sed neque hoc valet: Nam licet Agens naturale per Actionem alterativam agat in Quantum seu subjectum Quantitate affectum scilicet: compositum corrumpendum et nequeat attingere nudam materiæ Essentiam, tamen per actionem substantialem et generativam attingit nudam materiæ essentiam, quia sicut materia est immediatè receptiva Formæ substantialis: ita quoque est

est immediatè receptiva Actionis substantialis ejusdem. Ergo nulla potest afferri ~~ratio~~ (ratio) quæ nos cogat ad ponendam Quantitatē materiæ coævam. OBIECTIO: Accidens Æternū indiget subjecto æterno (quia accidens naturaliter non potest esse absq̃ subjecto) sed quantitas est accidens æternū. Ergo Quantitas indiget subjecto æterno. (subsumo) sed sola materia prima in rebus naturalibus est æterna (quia ipsa est ingenerabilis & incorruptibilis propriè) Ergo materia prima est id quo indiget Quantitas. Minor: Quod est ingenerabile et incorruptibile est æternū. sed quantitas est ingenerabilis & incorruptibilis. Ergo est æterna. Minor prox. Non habet generans à quo generetur Ergo est ingenerabilis. Ans: vel enim illud generans esset Forma, vel Quantitas, vel Qualitas vel aliquid aliud: sed nihil horum. Ergo: Minor: Non potest generari à Forma quia id, à quo generatur Quantitas debet esse Quantū (quia ab eo quod non est quantum, non potest produci quantum) sed Forma non est Quanta (quia Forma quâ forma est indivisibilis de se, alias anima intellectiva esset divisibilis) Ergo à Forma non generatur Quantitas. 2da pars minoris: idest non generatur Quantitas à quantitate quia id, à quo generatur Quantitas debet esse Activum (quia generare est agere) sed quantitas non est Activa neq̃ enim est de genere Activorū. Ergo à Quantitate non generatur Quantitas. 3tia pars minoris: idest non à Qualitate quia ab eo, quod est posterius Quantitate non potest generari Quantitas. sed Qualitas est posterior Quantitate. (Ergo etc.) 4ta pars: Quia si est aliquid tale, tunc debet assignari et oppugnabitur. Confirmatur: compositū est quantū. Ergo materia præexistit Quanta. Consequens: quia quantū non potest fieri ex non Quanto juxta Philosophū 6 Physicorū. Rx Neg. minorem. 2 etiam minorem 3 Disting. Ans: Licet enim non habeat generans à quo generetur per se Quantitas, tamen habet à quo generetur per Accidens. Ratio quia sicut Quantitas per se non corrumpitur, sed tantū ad corruptionē subjecti more aliorū Accidentiū ita neq̃ per se generatur, sed solū ad generationē subjecti scil: corporis vel compositi et dimanat ab illo, sicut alia Accidentia eidem connaturalia vel ratione principiorū Physicæ constituentiū scilicet materiæ & Formæ; vel ratione realitatis corporeitatis de genere substantiæ, ratione cujus totū constituitur ~~[illegible]~~ capax trinæ dimensionis. Porrò quod corrumpit subjectum, corrumpit consequēter etiam Quantitatē et quod generat, subjectum generat, consequenter etiam Quantitatem. Ad confirmationē nego sequelā et Authoritatem Philosophi distinguo. Quantum est duplex. Aliud ex Additione partiū integraliū qualis est linea, superficies etc. Et de tali Quanto verū est quod non generetur ex non quanto quia linea non componitur ex punctis. Aliud est Quantū ex constitutione partium essentialium, et de isto quanto falsū est quod non constituatur ex non Quanto, quia ad constitutionē ejus sufficit, ut partes præexistant extensæ Entitativè et substantialiter quatenus ex illis compositū actū quantū constituatur. Dices: Nemo dat quod non habet; compositū vel materia non habet quantitatē. Ergo illam non potest alicui dare. Rx deo Non habet (Formaliter) concedo, non habet (virtualiter) nego. v.g. silex non habet ignē Formaliter sed virtualiter habet. Item vinū vel piper non habet Formaliter calorē, sed virtualiter habet etc.

Quantum est duplex.

Theorema Decimum Sextum.

Materia est una specie Atoma, in omnibus corporibus & Sublunaribus et coelestibus; numero autem, dum simul tempore existunt, semper multiplicata; dum verò successivè existunt, non semper: At si in Substantiis Spiritualibus daret, non esset ita una, sed tantum unitate Generica.

Duplex est Unitas Specifica.

Notandum 1mum Dictum 1: Duplex est unitas Specifica scilicet: Completa & incompleta, sicut & Entitas specifica. Alia est completa ut Homo. Alia incompleta ut Anima. Dictum 2: Unitas numerica est triplex: Alia Substantialis seu Entitativa ‡ quae competit rei ex sua haecceitate et hanc habet materia in quovis composito independenter à Forma. Altera Praedicamentalis et haec advenit materiae extrinsecè à Forma tali, quae sicut dat ei extrinsecè esse specificum in praedicamento, ita & numericum etiam. 3tia Integralis seu continuitatis, quae est propria rebus Homogeneis inter se unibilibus ad constitutionem totius integralis. ut est Aqua, plumbum etc. quod quidem totum integrale dicitur unum numero unitate integritatis, et continuitatis, licet constet ex multis individuis partialibus. Dictum 3: Si omnes materiae portiones in mundo existentes exuerentur suis Formis singulis et adinvicem continuarent, tunc unam numero conficerent materiam scilicet: unam unitate integritatis et continuitatis, sicut, si Aquae omnium fontium & fluminum cum oceano continuarent, tunc tota illa aquarum colluvies, una aqua numero diceretur scilicet unitate continuitatis.

‡ seu intrinseca.

Unitas numerica est triplex.

Notandum 2dum Dictum 1mum: Si materiae singulae, singulis Formis expoliarent, unitatem utique numeralem, praedicamentalem et completam amitterent, non tamen intrinsecam & substantialem: unde per proprias haecceitates adhuc distinctae & distinctae manerent, neque continuarent nisi operà agentis extrinseci, qua etiam continuatione facta, amitterent quidem singulae illae materiae portiones unitatem numericam quam importat totalitas, et praecisio unius partis integralis ab alia, et constituit numerum Quantitativum et Praedicamentalem, non tamen unitatem intrinsecam individualem, nam istam adhuc singulae partes integrales retinent in toto, et constituit numerum transcendentalem. Dictum 2dum: Materia concurrit ad constitutionem rei per modum partis communis & potentialis, in qua parte convenit cum caeteris speciebus materialibus res constituta: At verò Forma concurrit per modum partis Actualis et distinguentis, quod potest explicari exemplo Generis & Differentiae in composito metaphysico. Dictum 3tium: Dum 12 metaphysicorum dicitur quod sicut principiata sunt talia, ita et eorum per se principia, et hoc secundum Genus, Speciem et Numerum. Item 2 Physicorum quod ad aliam Formam alia sit materia in his locis est sermo de materia prima non; sed de materia secunda, id est de materia quae est affecta certis dispositionibus, et proximè disposita ad certam Formam, quia materia sic disposita omnino alia est ad aliam Formam, et distinguitur ab alia materia juxta distinctionem rei constitutae secundum Genus, Speciem & numerum. etc.

NB Coelum est corruptibile, intrinsecè non autem extrinsecè.

Probatio

Probatio Theorematis.

Unum tribus modis dicitur.

PARS 1ma Theorematis (materia 1ma est una specie atomâ, in omnibus corporibus sublunaribus) Probatur. materia horũ inferiorum debet aliquâ unitate esse una (quia unitas est passio Entis, materia autem est Ens) Et quia unum tribus modis dicitur: Unum numero, unum Specie, et unum Genere, necessario materia debet esse aliquo ex his modis una. Sed non potest dici una unitate Genericâ, nec unitate numericâ. Ergo erit una unitate specificâ, et per consequens materia prima est una specie atomâ. minoris 1ma pars: Quia quod est unum unitate Generica, habet et Species & Differentias per quas dividitur in Species, sicut Animal habet hominem, bovem etc. Rationale & irrationale: Sed materia prima neque habet sub se aliquas Species neque Differentias (neque enim ullæ tales ab ullo assignantur) Ergo non est una unitate Genericâ. 2da pars minoris: Quod scilicet non sit una unitate numericâ, patebit ex tertia parte hujus Theorematis. Probatur 2: Omnes materiæ horũ inferiorum sunt ejusdem Speciei. Ergo Antec. Quæ in iisdem prædicatis quidditativis & descriptivis proximis, non autem communibus & remotis conveniunt, illa sunt ejusdem Speciei (nam unitatem specificam cognoscimus ex convenientia in prædicatis quidditativis et descriptivis proximis v.g. dicimus Paulum cum Petro ejusdem esse Speciei, quia conveniunt in Animalitate, rationalitate & risibilitate) Sed singulæ horũ sublunariũ materiæ conveniunt in prædicatis quidditativis et descriptivis proximis. Ergo. minor: Quia prædicata proxima quæ cuilibet materiæ conveniunt sunt capacitas recipiendi quamlibet Formã; item appetitus ad omnes Formas: item potentia Formalis subjectiva quibus intrinsecè et descriptivè quævis constituitur materia: Sed capacitas ista appetitus et potentia subjectiva convenit cuilibet materiæ. Ergo. PARS 2DA Theorematis (Materia corporũ cœlestium est ejusdem speciei cum materia corporũ sublunarium) Probatur: Illa materia est ejusdem Speciei cum materia horũ sublunarium, quæ habet eandem propriam passionẽ cum materia horũ inferiorũ (v.g. Petrus est ejusdem Speciei cũ Paulo, quia habet eandem risibilitatem quã Paulus) Sed materia corporũ cœlestiũ habet propriã passionem, quam habet materia horũ inferiorum. Ergo. minor: Esse in potentiâ ad Formas alias successivè recipiendas, est propria passio materiæ horũ inferiorũ: Sed hæc potentia convenit etiam materiæ corporũ cœlestiũ. Ergo. minor: Quia et corporũ cœlestiũ materia est in potentia ad Formas; alias enim ejus appetitus satiaretur intensivè et extensivè â Forma cœli: atqui hoc est falsum. Ergo. Falsitas: Quod materiæ appetitũ complet et satiat intensivè et extensivè, continet eminenter aliarum Formarũ perfectionẽ. Sed Forma corporũ cœlestiũ non continet eminenter aliarũ Formarum perfectionem (non enim continet ~~[illegible]~~ Animam intellectivã) Ergo. Vel etiam eadem Falsitas

sic: Nulla Forma complet totũ appetitum materiæ suæ respectũ alterius Formæ nisi det actũ oppositũ privationi alterius Formæ v. g. Forma ignis non potest satiare appetitũ suæ materiæ quẽ habet ad Formã aquæ, nisi det illi materiæ esse ~~[illegible]~~, quod daret Forma aquæ, quia alias semper maneret ille appetitus ad tale esse et talem Actũ: Sed Forma cœli non dat suæ materiæ Actũ oppositum privationi cujuscunque Formæ alterius à se. Ergo Non potest satiare totũ appetitũ suæ materiæ. Minor: quia nulla Forma dat actum oppositum Privationi cujuscunque Formæ nisi contineat in se omnes Formas saltem virtualiter: Sed Forma cœli non continet sic omnes Formas (quia non continet Animã rationalem) Ergo. <u>Pars 3tia Theorematis (Materia prima in corporibus simul tempore existentibus est numero multiplicata)</u> Probatur: Materia Pauli et Petri et Cathedræ, dũ hac hora eadem existunt, non est eadem numero; sed distincta. Ergo. <u>Ans:</u> Quæ abinvicem separantur, et unum potest manere alio corrupto illa sunt non eadem numero; vel illa habent suas differentias individuales intrinsecas quibus distinguuntur (quia diversitatem numericam per separationẽ cognoscimus v. g. Hanc partem Quantitatis distinguimus numerabiliter, quia una ab alia separatur, & una corruptã conservatur altera) Sed materia, Petri, Pauli, Cathedræ inter se separantur, et corrupto paulo, manet materia Petri et cathedræ sub Formã suã. Præterea si eandem numero materiam simul & semel haberet diversa corpora, aut res corporea v. g. Paulus, Bucephalus, Arbor, tunc sequerentur ista: <u>1mo</u> Non foret necessaria trãsmutatio ut materia de una Forma transiret ad aliam. <u>2do</u> Posset Generans generare nihil corrũpendo. <u>3tio</u> Eadem materia posset esse simul et semel sub Formis quantumcunque diversis, ut sub Forma Aquæ et sub Forma ignis, sub Forma ovis et sub forma lupi, et sub dispositionibus oppositis et in diversis locis; Atqui hæc omnia sunt absurda. Ergo materiam eandem et unam numero, non habent diversa corpora, simul et semel existentia, nec unitate individuali, quæ provenit à differentia intrinseca et hæcceitate: quia hæc portio materiæ non est illa: nec unitate numericã integrali quæ provenit à continuitate pluriũ partium integraliũ abinvicem, ejusdem rei, quia portio materiæ quæ est sub Forma lapidis, est discontinua à particula materiæ quæ est sub Forma ferri. <u>PARS 4ta Theorematis (materia prima diversorũ corporũ quæ sibi per generationẽ succedunt est eadem numero)</u> Probatur 1mo Authoritate Philosophi qui 1 Physicor. t. 60 dicit eandem materiam, manere in re genitã, quæ fuit in re corruptã, eandem scilicet numero. <u>Probatur 2do Ratione:</u> Si materia geniti non est eadem numero; sed diversa à materia corrupti. Ergo vel hæc materia nova generatur in re genitã, vel creatur; neutrũ potest dici. Ergo materia geniti non est diversa à materia corrupti, sed eadem numero in utroque. <u>Minor</u>: <u>Non generatur</u>: quia alias materia esset propriè generabilis & corruptibilis quod falsum est ut patet ex superioribus. Non <u>Creatur</u>, quia alias nulla esset generatio substantialis,

quod

quod est falsum manifeste. Sequela: Quia tam Forma quam materia de novo producerent, et sic esset creatio non generatio. Pars 5ta Theorematis (Si in Spiritualibg Substantiis daretur materia, fa non esset una et eadem cum hac sublunariu & cælestiu corporu materia, unitate specifica, sed tantum unitate generica) Probatur: Quia illa materia spiritualium, supposito quod daretur in eis non esset ejusdem speciei cum hac materia reru corporearu, sublunarium & cælestiu. Ergo tu Qua materia est ejusdem speciei Atoma, cum materia reru corporearu, illa est capax Forma ru earum quaru est capax ista (quia unitas specifica materiæ corruptibilium, et omniu in universum reru corporearu, colligitur ex receptione earundem Formaru quia nempe omnes sunt capaces earundem Formarum) Sed materia substantiaru spiritualium non esset capax For. marum, quarum est capax materia rerum corporearum. ‡ minor: Quia alias Formæ corporeæ de berent recipi in subjecto indivisibili et incorporeo, quod est falsum. Sequela: quia illa materia spiritualium, omnino esset indivisibilis et incorporea. Falsitas: Nam licet Forma spiritua lis, ut est anima rationalis, possit recipi in materia corporea: quia ab illa non dependet in ESSE, tamen e contra Forma corporea non potest recipi in subjecto indivisibili et incor poreo, ideo, quia alias deberet ab illa dependere in ESSE, quod fieri non potest, nisi p e ductionem, implicat autem Formā divisibilem & corpoream educi ex subjecto indivisi bili et incorporeo. DICES: materiam de se nec corporeā esse, nec spiritualem, sed ad utrumq gradum esse indifferentem et utrumq extrinsecg sibi advenire, per Formā enim spiritualem efficitur spiritualis et p corporalem, corporalis, sicut superficies ex se, nec est alba nec nigra; sed ad utrumque indifferens & fit alba vel nigra ab extrinseco, per adventum albedinis vel nigredinis. CONTRA: Fru stra ista affers. 1mo Quia de facto Anima Rationalis recipitur in materia, nec tamen materia fit per eam spiritualis; sed manet corporea sicut prius, neq enim quisquā dixit corpg humanū esse spirituale. 2do: Quia Forma extensa et mate rialis prærequirit subjectū extensum et materiale ut partes Formæ edu cantur de partibg subjecti; sicut enim Forma non dat ESSE vel essentiam su jecto: ita partes quoq Formæ non dant esse partibg subjecti ꝛc.

OBJECTIONES et Dubia.

OBJECTIO 1ma (In rebus corruptibilibg una est numero materia) Probatur: Omne id quod est terming creationis, est unum numero. Sed materia juxta nos, est terming creationis (utpote enim probamg, eam habere Actum Entitativum) Ergo materia est una numero. Confirmatur ex 1 Physicorum t. 60 ubi dicitur unum esse numero subjectū transmutationis quod manet, sub tro[...]

utroq termino, hoc autem non est aliud nisi materia. Rdeo Neg. majorem. Alias enim si esset vera, nulla natura communis deberet admitti: Quia et homo, et Animal et Arbor est terminus creationis, et tamen non est unus homo numero: verum quidem est naturam communem materiae non existere in mundo, nisi in suis singularibus per suas haecceitates contractam, quod etiam cuilibet naturae communi convenit: Hinc tamen non licet inferre quod sit una numero intrinsecè, quia etiam ipsi natura secundum se consideratae, convenit, ut praedicetur essentialiter et in QUID, de hac et illa materia per modum speciei. v.g. Haec materia est materia, illa materia est materia. Ad confirmationem dico, Philosophum ibi docere quod materia non simul et semel sit una numero in omnibus corruptibilibus; sed solum successivè, quando scil. unum corrumpitur, aliud autem ex illo generatur. OBIECTIO secunda (Materia prima sublunarium corporum est specie diversa) Ratio 1ma: Illa differunt specie, quae habent esse specificum diversum inter se: Sed materiae sublunarium habent esse specificum inter se diversum. Ergo differunt specie. minor: Quae habet esse materia, habent illud à Formis tantum (quia Forma est, quae dat speciem rei, cui‡ advenit) sed illud esse, à Formis datum, ipsis materiis est specie distinctum. Ergo materiae sublunarium, habent esse specificum diversum. Ratio 2da: Illae materiae differunt specie ab invicem, quarum una subjicitur Formis amissibiliter, et informatur ab eis, △ dissolubiliter, et necessariò (quia ista diversa subjicibilitas, et informationis & connexionis varietas videtur arguere specificam materiarum diversitatem) Sed materia sublunarium subjicitur Formis suis amissibiliter, materia autem coeli inamissibiliter. Ergo. Rdeo Neg. minorem, & Probationem Disting. quia esse specificum est duplex. Aliud Extrinsecum, aliud Intrinsecum. Extrinsecum seu adventitium hoc materiae primae dari à Forma Concedo. Aliud est esse Intrinsecum esse specificum (et hoc) materiae primae dari à Forma Nego. Quia Forma speciem intrinsecam, seu esse specificum intrinsecum, non dat illi rei, cui advenit, sed solum illi, quam constituit, v.g. Forma auri, non dat esse intrinsecum specificum ipsi materiae, cui advenit; sed tantum auro, quod cum materia constituit. Ad 2dam Rationem, qua probat, specificam diversitatem materiae sublunarium à materia coelesti, distinguo majorem et minorem: quia illa informationis passiva diversitas seu subjicibilitas varia ac contingens, ac necessaria connexio, aut provenit ex parte ipsarum materiarum, coelestis & sublunaris; aut ex parte Formarum sublunarium & coelestium. Si 1mo modo provenit, tunc concedo illas materias esse distinctas specie: si autem 2do modo, tum nego esse distinctas: Porrò diversitas illa informationis in nostro proposito, scilicet materia coeli & sublunari non provenit ab ipsa materia, quia tantum haec est de se utrobiq, et sub Forma coeli, et sub Formam sublunari contingenter, et amissibiliter Formam recipit, tanquam potentia contradictionis, sed ab

‡ seu specificum esse rei cui adv. etc.

△ contingenter cum eis conjungitur et alia inamissibiliter indissolubiliter et neces. etc.

Esse specificum est duplex

sed ab ipsâ Formâ: Et certè, si hoc sufficeret ad distinguendam materiam coelestem à sublunari, et ratio informandi inseparabiliter constitueret speciem materiae coelestis aliam, à materia sublunari, tuncq; esset omnes coelos constare ex materia ejsdem speciei; quià materiae singulorū respiciūt suas Formas inseparabiliter, quod licet non sit contra nos, tamen est contra oppositam sententiam. <u>DUBIUM: Quaeres an per POTENTIAM DEI absolutam possit fieri plures species materiae rerū corporalium dent.</u> <u>Rideo</u> In uno sensú posse, in alio verò non posse. Si enim sit sensq unam materiam esse informabilem à Forma indissolubiliter, seú inamissibiliter, Aliam verò dissolubiliter seu amissibiliter, proút nunc quaedā tenet opinio, tunc in isto sensu implicat dari plures species materiae, quià conceptui materiae, ut est materia repugnat inamissibiliter informari: Cum enim materia habeat rationem per se Potentiae, implicat illam ex parte sui, necessariò cū Forma conjungi: imò oppositum est verū scili: quod semp quantum est ex parte ejq, amissibiliter et contingenter copulat̃ cū ea. At verò si sensq sit, amissibiliter quidem utramq esse informabilem à Formis, quarū est receptiva, non tamen utramq esse receptivā omnium Formarū; sed aliquarū tantum, et per consequens composita ex talibq materiis non posse ad invicem transmutari, ita, ut uno corrupto, aliud generet̃: tunc in illo sensú dari materiae plures species nulla est implicantia secundū nos. Undè licet neganda sit, pluralitas specierū materiae in rebq corporeis in primo sensú, non tamen debet negari in secundo sensú. Deindè licet negetur de facto, non tamen debet negari de possibili. &.

CONTROVERSIA QUARTA.

DE FORMA SUBSTANTIALI.

Brevior quidem ista 4ta controversia est praecedenti, non minus tamen jucunda et cognitu digna est illâ priore [+ tertia]. Imò tanto est illa antecedente Nobilior ac praestantior, quanto Forma, quae est Actus, magis superat materiā, quae est potentia.

THEOREMA PRIMUM.

<u>Formam Substantialem dari in rerum natura, ut et ipsam materiam est certissimum.</u>

<u>Notes</u>: Hoc Theorema, iam à nobis esse declaratum initio tertiae controversiae.

THEOREMA SECUNDUM

[<u>Ut Ens est duplex, ita Actq seu Perfectio est duplex.</u>]

<u>Haec Definitio Formae (Forma Substantialis est Entitas Actualis, seu Actq primarius materiae, unum per se cum illa constituere natus) est bona.</u>

<u>Notandum Dictum 1mum</u>: Sicut Ens est duplex: Aliud Naturaliter prius seú primū scilicet Substantia. Aliud Naturaliter posterius seú secundū scilicet Accidens: ita Actus seú pfectio est duplex

Forma est duplex.

Alius primarius; alius secundarius. Dictum 2dum: Forma est Actus, et sicut iste est duplex: ita et Forma erit duplex. Alia Primaria scil: Forma Substantialis quæ dat ESSE simpliciter. Alia secundaria scil: Forma Accidentalis quæ dat ESSE secundum QUID. Dictum 3tium: Quodlibet Accidens de novem Prædicamentis à Philosophis & Theologis vocatur Forma Accidentalis v.g. Quantitas, Qualitas, Albedo, virtus, Relatio etc. Dictum 4tum: Licet materia prima tanquam primum omninò subjectum omnium Formarum, aliquo modo respiciat in ratione Subjecti omnes Formas, tam substantiales, quam accidentales; tamen Formas Substantiales respicit, tanquam Actus primarios ac proinde essentiales et dantes ESSE simpliciter. Formas verò accidentales respicit velut Actus secundarios, ac proinde Accidentales et dantes ESSE secundum Quid, quæ enim adveniunt rei in ESSE secundario, vulgò vocantur Accidentia. Dictum 5tum: Ratio præcisa cur Forma substantialis est Sub-stantia & unum per se constituit compositum cum materia et differt ab accidentali est ista: quia scilicet ipsa est actus primarius materiæ; Forma autem Accidentalis est Actus secundarius. Cur verò Forma Substantialis sit Actus primarius materiæ proinde ac, eam substantialiter perficiens et Dans ESSE simpliciter rei, quam constituit unumque cum materia per se faciat: Accidens autem sit Actus Secundarius ejusdem materiæ, ac proinde DANS ESSE tantum secundum Quid unumque per Accidens constituat, alia ratio à priori non potest assignari juxta Scotum, nisi, quia hoc est hoc, et illud est illud, id est, quia Forma Substantialis est talis Naturæ, et Accidens est etiam talis. Dictum 6tum: Ita se habet Forma Substantialis in Physica compositione, sicut Differentia in metaphysicâ compositione: Nam quemadmodum in Meta Physica, præter Genus, quod habet se velut materia et potentiale quoddam, invenitur Actus quidam qui primariò illi Generi conjungitur & cum illo unum per se constituit, vocaturque Differentia: ita in Physica præter materiam quæ est quid Potentiale datur Actus qui illi materiæ conjungitur, unum per se cum ea constituens, et vocatur Forma Substantialis. Deinde sicut in metaphysica ultra Actum Primarium scilicet Differentiam inveniuntur alii quidam Actus secundariò advenientes ut sunt, propriæ passiones v.g. Risibilitas, Flebilitas, Hinnibilitas: ita in Physica præter Formam substantialem dantur Formæ Accidentales. Tandem sicut in meta Physica Differentiam Genus primariò respicit: ita in Physica materia Formam.

Probatio Theorematis.

Ratio 1ma: Illa Definitio est bona, quæ constat genere et Differentiâ: Sed Definitio Formæ substantialis supra assignata constat Genere et Differentiâ. Ergo. Minor patet exponendo particulas illius Definitionis: Nam (illa Entitas) ponitur loco generis, quia in Entitate Forma convenit cum materia. Sicut enim materia est Entitas: ita et Forma. Deinde aliæ particulæ ponuntur loco Differentiæ: Nam per vocem (ACTUS) differt Forma à materia, quæ est potentia. Per voces (Primarius unum per se constituens) differt materia à Forma Accidentali quæ est Actus Secundarius, & cum subjecto constituit unum per Accidens. Ratio 2da: Illa Definitio ex 2 Physicorum t. 28. (Forma est, quod quid erat

erat esse rei, id est (Forma est id quo res ex ipsa constituta intelligitur esse in certa ac determinata specie rerum) est bona. Ergo etiam ista superius data est quoque bona. Conseq. Quia haec coincidit cum illa, nam utraque ostendit Formam substantialem esse id, quo unaquaeque substantia composita, ita in suo esse constituitur ut essentialiter ab omni alia re differat. Ans: Quia per Formam res sunt Quid, et non aliquid, id est per Formam res quaelibet est substantia perfecta & completa. Ergo Forma recte dicitur (QUOD QUID erat ESSE REI) id est, quae dat essentiam rei & Quidditatem saltem perfectiori quodam et eminentiori modo quam faciat materia. Ponitur autem in praeterito verbum (ERAT) ideo, per illud exprimatur Forma esse ratio quidditatis spectans ad conceptum rei essentialem qui abstrahit ab ejus existentia, et est antequam res extra causas existat.

OBJECTIONES ET SOLUTIONES.

Objectio prima (Non tantum Forma dat esse determinatum composito) Probatur: Etiam materia dat esse determinatum composito. Ergo. Ans: materia prima habet speciem determinatam in genere substantiae (quia est individua, nam est ex se existens) Ergo. Nec valet si dicas materiam esse speciem incompletam, nam etiam Forma est incompleta, et tamen dat esse determinatum. Rdeo Neg. 1. et 2. Disting. materia prima habet speciem determinatam quoad se non quoad compositum; Forma vero et quoad se, et quoad compositum: Unde licet materia sit substantia individua et [illegible] speciei incompleta sicut et ipsa Forma, tamen materia habet esse diversum, nullam enim habet in se praedicamentalem speciem, nec potest illam dare ideo, quia ejus determinata essentia cuilibet speciei praedicamentali completae est communis, omnium enim specierum compositionem ingreditur, et ob hoc vulgo vocatur genus generalissimum, sumpta similitudine ex genere metaphysico, at vero Forma non solum habet determinationem quoad se, sed etiam est determinata quoad speciem praedicamentalem, quia nulla Forma potest duas species constituere, materia vero potest v.g. eadem numero materia, modo constituit alimentum, modo carnem, modo vermem &c. At vero Forma alimenti non constituit carnem aut vermem, unde materia est quasi semel: Forma vero quasi bis determinata. Objectio 2da (Forma substantialis non differt à Forma Accidentali per hoc quia illa est Actus primarius materiae, haec vero secundarius) Probatur: quia alias, si ista differentia posita inter Formam substantialem & Accidentalem valeret, sequeretur aliquam Formam substantialem esse Accidentalem, et viceversa aliquam accidentalem esse substantialem. Conseq. Falsum. Ergo et Ans: Sequela: Si enim v.g. Quantitas immediate reciperetur in materia, et postmodum Forma substantialis, tunc Quantitas haberet Rationem Formae substantialis quia est Actus primarius materiae: Anima vero quia non adveniret primo materiae, sed post Formam mixtionis, esset Forma Accidentalis quia esset Actus secundarius. Rdeo Nego sequelam. Ratio: Dum enim discernimus Formam substantialem ab Accidentali per hoc, quod substantialis est Actus primarius et dat (ESSE) primum materiae atque ipsi composito quod constituit: Accidentalis vero est Actus secundarius & dat esse secundum, tunc non debet ibi accipi lÿ (prius & posterius, vel primarium

et secundarium) ut praecisè dicunt ordinem introductionis Formarum in materiam; sed ut significat primum naturaliter, et secundum etiam naturaliter, quia illud ESSE primum est ESSE simpliciter, hoc verò secundum est esse tantum secundum Quid, quia ESSE simpliciter est prius naturaliter quam esse secundum quid; Licet ergo Quantitas 1. adveniens materiae, daret primum esse Formale primo sensu, non tamen in secundo, quia cuicunque et quandocunque adveniat Quantitas, semper tribuet esse non simpliciter; sed tantum secundum Quid: Et è contra quamvis Forma Substantialis adveniret materiae secundo vel tertio, semper daret ESSE primum in hoc secundo sensu scil: daret ESSE primum naturaliter scilicet ESSE simpliciter non autem secundum QUID. etc.

Esse simpliciter est prius naturaliter quam esse secundum quid.

THEOREMA TERTIUM.

Materiales Formae non fiunt per Actuales incoationes in praecedentes materia, nec totaliter recipiunt suum esse virtute Agentis sed fiunt per eductionem ex Potentia materiae.

Notandum Dictum 1mum: Per materiales Formas intelliguntur omnes aliae Formae Substantiales, v.g. Forma Auri, Elementi, Arboris etc. Una Anima rationali excepta quae non vocatur Forma materialis, nec educitur de potentia materiae. Dictum 2dum: De generatione Formarum ex materia, tres extant Sententiae. 1ma tenet Formas ante generationem earum praeexistere actualiter in materia, sed velut latentes et postea Actione Agentis naturalis in Lucem extrahi et quasi à materia depromi. 2da Avicennae, tenet Formas ante generationem nullo modo in materia praeexistere, nec Actu nec potentia, sed contineri solum in virtute & potentia Activa cujusdam superioris Agentis à quo producuntur, et postea immediato Agente materiae uniuntur. 3tia Opinio Scotistarum & Thomistarum tenet Formas ante generationem rei naturalis, non praecedere quidem Actu in materia, praecedere tamen potentia passiva materiae, et non tantum in virtute Agentis Activa: Per generationem autem educi de potentia materiae & incipere esse Actu. Dictum 3tium: Esse objectivum Formarum non potest dici inchoatio Formae in materia praecedens, quia tale esse possibile, habet Forma à potentia Activa causae Efficientis quatenus potest esse terminus Actionis illius, non autem in potentia passiva materiae.

Probatio Theorematis.

Ars 1ma Theorematis (Formae ante Generationem non praeexistunt Actu in materia secundum aliquod sui esse) Ratio 1ma: Ante Generationem Formae in materia est privatio opposita tali Formae. Ergo Forma ante generationem sui, nec secundum se tota, nec secundum aliquid sui sive Essentiae, sive Existentiae praecedit in materia, & per consequens, & omnes aliae Formae. Ans: quia materia in generatione, transit de non esse Formae ad esse Formae, id est de privatione ad Formam. Ergo Ante generationem formae etc. Conseq. 1: Privatio et Forma in eodem subjecto simul et semel esse non possunt (quia se totis opponuntur), tam secundum essentiam, quam existentia

existentiam, et sūt incompossibiles in materia secundū quemcūq gradū; quā autē se totis opponūtur et sunt incompossibilia, illa in eodem subjecto simul et semel esse nequeūt. Ergo si ante generationē Formæ etc. <u>Ratio 2da</u>: Non solū privatio et Forma sūt incompossibiles in materia, sed etiam ipsæmet Formæ ad invicem, non se compatiūtur in eodem subjecto nec secūdum se totas, nec secundū aliquas sui partes, nec secūdū esse Essentiæ nec Existentiæ. Ergo Formæ ante Generationē non præexistūt actualiter in materia. <u>Ans</u>: ipsæ Formarū Essentiæ sunt, quæ invicem repugnāt, et in qualibet particula Formæ includitur essentia Formæ. <u>Confirmatur</u>: Infinitas Formas esse in materia simul actualiter est inconveniens: sed si præexisterēt actualiter in materia, omninò deberent esse infinitæ numero (quià possibile est Formas esse infinitas syncategorematicè) Ergo. <u>Dices</u>: Formā et Privationē, imò et ipsas Formas ad invicem esse quidem incompossibiles; sed non secundū esse incompletū & imperfectū, sed tantū secūdū esse perfectum et completum. <u>Con</u>: Quod modo dicitur completū et perfectū, modo autem incōpletum et imperfectū, illud debet habere partes intensionis & remissionis, et esse quid compositum: At Forma substantialis non est quid compositū (quià est simplex) nec habet partes intensionis & remissionis. Ergo Forma substantialis non potest dici quid imperfectū et incōpletū, et per consequens falsū est quod Formæ substantiales secundum esse incompletū sint compossibiles. <u>2da pars minoris probat</u>: Quià Forma substantialis non intenditur nec remittitur, substantia enim non suscipit magis et minus, et licet secundū gradus individuales magis et minus forsitan suscipiat, tamen secundū gradus specificos non suscipit sed solū consistit in indivisibili, et penes hos specificos gradus, non autem penes individuales incompossibilitas Formarū est attendenda. Ergo Forma substantialis non habet partes intensionis. Deindè Forma & Privatio etiam in esse remisso, non autem solū in ESSE intenso sūt incōpossibiles. <u>Ratio 3tia</u>: Si Forma præexistāt actualiter secūdū aliquā sui partem et gradū <u>Quæro</u> vel illa pars Formæ actualis, quæ dicitur in materia præcedere, est producta vel improducta? Non potest dici improducta: quià esse improductū positivè soli DEO convenit, neq etiam potest dici producta quià vel esset producta ex sui nihilo, vel ex aliquo. Si ex aliquo; Ergo daretur processus in infinitū. Si ex nihilo; Ergo creabitur, quod est contra tuā opinionē, quià ad evitandā creationem asseris Formas in materia actualiter præexistere. <u>Pars 2da Theorematis (Materiales Formæ non recipiūt totaliter suū esse à virtute Agentis) Probatur</u>: <u>Ratio 1ma</u>: ...

totaliter suū esse recipit à virtute Agentis, illud est solum in potentia Activa Agentis, ~~Ergo. Minor~~ et nullo modo in materia praecedit. Atqui materiales Formae non sunt solū in potentia Activa Agentis. Ergo. Minor: Quia si materiales Formae essent solum in potentia Activa Agentis, tūc sequeret, quod o=minq dicerent, verè et propriè creari, sicut Anima rationalis creat. Conseq. Falsū. Ergo ℞ Ans: Sequela: Quia Formas esse in potentia activa superioris Agentis, et illas fieri ab Agente, in materia disposita Actione immediati Agentis, non tollit creationē à Formis. Ergo si essent solum in potentia, sequere=tur quod crearent. Ans: proxim. quia utrumq hoc contingit in Animae rationalis productione (quia ipsa ante generationem, est in potentia Activa DEI, et non fit ab eo, nisi prius materia ab Agente proximo naturali disponat, et non obstat hoc utrūq illi, quominq dicat creari) Ergo Formas esse in potē=tia activa superioris etc. PARS 3tia Theorematis (Formae materiales fiunt per eductionē ex potentia ma=teriae) Haec pars Theorematis sequenti Theoremate declarabit.

Fieri ex nihilo est creari.

Objectiones et solutio earundem

Objectio 1ma (Formae fiunt per inchoationes) Probat: Quia alias si non admitteret inchoatio Formae in materia, coagens ad generationem Formae, tanquā Principiū Activū intrinsecum, seque=ret 1mo: Formam fieri ex nihilo, quod est falsum, quia sic crearet (nam fieri ex nihilo est creari) 2do sequeret Generationē Formae non esse naturalem. Confirmatur: Inchoationes istae Formarū ~~illae~~ sunt necessariae. Ergo sūt admittendae. Ans: Quia determinat materiam (ex materia enim de se inde=terminata, fit haec vel illa Forma per determinationē factam ab hac vel illa inchoatione, quia non ex quolibet fit quodlibet, sed ex determinato fit determinatū ut dicit 1 Physicorū) Ergo. ℞ Deo Neg. sequelā utramq. Ratio 1mae: Quia produci ex nihilo propriè non tantū negat praeexistentiam partis intrinsecè componentis id, quod fit; sed etiam praeexistentiam subjecti per se concurrentis ad productionem Formae quae fit. Undè cum omnes materiales Formae supponāt subjectū, à quo de=pendenter fiūt, non dicunt ex nihilo fieri; sed de potentia materiae educi et generari. Ratio 2dae negationis Quia mutatio dicit Naturalis principaliter à principio passivo, neq est opq ad hoc ut dicat naturalis, principiū Activū conjungi cum passivo. Ad confirmationem Nego Ans: ad Probationem Dico materiā determinari ab Agente per praevias dispositiones, ratione quarū una potiq Forma introducit quam alia in materiā alias de se indeterminata. Objectio 2da: (materiales Formae totaliter fiunt virtute Agentis) Probat: Anima Rationalis totaliter suum Esse recipit ab Agente. Ergo et Formae materiales. Conseq: quia ita materiales Formae sūt in potestate Agentis sicut et Anima Rationalis. Ergo si Anima etc. ℞ Deo Neg. consequentiā et ejq Probationem: quia magis Anima Rationalis est in potestate Agentis quam Forma materiales ~~[illegible]~~, eo, quod Anima Rationalis non pendet in fieri et con=servari à materia: At verò Formae materiales ita in suo esse juxta naturalem exigentiam pendēt [illegible] ut nisi ab ea recipiant, et in eādem sustentent, omninò fieri et conservari naturaliter neque=[unt]. Undè non solū dicunt esse in virtute Agentis; sed ad earū generationē et conservationē requirit materia. Praeterea illa Formae dicit contineri propriè in virtute Agentis totaliter, quae ab eo solo pe=tit

petit produci nullâ aliâ causâ secundâ interveniente, in ullo genere causæ. Ergò in hoc sensu Anima Rationalis continetur totaliter in potentiâ Activâ DEI; At Formæ materiales nequaquam: licet enim absolutè loquendo possint produci à DEO immediatè sine concursu materiali subjecti, tamen si DEUS vult eas producere et conservare, juxta naturalem earum exigentiam, admittere debet concursum materialem.

THEOREMA QUARTUM

Quid sit Eductio de Potentia materiæ.

Formæ materiales educuntur de potentia materiæ: Educi autem Formam de potentia materiæ nihil est aliud, nisi Formam in suo esse Fieri et conservari, à materia dependere.

Notandum Dictum 1mum: Licet omnes teneant Formam educi de potentia materiæ nihil aliud esse nisi eam dependere à materia in ESSE, Fieri et conservari, tamen hanc explicationem non omnes eodem modo intelligunt: Cum enim adhuc sit confusa, nec rem exactè declaret, nam ea ratione posset quis dicere, etiam compositum de potentia materiæ educi, cum et ipsum quoque in suo Esse, fieri et conservari à materia dependeat, ideò varii variè ipsam exponunt, nos eam accipimus in hoc sensu sequentis dicti. Dictum 2dum: Formam educi vel eductam esse de potentia materiæ, formaliter nihil est aliud quam suum fieri necessariò esse Fieri in materia et quod suum Esse necessariò sit esse in materia, ita ut quod, si detur aliqua Forma, quæ utique sit et fiat in materia, tamen absolutè quantum est ex se, possit Esse et Fieri sine materia, illa non dicitur educi de potentia materiæ, quià de necessitate suum esse non est necessariò esse in materia. Dictum 3tium: Productio est duplex. Una quâ res accipit ESSE simpliciter et primo recedit à non esse, sive illa res accipiat esse simpliciter in se existens quale convenit substantiis, sive in alio quale convenit accidentibus. ALTERA quâ accipit esse simpliciter, et per se subsistens, quo sensu productio est esse solius compositi, et rerum in se existentium vel subsistentium. Dictum 4tum: Juxta hanc duplicem productionis acceptionem, expediendum est explicare illud Philosophi ex 7 metaphys. dum dicit (Formam non fieri sed confieri, et non per se produci, sed ad productionem compositi) nam loquendo de productione secunda, certum est Formam per se non produci, sed per accidens, ad productionem compositi, sicut etiam in hoc sensu, non per se existit, sed per accidens ad existentiam totius. loquendo de productione primâ, omninò dicendum est, quod per se producatur, et prius terminet productionem quam ipsum compositum. Dictum 5tum. Scotus 4 sententiarum dist. 13. Q. 1. Actionem compositi productivam appellat productionem: illam verò Actionem, quâ Forma accipit suum ESSE appellat eductionem. Dictum 6tum: Anima rationalis speciali quodam modo, prius dicitur naturâ produci composito quam cæteræ Formæ, quia ubi aliæ Formæ dicuntur prius naturâ produci composito per productionem primi generis; Anima quantum est de se, potest etiam terminare prius productionem secundi generis, sicut etiam nata est in se existere extra corpus, quod aliis Formis non convenit. Dictum 7mum: Dum Formam in materia fieri videmus, non continuò judicare debemus propter hoc, illam de potentia materiæ

materiæ educi. Non enim quodlibet fieri in materia, est educi de ejus potentia; sed fieri necessariò dependenter ab ea. Unde si Anima producatur à DEO in corpore, ita quod, in nullo signo prius in se terminet productionem, non proinde debebit vel poterit dici Educta esse de materia, quia non ita petit necessariò produci.

Probatio Theorematis.

Formæ materiales tribus possunt fieri modis.

PARS 1ma Theorematis (Forma fiunt per Eductionem de Potentia materiæ) Probatur. Tribus modis possunt fieri Formæ materiales. 1mo Per Actuales earum inchoationes in materia præcedentes. 2do Sola virtute Agentis separatim. 3tio Per eductionem de potentia materiæ: Sed duobus primis modis non possunt fieri ut patet ex superiore Theoremate. Ergo restat ut tertio modo fiant scil: per eductionem ex potentia materiæ, id est, ut dum Agens concurrit effectivè ad productionem Formæ, materia quoque concurrat subjectivè. Nam eductio, ut ex ipsa patet voce, hos duos concursus significat; dicit enim id quod Formam educit scili: Agens; deinde id, ex quo educit scili: Subjectum. PARS 2da THEORE.

Eductio duo dicit.

(Formam educi de potentia materiæ formaliter nihil est aliud, quam suum fieri necessariò, esse fieri in materia, vide Dictum 2dum) Probatur 1mo: Hic sensus optimè monstrat, ad rationem eductionis non sufficere ex parte materiæ concursum receptivum, sed etiam sustentativum, ita, quod Eductio Formæ formaliter importat dependentiam Formæ ad Subjectum, in quo recipitur et sustentatur, et unum sine alio non sufficit; nam materia in ordine ad Animam rationalem exercet concursum receptivum, sed quia non exercet alium scilicet sustentativum, ideò Anima rationalis non dicitur educta de Potentia illius; et in Divinis si aliqua Persona assumeret Accidens immediatè, eo modo, quo humanitatem nostram verbum assumpsit atque sustentare illud, neque enim hoc dicit imperfectionem, sed quia non reciperet, receptio enim dicit imperfectionem. Propterea illud Accidens non diceretur Educi de Potentia PERSONÆ DIVINÆ. Vel sic eadem Ratio: In eo sensu ista verba sunt accipienda, qui optimè declarat præsentem difficultatem: Sed iste sensus, in hac secunda parte Theorematis expressus est talis. Ergo in hoc sensu sunt ista verba accipienda lij (Educi de potentia materiæ) minor: Quia hic sensus optimè monstrat etc ut supra. 2do: Quia iste idem sensus explicat quod concursus materiæ non solum attingere debeat unionem Formæ, sed etiam ipsamet existentiam Formæ, et docet necessarium esse, non solum ut conditionem concomitantem ad ejus connaturalem statum, qualis est status modo corporis ad Animam Rationalem; sed etiam ut veram causam in primo instanti in quo Forma existit. 3tio Ideò Quia idem sensus explicat, quod ad rationem eductionis prærequiratur existentia materiæ, non tempore, sed naturâ, nam talis prioritas sufficit ad rationem causæ. 4to: Quia idem sensus indicat quod in Forma educibili sit indigentia seu inopia respectu materiæ, quia scilicet requirit, ut materia præexistat, et ~~...~~ ita quidem, ut sine eâ, suapte naturâ, nec fieri, nec existere possit. Et si à DEO TER. OPT. MAX. aliter fiat, id iam erit præter naturam et per specialem Dei concursum. Probatur 2do. Alii sensus seu alia explicationes et modi dicendi, quos cæteri adferunt, non declarant benè Eductionem. Ergo in hoc sensu nostro verba illa sunt accipienda. Ans patet ex refutatione falsorum modorum dicendi. 1mus modus est: Formas educi de potentia materiæ, nihil aliud importare, nisi educi de potentia materiali agenti

agentium, id est naturalium, quæ semper agunt dependenter à materia, et ideò Anima Rationalis, non dicitur
Educi de potentia materiæ, quia non continetur in virtute Agentis materialis, quod in Actione de-
pendet à materia semper. Qui quidem modus non explicat benè Eductionem: Nam sic Eductio de-
beret attendi penes Agens, necessariò à materia in Agendo dependens, quod est falsum, quia Deus
potest educere immediatè Formam de potentia materiæ, et de facto educit vegetativam & sensiti-
vam, et tamen non dependet necessariò à materia. 2dus modus docet Formas educi de po-
tentia materiæ, aliud non esse, quàm educi de ejus potentia proxima et particulari, quæ est
qualitas ultimò disponens materiam ad receptionem Formæ. Hic quoque modus non tangit verum, quia
dupliciter hoc potest intelligi, Formam educi de potentia proxima materiæ. 1mo ut sit idem,
ipsam introduci in materiam ultimatè dispositam à cœlo, et hoc est falsum: quia anima Rationalis
inducitur in materiam ultimatè dispositam, ita quod dispositiones introductæ, per Agens natura-
le petunt ab Auctore Naturæ talem Formam, et tamen adhuc Anima Rationalis dicitur creari, non
autem educi. 2do ut illa Qualitas ultimò disponens materiam verè concurrat materialiter, ad
ductionem Formæ Substantialis: Atque hoc dici non potest, quia accidens naturaliter loquendo, non
tingit Substantiam. Deinde si Forma Substantialis ex tali qualitate verè educitur. Ergo etiam in tali qua-
litate verè recipitur & sustentatur: Nam Forma materialis immediatè recipitur et sustentatur in eo
ex quo educitur, ut Forma Lapidis in materia. Atqui hoc falsum est Antecedens Ergo et Consequens. 3tius
modus dicendi, docet Formam educi de potentia materiæ, aliud non esse, quàm Formam fieri in
Actione, qua fit compositum ex præjacente materia, ut nempe Formam educi de potentia materiæ
idem sit, ac Formam non produci propria productione; sed tantum per Accidens, ad productionem compositi.
At licet hunc modum multi sequantur, tamen necesse satisfacit difficultati, quia falso nititur fundamento.
Falsum enim est Formam produci per Accidens, nam quod per se fit, et propria productione producitur, et
propria acquisitione acquiritur, non producitur per Accidens ad productionem compositi: Sed Forma per se
fit et propria productione producitur, et propria acquisitione aquiritur (quia est per se terminus Generatio-
nis, et prius debet habere esse in rerum Naturam, quam compositum, siquidem est causa compositi: causa
autem semper est prior causato) Ergo. 4tus modus tenet Formam educi de potentia materiæ, nihil
esse nisi subjectum à privatione transiens ad Formam mutari: Unde ad rationem eductionis, juxta
opinionem requiritur ut materia ordine durationis præcedat Formam, in quo priori dicatur Forma in poten-
tia materiæ contineri. Hic quoque modus non valet 1mo ideò: quia Formam educi de Potentia materiæ
est dependere ab ea in esse et in Fieri, in genere causæ materialis. Ergo ut Forma dicatur educi de poten-
tia materiæ sufficit, quod materia præcedat Formam ordine Naturæ non temporis. Consequentia: quia prio-
tas causalitatis, ut sic, dicit tantum prioritatem naturæ, non autem temporis. 2do ideò: quia potest
esse effectus à causa efficiente in eodem primo instanti, in quo causa ponitur, ut patet de Sole Aerem illumi-
nante. Ergo pariter à causa materiali: nam utique in tali casu äer quoque concurreret ad productionem lu-
3tio ideò: quia Fieri potest, ut in eodem instanti temporis creetur à DEO Subjectum, & Forma fiat a...

causa Naturali Finita v.g. Creet a DEO Aer et illuminet a Sole existente iam ante creationem hac aëris, tunc sine dubio lumen diceretur educi à Sole ex potentia subiecti, non autem à Sole concreari, quia nulli causæ 2dæ convenit concreare. 5tus modus tenet Formam educi de potentia materiæ, nihil aliud esse nisi produci ex tali subiecto, seu in tali subiecto, quod est in potentia Naturali, vel saltem neutra ad Formam, non verò in potentia obedientiali seu violenta. Sed neque iste modus solvit difficultatem, neutrum enim istorum est necessarium, non primum, quia materia est in potentia naturali ad Animam Rationalem (nam dicit Naturalem inclinationem ad illam, et tamen ex eius potentia non educitur; sed à DEO creatur) Non secundum: quia calor educit de potentia Aquæ, item aliæ Formæ violentæ de subiectis in quibus recipiuntur contra eorum inclinationem, nam adhuc sunt in eis per veram inhæsionem, et verè ab eis sustentantur.

Obiectiones et Solutiones earundem.

Obiectio 1ma (Formæ materiales non fiunt per eductionem de potentia materiæ) Probatur: Formæ creantur. Ergo Non educuntur. Ans: quia nihil impedit quominus dicantur creari. Ergo. Dices: Quod impediat dependentia Formæ à materia, tanquam ab illa quæ est prior natura. Contra: Si dependentia ista Formæ à materia per solam naturæ prioritatem impedit, ne Forma dicatur creari. Ergo Etiam compositum ipsum non diceretur à DEO per creationem produci. Conseq. Falsum. Ergo et Ans: Sequela: Quantumcunque enim eius partes simul in eodem instanti cum ipso producantur, semper tamen censentur priores Natura ipso toto. Resp. deo Neg. 1 Ans: et 2 deniq. Falsitatem: Nam compositum secundum suam Entitatem, quam dicit à partibus distinctam, non dicitur propriè creari; sed tantum dicitur creari per ipsam creationem partium, præcipuè autem per creationem materiæ, quæ tunc primo facta est: ita autem creari, est impropriè creari; unde licet hac ratione propter materiam scil: tam compositum ipsum dicatur creatum, quam Forma concreata, quatenus est simul facta cum creatione materiæ, tamen propriè loquendo reverà Forma in se considerata debet dici educta esse de potentia materiæ, compositum autem ex partibus debet dici propriè generatum. Obiectio 2da (Formam educi de Potentia materiæ non est ipsam necessariò fieri in materia) Probatur: Nam ita oporteret materiam concurrere non modo ad unionem Formæ, sed etiam ad existentiam, quod est falsum: quia alias sequeretur Animam rationalem educi de potentia materiæ, non autem creari. Conseq. falsum. Ergo et Ans: Sequela: Quia Anima ut à DEO producatur, secundum suum connaturalem statum exigit corpus organizatum in eodem instanti, in quo producitur (nisi enim corpus organizatum præexisteret, certè Anima Rationalis non crearetur, quia ordinariè, non exigit creari extra corpus) Ergo. Resp. deo Neg. Falsitatem. Deinde sequelam, et tandem disting. eius probationem: Quia corpus organizatum exigi ab Anima dupliciter intelligitur: 1. Tanquam veram causam existentiæ, qua Anima existat. 2. Tanquam Conditionem, quæ concomitatur statum eius connaturalem. 1mo modo Falsum est quod Anima exigat corpus organizatum. 2do autem modo est verum. Cæterum ista conditio, non est ita simpliciter necessaria, ut cum deficiente, Anima rationalis sit interitura, nisi à DEO conservetur per specialem concursum, quia post corporis interitum adhuc ipsa retinet suam existentiam absque novo miraculo, quod de cæteris formis minimè asseri potest etc.

Corpus organizatum exigi ab Anima dupliciter accipit.

Theorem

THEOREMA QUINTUM

Omnes Formæ Substantiales etiam cœlorum & Elementorum (solâ Animâ rationali exceptâ) sunt de Potentiâ materiæ Eductæ.

Notandum 1mum Dictum 1mum: Circa hanc Difficultatem, tres dicunt esse opiniones. 1ma quæ tribuitur Thomistis, tenet Formas cœlorū et Elementorū in prima constitutione mundi ex nihilo factas, per particulares creationes, vel saltem ad creationem compositorum concreatas. Secunda Scotistarum tenet easdem esse eductas de potentia materiæ. 3tia autem Zoarii tenet Formas Elementorū esse eductas, cœlorum autem concreatas. Dictum 2dum: Ad eductionem non requiritur necessariò, ut subjectum præcedat Formam tempore, sed sufficit, ut sit prius naturâ, quia talis prioritas scil: Naturæ est universaliter Necessaria in causa ad suū effectum. Dictum 3tium: Generationes compositi et eductiones Formarum dupliciter possūt considerari. 1mo modo, ut nunc de facto regulariter fiunt. 2do autem modo absolutè ut ex naturâ sua fieri possunt. Dictum 4tum: Primo modo consideratæ generationes & eductiones includūt essentialiter mutationem, et per hoc à creatione distinguūt: At verò secundo modo generatio et eductio præscindunt à mutatione, et possūt contingere sine mutatione propriè dicta, quæ fit à privatione ad Formā, et distinguit essentialiter à creatione per dependentiam à subjecto, vel parte, non autem per mutationem subjecti: Nam potest intervenire dependentia Actionis à subjecto sine subjecti mutatione, et ita evenit, quandò Forma producitur in eodem instanti cum materia, ratione cujus simultatis debet concedi Formam tunc dici posse cum materia concreatam, quatenus eductio Formæ comitatur creationem materiæ, sed talis concomitantia non excludit à Forma verā & propriā rationem Eductionis. Dictum 5tum: In productione Cœlorū & Elementorum duæ sunt Actiones. 1ma Creativa per quam fuit producta materia prima. 2da Eductiva per quam Forma ex potentia materiæ fuit educta, & resultavit totum. Notandum 2dum Dictū 1: ordinem Naturæ servatum fuisse inter materiam & Formā cœlestem ac Elementarem quantūcunque sint in eodē instanti temporis productæ potest probari. 1mo Authoritate S. Augustini qui dicit materiam, quamvis simul tempore fuerit creata cū Formā, prius origine fuisse creatam. 2do Quia materia est causa receptiva Formæ, et fundamentum ejus. Ergo saltem ordine Naturæ semper præcedit materia Formam: Nec Dicas sufficere prioritatem Rationis, quia causa realis est prior suo effectū. Similiter fundamentum est prius realiter fundato. 3tio Quantumvis effectus sit coævus causæ, semper tamen causa dicitur naturâ præcedere effectū ob dependentiam effectus à causa, nam dependentia unius ab alio, semper arguit hunc ordinem naturæ, prioris & posterioris. Ergo similiter in proposito quantumcunque Forma sit coæva materiæ, materia tamen semper est prior naturâ quam Forma ob hanc dependentiam. Dictum 2: materia cœli et Forma ejusdem, non sunt eâdem actione productæ: Porrò diversitas harū Actionū potest colligi 1mo Ex diversitate terminorū: quia ubi sunt distincti termini, ibi quoque est distinctas esse Actiones (quia Actiones penes terminos distinguūtur, hæc enim est communis ratio omnibus relationibus) sed materia et Forma sunt diversi termini. Ergo et Actiones

Generationes compositi et eductiones Formarum dupliciter possūt considerari.

In Productione Cœlorum et Elementorum duæ sunt Actiones.

quæ terminat ad ipsas sunt distinctæ. 2do Ex modo tendendi quia Actio ut terminat ad materiam tendit in rem per se subsistentem independenter à subjecto: ut verò terminat ad Formam, tendit in rem in alio existentem et ab alio tanquam à subjecto dependentem. 3tio Ex prioritate, quâ materia præcedit Formam ut causa receptiva & fulcimentum ejus, unde Actio productiva materiæ necessariò præsupponitur Actioni, quæ est productiva Formæ.

Probatio Theorematis

PARS Ima Theorematis (omnes Formæ substantiales materiales sunt de potentia materiæ eductæ) probatur: Illæ Formæ sunt de potentia materiæ eductæ quæ intrinsecè in suo ESSE dependent à materia (quia educi Formam est, illam esse, fieri et conservari in materia) Sed omnes Formæ materiales dependent in suo ESSE intrinsecè à materia. Ergo. minor: Si enim aliqua materialis Forma esset independens à materia, requireret eam esse spiritualem, non autem materialem, & consequenter esse incorruptibilem et extra materiam posse exercere aliquam operationem. Consequens falsum. Ergo et Ans: Sequela: Actus per se subsistens et à materia independens, est spiritualis (ideò enim præcisè dicimus Animam rationalem esse spiritualem et immortalem, quia nimirum est Actus per se subsistens et à materia independens) Ergo si esset independens verum est quod sequeretur eam esse spiritualem. PARS SECUNDA Theorematis (Formæ coelorum et Elementorum sunt de potentia materiæ eductæ) Probatur Imo: Omnes Formæ materiales sunt eductæ de potentia materiæ ut patet ex prima parte Theorematis: Sed Formæ cœlorum et Elementorum sunt materiales. Ergo DICES Formas cœlorum & Elementorum ex naturâ suâ esse à materia dependentes et consequenter ex ejus potentia educibiles, tamen ex modo, quo de facto sunt productæ in primæva Cœlorum et Elementorum constitutione potius deberent dici creatæ quam eductæ. CONTRA quod etiam ex modo, quo sunt de facto productæ debeant dici eductæ, juxta propriam eductionis rationem, quod sic probatur: Actio quâ DEUS ab initio Formas cœlorum & Elementorum produxit, et modo conservat, est vera eductio. Ergo istæ Formæ sunt verè eductæ et propriè de Potentia materiæ. Ans: Quia omnis Actio productiva Formæ dependenter à subjecto, ita, quod per talem Actionem ipsum subjectum non accipiat ESSE, sed præsupponatur illi, est verè et propriè eductio (Ratio enim EDUCTIONIS propria per quam Formaliter à creatione secernitur, consistit in hoc, quod sit Actio productiva Formæ dependenter à subjecto, ita, quod per talem Actionem ipsum subjectum non habeat esse, sed supponatur, et si aliæ conditiones requirunt, illæ sunt accidentales) Atqui illa Actio, quâ DEUS Formas cœlorum ab initio produxit & conservat, est Actio productiva Formæ dependenter à subjecto. Ergo. minor: Quâ DEUS Actione modo conservat Formas cœlorum et Elementorum, eadem etiam ipsas produxit (quia eadem est Actio, et ejusdem rationis utraque et conservandi & producendi) Sed nunc conservat illas Actione eductivâ (quia servat eas dependenter à materia ita, quod subtracta materia, statim ex sua natura desinerent, non enim sunt Formæ substantiales existentes per se subsistentes, sicut Anima Rationalis) Ergo produxit quoque eas Actione eductivâ, et per consequens Actio quâ DEUS Formas cœlorum etc. Probatur 2do: Formæ cœlorum & Elementorum non sunt verè et propriè creatæ vel concreatæ quæ etc. Ergo sunt

Ergo sunt Eductæ de potentia materiæ. 1ma pars Antec: Illud verè creatur, quod independenter à materia producitur. Sed istæ Formæ non producuntur independenter à materia. Ergo Non creantur. Minor: Quia, quod independenter à materia producitur, si separaretur ab illa, non corrumpitur (ut patet in Anima rationali quam ideò in virtute materiæ negamus contineri, quia est Spiritualis, et à materia separata non corrumpitur) Ergo. 2da pars Antecedentis: Omne Ens quod ex alio fit seu constituitur, suas causas supponit. Sed totum compositum, quod est terminus adæquatus productionis, supponit partes ex quibus componitur, licet istæ supponant adhuc causam efficientem: porrò creatio debet esse ex nihilo. Ergo Tale totum non creatur, et consequenter, nec partes ad creationem ipsius concreabuntur. 3tia pars Antecedentis: Generatio est mutatio hujus totius in hoc totum, nullo sensibili remanente: Sed in creatione talium Formarum, nulla Substantialis Forma supponebatur, nec aliquod totum quod mutaretur et transiret in hoc totum cæleste. Ergo non possunt dici rigorosè generatæ; sed debent dici eductæ vel productæ. OBJECTIO (Formæ cœlorum et Elementorum, non sunt eductæ de Potentia materiæ) Ratio 1ma: In Sacra Scriptura dicitur (in principio creavit DEUS coelum et terram) Ergo Formæ sunt creatæ, vel saltem concreatæ, et per consequens non sunt eductæ. Ratio 2da: Si essent eductæ, Ergo essent corruptibiles. Atqui corpora coelestia juxta philosophum sunt ingenerabilia et incorruptibilia. Ergo. Ratio 3tia: Sunt concreatæ cum suis compositis. Ergo Non eductæ. Ans: Quià in eodem instanti temporis et eadem Actione composita ita fuerunt creata cum suis partibus, ita, quod creatio primo terminata est ad totum tanquam ad terminum primum et consequenter ad partes. Ergo sunt concreatæ. Respondeo ad 1mam Creatum dupliciter accipitur 1mo modo Propriè seu Strictè, et sic Anima Rationalis et Angelus verè dicitur creari. 2do modo communiter seu impropriè. In Sacra ergo Scriptura coelum & terra dicuntur creata secundo modo non autem primo. Porrò ideo cœlum dicitur creatum et Elementa, quià eorum materia non præcessit illa tempore; sed tunc fuit facta simul cum illis: undè ratione istius concomitantiæ seu simultatis illa corpora dicuntur creata et Formæ concreatæ, quâ ratione etiam homo dicitur creatus, licet verè de limo terræ sit formatus. Ad 2dam rationem dico distinguendo minorem. Dupliciter aliquid dicitur incorruptibile. 1mo Absolutè incorruptibile. 2do Respectu Agentium Naturalium incorruptibile. Corporea Ergo cœlestia, sunt corporea incorruptibilia primo modo Nego, 2do Concedo. Ad 3tiam Rationem Nego Ans: ad probationem dico: Non posse totum unâ & eadem Actione produci cum partibus; sicut enim dependet ab illis in suo ESSE, ita prius naturâ ipsæ supponuntur productæ antecedenter ad totum: Porrò totum dicitur terminus primus (primitate) dignitatis et adæquationis, non autem originis.

Margin notes: ✝ At Formæ istæ cælorum et Elementorum ✝ separationem à materia corrumpuntur. Ergo etc. — Creati duplex Acceptio — Dupliciter aliquid dicitur Incorruptibile. — Quid totum.

THEOREMA SEXTUM.

Forma corporeitatis est necessaria in rebus Animatis præter Animam, in aliis autem rebus quæ carent Animâ, minimè.

Notandum 1mum Dictum 1mum: De Forma corporeitatis, maxima est inter Scotistas et Thomistas controversia; nam Scotistæ affirmant eam in omnibus Animatis, Thomistæ autem pernegant. Dictum 2dum: Per nullam Potentiam fieri potest ut Anima informet id, quod non est corpus, cum ipsa sit essentialiter actus corporis, et si per impossibile informaret materiam nullâ Formâ corporeitatis præcedente informatam, certè Animal non esset, quia nullam functionem Animalis exercere valeret, namque careret organis. Dictum 3tium: Anima non facit corpus sed factum animat et vivificat estque Forma, quâ corpus est vivens, non autem quâ corpus est. Dictum 4tum: Forma corporeitatis non est aliud, nisi Forma mixtionis, quæ est dispositio quædam ad Animam, unde in adventu Animæ non recedit, absente tamen Anima, potest recedere ut ex corpore hominis generentur Vermes, est nova mixtionis Forma producta, ad aliam enim, et aliam Animam Specie distinctam, alia et alia dispositio præ requiritur; et ex hoc patet nostram hanc opinionem de Forma corporeitatis diversam esse ab opinione Avicennæ, qui volebat Formam corporeitatis semper existere in materia, sub utroque termino Generationis. Dictum 5tum: Corpus quod manet post discessum vel interitum Animæ, non est illud quod ponitur in Prædicamento, ut videre licet in arbore Porphyriana, et quod habet rationem generis, sed est individuum incompletum, vel etiam Species incompleta, sub specie incompletâ mixti, quod vero est compositi viventis pars. Porrò hoc individuum non remanet cum esse Generico absque esse Specifico, quia est in Specie incompleta corporis mixti, imò et sub Genere, si corpus mixtum statuatur pro genere ut est commune ad mixtum completum, et ad mixtum incompletum. Dictum 6tum: Dum dicitur Formam corporeitatis dare esse genericum absque specifico, hoc certè debet intelligi in ordine ad vivens, non in ordine ad corpus mixtum, quod constituit, hoc enim et in genere et in Specie imperfecta mixtionis constituit. Notandum 2dum Dictum 1: Forma corporeitatis appellatur Generica, non quod non sit in Specie determinata corporis mixti, et individuâ Formâ; sed dicitur Generica ut distinguatur à cæteris Formis mixtionis Specificis, quæ dant esse completum compositis, et præterea quia dat esse genericum et potentiale viventi. Dictum 2 Homo dicitur Formaliter corporeus, per gradum corporeitatis habitum à corpore, ut pro altera parte compositi sumitur, loquendo de gradu corporeitatis Substantialis: Dicitur verò quantus à Quantitate inhærente corpori, pro altera parte, sicut etiam dicitur justus et intelligens ratione Justitiæ et Intelligentiæ quæ inhæret Animæ. Ad has enim denominationes non requiritur necessariè inhærentia accidentis in toto composito, quia harum denominationum sensus non est iste, quod compositum secundum se totum has Formas subjectet; sed potius hic, quod absolutè subjectet illas secundum suam partialem Entitatem, quod potest explicari exemplo totius integralis: Nam homo dicitur videns, crispus et simus, cum tamen visio sit in oculo, simitas in naso et crispitudo in capillis. Dictum 3: In Animali, Anima est principium motus progressivi, Forma verò mixti est principium illius motus qui fit secundum Elementum prædominans, unde Animal

cadens de

Definitio Formæ corporeitatis.

Cur Forma corporeitatis appellatur generica.

cadens de turri non movetur deorsum ab Anima: sed à Forma mixti, ut est gravitate affecta. Dictum
Materia prima non est subjectum inhæsionis accidentium: prius enim debet esse compositum substanti-
le quàm Accidentale. Dictum 5: In Animalis interitu, nulla producitur Forma cadaveris nova. I[llegible]
ideò quià idem judicium debet fieri de totius hominis interitu, ac alicujus partis integralis: Sed in
teritu partis v.g. in Abscisione digiti non generatur nova Forma cadaverica in digito, quià sectio non
productiva Forma substantialis. Ergo Nec in totius Animalis interitu. 2do ideò: quià vel istius Formæ
nat causa partialis per se, vel universalis. Neutrum potest dici. Ergo. Non 1mum, quià causa partialis in
te repentinâ vel ictu fulminis vel decollatione causatâ non potest assignari, nam hæc agit pravis disposi-
nibus, quæ in talibus casibus desunt. Præterea causæ particulares, dum interit vivens sunt diversæ; solet enim
perire aquâ, igne, gladio. At idem semper effectus habet, idem scilicet: corpus et cadaver. Ergo Non potest a
lis causis particularibus provenire; neque enim possibile est, ut idem effectus à quantumcunque diversis agenti
proveniat. Ad causam quoque universalem recursus non valet, quià dum causa universalis in generatione
supplet defectum partialium causarum, agit dispositionibus praviis ut patet in generatione Animalium
ex putri materia: At hæ dispositiones non semper præcedunt, ut constat in casibus allatis.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS 1ma Theorematis (In rebus Animatis Forma corporeitatis distincta ab Anima est necessaria
Ratio 1ma: Illa Forma est necessaria in rebus Animatis, quâ corpus est corpus, tam præsente Animâ quam ab-
sente (quià corpus omninò debet habere esse ab aliquâ Formâ) Sed Forma corporeitatis est illa Forma quâ cor-
pus est corpus, tam præsente quam absente Anima. Ergo. Minor quo ad 1mam partem patet per Dicta quià For-
ma corporis in adventu Animæ non recedit. Deindè quià Anima non facit corpus, sed factum animat et vivi-
ficat, tandem, dum vivens cadit de turri, non per Animam; sed per Formam corporeitatis deorsum movetur.
Item non corrumpitur præcedens, nam aliàs deberet corrumpi à contrario, quod dici non potest, quià vel
corrumperetur ab Anima, vel à materia, vel ab Agente. Sed nihil horum Ergo. Non ab Anima quià
hæc adveniens, non est contraria: Dispositio enim ad Animam non habet contrarietatem respectu A-
nimæ. Non à materia, quià materia non agit, imò materia per hanc Formam est disposita ad Ani-
mam: Nec est Agens: quià simile non corrumpitur simili, Agens autem per hanc Formam assimilat sibi
passum quantum potest. Minor quo ad 2dam partem probatur: quià post discessum Animæ corpus est idem
numero, quod erat præsente Animâ: Sed non est idem numero per Animam quià illam recessisse supponimus
neque est idem numero per aliam Formam de novo genitam (quià si esset alia Forma, certè non esset idem
numero corpus: unum enim idemque numero, non potest esse, nisi una eademque sit Forma) Ergo per Formam
corporeitatis, est unum Numero. Dices: Non esse idem corpus: sed novum generari quod appellatur cadaver

cadaver, per Formam cadavericam de novo genitam. CONTRA: Si non est idem corpus. Ergo Cum Christus Dominus est mortuus post discessum Sanctissimæ Animæ non erat idem numero corpus in sepulchro positum, quod est contra manifestas Authoritates patrum. Deinde sequeretur Corpus CHRISTI S.S. fuisse corruptum, contra modum loquendi S. Scripturæ, dicitur enim (Ψ 16 Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem) Et alibi habetur: quod caro ejus corruptionem non vidit. Præterea eadem manent Accidentia post recessum Animæ. Ergo idem corpus numero, quod est eorum subjectum inhæsionis (non enim migrare possunt accidentia de subjecto in subjectum) Ans: Sensu verum esse cognoscitur, videmus enim eadem vulnera, easdem cicatrices manere, eosdem characteres in stipite viridi et sicco, eandem virtutem in herba virenti et arida, eandem albedinem in equo mortuo quæ fuit in vivo. Dices: Non esse eadem sed similia de novo producta, ad productionem cadaveris. CONTRA: manifestè id repugnat sensui. Porrò Aristoteles ait 8 Physi. t. 22. Quod quærere Rationem, et sensum dimittere sit infirmitas intellectus. Dices: Verum esse Aristotelis dictum, quandò sensus non fallit: Sed hic omninò fallit, quià illa Accidentia, non sunt eadem, nisi secundum apparentiam. CONTRA: Si non sunt eadem numero Accidentia in corpore mortuo quæ erant in vivo; QUÆRO à quo causentur adeò similia, et undè talis necessitas similitudinis proveniat? Non ab Essentia materiæ quià materia prima est indifferens ad quamlibet Formam: Non à Forma cadaveris de novo introducta, quià Formæ diversæ speciei nunquam habent Accidentia per omnia similia; Anima autem recedens, et Forma cadaveris adveniens sunt prorsus diversæ speciei; Nec tandem à Natura novi generati fluere possunt, quià cum Forma sit alterius rationis à præcedenti, non determinabit sibi accidentia prorsus similia accidentibus corporis vivi. Ratio 2da: Si in rebus Animatis non esset necessaria Forma corporeitatis, sequeretur quod in homine corpus haberet esse corporeum per Animam Rationalem: Item in bove per sensitivam, in arbore autem per vegetativam. Atqui hoc est falsum. Ergo Veram distinctam ab Anima, et eam nos quidem vocamus Formam corporeitatis. 1ma pars minoris: Quià corpus ut est pars, non potest habere esse corporeum et extensum per aliquod spirituale cujusmodi est Anima intellectiva (quià ~~nulla~~ nulla Forma dat Formaliter oppositum sui esse) Sed corporeum esse et extensum, est oppositum Animæ rationali. Ergo esse corporeum et extensum non provenit ab Anima. Dices: Quod Anima possit tale esse tribuere, licet enim Anima rationalis sit Formaliter spiritualis, tamen virtualiter est extensa et corporea. CONTRA: Suppono autem inter Causam Efficientem et Formalem esse Differentiam: Causa enim Efficiens dat aliud esse essentialiter et distinctum quod continet virtualiter, ut DEUS dat ESSE omnibus creaturis etiam corporeis licet ipse sit Spiritus quià continet in suâ Virtute hujusmodi esse; Causa vero Formalis non largitur nisi suum

Axioma.

Differentia inter Causam efficientem et Formalem.

nisi suum ESSE, vel seipsam, et ideò licet aliquid, quod non est Formaliter tale, nec in Abstracto, in concreto possit virtualiter per modum causæ Efficientis continere, non tamen per modum Formæ. Hoc supposito, sic argumentor: Si Anima Rationalis daret esse corporeum et extensum, certè non posset illud dare, nisi ~~per ...~~ per informationem, Ergo in se ipsa deberet esse Formaliter talis ut Quo, quia hoc modo [...] se omnes aliæ Formæ ad suos effectus comparatæ, albedo enim est alba ut Quo Formaliter, et non virtualiter tantum, quia esse tale virtualiter, pertinet ad Genus causæ Efficientis. Confirmatur 1mo: Nulla Forma continet virtualiter effectum sibi repugnantem, aut Formam talis effectus productivam; non enim albedo continet virtualiter esse nigrum aut ipsam nigredinem. Ergo nec Anima Rationalis continet virtualiter esse corporeum et divisibile, aut ipsam Formam corporeitatis cum non minus sibi invicem repugnet esse corporeum et spirituale, quam esse album et nigrum. Confirmatur 2do: Dato quod Anima Rationalis contineret virtualiter esse corporeum, tamen non sequeretur inde quod illud possit communicare in genere causæ Formalis, nam utique etiam Forma Solis continet calorem virtualiter, et tamen non facit Solem Formaliter calidum, Forma enim in tali genere dat tantum illud esse, quod [...] se habet, cum exercitium hujus ~~...~~ causalitatis fiat per solam exhibitionem Entitatis Formæ Subjecto [...]

CES: Esse corporeum non à Forma, sed à materia sola provenire. CONTRA 1mo Si sic, ergo genitum [...] corruptum semper in omnibus mixtis esset idem numero corpus, cum in utroque maneat eadem numero materia. 2do Sicut materia tantum partialiter dat composito esse substantiale, ita et esse corporeum dat quoque partialiter. 3tio Licet materia prima daret composito esse corporeum et extensum, tamen non posset constituere corpus organicum et humanum, ex tot partibus heterogeneis compactum, quia materia est homogenea, et omnes particulæ sunt uniformes. 2da pars minoris (Quod scilicet corpus in homine [vel] Arbore, non habeat esse ab Animam sensitivam et vegetativam) Licet enim istæ Animæ sint Formæ materiales et extensæ, tamen adhuc istud esse corporeum †, quod vivens exigit, pro sui constitutione est dissimilare et organicum, licet ergo ratione suæ materialitatis et extensionis possent istæ Formæ tribuere aliquod esse corporeum de genere Substantiæ, non tamen esse corporeum organicum; sed ad hoc omninò requirit Formam corporeitatis, quæ aliud non importat, nisi congeriem omnium Formarum partialium, carnis, ossis, nervi in animalibus: Radicis in planta, corticis, medullæ, ligni in arboribus; ista enim esse, sic inter se diversa, non possunt à sensitiva aut vegetativa provenire, quæ sunt ejusdem rationis secundum omnes suas partes. Neque valet si dicas, in illis Formis contineri illa esse diversa virtualiter, quia cum debe[...] illa dare in genere causæ Formalis, deberent esse Formaliter tales ut Quo, sicut, quia formaliter dicuntur vegetativæ et sensitivæ, ideò dant formaliter esse sensitivum et vegetativum. Ratio 3tia: Illud corpus remanet dum interit Animal. Ergo in homine et aliis rebus animatis Forma corporeitatis etiam præter Animam omninò est admittenda. Consequent. Nam si idem corpus post interitum remanet dum interit animal [...]

† non possunt dare viventi quod est de essentia ejus ut sic, quia esse corporeum quod etc.

Animal interit. Ergo et eadem Forma debet remanere (quia per Formam alteram numero, aliud numero constituitur compositum) Ans: Si enim in interitu Animalis non remaneret idem corpus numero, sed generaretur novum, et nova cadaveris Forma superveniret, certè sequeretur corpus Christi Domini, non esse idem numero vivum et mortuum. Item sequeretur corruptum fuisse, quod revera et Patribus et Sacræ Scripturæ repugnat. Sequela prima: Quia universaliter ad unitatem numeralem effectus, requiritur unitas materiæ ex se metaphysi. et præcipuè Formæ, cum sit principalius constitutivum compositi. Ergo si in morte Christi variata est Forma corporis, non amplius idem manet numero corpus. Confirmatur: Sicut dum ex corpore equi generatur vermis, non potest dici corpus vermiculi esse idem corpus cum corpore equi, ita multo magis corpus cadavericum de novo genitum, non posset dici idem numero cum corpore CHRISTI Domini. Nam corpus vivum et mortuum magis inter se differunt ratione corporis et Substantiæ, quàm corpus equi viventis et corpus vermiculi (major enim est convenientia inter duo animata, quàm inter duo, quorum unum est animatum et aliud inanime) Sequela secunda: Illud dicitur propriissimè corrumpi, quod in aliam substantiam, nedum specie; sed etiam genere diversam mutatur: Sed ex hypothesi talis mutatio facta fuisset in corpore Christi Domini. Ergo sequeretur fuisse corruptum. DICES 1º manere idem corpus Christi suppositaliter quatenus tunc, sicut antea manebat idem Suppositum Divinum (id est eadem persona Divina) hypostaticè unitum materiæ primæ. Sed CONTRA Permanentia suppositi uniti, nihil facit ad permanentiam ejusdem corporis (quia non Suppositum Divinum, dabat esse corporeum illi corpori; sed alia Forma distincta) Ergo permanentia istius Formæ distinctæ, quæ dat esse corporeum exigitur, ut dicatur idem corpus. Deinde si lignum assumeretur à Verbo, ut est assumpta humanitas, et si illud lignum converteretur in ignem permanente adhuc unione materiæ primæ ad verbum, certè non idcirco idem corpus Physicum diceretur manere, quia non sunt idem corpus numero ignis et lignum. Præterea S. Patres et S. Scriptura non dicit manere suppositaliter idem, vel eandem materiam; sed idem numero corpus. Ergo frustra recurritur ad identitatem suppositi et materiæ.

Dices 2do: Corpus Christi vivens et mortuum fuisse idem materialiter, quatenus eadem est omninò materia in corpore mortuo, quæ fuit in vivo. CONTRA Dum ex igne generatur Äer, certum est quod eadem materia sit in äere genito quæ fuit in igne corrupto, et tamen non conceditur quod ignis, & äer sint idem numero, ex quo sequitur, quod non majorem identitatem et unitatem haberet corpus Christi vivum et mortuum, quàm ignis corruptus, et äer ex ipso genitus. Præterea quæ sunt idem secundum materiam tantum, sunt idem secundum Quid et diversa simpliciter, ut est de igne genito ex äere. Ergo corpus Christi vivum et mortuum, esset idem secundum Quid, et diversum simpliciter, quod certè nefas est dicere, quia sic sequeretur propositiones S. Patrum, dicentium idem corpus Christi Domini numero jacuisse in sepulchro, quod fuerat in cruce, et quod fuit in sepulchro resurrexisse, et nunc in throno gloriæ residere, esse veras secundum Quid, simpliciter autem esse falsas, et consequenter etiam ipsum et articulum fidei de resurrectione

resurrectione mortuorum. Dices 3: Idem numero corpus fuisse sensibiliter, propter identitatem materiae et Quantitatis, et sensibilium Accidentium, quia corpus organicum quod est subjectum Animae non est, nisi materia prima talibus Accidentibus instructa. CONTRA Quamvis in re genita, et corrupta eadem remaneat materia cum iisdem accidentibus, tamen non potest dici genitum et corruptum esse idem numero compositum cum illo, quia ad hoc necessario requiritur identitas Formae Substantialis. Deinde falsum est quod corpus organicum importet solam materiam primam, cum illa Accidentium varietate, quia esse carnis, esse ossis, esse nervi etc. esse substantiale non accidentale. Dices 4: Corpus Christi Domini eatenus remansisse incorruptum, quatenus licet fuerit novum cadaver, non tamen abiit in cineres, sicut regulariter evenit, et hic sensus est S. Scripturae cum CORPUS CHRISTI SACRATISSIMUM asserit incorruptum. CONTRA: Licet corpus sacrosanctum quod fuit in Christo Domino vivo, non abierit in cineres, abiit tamen in Formam cadaveris quae est specie diversam ab Anima. Ergo vere et proprie fuit substantialiter corruptum. Praeterea ad salvandum sensum S. Scripturae debemus dicere, corpus Christi Domini ita incorruptum remansisse, ut fuerit omnino idem numero corpus mortuum quod fuerat vivum. Ergo Non sufficit dicere, ideo incorruptum remansisse, quia in cineres non abiit. Conseq: Quia illa incorruptio non salvat identitatem numeralem. Dices 5: Inter corpus vivum et mortuum majorem esse convenientiam, quam inter corpus vermis, et hominis corpus, et hac de causa corpus cadavericum, potest dici aliquo modo corpus hominis, vel corpus equi, non ita autem corpus vermis: Porro convenientia major colligitur, tum ex accidentibus similibus, tum ex immediata successione, quia corpus cadavericum, immediate succedit corpori vivo, non ita corpus vermis. CONTRA: Convenientia in accidentibus est extrinseca et accidentalis, convenientia autem in genere proximo est convenientia essentialis. Ergo si haec non sufficit ut corpus vermis et hominis dicantur idem numero corpus, tanto minus illa, ut corpus cadavericum dicatur idem cum corpore vivo. Consequentia patet. Nam ibi est major identitas et unitas, ubi est major convenientia. Deinde, si illa immediata successio cadaveris ad corpus vivum sufficeret, ut idem numero diceretur cum eo, consequeretur acetum quoque posse dici vinum, quia generatio aceti immediate succedit corruptioni ipsius vini. [illegible]

[illegible]ERA Theorematis (Corpora inanimata non egent Forma corporeitatis) Probatur: Corporum inanimatorum esse corporeum requisitum ad constitutionem eorum, est homogeneum, id est, est similare et uniforme, non vero heterogeneum, id est difforme, et dissimilare, quale reperitur in viventibus. Ergo sufficit sola Forma specifica cum materia, ad dandum hoc esse corporeum ipsi composito. Conseq. Quia ad tale esse compositum seu corporeum sufficit sola extensio et materialitas partium componentium. At materia in omnibus est extensa, similiter et omnes Formae specificae materiales. Confirmatur: Nulla necessitas est ut ponatur alia Forma in rebus inanimatis ultra Formam specificam. Ergo sufficit una, et per consequens corpora inanimata non egent Forma corporeitatis. Ans: Quia ubi non est vita, ibi Forma una Actuat, complet ac perficit sufficienter materiam. OBJECTIO (Non datur Forma corporeitatis) Ratio: Quod est superfluum, non est necessarium, nec debet in natura [illegible]

-ari. Sed Forma corporeitatis est superflua. Ergo Non est necessaria. Minor: Illa Forma est superflua, cujus munera et effectus atque operationes potest alia Forma obire. Sed Forma corporeitatis, potest alia Forma scilicet Anima obire munera. Ergo Est superflua. Minor: Illius munera Forma potest obire Anima, quam continet virtualiter (ut imperfectiorem) nam Forma perfectior continet virtualiter, tanquam Quadrangulus Triangulum, Anima autem est Forma perfectior quam Forma corporeitatis. Respondeo Neg. minoris probationes, et ultimam probationem distinguo. Continentia est duplex: Una ostendens excessum perfectionis inter superius et inferius, quemadmodum Angelus continet hominem. Altera est ostendens effectus inferioris posse fieri à superiori: Anima ergo continet Formam corporeitatis primo, non autem secundo modo, neque enim Anima potest dare ESSE corporeum organicum, quia quæ Forma continet aliam virtualiter, potest esse principium activum operationum aut effectuum ⊕ à Forma corporeitatis provenientium (quia Forma corporeitatis facit rem extensibilem ex contrariis compositam et corruptibilem, horum autem Anima non est principium activum) Ratio altera: Si daretur Forma corporeitatis, sequeretur in uno eodemque Animato plures esse Formas. Conseq. Falsum Ergo et Ans: Sequela clara. Falsitas probatur sequentis controversiæ 1mo Theoremate, vide ipsius objectiones.

‡ Sed Forma corporeitatis continet virtualiter, nam etc.

Continentia est duplex.

⊕ Sed Anima non potest esse principium operationum aut effectuum à Forma etc.

CONTROVERSIA QUINTA
DE
MATERIA ET FORMA
SIMUL.

Difficultates quæ sunt, quodammodo utrique simul materiæ nempe et Formæ communes, et non magis ad unam quam ad aliam spectare videntur in hac controversia adducere et resolvere jam decrevimus.

THEOREMA PRIMUM.

Plures Formæ Substantiales subordinatæ possunt simul eandem numero informare materiam, et ita de facto contingit naturaliter in compositis Animatis.

Notandum 1mum dictum 1mum: Non repugnat unam Formam substantialem esse dispositionem ad susceptionem alterius, et aptam esse ad aliam suscipiendam, videmus enim quod Forma Embrionis disponat materiam ad susceptionem Animæ. Dictum 2dum: Non est inconveniens eandem Formam substantialem respectu diversorum habere rationem Actus et Rationem potentiæ, atque esse Formam sui subjecti, et recipere aliam Formam, sicut in accidentibus Quantitas est Forma substantiæ, et deinde eadem quantitas est subjectum Qualitatis; neque ob hoc confunduntur munera materiæ et Formæ: munus enim materiæ primæ est, ut sit primum principium patiendi sive primum Subjectum, quod munus nulli potest Formæ competere. Deinde munus ultimæ Formæ in aliquo ordine est, ut non sit Subjectum alterius Formæ in eodem ~~genere~~ ordine, quod materiæ primæ convenire non potest; materia enim illa prima non potest esse Forma alterius subjecti, benè tamen dari potest Forma veluti media, quæ sit subjectum alterius Formæ

Munus Materiæ primæ

et simul sit Forma sui Subjecti prioris. Dictum 3tium: Non est de ratione Formæ Substantialis in communi, ut con-
stituat rem in Esse perfecto, et ultimo statim; sed de ratione illius est ut det composito esse simpliciter, prout
simpliciter contra distinguitur ad Esse secundum quid, quod à Forma Accidentali tribuitur. Dictum 4tum: Si
vulgò dicitur Formam esse quid erat rei, et illam completè constituere, atque specificè ab alia redistinguere, de-
bet intelligi de Forma ultima quæ sola absolutè est Forma, et nuncupatur nomine Formæ: Formæ enim inter-
mediæ et subordinatæ dicuntur potius materiæ ex Aristotele 4 metaphysicorum, et Definitio Formæ, quod sit quod
quid est rei, licet per se 1mo conveniat Formæ ultimæ quæ absolutè dicitur Forma, tamen potest commodè appli-
cari etiam Formis subordinatis, quæ etiam dant esse simpliciter et per se, licet non ultimum nec perfectum. No-
tandum 2dum Dictum 5: Licet Forma corporeitatis non faciat cum materia Ens completum et in
Actu formaliter ultimato, perficit tamen illam Substantialiter, quià ultra Actum Entitativum
quem de se habet, constituit eam in Actu Formali, et ideò recedente Anima benè potest manere ma-
teria naturaliter cum illa sola Forma, quià non remanet in rerum Natura materia pura, sed constituta
ex eâ et Formâ mixtionis: materia enim nuda est pura potentia omninò subjectiva, excludens omnem
Actum Formalem, et ideò naturæ viribus non potest per se consistere cum ordinata sit ut semper cum Forma ex-
istat. Illud verò quod ex materia et Forma mixtionis est constitutum, quamvis dum ordinatur ad Animam
habeat Rationem materiæ, revera tamen non est sola materia, sed compositum, et ideò recedente Anima
se potest consistere. Dictum 6: Unica materia, unicam Formam immediatè recipit, quæ quidem Forma si sit
incompleta, potest ad perfectiorem ordinari, et sic ipsâ non dimissâ, sed retentâ quasi præviâ dispositione, potest
materia aliam suscipere Formam.

Probatio Theorematis.

Ratio 1ma: Si plures Formæ Substantiales subordinatæ non possunt eandem informare materiam,
sequeretur, quod in rebus Animatis Forma corporeitatis non posset admitti, consequens falsum. Ergo et Antecedens. Se-
quela clara. Falsitas patet ex ultimo præcedentis controversiæ Theoremate. Ratio 2da: Formis Substan-
tialibus non repugnat subordinatio, imò de facto in illis reperitur. Ergo plures Formæ Substantiales etc.
Antecedens: Tùm quià Anima est perfectio corporis, non autem materiæ primæ immediatè, dicitur enim Libro
de Anima, quod Anima sit Actus corporis physici organici. Tùm etiam, quià priusquam Anima infundatur cor-
pori, debet ipsum esse organizatum: Sed illa organizatio non est non est in pura materia prima, sed in
composito quod dicitur Embrio, in quo postea, tanquam in proprio et adæquato perfectibili Anima infunditur
recipitur. Ergo Forma Embrionis subordinatur Animæ, veluti prævia dispositio, quià materiam primam dispo-
et proportionatum Animæ perfectibile constituit. DICES Formam Embrionis formaliter expelli per Animam
introductam, cui formaliter repugnat. Sed CONTRA Forma una non expellit aliam nisi quià ei contrariatur,
ut patet in Formis Accidentalibus. Sed Formæ Substantiales non contrariantur sibi mutuo, nisi ratione dispositio-
num quas requirunt, et qualitatum quas secum deferunt. Ergo si Anima expellit Formam Embrionis, hoc erit
ratione

rationem dispositionum, quas ad sui introductionem requirit: Sed hoc esse non potest, quia eadem penitus Qualitates Embrionem conservant et perficiunt, quæ materiam et animæ introductionem disponunt. Præterea si forma Embrionis in adventu Animæ expelleretur, quamvis tunc non foret dispositio, ad Animæ introductionem in ratione receptivi, esset tamen prævia dispositio in eo sensu, quo ponuntur Qualitates esse præviæ dispositiones ad introductionem Formæ, licet corrumpantur in adventu Formæ substantialis. Ergo Non potest evitari, quod in hoc sensu saltem una Forma substantialis non sit de Facto prævia dispositio ad aliam Formam Substantialem. Ratio 3tia: Ubicunque sunt plures mutationes Substantiales, ibi sunt plures Formæ substantiales (quia quævis mutatio Substantialis terminatur ad Formam Substantialem, hoc enim differt mutatio substantialis ab accidentali, quia hæc terminatur ad Formam Accidentalem, illa verò ad Substantialem) Sed in composito sunt plures mutationes substantiales. Ergo et plures Formæ substantiales, et per conseq. plures Formæ substantiales etc. Minor: Alia est mutatio ad corpus, alia ad Animam, quia termini harum mutationum sunt distincti scil. corpus et Anima, atque à diversis agentibus producuntur, corpus à generante, quod producit semen, Anima autem à DEO. Ergo. Dices: In pluribus mutationibus adesse quidem plures Formas, sed ita, ut adveniente perfectiore corrumpatur prior, sic adveniente Anima, corrumpitur Forma mixti. Sed CONTRA: Datur in mixto aliqua operatio etiam præsente Animâ quæ non potest provenire ab Anima v. g. Dum Animal cadit ex turri. Ergo Prior Forma non corrumpitur. Conseq. Nam ejus operatio in re Animata permanet præsente Animâ, operatio autem arguit Formam. Ratio 4ta: Quia alias in eodem animato composito, non essent plures Formæ Substantiales Consequ. Falsum. Ergo et Ans: Falsitas. Nam si sic. Ergo Agens dum producit Animam produceret illam immediatè in materia prima, et sic Anima esset Actus primus materiæ primæ, quod dici non potest, quia Anima est Actus corporis Physici organici. Deinde iam sic Anima careret organo et corpore disposito ad operationes suas: et præterea superflua essent tot mutationes præviæ ad Formas Substantiales, si quod adventu ultimæ formæ priores Formæ recederent, et fieret resolutio usque ad materiam primam, quam immediatè illa ultima Forma deberet informare, imò et Sanctorum reliquiæ non essent eadem etc. Sequela 2da patet: quia si priores Formæ recedat, manet sola nuda materia prima. OBIECTIO (Plures Formæ substantiales subordinatæ, non possunt eandem informare materiam) Ratio 1ma: In eodem composito, non sunt plures Formæ subordinatæ. Ergo. Ans probatur 1mo: Ubi sunt plures Formæ, ibi sunt plura Esse (quia quævis Forma dat esse, nam esse est à Forma, cum enim Forma sit principium Essentiale intrinsecum, dat primo et principaliter esse) Sed in uno composito v. g. in homine non sunt plura esse (nam eius Entis, unicum tantum est Esse: quia esse et ENS consequunt semutuo, habent enim se velut effectus Formalis et causa Formalis: iam verò causa Formalis cum Effectu Formali v. g. Albedo cum esse albo mutuò sese concomitantur) Ergo in eodem composito etc. 2do idem probat Ans: Quia alias sequeretur idè, quod una res absolutè et simpliciter esset, et adhuc fieret. Conseq. Falsum. Ergo. Sequela: Esset per primam Formam, quæ est substantialis ac proindè dat esse simpliciter, + quia illi adveniret de novo Forma Substant.

Differentia mutationis Substantialis ab Accidentali mutatione

Axioma.

+ fieret antè simpliciter quia etc.

Substantialis quæ daret quoq ipsi esse. RESPONDEO Neg. Ans: Probationem ejus disting. In composito uni[us] sunt plura esse totalia. Concedo. Non sunt plura partialia Neg. et unius Entis, unicum est esse comp[le]tum concedendo. Sed plura tamen possunt ESSE incompleta. Ad 2dam Probationem Antecedentis di[co] negando falsitatem: Nullum enim est inconveniens, eandem rem esse simpliciter, sed incompletè p[er] For[]mam præcedentem, et fieri simpliciter completè per ultimam: et si per esse absolutè et simpliciter intelli[]git ultimum esse non amplius substantialiter perfectibile. Nego quod res sit simpliciter et absolutè p[er] For[]mam præcedentem. DICES apud Philosophos terminum istum (simpliciter) significare sine addito. Ergo Qu[od] simpliciter est habet suum complementum Substantiale. RESPONDEO Ens simpliciter sumi dupli[ci]ter 1mo: Pro omni Entitate, cujus oppositum scil. Non esse simpliciter est purum nihil. 2do prout quod op[po]nitur Enti secundum Quid, et in hac secunda acceptione Forma Substantialis qualibet est Ens simpli[ci]ter, et in isto sensu plura ESSE simpliciter in eodem composito esse possunt; sed non plura completa. R[es]p. 2da: Alias sequeretur quod Forma Substantialis daret esse Accidentale, hoc autem est falsum (quia si[c] Forma substantialis non esset distincta ab accidentali) Ergo. Sequela: Accidens dat esse accidentale. Sed F[or]ma Substantialis. esset tunc Accidens. Ergo Daret esse Accidentale. Minor: Quicquid advenit Enti in A[ctu] est Accidens: Sed Forma Substantialis tunc temporis adveniret Enti in Actu. Ergo Esset Accidens. R. Nego Sequelam. 2do minorem. 3tio Distinguo majorem: Duplex est Actus: Alius completus, qui semper est A[ctus] et nunquam potentia. Alius incompletus, qui simul habet rationem Actus et potentiæ respectu diversorum. Quicquid ergo advenit Enti in Actu completo, est Accidens, Concedo. Quicquid autem advenit Enti in Actu incompleto, quod sit Accidens, Nego. Sed Forma Substantialis advenit Enti in Actu incompleto, non autem in Actu completo, et propterea non est Accidens. Similiter ESSE illud quod advenit Enti in Actu [com]plo per ultimam Formam constituto, est esse Accidentale, quia jam tota rei essentia est constituta. Unde aliud essentialiter ad ipsam pertinens non potest addi: Sed esse, quod advenit Enti in Actu incom[]pleto, quod scilic: adhuc substantialiter potest perfici, non est esse accidentale; sed ultima Forma. INSTA[BIS] 1mo: Ex quavis Forma unita materia prima constituitur Ens completum, et species completa. Ergo For[ma] subsequens ad esse accidentale, et ipsa est accidentalis; Non autem Substantialis, et constituit Ens p[er] Ac[]cidens. Ans: patet 1mo: quia qualibet Forma cum sit individua, pertinet ad Physicam Speciem Ato[mam] Ergo Constituit speciem completam. 2do: quia alias sic, nec lapis, nec res inanimatæ essent Species com[]pletæ. 3tio: Quia nihil deficit illi Formæ Embrionis quominus sit Actus Speciei completæ, sicut e[st] For[]ma Lapidis, præsertim cum sit nobilior et perfectior Forma Embrionis quam forma lapidis. 4to: Quia [ma]teria & Actus sunt ejusdem generis et prædicamenti. RESPONDEO Neg. Ans. & Conseq. cum su[is pro]bationibus: Quia licet materia & Forma sint ejusdem generis reductivè, tamen non constituunt speci[]em completam nisi Forma sit Actus ultimus et completus: Porrò Lapis & inanimata sunt Speci[es]

Ens simpliciter sumitur dupliciter.

Actus est duplex.

completæ, propter hoc, quia eorū Formæ sunt ultimæ et completæ, non ordinabiles ad ulteriorem Actum in eodem genere, et hæc ultimitas est illa, quæ deficit Formæ Embrionis, ut non sit Actus Speciei completæ, eo modo, ut est Forma lapidis, neq opus est, ut Forma perfectior det esse magis completum, nisi in Formis ultimis, sed sufficit, ut det Esse perfectius, sive illud ESSE perfectius sit completum sive incompletum. Instabis 2do: Si Forma prior non corrumperetur adveniente aliâ novâ, certe materia posset dici ESSE simpliciter (quia haberet Actum Formalem) At materia prima sub tempus generationis non potest dici ESSE simpliciter seu non habet ESSE simpliciter. Ergo caret Formâ. Minor: Quia id, ex quo Forma ultima educitur vel in QUOD inducitur, non est simpliciter: Sed materia prima est id, ex quo vel in Quod Forma ultima inducitur. Ergo. Major: quia alias subjectum generationis haberet ESSE non aliter, quam subjectum motus, quod est contra Philosophum 5 Physicorum ubi dicit (Quod movetur, EST, quod generatur NON EST) Porrò eductio Formæ ultimæ vel inductio, est generatio, non verò motus. RESPONDEO Disting. ESSE: aliud enim est Esse completum. Aliud incompletum. Valet de esse completo, non autem de esse incompleto. Jam verò nos dicimus quod materia habeat tantum esse incompletum. Propositionis autem Aristotelicæ sensus est, quod scilicet: subjectum generationis necessariò careat esse simpliciter completo eo, quod substantialiter perficit valeat, quo quidem ESSE completo simpliciter non caret necessariò id, quod movetur vel alteratur, cum non exigat substantialiter perfici, quatenus est subjectum motus, vel Alterationis. Instabis 3tio: Generatio unius est corruptio alterius, et è contra. Ergo in adventu Animæ corrumpitur Forma Embrionis, et dum corrumpitur Animal, statim generatur cadaver. Rt: Axioma Philosophi verum esse vel mediatè vel immediatè. In rebus inanimatis verum est immediatè, in rebus autem animatis est etiam verum, sed mediatè: Item verum est de generatione et corruptione totali, non autem partiali.

Esse est duplex.

THEOREMA SECUNDUM.

Licet Naturaliter Non possit, supernaturaliter tamen potest, tam Forma materialis sine materia, quam materia sine omni Forma conservari.

Connexio materiæ cum Formæ mutua potest sumi ex triplici fonte.

Notandum Dictum 1mum: Necessaria coexigentia Formæ in materia, seu connexio utrinsque verè mutua potest sumi ex triplici capite. 1 Ex universalis naturæ conditione quia scilicet: ita Auctor Naturæ constituit ut Agentia Naturalia non corrumpant Formam in materia, quin aliam de novo generent, quem ordinem Agens Naturale non potest invertere. 2 Ex ipsius universi exigentia quod profundè integritate amat varietatem et exposcit Elementa, mixta, viventia, et alia composita ex materia et Forma constituta. 3 Ex ipsa materiæ primæ natura, quæ quia est pars, essentialiter petit compleri: Deinde quia est potentia, naturaliter

naturaliter petit Actuari; tandem quia est imperfecta naturaliter petit perfici. Unde si absq Forma existeret, esset in statu violento, et contra suam naturalem inclinationem. Caeterum ista indigentia non est talis, ut sine Forma statim debeat perire, nec possit à DEO conservari absq novo miraculo. Di-ctum 2dum: Materia et Forma non sunt Relativa prædicamentalia, sed solum transcendentalia, quo-rum unum non respicit aliud necessario in Actuali existentia, sed sufficit quod respiciat in esse possibili. Unde potentia visiva potest conservari sine colore, et potentia effectiva sine Actu. Dictum 3tium: Sicut Quantitas est Forma ejusdem naturæ, quando est in subjecto, et quando separatur: Sic et Formæ Sub-stantiales haberent se ante et post separationem, neq essent spirituales, tum quia hoc eis repugnat se-cundum, tum quia adhuc aptæ sunt informare materiam, et ad summum dicerentur immateriales se-cundum Quid, quatenus non esset actualiter immersa materiæ primæ.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS 1MA Theor. (Forma Substantialis materialis absq materia, non potest naturaliter existere) Ratio: Absq eo naturaliter Esse non potest à quo dependet essentialiter. Sed à materia dependet essen-tialiter. Ergo. Minor: quia Forma dependet à materia tanquam à causa materiali à priori (materia enim est verè causa materialis ipsius Formæ utpote, quæ ex ejus potentia educitur et ideo ad ablationem materiæ de-beret naturaliter Forma quoq desinere, quia ex ejus innata conditione non debetur ei à DEO conservatio, ni-si in materia, quod si aliter conservetur erit hoc prorsus præter ejus naturam, ut dicitur de Accidentibus Sa-cratiss. Eucharistiæ). PARS 2DA Theor. (Materia sine Forma non potest naturaliter existere) Ratio: Absq eo materia non potest naturaliter existere, cum quo eam unitam et copulatam esse, et Author Na-tura vult, et ipsum universum exigit, et sua Natura postulat: Sed cum Formam esse eam unitam, et Author Naturæ vult, et ipsum universum exigit, et sua Natura postulat. Ergo. PARS 3tia Theorem. (Forma materialis potest supernaturaliter sine materia conservari) Probatur: Forma Accidentalis potest con-servari supernaturaliter sine Subjecto (Accidentia enim Eucharistica de facto conservantur sine ullo sub-jecto) Ergo multo magis erit possibile de Forma Substantiali. Conseq. Cum magis enim conveniat For-mæ Substantiali esse absq materia, quam Formæ Accidentali absq subjecto (quia Forma Substantialis ha-bet nobiliorem existentiam, quam accidentalis) Ergo. Præterea concursum materiæ ad conservationem Formæ potest DEUS supplere si non in eodem genere causæ materialis, saltim in eminentiori saltem in genere causæ Efficientis, ut de facto supplet in Sacratissima Eucharistia. Ergo. Ans: omnem con-cursum extrinsecum DEUS potest supplere. Sed concursus iste materiæ est extrinsecus (nam licet materia in genere causæ materialis concurrat, tamen causalitas ista materialis non est intrinseca, hanc enim intrinsecam exercet materia, tantum respectu compositi communicando se ipsam intrinsecè.) Sed potius

potius extrinseca, quià materia per suam Entitatem non componit Formam) Ergo. PARS 4ta Theorematis (materia sine Forma supernaturaliter potest conservari) Est contra Thomistas. Ratio 1ma: Non minus dependet Accidens à Substantia quam materia à Forma: Sed Accidens potest esse supernaturaliter sine Substantia, ut patet in Sacratissima Eucharistia. Ergo. DICES majorem esse falsam eo, quod plus dependeat pura potentia ab Actu, quam Actus imperfectus ab Actu perfecto: At materia est pura potentia, accidens verò est actus imperfectus, ac proindè magis illa ab ~~Forma~~ Actu dependet, quam Accidens à Substantia. CONTRA 1mo Falsum est materiam esse puram potentiam objectivam ut patet ex 3tia controversia. 2do Magis dependet posterius à priori, quam prius à posteriori (quià omnis dependentia simpliciter est ad aliquid prius) Sed Accidens est posterius Substantiâ, materia autem est prior quam Forma. Ergo magis dependet accidens à subjecto, quam materia à Forma, et per consequens si Accidens potest conservari sine Subjecto, item Forma sine materia, ut ex 3tia parte hujus Theorematis patet; multo magis materia sine omni Forma. DICES Quod materia non sit prior, quam Forma; sed potius posterior ea. CONTRA Licet sit materia posterior quam Forma ordine perfectionis, est tamen prior ordine Generationis, et consequenter est simpliciter prior: quià quandocunque sunt aliqui duo ordines, quorum unus est simpliciter prior altero, tunc quidquid est in ordine priori, est simpliciter prius quocunque existente in ordine posteriori: Sed ordo originis et ordo perfectionis ita se habent in natura limitata, quod ordo originis est simpliciter ordine perfectionis prior. Ergo Quicquid est prius origine, est simpliciter prius omni eo, quod est prius ordine perfectionis: Sed materia prima est prior origine quam Forma licet Forma sit prior perfectione quam materia. Ergo materia est simpliciter prior quam Forma. Præterea: Quicquid est imperfectius in rerum generatione, est simpliciter prius quocunque perfectiori (quià priora generatione sunt posteriora perfectione, natura enim semper procedit de imperfecto ad perfectum) Sed materia prima est imperfectior quam Forma. Ergo est simpliciter prior quam illa, et per consequens potest esse sine Forma, quià omne prius in suo priori potest esse sine posteriori. DICES: multum interest (dicere materiam, et materiam existentem) Licet ergo materia sit prior quam Forma, ut est materia, tamen materia existens ut existens non est prior quam Forma, quià existentia materiæ est ~~[illegible]~~ effectus Formalis Formæ, sic, g.r. superficies est prior albedine: Sed albedo est prior quam superficies alba. CONTRA: materia prima habet suam actualitatem seu existentiam, seu actum entitativum. Ergo Existit absque existentia Formæ. Sicut enim habet propriam essentiam, et non per Formam; ita et existentiam, et certè cum primo advenit Forma materiæ, vel advenit ei jam habenti Esse extra suas causas Actualiter etiam Actu productæ, vel advenit illi necdum ESSE habenti, sed modo producibili. Si 1mum, Ergo habet propriam existentiam (quià implicat

implicat rem esse sine existentia.) Si 2dum. Ergo materia præcisa Formâ est omnino nihil, quod est falsum quia tunc Forma fieret et educeretur Actualiter ex Ente non producto, sed modo primum producibili et futur atq subjectaretur in nihilo, vel ipsa suum efficeret susceptivum. Secundo, si est prior ingenere causæ mate- rialis. Ergo in illo priori intelligitur existens, quia nulla causa realis causat Physicè, nec est potens proxi ad causandum nisi existens. Tertio ideò Albedo est prior superficie albâ, quia albedo non supponitur in pa rie te, ut est potens recipere albedinem. At in casu Existentiæ supponitur in materia ad susceptionem Fo mæ. Quarto: materia Humanitatis assumptæ per Thomistas non existit existentiâ sua Formæ, cum nec Forma habeat in VERBO propriam existentiam; sed ambæ existunt existentiâ VERBI INCARNAT Ergo Falsum est existentiam materiæ esse effectum formalem Formæ aut tali modo, ut à DEO nequ suppleri, poterit ergo DEUS facere materiam in universo existentem existentiâ aliunde acceptâ, q à Forma. Ratio 2da: Quicquid contingenter se habet ad quodlibet generis absolutum, contingenter habet ad totum genus: Sed materia contingenter se habet ad quamlibet Formam. Ergo contingenter se bet ad totum genus Formæ. Ergo sine tali Formâ esse potest. Ratio 3tia: Cuicunq competit actualit causare pro aliquo signo, convenit et existere pro eodem signo: Sed materiæ primæ in primo signo, quo re cipit Formam, convenit causare. Ergo pro tunc competit illi existere; Sed pro illo signo non habet ex istentiam Formæ (quia necdum Formam recipit) Ergo Habet propriam et per consequens potest existe absq contradictione sine Forma, siquidem habet propriam existentiam. Confirmatur 1mo: Quia materia aut causat compositum, et recipit Formã quandò existit aut quandò non existit. Non quandò n xistit quia non Ens non potest causare, nec recipere aliquid, materia autem esset non Ens, quia n esset existens. Ergo Quandò existit et per consequens pro tunc competit illi propria existentia, et non à For ma quia secundum Thomistas existentia Formæ sequitur compositum. Confirmatur 2do: Causa ut sic, nihil emendicat à suo effectu: Sed per se materia est causa Formæ et compositi. Ergo Non emendicat existentiam ab eis.

OBIECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIONES.

Objectio 1ma (materia potest Naturaliter existere sine Forma) Probatur: Anima Rationalis potest existere sine corpore licet dicat ordinem ad corpus tanquam ad sui comparten. Ergo et materia Item secundo: materia Artificialium v.g. Lignum potest naturaliter esse absq omni Forma Artificiali. Ergo. Item Tertio: Pars integralis* potest naturaliter extra totum existere. Ergo et pars essentialis: Sed ma teria prima est pars essentialis. Ergo. RESPONDETUR Neg. 1 Sequelam: Ratio: Quia Existentia et Sub sistentia Animæ Rationalis longè est perfectior quam existentia et subsistentia materiæ, quia Anima in ordine spiritualium substantiarum reperitur quæ sunt perfectiores substantiis materialibus. Deindè ex parte intrinse cæ indigentiæ magis materia indiget Formâ quam Anima corpore, quia majorem acquirit perfectionem materia ex conjunctione ad Formam, quam Anima ex conjunctione ad corpus, licet nunquam sit tali in digens

* v.g. manus.

indigentia, ut sine Forma periret, neq etiam est inconveniens dicere potuisse Authorem naturæ talem rerum ordinem instituere, ut materia naturaliter quandoq separaretur à Forma, ut contingit de Animâ rationali. Item Nego secundam Sequelam Quià non tantam perfectionem expectat materia Artificialium à Formis Artificialibus ut materia rerum naturalium à Formis naturalibus, quare majorem habet indigentiam materia naturalium quàm artificialium, licet nunquam tantam, ut sine illis ex natura rei statim periret. Etiam quoq sequelam nego: quià non currit paritas de parte Essentiali et integrali quià integralis abstrahit secundùm suam Essentiam à ratione partis, et ratione totius et in se est verè Ens completum, ut constat de gutta aquæ; Atqui non est de parte essentiali. OBIECTIO 2da (Forma sine materia non potest supranaturaliter conservari) Probatur: Ratio 1ma: Unum Relativum non potest esse sine alio etiam Supernaturaliter (quià non potest esse pater absq filio formaliter) Sed Forma est quid relativum ad materiam (quià Actus refertur ad potentiam, Forma autem est Actus materiæ) Ergo. Ratio 2da: Aliàs Forma materialis fieret Spiritualis, quod falsum est: nam impossibile est, Formam materialem per quamcunq potentiam fieri immaterialem et spiritualem. Sequela: Separaret à Forma. Ergo esset immaterialis. Ratio 3tia. Si Forma separaretur à materia, tunc foret & non foret Actus, quod implicat. Foret quià Forma est essentialiter actus (Nam per Actum definitur, ut patet de Anima, quæ dicitur esse Actus corporis Physici) Non foret autem; quià quod per se est, et nihil informat, non est Actus: Sed Forma separata à materia per se est, et nihil informat. Rdeo ad 1mum Licet Relativum prædicamentale non possit esse absq alio (quanquam Joannes canonicus oppositum teneat) tamen transcendentale potest, quià non respicit necessariò aliud in Actuali existentia. vide Notandum. Ad 2dum Nego Sequelam et ejus probationem quià talis esset post separationem, qualis fuit ante separationem vide Notandum. Ad 3tium Dico Distinguendo: Foret Actus fundamentaliter Concedo quià esset apta informare materiam; non autem foret Formaliter: quià non fundaret actualem respectum informationis. Deinde nego Formam esse Actum quidditativè et Philosophus vocat eam esse Actum denominativè tantum. OBIECTIO 3tia (materia prima non potest sine Forma supernaturaliter conservari) Probatur: Quicquid implicat contradictionem, illud etiam per Divinam potentiam fieri non potest: Sed materiam primam conservari sine Forma implicat contradictionem. Ergo. Minor probatur 1mo Propriam passionem separari ab aliquo implicat. Ergo et materiam à Forma. Consequens: Quià magis unum est materia cum Forma quàm propria passio cum Subjecto (Nam materia facit cum Forma unum per se, et essentialiter, non autem passio cum Subjecto: Passio enim facit unum in secundo modo dicendi per se) Ergo si implicat passionem etc. Conseq. Ista: quià quantò est aliqua magis unum, tantò minus sunt separabilia. 2do Eadem minor probatur: Habere et non habere Actum implicat: Sed si materia posset conservari sine Forma, tunc haberet et non haberet Actum. Ergo. Minor: Ita

haberet

Haberet Actum quià haberet existentiam in rerum natura: Non haberet Actum quià careret Formâ à qua est omnis existentia et Actus. Probatio eadem minor: Aliàs materia prima esset et non esset individuum. ESSET quià solitariè existeret: Non ESSET autem, quià careret Formâ, quæ sola ponit individuum in specie determinata Entis. Respondetur Neg. minorem deinde 1ma probationis neg. consequentiam probationem. Materia est magis unum cum Forma quam Subjectum, cum passione unitate unionis Concedo. Unitate identitatis Nego. Secundæ probationis nego sequelam: Licet enim materia prima haberet Actum Entitativum, qui dicitur Transcendentalis, eo, quod omnibus rebus conveniet, non tamen haberet Actum Formalem completum et Specificum, qui à Forma provenit et tantum rebus in Specie completam existentibus competit, et vocatur ideò prædicamentalis. Porrò habere Actum entitativum et non habere Actum Formalem, nulla est contradictio. Similiter tertiæ probationis Nego sequelam: Quià separatio materiæ à Forma, non tollit à materia Speciem essentialem et intrinsecam, sed tantum extrinsecam: Sicut enim Forma adveniens materiæ non dat illi differentiam essentialem nec speciem intrinsecam, ità nec aufert, sed tantum extrinsecam et adventitiam, completam tamen et perfectam. Undè materia prima esset individuum, esset eadem numero et Specie ut nunc est in composito, esset in Specie determinata incompletâ, Entis et substantiæ transcendenter inspectæ, ut est communis ad completas ad incompletas. DICES Si sic? Cur ergo materia prima vulgò verè dicitur indeterminabilis, et tantum reductivè in specie. RESPONDEO Hoc debere intelligi de Specie prædicamentali et completa, non autem incompleta. SED ARGUES CONTRA: Quicquid est in Specie determinatâ incompletâ, debet reductivè spectare ad Speciem determinatam completam. Respondetur: Id valere tantum de Substantia incompleta determinatè, qualis est Forma, non autem de Substantia determinabili, qualis est materia, quià hæc ex munere proprio et naturali sua conditione, debet ad omnes species esse contrahibilis, et licet ad hanc vel illam Actu tendat et reducatur per Formam aptitudine tamen de se ad omnes est reducibilis et haberet re ita, separata à Forma sine ulla reductione Actuali, unde hoc ullam involvit repugnantiam: Cum enim à Forma Differentiam individualem non agnoscat materia (quià per suam ultimam realitatem individuat) nec etiam ESSE specificum accipiat prædicamentale et completum, certè potest esse in sua Specie certa, siquidem ex se est determinata Entitas à quacunque alia distincta..

THEOREMA TERTIUM

Materia prima præter pati competit Agere: Item Formæ præter agere, competit pati. &c.

Notandum Dictum 1mum: Hoc Theorema aliter potest sic formari: Nec materia est ità propriè patiens ut ei nulla prorsus Activitas competere possit: Nec Forma ità proprium agere, ut ei omnis Activitas sit tribuenda, et omnis passivitas deneganda. Dictum 2dum. Sicut materia prima dicitur pura potentia

potentia per exclusionem tantum Actus Formalis et Specifici, non verò per exclusionem Actus Entis: ita excludit omnem operationem cujus Principium est Forma Physica, omnem nimirum Actionem generativam, et corruptivam Physicam et Realem; sed non omnem operationem quæ potest esse ab essentia rei, qualis est dimanatio Metaphysica suarum proprietatum, et Actio intentionalis per impressionem speciei intelligibilis in potentia. Nam neque hujusmodi Actiones denegantur Quantitatibus, licet hæc communiter à numero Activorum excludatur. Dictum 3tium: dum Philosophus et Physicorum ait materiam et Efficiens non coincidere, debet hoc intelligi de Actione propria ut distinguitur ab Emanatione, non autem, ut cum hac coincidit. Dictum 4tum: Dum vulgò dicitur, Formam esse rationem agendi, intelligendum hoc est, non tam de Forma partis et Physica, quam potius de Forma totius et metaphysica, sumpta pro quidditate et natura rei. Dictum 5tum: Materia in genere principii Passivi, est ad omnes Formas indeterminata: At in genere principii Activi, est determinata in ordine suæ Activitatis, nam ab ea non dimanant, nisi tales passiones, nec est impressiva, nisi Specierum ipsam repræsentantium.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS 1MA Theorematis (materiæ primæ competit Agere) Probatur: Quicquid comparatum ad aliqua, habet se per modum causæ Efficientis, illi competit agere seu Activitas (quià causa efficiens est verè Activa et Effectiva) Sed materia prima comparata ad aliquas realitates, habet se per modum causæ Efficientis. Ergo. minor: Illud habet se per modum causæ Efficientis, quod est subjectum vel principium à quo emanant propriæ passiones, et quod causat propriam sui cognitionem imprimendo prius Speciem intelligibilem intellectui: Sed materia prima est hujusmodi, id est, habet proprias passiones. Item imprimit sui Speciem intelligibilem et causat cognitionem, sicut & quodlibet aliud objectum; nam cum sit Ens reale, est verè intelligibilis et cognoscibilis: Jam verò cognitio ab objecto et intellectu causatur. PARS 2DA Theorematis (Forma non repugnat pati) Probatur: Cui repugnat pati, et passivitas simpliciter, illud non potest esse patiens, nec ut QUO, nec ut QUOD. Sed Forma potest esse patiens, si non ut QUOD, saltem ut QUO. Ergo Formæ non repugnat simpliciter pati. minor: Quod est alicui ratio ~~[illegible]~~ patiendi et recipiendi, illud est patiens (ut QUO) Sed Forma est ratio patiendi et recipiendi composito. Ergo. minor: Non solum enim materia, sed etiam et Forma, est composito ratio recipiendi accidentia illi connaturalia aliasque connaturales affectiones (quià per quam Formam res est hæc, per eandem quoque est susceptiva passionis, naturam illius rei consequentis). Q.

OBJECTIONES ET EARUMDEM SOLUTIONES THEOREMATIS.

Objectio 1ma (materiæ primæ repugnat agere) Probatur: materia primæ ex sua constitutione solum convenit potentia passiva, non autem Activa (Eo enim fine materia fuit producta, ut esset subjectum omnis mutationis) Confirmatur 1mo: Alias si materia esset Activa, non esset opus agente extrinseco ad productionem Formæ. Confirmatur 2do: materia (ut vulgò dicitur) non est de numero Activorum: Item materia est passiva, seu habet se passivè. Ergo repugnat illi agere. Rt: Neg. primum Ans: quià materia, respectu cujus est subjectum per Physicam Actionem respectu ejus non dicitur à nobis esse Activa, sed tantum respectu ejus quod pendet ab illâ, in genere causæ efficientis, quales sunt passiones ipsius v. g. potentia appetitus. Item cognitio et species intelligibiles. Confirmationis 1mæ neg.

Activa et Passiva sunt duplicia.

Nego sequelam: Non enim materiæ tribuimus eam Activitatem quam habet generans et Efficiens; sed longè aliam ideò opus est præter materiam, ad generationem rerum extrinseco Agente. Secundam Confirmationem [illegible] Activa et passiva sunt duplicia. Alia quæ mutuo corrumpuntur et generantur vocanturque Physica, [illegible] non corrumpunt, quæ possunt dici Activa metaphysica. Illud ergo dictum vulgare (materia non est de numero [illegible] verum) debet intelligi, non de metaphysicis, sed tantum de Physicis Activis et passivis, et de Qualitatibus, quæ [illegible] tur ejusmodi Activa et Passiva. Certum enim est, quod materia prima non potest producere aliquam Formam [illegible] tialem effectivè, nec aliquam accidentalem per verum motum et mutationem Physicam atque realem. [illegible]

Quare dicatur materia passiva.

titur (materia passiva) propterea quià est ordinata ad recipiendas omnes prorsus Formas substantiales, et [illegible] careat omni Actione physicâ et reali, tamen Actione intentionali, qualis est productio specierum et [illegible] Item actione metaphysicâ, qualis est denominatio accidentium connaturalium à proprio Subjecto, quibus [illegible] motu et mutatione reverà non caret. Objectio 2da (Formæ repugnat pati) Probatur: Quod [illegible] tit materiæ, illud repugnat Formæ. Sed pati soli competit materiæ (Dicitur enim vulgò, Formæ est agere, [illegible] teriæ autem pati) Item (Forma est Actus, materia verò potentia) Ergo. Confirmatur: Alias confunderentur [illegible] nera materiæ et Formæ, si huic pati, et illi Agere conveniret. Respondeo Neg. minorem: quia [illegible] cimque ita esse proprium materiæ, neque agere Formæ, ut hoc prorsus materiæ repugnet, et illud Formæ, [illegible] et materia est suarum proprietatum effectiva, et Forma v.g. Anima suorum Actuum receptiva: et quia [illegible] teria universaliùs est ratio patiendi, quàm Agendi; Forma verò è contra, ideò factum est, ut absolutè dicatur [illegible] esse agere et materiæ pati. Deindè dicuntur absolutè: Forma Actus et materia potentia quià considerantur [illegible] ter concurrentes ad constitutionem compositi physici, et in hoc concursu materia se habet passivè, Forma autem Activè seu perfectivè: neque enim Activitas quam habet materia qualiscumque sit illa, data est ei in ordine ad [con]stitutionem compositi Physici (sic enim solùm in ea considerat passivitas) sed data est ei, tum in ordine ad propias passiones, tum ad cognitionem sui producendam. Munera quoque Physica earundem non confunduntur, quia in constitutione compositi physici materia se semper habet ut potentia, et Forma ut Actus. Deinde munus materiæ pri-

Materiæ primæ munus.

mæ est esse primum Subjectum omnium Formarum; Forma verò ita esse Actum, ut non possit esse primum Sub-

Formæ munus.

jectum, et in hoc sensu sunt omninò primo diversa.

THEOREMA QUARTUM.

Causa totalis corruptionis compositi, est materia et Forma simul. Utraque Causa partialis est etiam utraque in suo Genere: Sed causa partialis præcipua est Forma, causa tandem partialis radicalis et originaria est ipsa materia.

Est contra Avicennam, qui docet corruptionem à contrario provenire. Item contra Joannem canonicum [illegible] negat materiam esse causam corruptionis. Pars 1ma patet: Illa integrant causam totalem corruptionis compositi quæ æqualiter concurrunt ad corruptionem ipsius. Sed materia et Forma æqualiter concurrunt. Ergo. Mi-nor: Illa æquè concurrunt, quæ constituunt compositum, et æqualiter abinvicem separantur (quià corruptio compositi fit per separationem principiorum ex quibus constituitur) Sed materia et Forma constituunt compositum, et æqualiter abinvicem separantur (non magis enim materia à Forma, quàm Forma à materia est separabilis) Ergo [illegible]

PARS 2da patet: Quia nec materia satiat Formam ob suam infinitam capacitatem et interminatum appetitum, nec Forma satiat materiam ob suam limitatam perfectionem. Nam si satiaret, certè compositum redderetur incorruptibile. Ergo utraque est causa partialis in suo genere. PARS 3tia patet: Quia compositum simpliciter et absolutè dicitur magis non esse per corruptionem Formæ quam per separationem materiæ quia ipsa Forma magis dat esse composito. Ergo Forma est causa partialis præcipua corruptionis. 4ta pars probatur: Duplex communiter solet assignari causa corruptionis. 1ma Extrinseca quæ provenit à contrarietate. 2da: Intrinseca quæ provenit à contingenti et dissolubili connexione partium intrinsecarum compositi. Sed extrinseca reducitur ad intrinsecam, intrinseca verò reducitur in materiam ut originem. Ergo primaria radix et origo corruptionis compositi est materia, non Forma aut contrarietas. Minoris 1ma pars quod scil: causa extrinseca pendeat ab intrinseca, patet, quia contrarietas nec potest, nec debet assignari pro prima radice corruptionis. Res enim non habet contrarium ratione cujus sit corruptibilis, nisi quia habet aliquod intrinsecum ratione cujus potest recipere contrarium et Formam oppositam illi quam habet. 2da pars minoris: quod intrinseca pendeat à materia, velut à primaria radice. Radix enim dissolubilitatis partium est materia; nam licet ex parte Formæ esset necessaria connexio, tamen semper est contingens ex parte materiæ, quæ est potentia ~~materiæ~~ contradictionis quâ res potest esse et non esse; Et hoc non solum quatenus est in potentia ad aliam Formam incompossibilem ei, quam habet, sed præcipuè in quantum est in potentia ad privationem Formæ, quam habet: Hinc enim præsertim dicitur potentia contradictionis. Deinde non potest Agens naturale Formam corrumpere, et consequenter neque compositum, nisi sit illa Forma in materia capaci oppositæ Formæ aut oppositæ dispositionis. Ergo prima Radix corruptibilitatis Formæ & compositi est materia ipsa. OBIICIES 1. materia est per se incorruptibilis, Ergo Non potest esse causa corruptionis. Conseq. Incorruptibilitas non potest esse causa corruptionis (alias unum oppositorum est causa alterius) Item 2do In causis præcisis, si affirmatio est causa affirmationis, negatio quoque est causa negationis ex primo Priorum. Sed causa præcisa, quâ compositum est Ens in actu, est Forma. Ergo Causa præcisa non essendi in Actu eidem composito erit Forma. Item 3tio. materia non est Activa, et qualibet delectat Formâ. Ergo Non appetit illam abiicere Ergo Non potest esse causa corruptionis. Rt. Neg. Conseq. quia non dicimus eam esse causam corruptionis compositi, quatenus est incorruptibilis; sed quatenus est corruptibiliter Formæ unibilis ratione suæ potentialitatis: Sic Sol est incorruptibilis, et tamen est causa generationis et corruptionis rerum. Ad 2dum Nego minorem. Quia licet Forma sit causa præcisa, cur compositum sit Ens in Actu completo et specifico, non est tamen causa præcisa cur sit Ens Actu absolutè et simpliciter sivè transcendentaliter, quia Etiam materia est causa entitatis compositi et intrinsecè illius constitutiva. Ad 3tium dico Solum probari quod materia non sit causa Efficiens corruptionis, quia potius talis causa est Agens contrarium inducens, neque est causa per se corruptionis materia sed tantum per accidens, quatenus non satiata Formâ quam habet appetit eam quâ caret incompossibilem illi. etc.

Duplex est causa corruptionis Intrinseca et Extrinseca.

Radix dissolubilitatis partium est radix.

THEOREMA QUINTUM.

Forma Substantialis immediatè, id est nulla mediante Quantitate et Qualitate informat materiam.

Est contra Nominales et Averroistas. Probatur 1mo: Quod mediante Quantitate et Qualitate informat materiam, non unitur prius materiæ quam Quantitati & Qualitati: At Forma prius unitur materiæ quam Quantitati et Qualitati. Ergo.

minor:

minor: Illi prius unitur materia, quod prius respicit quam illi, quod posterius (quia eo ordine uniuntur Actus [illegible]
tiis, quo ab eis respiciuntur) Sed materia prius respicit Formam, quam Quantitatem aut Qualitatem. Ergo. [illegible]
Potentia substantialis prius respicit Actum subs[tantialem] potentialem quam accidentalem. Sed materia est potentia Substan[tia]
lis. Item Forma est Actus Substantialis. Quantitas verò et Qualitas est Actus accidentalis. Ergo. Dices: [illegible]
teria prius respiciat Formam substantialem, quam Accidentalem ordine intentionis, quia respicit illam, tamquam
Finem, ad quem ordinatur ejus potentia. Sed ordine executionis, prius respicit Formam Accidentalem [illegible]
pote quæ præparat et disponit materiam ad recipiendam Substantialem Formam, et ideò prius ordine execu[ti]
onis unitur accidentali quam Substantiali. CONTRA: Magis est materia prima proportionata de [illegible]
piendam Formam substantialem quam Accidentalem (quia est ejusdem generis et prædicamenti cum illa [illegible]
autem cum ista) Ergo immediatius, et prius unitur illi, etiam ordine executionis. Probatur 2do Forma
Substantialis nudam informat in instanti Generationis materiam. Sed si mediante Quantitate et [illegible]
te informat eam, certè non informaret nudam. Ergo. major: Dispositiones præcedentes Generationem
non remanent in instanti Generationis in materia, sed corrumpuntur. Ergo. Ans: Dispositiones [illegible]
sibiles cum Forma corrumpenda, et quæ sunt necessariæ pro informatione et conservatione Formæ [illegible]
mitæ non præcedunt illam in materia, sed comitantur, et ab ea statim atque est genita dimanant [illegible]
liæ dispositiones præcedentes etc. Ans: prox. probatur 1mo quia tales Qualitates et Affectiones [illegible]
connaturales, dicuntur illis coævæ. Ergo Non antecedunt eas sed comitantur. 2do Si tales qualitates [illegible]
cessariæ pro conservatione Formæ in materia antecedunt ipsam et in virtute earum Forma substantialis [illegible]
ducitur de materia. Ergo potius Forma substantialis dimanabit ab illis, quam illæ à Forma, quod est falsum
3tio dicitur vulgò (in generatione rei, qui dat Formam, dat quoque consequentia Formam) v.g. qui dat Formam
ignis, dat quoque consequenter calorem, siccitatem, levitatem etc. Ergo tales qualitates connaturales, si-
ve sint mediatè ab Agente, sive immediatè, semper Formam substantialem concomitantur. Confirmatur
Dispositiones, quas Agens inducit in materiam, ut expellat Formam contrariam, suam verò introducat, recip[i]-
untur in toto composito præcedente, non autem in materia prima immediatè. Ergo ad interitum illius com-
positi corrumpuntur, nec in instanti generationis permanent, et consequenter Forma non informat ma-
teriam illis mediantibus. Conseq. Aliàs in eodem instanti, si remanerent, migrarent de Subjecto in Sub-
jectum, id est, transirent de toto composito, cui adæquatè inhærebant, et de Forma in solam materiam
quod certè est falsum. Ans: Nam experientia docet, quod dum ignis calefacit lignum, ut ex [illegible]
one postea inducat Formam ignis, calor in toto ligno recipitur juxta Philosophum 5 Physicorum (motus [illegible]
festum est quod fit in Ligno) et sensus indicat, non solam materiam, sed totum lignum calefieri, et si [illegible]
gat lignum, non solam materiam tangit, et calidam experitur, sed totum compositum. Obiicies: [illegible]
generationis recipitur nova Forma cum suis Qualitatibus. Ergo istæ qualitates permanserunt in eo instanti ge[ne]-
rationis, et non in Forma. Ergo in materia. Ergo prius informabant materiam, quam Forma, et per consequens
[illegible] mediantibus: Nam prævia qualitates ab Agente introductæ in ipso generationis instanti, nec aliæ à Forma [illegible]

tò pereunt

genita dimanant, quia non potest aliquid assignari quod illas corrumpat, et quod istas generet in novo Forma. Ergo. 1mum probo: Quia dum ignis suam Formam inducit in æ aërem, siccitas et calor introductæ in Aërem disponens ad Formam ignis non potest ab ipso igne corrumpi, cum habeat easdem qualitates, neq à Forma quæ inducitur, quia illa requirit istas dispositiones. 2dum probo: Dum homo præ nimio frigore moritur adhuc post mortem immediatè manet aliquis calor in cadavere. Sed calor ille non potest à generante produci scil: à frigore, neq à nova Forma cadaveris cum potius illa sit productiva frigoris. RESPONDEO Neg. 1mo Conseq. 2 et 3 Ans: Ad primam probationem dico calorem et siccitatem à nullo per se corrumpi; sed per Accidens ad corruptionem Subjecti quod erat aër. Ad 2dam probationem dico hanc instantiam valere contra Thomistas, qui negant plures Formas in eodem composito; unde secundum eos iste calor in cadavere, cum præ nimio frigore homo moritur de novo deberet produci. Sed contra Scotistas nil penitus valet quia calor ille in cadavere hominis præ frigore mortui juxta eos non producitur de novo; sed est idem calor, qui prius erat in homine morituro et subjectatur in eodem numero composito, quia Forma corporeitatis dat ei esse et præsente Anima et absente.

THEOREMA SEXTUM

Materia et Forma non uniuntur seipsis Formaliter, sed media unione illis superaddita.

Est contra Nominales. Probatur 1mo Si unio materiæ et Formæ nihil prorsus superadderet earum entitatibus absolutis, sequeretur quod tam diu essent unitæ, quamdiu secundum suas Entitates absolutas manerent: hoc autem est falsum, quia sic sequeretur quod compositum substantiale ex illis maneret perpetuò, quod est falsum; sequela facta enim separatione ab invicem, adhuc manent secundum totam suam Entitatem absolutam, imò nunquam poterunt ab invicem separari, quia eadem unio esset illis essentialis. DICES Ultra Entitates absolutas materiæ et Formæ requiri indistantiam et approximationem earum; constituunt enim totum ut sunt unitæ, non verò ut per se, et solitariè ab invicem distantes existunt. CONTRA Illa approximatio et indistantia, vel importat aliquid REALE, ultra ipsam materiam et Formam, vel NIHIL. Si secundum ergo gratis requiritur. Si 1mum Ergo habetur intentum. Deinde potest DEUS conservare materiam et Formam intimè sibi præsentes, sine ullâ informatione, et potest Anima rationalis à corpore dissolvi, secundum informationem, et non secundum unionem Localem, in quo casu Anima non vivificaret corpus, nec hominem constitueret. Ergo ad ~~compositionem~~ constitutionem compositi præter indistantiam Localem, est superaddendus novus modus unionis substantialis. DICES: Quod dum dicitur materia cum Forma intimè coëxistens compositum constituere, id non debeat intelligi de materia nudè sumpta; sed habitè disposita, nam in hoc sensu Forma illi Localiter conjuncta, constituit compositum. CONTRA: Dispositiones in materia non sunt simpliciter necessariæ ad constitutionem compositi, imò de facto tales non mediant in ratione receptivi inter materiam et Formam, ut patet ex præcedente Theoremate, atque adeò potest saltem DEUS constituere compositum copulando Formam cum materia sine his dispositionibus. Ergo unio substantialis superaddit materiæ aliquid et Formæ cum indistantia et dispositionibus accidentalibus. Præterea

Præterea potest Deus adhuc conservare Animam corpori disposito intimè præsentem absque eo quod illi unificet. Ergo unio importat aliquid etc. Probatur 2do: Partes non constituunt totum nisi unitæ; sed non consistit unio in sola Entitate earum, sed necessariò aliquid eis superaddit. Consequent. si nihil superaddit. Ergo etiam antea erant unitæ. Probatur 3tio: Hâc horâ sint materia et forma non unitæ: Deinde sequenti horâ uniuntur: Quæro vel facta est in ipsis aliqua mutatio vel non? secundum dici non potest, quià aliàs eodem modo se haberent atque prius, id est, nunquam unitæ sicut prius non erant. Ergo Debet dici 1mum scilicet quod in illis facta est aliqua mutatio (quià non fit transitus de contradictorio in contradictorium sine mutatione illi proportionata; hic transitus fit realis et physicus, omninò fiet cum mutatione reali et physica) Sed mutatio non fit sine aquisitione alicujus de novo in re quæ dicitur mutari (quià mutari, est rem aliter se habere nunc quàm prius, non haberet autem aliter se res, si nihil prorsus sibi adderetur, vel detraheretur. Ergo quod est partes esse unitas, dicit aliquid super Entitates earum absolutas. OBJICIES: Si daretur unio media inter Formam et materiam. Ergo materia et Forma non erunt immediatè unitæ, et non constituent per se unum. Deinde ista unio vel præcedit Formam, vel est simul naturâ cum ea, vel incipit esse in subjecto, vel est posterior: 1mum et 2dum dici non potest, quià cum unio sit respectus, debet extrema præsupponere. Si ergo præsupponit Formam in Subjecto, tum ista unio prorsus erit superflua. Confirmatur: quià potest esse Forma in materia circumscriptâ quovis respectu. Ergo et sine ista unione, quæ est posterior et realiter distincta à materia et Forma. Ans: quià respectus est posterior materiâ et Forma, jam verò nullum posterius necessariò sequitur ad suum prius. RESPONDEO Neg. Conseq. quià unio non mediat inter extrema ut QUOD seu ut aliquid unitum, sed solum ut QUO, et ut res ut ratio Formalis uniendi, ideoque non tollit immediationem rerum, quæ per illam uniunt. Sicut dum oculus videt parietem, licet mediatè per visionem, tamen illum mediatè videt, quià visio non mediat, nisi ut ratio Formalis videndi. Ad 2dum dico quod unio supponat Formam in materia prioritate Naturæ, sicut universaliter Relatio supponit extrema: Sed quià in priori signo non dicunt unita, nisi fundamentaliter, ideò in posteriori signo resultat unio, in ratione cujus dicunt formaliter unita, Sicut à pari substantia in priori signo intelligitur existens et non subsistens, si fundamentaliter et radicaliter: In posteriori verò resultat in ea subsistentia, cujus ratione dicitur formaliter subsistens. Ad confirmationem dico Nec esse, nec cogitari posse Formam Subjecto formaliter unitam sine unione, et falsum est universaliter nullum posterius sequi necessariò ad suum prius, à quo realiter distinguitur, nam subsistentia sequitur Substantiam et Relatio extrema.

THEOREMA SEPTIMUM.

Unio Substantialis inter materiam et Formam est Entitas Prædicamentalis respectiva extrinsecus adveniens.

Quid sit mutatio.

est contra Murciam et recentiores. Probatur: Unio est Entitas respectiva Prædicamentalis et non respectus intrinsecus adveniens. Ergo est extrinsecus. Conseq. Quia respectus seu relatio est duplex, intrinsecus et extrinsecus adveniens. Ergo si unio est respectus et non intrinsecus quidem, sequitur quod sit extrinsecus adveniens. Antecedentis 1ma pars patet 1mo: Quia unio non est ad se sed ad aliud, et unio est unitorum unio. 2do Quia non est entitas absoluta; nam omne absolutum potest intelligi quidditative non cointellecto alio extrinseco: Sed implicat intelligere unionem Formæ ad materiam non intelligendo materiam et e contra. Ergo. 3tio: Non est Relatio transcendentalis. Ergo prædicamentalis. Ans: Omnis relatio, quæ suo fundamento accidit est Prædicamentalis (quia inter prædicamentalem & transcendentalem Relationem hæc est Differentia, quod prædicamentalis accidit subjectis, non autem transcendentalis) Sed unio accidit materiæ & Formæ non aliter quam paternitas Petro (ita enim accidit materiæ et Formæ esse unitam sicut accidit Petro esse patrem, et Paulo esse filium) Ergo. 2da Pars antecedentis probatur: Respectus intrinsecus adveniens sequitur necessario extrema posita inesse; Sed unio non sequitur necessario extrema posita inesse (quia potest DEUS materiam & Formam separatas conservare absque unione) Ergo Unio non est respectus intrinsecus adveniens. Dices: Si esset respectus prædicamentalis extrinsecus adveniens, tunc poneretur in aliquo prædicamento, et tamen in nullo videtur reponi. Respondeo Quod reponatur in Prædicamento HABITUS, quia unio est habitudo, qua subjectum dicitur habere Formam, et Formam haberi a Subjecto: Nam vero habitudo talis constituit prædicamentum habitus, ergo certe melius constituit unio Formæ ad Subjectum in prædicamento HABITUS quam in prædicamento Actionis vel Passionis, quia a passione v. g. calefactione passiva dicitur Subjectum calefactum: Sed ab unione caloris dicitur calidum, et in ista denominatione exprimitur sola receptio, non autem passio, quia cum passio sit adhuc hujus ab hoc, non dicit receptionem Formæ quocunque modo, sed tantum ut est in FIERI ex vi agentis. Obiicies 1mo Si esset respectus extrinsecus adveniens. Ergo Unio esset accidens: Atqui non est accidens (quia est substantia, compositum enim substantiale, exigit unionem, quæ sit modus quidam de genere substantiæ: Nam unio debet esse proportionata composito, quod ea mediante fieri debet: qualis enim est unio, tale est compositum ex ea resultans) Ergo. Confirmatur: Substantia non potest constitui in esse Substantiæ, nisi per entitatem Substantialem. Sed per unionem vere constituitur. Ergo unio ista vere erit substantia et modus Substantialis. R. Neg. minorem et ejus probationem. Ratio: Quia unio quæ exigit ad compositum substantiale dicitur Substantialis, non ideo, quia Formaliter dicat substantiam, aut modum substantialem de prædicamento Substantiæ; sed quia inter substantias intercedit sub rationibus formalibus substantialibus. Ad confirmationem dico Neg. minorem: quia unio solum præexigitur vel coexigitur, ut conditio necessaria ad constitutionem et conservationem compositi: unde neque dicimus compositum ex unione constitui vel constare; sed ex partibus; neque ex unione fieri

Respectus seu Relatio est duplex.

Differentia inter Prædicamentalem et Transcendentalem Relationem.

Unio 2[illegible]

fieri, sed per unionem qui dicendi modus indicat unionem esse vel causalitatem partium in or-
dine ad totum vel potius applicationem illius. Porrò nullum tale est de essentia effectus producti, licet
necessariò prærequiratur. Obiicies 2do: Ad Relationem non datur per se motus neque Actio: sed ad unio-
nem datur (quia unio propria Actione producitur) Ergo unio non est Relatio. Præterea compositum
Substantiale v.g. Arbor, Animal etc. est per se unum: sed si unio esset Relatio et quidem prædica-
mentalis, non esset unum per se sed tantum per Accidens (quia compositum est unum per unionem) ergo

Relatio est duplex.

unio non est relatio. Resp.: Distinguendo Majorem: Relatio est duplex: intrinsecus et extrinsecus adveni-
Licet ergo ad relationem intrinsecus advenientem non detur motus, tamen ad relationem extrinsecus ad-
venientem datur: Nam ubi est Relatio extrinsecus adveniens, et tamen ad ubi datur motus sicut ad Quan-
titatem et Qualitatem. Porrò unio est Relatio extrinsecus non autem intrinsecus adveniens.
Ad 2dum dico negando minorem et ejus probationem. Ratio: quia compositum non est per se unum non-

= per unionem verò.

citur per illam unionem, sed per propriam unitatem = materia et Forma dicuntur unitæ et quidem per
se, quia sub rationibus Substantialibus Actus et Potentiæ.

THEOREMA OCTAVUM

Unio in composito physico non est una, sed duæ, una ex parte materiæ, altera ex parte Formæ.

Est contra multos recentiores, qui unicam statuunt. Probatur 1mo: Inter duo alba duæ interce-
dunt similitudinis Relationes. Ergo etiam inter materiam et Formam duæ intercedunt uniones. Conse-
Quia ita unio est Relatio mutua, sicut similitudo, nam unio est relatio aut primi modi, quia in illo po-
nuntur omnes Relationes æquiparentiæ, quæ scilicet eodem nomine nominantur, ut simile, simili simile,
quo etiam modo unionis extrema denominari solent, ut unitum, unito, unitum: aut etiam secundi

Unio Formæ ad Subjectum dividitur in Activam et Passivam.

modi et probabilius quidem, quia informatio, quæ non est, nisi unio Formæ ad Subjectum, dividitur in acti-
vam et passivam, et unio illa, quæ tenet se ex parte Formæ, super potentiam informativam fundatur
et quasi causativam Formæ: Unio verò quæ tenet se ex parte materiæ, fundatur super potentiam pas-
sivam ejusdem. Ergo est Relatio mutua et per consequens, sicut inter duo alba duæ similitudines, ita
inter materiam et Formam duæ uniones, non autem una intercedit. Probatur 2do: Nulla est im-
cantia in hoc, quod materia fundet propriam unionem ad Formam, et è converso, nec ulla superfluit-
quia licet terminatio ad Formam unionis fundatæ in materia sufficiat, ut Forma dicatur extrinsecè il-
li unita, vel è contra: non tamen sufficit ad hoc ut dicatur ~~et dicatur~~ unita intrinsecè. Dices:
unio, licet sit in uno extremo subjectivè, tamen est in altero terminativè, non solum extrinsecè, ut
visio est in objecto, sed etiam intrinsecè, non quidem per inhæsionem, sed per adhæsionem. Contra: Hoc
fundamentum foditur: Nam modus iste essendi in alio per adhæsionem intrinsecè est purum figmentum: Om-
nis enim modus essendi intrinsecus unius rei cum alia ad unionem per informationem reducitur, quia denomina-
trinseca desumitur à Forma intrinseca: sed Forma non est extrinseca rei denominatæ nisi per informationem
~~reducit~~ et certè implicat in terminis, aliquid esse alicui intrinsecum in ratione termini, nam terminus ex sua na-

ratione formali est extrinsecus rei, quam terminat ut Locus rei locatæ et color visui. Objectio: In composito physico est tantum una unitas, ergo et inter partes erit una tantum unio. Consequentia: quià unio partium ad unitatem compositi ordinatur. Rdeo. Neg. conseq. non enim sunt unum et idem unitas & unio, sed inter se differunt: quià unitas importat negationem plurium: unio autem importat plura ad invicem unita. Deinde unitas pertinet ad compositum tanquam ejus propria passio: At verò unio pertinet ad partes tanquam earum nexus. Item unitas denominat compositum per se unum. Unio autem denominat partes per se unitas.

Unitas et unio differunt

Theorema Nonum

Unio non est de Essentia compositi; sed tantum conditio simpliciter necessaria, tam ad ejus constitutionem quam etiam conservationem.

Est contra Recentiores. Probatur 1mo: Respectus non est de Essentia Absoluti, nec Entitas absoluta constituitur intrinsecè in tali esse per respectum (quià esset simul ad se, et non ad se, quod implicat) Sed unio est respectus et compositum substantiale et Entitas absoluta. Ergo. minoris 1ma pars patet. 2da autem probatur per Theorema septimum. ~~2da autem probatur~~: Quià nemo unquam dixit naturam hominis vel equi esse relativam, et ex ipso conceptu hominis constat ipsum non esse ad aliud sed ad se: Et si dicatur hominem, equum vel alia composita substantialia esse entia relativa essentialiter, iam amplius non poterit assignari quænam Entia sint absoluta. Probatur 2do: Unio non est in composito, sed in partibus et partes denominat esse unitas non verò totum (nam totum potius dicitur unum ab unitate quæ ~~g~~ illud consequitur tanquam propria passio) Ergo. Confirmatur: Si unio esset de essentia compositi, vel intrinsecè ad ejus constitutionem spectaret, iam sic tria essent principia compositi in facto esse, nimirum materia, Forma et ista unio. Dices id non sequi eo, quod unio non concurrit ad constitutionem totius per modum partis; sed per modum nexus et vinculi earundem, iam vero nihil habet rationem principii in facto esse, nisi id quod concurrit per modum partis ad constitutionem compositi et ex quo dicitur constare compositum. Contra: Illud est principium in facto esse compositi, quod intrinsecè et essentialiter ipsum constituit, sive id sit per modum partis, sive alio modo. Ergo admittendo quod aliquid intrinsecè constituat compositum ultra materiam et Formam necessariò admittitur tertium principium cujus peculiaris modus principiandi in facto esse, erit per modum nexus et vinculi. Obiicies: Si unio non est de essentia compositi. Ergo est extra ejus Essentiam. Ergo potest existere ejus essentia absque unione, quod certè est falsum, quià sic deberet illa essentia esse simplex, quod dici non potest. Confirmatur: Compositum et Unitum sunt formaliter idem. Sed unio est de essentia uniti, sicut albedo est de essentia albi. Ergo unio erit quoquè de essentia compositi. Deinde materia et Forma sunt de Essentia compositi, et quidem ut unitæ non autem ut separatæ (quià separatæ destruunt, non autem constituunt compositum) Ergo. Conseq. Quià partes unitæ et unio partium non differunt nisi sicut concretum et abstractum. Respondeo Nego 2dam consequentiam, 1mam autem Concedo. Licet enim unio non sit de Essentia compositi, tamen est conditio necessariò simpliciter requisita tam ad constitutionem compositi, quam ad ejus conservationem, quod sufficit, ne unquam dari possit compositum nec concipi divisivè absque partium unione. Ad 1mam confirmationem Dico negando majorem. Quià sicut unio et unitas non sunt idem, ita unum et unitum. vide objectionem præcedentis Theorematis. Ad 2dam confirmationem distinguo Ans: materia et Forma ut unitæ, sunt de Essentia compositi, si particula ista (ut) sumitur specificative

specificativè; non autem de essentia si sumitur reduplicativè. Porrò sumendo eam specificativè, patet ... lere. Conseq. Sicut nec valet arguendo sic: (Voluntas non fertur in objectum, nisi ut cognitum. Ergo cogn... de essentia actus volendi) Quia ly (UT) hoc loco sumitur specificativè, et cognitio non est ratio volitionis ... tum conditio sine quâ non: quia volitio non potest produci à voluntate nisi circa objectum cognitum, ... illud nihil est volitum, nisi præcognitum. Similiter (causæ intrinsecæ non causant, nisi ut approximatæ. ... approximatio est de essentia effectus producti, vel ipsarum causarum ut producentium) non valet argue... bis: quod unio non sit conditio sine qua non. Conditio non concurrit ad Effectum, sed requiritur ut aliud ... pium concurrat ad illud producendum: At unio ipsa immediatè concurrit ad constitutionem ... compositi, materia verò et Forma non concurrunt nisi mediatè quatenus scilicet concurrunt ad hanc ... Ergo non est conditio sine quâ non. RESPONDEO Negando minorem quia materia et Forma sunt quæ ... constituunt totum immediatè et unio non est illis ratio causandi vel causalitas ipsa; sed applicatio ... salitatis ipsarum, sicut approximatio est applicatio causalitatis in causis extrinsecis, et nihil habet ... aliud nisi quia ipsæ causæ ad causandum sunt applicatæ.

CONTROVERSIA SEXTA DE PRIVATIONE.

Tertium rerum Naturalium Principium in Fieri est Privatio, et ea quidem propriè accepta, cujus difficultates (neque enim earum est expers) alio in loco erunt solvendæ, unicâ exceptâ, quam hic statim declarare decrevimus.

THEOREMATA OCTO.

1mum: Privatio quatenus est negatio Formæ, non est Ens Rationis, sed datur à parte rei in subjecto nullo cogitante intellectu. 2dum: Privatio in Recto et pro Formali importat negationem: pro connotato verò et obliquo, dicit aptitudinem in Subjecto. 3tium: Privatio realiter à subjecto distinguitur distinctione Reali privativâ. 4tum: privatio immediatè opponitur Formæ, non autem suæ privationi, v. g. cæcitas immediatè opponitur visui, non autem privationi cæcitatis. 5tum: Privatio per solam Formam sibi oppositam positivè, vel ‡ per aliam superiorem virtualiter illam continentem tollitur à subjecto. 6tum: In eodem subjecto nec sunt plures privationes ejusdem Formæ, nec una privatio omnium Formarum: sed tot privationes præcisè et adæquatè quot Formæ possibiles haberi in illo Subjecto. 7timum: Privatio non potest dici principium generationis per modum termini à quo, nisi in materia præcedat tempore ipsam Formam.

‡ per

Horum Theorematum hoc loco supponimus veritatem quamquam ultimi declaratio potest innotescere ex sequenti Theoremate.

THEOREMA OCTAVUM.

Privatio principiat mutationem, seu exercet Actum principiandi tunc, quandò ipsa privatio non est.

Notandum 1mum. Dictum 1mum: Ut privatio dicatur Principium Generationis per modum termini à quo sicut locutus est Philosophus 1. Physicorum, non sufficit prioritas naturæ Negativa privationis ad Formam, imò ... positiva per modum negationis extra subjectum: neque etiam prioritas naturalis materiæ ad Formam, sed requiritur prioritas durationis, hoc est debet privatio in materia præcedere duratione ipsam Formam, alias fieret ... generatio

generatio sed non cum mutatione, quià generatio in ratione mutationis non solet esse, nisi privatio in subiectivo sit prius duratione quàm Forma. Undè quià in corporibus coelestibus et Elementis dum ab initio mundi sunt creata, non praecessit ‡ ipsam Formam materia, ideò ibi non fuit generatio in ratione mutationis, neque privatio ibi fuit principium, quià illa generatio ibi fuit principium, quià illa generatio non fuit in ratione mutationis. Dictum 2dum: Generatio et creatio non solum differunt ex parte subiecti sed etiam ex termino A QUO: quià terminus A QUO generationis, est negatio ~~extra genus~~ ‡. Dictum 3tium: Sine subiecto non salvatur vera privatio, nec terminus A QUO generationis prout differt à creatione: Licet enim privatio concurrat ad generationem, ratione negationis, tamen necessariò et intrinsecè, quatenus est principium generationis à creatione distincta, petit subiectum in quo sit, ita ut eodeficiente nec amplius dicatur privatio, nec principium generationis sed tantum creationis. Notandum 2dum Dictum 1: Negatio quae connotat subiectum possibile, non verò Actu existens, non potest verè et propriè dici privatio: quià privatio est negatio in genere, jam verò negatio in genere ideo dicitur, quià in Ente existente & rato reperitur, non autem solum possibile. Dictum 2: Generatio rei naturalis potest considerari, aut in ratione mutationis, aut in ratione productionis. Undè quandò Philosophus assignat ipsius principia, loquitur de ea in ratione mutationis, non autem ut sic, id est, prout à quacunque acceptione particulari praescindit. Dictum 3: Si materia non praecederet Formam duratione, et fieret generatio, tunc quamvis illa Forma ab Agente naturali produceretur, tunc generatio illa, non diceretur naturalis ratione modi, quià non fieret ordinario et naturali modo, qui est cum interventu mutationis materiâ praecedente Formam duratione, sed tantum diceretur naturalis ratione Agentis et ratione subiecti intervenientis. Dictum 4: Privatio principiat generationem per suum ESSE, per illud enim privatio habet rationem principiandi per modum termini à QUO, per quod opponitur Formae, et excludit terminum AD QUEM, hoc autem facit per suum ESSE, non verò per ipsum non esse. Dictum 5: Privatio principiat generationem per suum ESSE, non quomodocunque sed per suum esse recedens, quatenus nempe aufertur et tollitur. Dictum 6: Licet Privatio impediat generationem per suum esse permanens, tamen per suum esse recedens confert ad eam, et est principium eius per modum termini A QUO. Dictum 7: Privatio quantum est ex parte sua, concurrit ad generationem ratione negationis tantum, quià ratione negationis opponitur Formae, et est ipsi incompossibilis, non autem ratione aptitudinis quae per adventum Formae non tollitur à Subiecto, & ~~sed~~ subiectum non transit ex aptitudine ad Formam; sed ex non esse Formae ad esse Formae: imò aptitudo Subiecti in generatione, tenet se potius ex parte Principii materialis. Dictum 8: Privatio non est de ratione generationis, nec est ipsius principium prout generatio in ratione productionis consideratur, sed tantum prout in ratione mutationis spectatur. Porrò generatio in ratione productionis illa esset dicenda quae fieret materia non praecedente Formam duratione.

‡ duratione

‡ in genere et in Subiecto. Terminus autem A QUO creationis est negatio extra genus. Dictum etc.

PROBATIO THEOREMATIS.

Ratio 1ma: Quod principiat per modum termini A QUO privativi, principiat quandò non est (quià principiare per modum termini à QUO privativi est principiare, tanquam à termino à quo destructo) sed privatio principiat mutationem per modum termini A QUO privativi. Ergo Principiat quandò non est, non autem quandò est. Ratio 2da: Tunc Privatio principiat mutationem, quandò ~~non~~ Actu est ipsa mutatio (quià Actu principiare et actu principiari sunt correlativa, nec unum potest esse absque alio) sed quandò Actu est mutatio, non est tunc privatio. Ergo privatio principiat quandò non est. Minor: Quandò est mutatio, est etiam tunc Forma quae acquiritur (nam Subiectum mutari est aliter se habere nunc, quàm prius per novam Formam) sed quandò est Forma, non est tunc eius privatio alias eadem res, simul esset et non esset, quod implicat). Ergo. Dices: Formam et privationem non posse quidem esse

posse quidem simul in eodem Subjecto permanenter, et in esse quieto: posse tamen esse simul transeunter id est Formam in fieri posse esse simul cum privatione in corrumpi. Contra: Esse in Fieri dicit esse, et esse in corrūpi dicit quoq̄ esse. Ergo Forma in fieri et privatio ipsius in corrumpi seu in recedere non possunt esse simul. Conseq. quia si adhuc verificaretur contradictio scili: eandem Formam simul esse, et non esse (idem enim est esse privationis et non esse Formae) Dices: Hanc contradictionem posse evitari per diversa signa natura in eodem instanti temporis inclusa, ita ut privatio detur in priori signo natura, et in posteriori forma. Sed contra: Per haec signa diversa natura non posse tolli contradictionem, probatur: quia etiam hoc modo sequitur contradictio scil. in eodem instanti temporis eandem Formam simul esse et non esse. Sequela [illegible] Nam contradictio ista (Formam esse et non esse in eodem instanti temporis) non refertur ad instans natura, sed ad instans durationis: quia existentia rei non mensuratur per instans natura, sed solum per instans temporis: Quando enim unum est prius natura quam aliud, tunc illud quod est prius natura non existit in aliquo instanti, in quo non existat posterius, sed ambo, tam prius quam posterius simul existunt in eodem instanti. Unde licet homo prior sit natura, quam risibilitas, sicut universaliter quodlibet subjectum est prius natura quam sua passio, non tamen homo est in aliquo instanti in quo non sit, vel non existat risibilitas licet verum sit quod in aliquo instanti intelligitur homo, in quo non intelligitur risibilitas.

Objectiones et solutio earum.

Objectio 1ma (Privatio non principiat tunc quando non est, sed tantum tunc quando est) Probatur 1mo: Quia alias sequeretur pari ratione mutationem posse principiari a privatione, quando ipsa mutatio non est. Consequens falsum. Ergo et Ans: Sequela quia non est major ratio de uno quam de altero. Falsitas: Nam si fundaret relationem Actualem realem, prius quam suam haberet existentiam quod est falsum. (Quia in eo, quod non est, nulla potest fundari Relatio realis) Confirmatur 1mo: Nullum principium potest principiare quando non est, principio enim non existente, impossibile est fieri principiationem) Sed privatio est principium. Ergo. Confirmatur 2do: Effectus in Actu, cujus esse consistit in fieri, supponit causam et principium in Actu. Sed generatio est effectus, cujus esse consistit in fieri. Ergo suum principiū supponit esse in Actu, atq̄ sic, si privatio est principium generationis, omnino debet esse in Actu et per consequens debet principiare quando est. Confirmatur 3tio: Majorem habet connexionem (ly principiare) cum principiante quam cum principiato. Sed non potest esse ly (principiare) absq̄ principiato. Ergo multo magis absq̄ principiante. Sed privatio est principium. Ergo sine ea ly (principiare) seu principiatio) esse non potest. RESPONDETUR Neg. Sequelam: quia non est par ratio. Privatio enim principiat mutationē ut terminus a quo, de cujus ratione est ut praexistiterit et habuerit suam existentiam immediatē ante mutationem, mutatio verò principiat non ut terminus a quo sed ut realis transitus a termino A quo ad terminum Ad quem. Principiari autem transitum nihil est aliud, quam ipsum incipere esse, et consequenter mutatio nisi sit et existat, non potest principiari. Ad 1mam confirmationem dico [illegible] gando principium, est enim duplex. Aliud positivè influit in principiatum. Aliud quod tantum negativè concurrit et est terminus A QUO: Vera est major de primo, non autem de secundo: imò de ratione [illegible]

Principium est duplex.

principii est quod tunc auferatur, et primo non sit, quia aliam rationem principiandi non habet, nisi hanc ut praecedat immediatè mutationem, et ideò non principiat coëxistendo ~~non habet nisi hanc~~ cum re principiata, sed immediatè antea praecedendo. Ad 2dam et 3tiam confirmationem dico quod aliud sit loqui de privatione secundum esse privationis: et aliud secundum esse principii, quamvis ergo tunc, quandò generatio est, non sit privatio secundum esse privationis, immediatè enim ante instans generationis evanuit: benè tamen est privatio in ratione Principii, nec valet si dicas (privatio tunc non est, ergo non potest esse principium) valeret si privatio principiaret per suum esse, quatenus permanet, et si sup illud esse quatenus tale, id est, quatenus est permanens, fundaret Relatio principii, at non est ita, quia non principiat p ~~~~ suum esse permanens, sed per esse immediatè recedens, principiat enim per modum termini A QUO, id est A QUO destructo et corrupto, et talis ratio Principiandi non potest concipi, quod adfundet super privationem, nisi quandò primo non est, et antea immediatè fuit. Probatur 2do eadem objectio: Privatio principiat per suum esse, non verò per suū non esse, ut patet ex 2do Notando. Ergo Principiat quā est, non autem Quandò non est. Confirmatur 1mo: Tunc principiat privatio, quandò à Forma expellit. Sed expellens et expulsum debent simul existere in pugna, et expulsum debet esse, dum expellit. ergo est. Confirmatur 2do: Privatio principiat, dum recedit, et dum ab ea transit subjectum ad Formam. Sed id, quod recedit debet esse, et terminus A QUO quis recessit, non enim benè quis diceret recedere ab urbe quae non est. Rdet: Negando consequentiam. Ratio quia aliud est quaerere, per quid privatio principiet: et aliud quandò principiet: principiat enim per suum esse. ~~~~~~~~~~, sed quia principiat per illud quatenus tollit, ideò dicitur principiare, ut immediatè praecedens ~~~ et quatenus 1mo non est. Ad confirmationem 1mam Dico quod Forma non expellat privationem per aliquam Actionem, quam in illam exerceat, vel aliquo contactu, sicut quandò clavus trudit clavum, nam in hoc sensu utique oporteret esse simul expellens et expulsum. Sed expellit illam p Formalem sui in Subjecto positionem: Forma enim collocando se in Subjecto expellit privationem in eodem instanti, ita, ut cum primo ponit Forma, tunc primo tollit privatio, hoc autem benè intelligitur si dicat, post ipsam privationem, sequi immediatè Formam in subjecto, nec est necesse utramque simul esse. Ad 2dam confirmationem Nego minorē: quia recedere, non est esse, sed fuisse: cum ergo privatio recedat tunc, quandò mutatio principiat, consequēter privatio tunc non est, sed immediatè antea fuit, adeò quod idem instans mensurans primum esse generationis, mensurat etiam primū non esse privationis, et generationi intrinsecum est, privationi autem extrinsecum, et sic, cum primo est mutatio seu generatio, tunc primo non est privatio, et in hoc sensu potest fieri transitus à termino non existente, tunc scilicet quandò primo non existit et verè quis diceret ab aliqua urbe discedere si urbs antea immediatè fuisset. OBIECTIO 3TIA (Privatio nullo modo potest constitui principium generationis) Probatur: In Actuali exercitio Generationis terminus A QUO recedit. Ergo privatio non potest esse ejus principium per modum termini A QUO. Consequētia: quia 1 Physicorum dicit de ratione principii esse ut maneat semper in generatione. Confirmatur: Quia alias generatio

generatio deberet ab illa dependere (quià principiatum dependet à principio) Atqui mutatio non p[otest] dependere à privatione (quia Ens non potest dependere à Non Ente) Sed privatio intrinseca est [non] Ens, quià est negatio, generatio verò est Ens. Ergo Privatio non est principium generationis. R[espondeo] Conseq. Authoritas Filosophi dicit, principia semper manere, non quià sint æterna, vel quod in re[gene]ra[]ta singula debeant remanere, sed quià ad quamlibet generationem in ratione mutationis accep[tam] omnia concurrūt in quo sensu potest dici, et debet privatio in omni generatione permanere. [Con]sequentiam dico generationem posse pendere à privatione et non Ente, tanquam à termino A QUO [for]maliter extrinseco, ita tamen, ut ad illam dicat ordinem essentialem, quomodo in simili cognitio [] habetur de negationibq, dependet terminativè à non Ente scilic: ab ipsis negationibq. Et cùm dicis En[s] non posse dependere à non Ente, concedo verum esse in hoc sensū quià scilic: non potest intrinsecè ex no[n] Ente componi, neque ab illo recipere ESSE per verum et positivū influxum, potest tamen dependere ex[]trinsecè et determinativè, tanquam à termino A QUO, qui solum negativè concurrit, non autem po[siti]vè. Sed Instabis adhuc sic: Principium quatenq Principium est Ens, et quidem Reale, et est principia[to] nobiliq et dicit realationem ad principiatum. Porrò Relatio, quæ ~~[]~~ est Ens, non potest fundari in non En[te]. Sed privatio non est Ens, neq est nobilior principiato scilic: ipsā mutatione. Ergo in privatione non pot[est] fundari Relatio principii, et per consequens privatio non potest dici principium. RESPONDEO: Conc[edo] quod principium, quatenus principium dicat Relationem ad principiatum: Sed Nego quod hæc Rela[] tio, quam dicit principium importet semper aliquam ~~Relationem~~ Entitatem realem; non enim est de ratione Principii, ut distinguitur à causa, quod influat in rem, cujq dicitur esse principium rea[] liter et positivè, sed sufficit, ut ad illud habeat principiatum necessariam et per se habitudinem, talē autem utiq habet generatio ad privationem, quià intrinsecè respicit eam, tanquam terminum à quo necessariò procedit. Undè à parte rei secluso opere intellectq, nullq ordo principii fundat in privatione [sed] tantum mera terminatio ordinis, quem fundat in se ~~termi~~ generatio ad illam, et hæc terminatio su[f]ficit ut verè dicat principium generationis à parte rei nullo cogitante intellectū. Concedo quoq prin[] cipium esse nobiliq principiato Reduplicativè loquendo in ratione principii, quià in hoc sensu termina[t] habitudinem principiati, et ita potest dici privatio esse nobilior generatione; sed non semper est verum Specificativè, alias materia, quæ est principiū compositi, deberet ēē nobilior composito et universali[]ter pars toto.

CONTROVERSIA SEPTIMA.

DE NATURA.

Priusquā ad Affectiones seu Proprietates communes corporis Naturalis, ut sunt: Locq, Tempq, et motq ac[] cesserimq, Definitionem Naturæ et Distinctionem ejq ab Arte in hac controversia breviter exponemq, considerando eam ut est principium operationum, quæ naturaliter ipsam rem concomitant.

THEOREMA PRIMUM.

Hæc Definitio Aristotelica (Natura est Principium et causa motus et Quietis, in quo est primo, perse; et non secundū Accidens) est optimè assignata.

Natura multiplex Acceptio.

Notandum: Natura multipliciter accipitur. 1mo quasi COLLECTIVÈ pro tota entium universalitate, hâc acceptione utimur dum dicimus aliquid esse in Rerum Naturâ. 2do pro IPSO DEO GLORIOSO, qui ab aliis vocatur Natura naturans, à Divo autem Augustino dicitur Natura Creatrix. 3tio pro TOTA CAUSARUM CREATArum SERIE secundum naturam operantium, sic accipitur in his dictis: (Natura nihil facit superfluum. Item natura non deficit in necessariis. Natura vacuum refugit. Item: Natura optimum facit quod potest. Item: Opus miraculorū excedit vires Naturæ) 4to pro AGENTE absq̄ CONSILIO, Electione et Libertate, ut sunt bruta, planta et omnia inanimata. 5to pro GENERATIONE VIVENTIUM quæ vocatur nativitas: nam natura dicitur à nascendo. 6to pro Ratione et proprio conceptū cuiuslibet Entis,* realis aut rationis Naturam. 7imo magis presse accipitur pro vera et Reali quidditate, ratione cujus Definitio dicitur naturam rei explicare, et in hâc acceptione duo obit munera 1mum ut constituat corpus seu compositum naturale essentialiter, id est, ut sit principium rei naturalis in facto esse, et sic dividitur in materiam et Formam, soletque dici Essentia et Quidditas. 2dum munus est ut sit principiū operationum connaturalium illi rei, cujus est Natura, et hoc modo Specialiter vocatur Natura, atq̄ in hâc acceptione speciali, in hâc controversia loquemur de illa.

* Sive sit realis, sive rationis: undè solemus dicere hoc vel illum esse entis realis aut etc.

Probatio Theorematis.

Probatur 1mo Authoritate: quia hanc Definitionem ipsemet Philosophus tradidit, et omnes Philosophi ut benè assignata receperunt. Ergo Hæc Definitio est optima. Probatur 2do: Ratione: Quia omnis Definitio, quæ constat Genere et Differentiâ est optima: Sed ista est talis. Ergo. Minor patet declarando singulas partes hujus Definitionis: nam (ly principium et causa) ponunt pro genere. Porrò istud ly (principium et causa) pro eodem sumuntur hic: et (ly causa) apponitur claritatis gratiâ. Aliæ verò particulæ pro Differentia apponunt, quarum hanc accipe declarationem: Particula ista (MOTUS) dupliciter potest sumi. 1mo strictè, prout à mutatione propriè dicta distinguitur, et sic denotat motum Accidentalem, cujus tres sunt species: Augmentatio, Alteratio et motus localis, quarum prima ad Quantitatem, 2da ad Qualitatem, 3tia ad UBI terminatur. Mutatio verò propriè sumpta erit tantum ad Substantiam, sive hæc fiat in instanti, sive successivè, qualis est Substantialis Generatio et Nutritio. 2do: Amplè prout est communis ad mutationem substantialem et accidentalem. QUÆRES nam quomodo, an 1mo an 2do in hac Definitione sumatur motus? RESPONDEO per distinctionem. Vel enim ista Definitio spectat secundum se, vel secundum intentionem Philosophi. Si secundum se spectet, tunc dico motum hic sumi secundo modo scilicet Amplè, potest enim convenire etiam ipsi materiæ primæ, ita, ut materia prima dicatur habens Naturam: nam mutatio Substantialis acquisita, verè est juxta propensionē materiæ, quæ ipsa ad Formas naturaliter inclinatur. Si verò ista Definitio spectet secundum intentionem Philosophi, tunc dico motum hic sumi primo modo scil: pro motu accidentali, quia Aristoteles consideravit naturam ut

Particula motus duplex acceptio.

est

est principium totius compositi et in ordine ad corpus, quod constituit, et istud propriè dicitur habens Naturam. Natura ergo erit principium Augmentationis quandò scil: vivens augetur. Item Alterationis cùm res acquirit Qualitatem sibi consentaneam. Item motus Localis, ut, dum lapis tendit deorsum, et ignis sursum: Porrò quod haec sit Philosophi intentio, potest colligi ex ipsis exemplis, quae 2 Physicorum afferuntur. Notes: adhuc dupliciter accipi motum. 1mo Formaliter et sic dicit novam acquisitionem alicujus Formae. 2do Materialiter, et sic significat, Formam fluentem, et ut actualiter acquiritur, quae Forma fluens, non solum potest dici motus materialiter; sed etiam potest vocari Actio et Passio ex 3 Physicorum t. 16. In Definitione hac Naturae scias motum accipi, non Formaliter; sed tantum materialiter, quomodo tam Activum, quàm Passivum respicit Principium. Particula (QUIETIS) potest

Particula Quietis potest sumi dupliciter.

quoque sumi dupliciter: 1mo Formaliter et Privativè, scilicet pro carentia et privatione motus. 2do materialiter et positivè, pro Forma in ESSE quieto, et hoc modo adhuc dupliciter, vel prout est in termino A QUO, et sic opponitur motui determinatè naturali, nam quies violenta toti composito destruitur motu, et per motum amittitur: Vel prout est in termino AD QUEM, et haec non opponitur motui, imò per ipsum acquiritur, et huic motus subordinatur. In Definitione autem istâ Naturae ly (Quies) non sumitur Formaliter et Privativè, quià non videtur ponendum aliquod Principium per se ordinatum praecisè ad aliquam negationem; sed accipitur positivè, non quidem in termino A QUO, sed in termino AD QUEM, et hoc ideò, quià subordinatorum, idem est Principium, et sicut motus aliquandò sumitur pro motu in communi, aliquandò etiam pro motu in speciali et accidentali. Item aliquandò pro Emanatione et resultantia passionum et Qualitatum naturaliter res ipsas consequentium, sic quoque de Quiete, quae est terminus acquisitivus per motum est dicendum quod scili: possit sumi aut pro termino motus in communi, aut pro termino motus Accidentalis tantum, aut pro termino Emanationis seu ebullitionis, sive hic sit passio, sive Qualitas connaturalis. Natura enim maximè pro quidditate, ut est principium affectionum accipi solet; hinc patere potest quod sit dicendum ad illam rationem quae probat, quod idem non possit esse causa contrariorum, cujusmodi sunt motus et Quies, quia Quies, cujus Principium est natura, non est opposita motui; sed potius est terminus AD QUEM ipsius. Particula (IN QUO EST) additur ad significandum, quod natura est principium motus ejus in quo est, non solùm ipsa natura, sed etiam motus ipse, quià natura est principium motus immanentis, non transeuntis secundum Physicam considerationem. Particula (PRIMO) potest exponi; aut quatenus ab instrumentali principio distinguitur et significat principale, quomodo tam Activo immanenti, quàm passivo convenit, aut etiam quatenus secundario Principio opponitur, quo sensu Activum non erit Natura, quià licet sit principium non instrumentale, sed principale, tamen est secundario. Particula (PER SE NON SECUNDUM ACCID

Accidens) addit ut denotet naturam intrinsecè et essentialiter, convenire rei naturali, vel quod res Naturalis dicat moveri per se, et quatenus ipsa, ut cum grave quatenus grave descendit deorsum, non per aliquod accidens conjunctum, ut grave per accidens descendit, quatenus album. Obiicies contra prædictam Definitionem arguendo 1mo Natura ut sic non potest definiri. Ergo ista Definitio non potest dici bona. Ans: Quod habet Definitionem debet habere naturam et essentiam, per illam Definitionem explicabilem: Sed Natura non habet naturam, aut Essentiam sed est ipsa Essentia (alias daretur processus in infinitum) Ergo non potest habere Definitionem, et per consequens non potest definiri. Item 2do: Ista Definitio continet multa superflua (Nam lÿ Principium includitur in causa, et lÿ non secundum Accidens includitur in Per se. Ergo Non est bona. Item 3tio: Definitio, quæ competit aliis à Definito, non est bona: Sed ista Definitio competit aliis (nam Artificialia habent Principium motus internum, et tamen non habent Naturam, ut patet in horologiis, et Ars saltandi, est principium motus ejus in quo est, et tamen non est natura ipsa Ars saltandi) Item 4to: Natura nullo modo est Principium. Ergo in Definitione malè ponitur pro Genere Principium, et consequenter ista Definitio non erit bona. Ans: Quia ratio Naturæ est essentialis rebus naturalibus. Ergo. minor: Quia quod est Essentiale, est de essentia ejus, cui est essentiale. Minor: Quia res Naturales seu habentes naturam, sunt Entia absoluta, principium verò est quid Relativum ad principiatum. Ergo non est de Essentia earum. Conseq. ista ultima patet: quia Relatio seu respectus non est de essentia illius absoluti. RESPONDEO Neg. Ans: et probationem Disting. Quia Natura sumitur 2pliciter. 1mo Ut est terminus ultimâ abstractione abstractus, et sic dicit rationem formalem Hominis: hæc ratio Formalis Naturæ est esse principium motus et Quietis, et in hoc sensu non potest definiri, quia Definitio est concretorum, quæ per modum habentium concipiuntur, talia verò abstracta, cum neque pro Subjectis, neque pro fundamentis, neque pro inferioribus supponant, non habent rationem concreti, sed potius sunt ipsa essentia, solum possunt habere quosdam conceptus explicantes distinctè et explicitè istas quidditates. 2do modo sumitur ut quoddam concretum concernens hanc vel illam Naturam, tanquam inferiora convenientia in hoc communi conceptu Naturæ, et hoc modo est Definibile, quia natura ut sic, dicit communem conceptum omnibus Naturis, cujus rei potest haberi exemplum: Humanitas & homo, humanitas enim non Definitur cum sit abstractum, sed tantum homo: neque per terminos ultimatè abstractos definitur scilicet per Animalitatem et rationalitatem, sed per terminos concretos, videlicet quod sit animal rationale; sic Natura dicitur Principium, non principiatio, neque sequitur processus in infinitum quia Natura ultimatè abstracta, non concipitur ut habens Naturam; sed ut ipsa Ratio Naturæ. Ad 2dum Dico lÿ (Principium) non esse superfluum, quia ponitur ut declaret quomodo, Natura sit causa, nam causa communiter in ordine ad compositum sumitur, quod propriè dicitur causari: At Natura ut sic, respicit operationes quarum est principium: Lÿ (non secundum accidens) ponitur ad majorem declarationem, et ideò non superfluit. Ad 3tium Dico, quod Artificialia ut talia, non habent per se principium internum et primariò, sed ratione alicujus Entis naturalis, quod in se includunt

Marginal notes:

Ergo est de essentia principium est essentiale rebus naturalibus

⊕ Sed principium non est essentiale rebus naturalibus.

per naturæ, sicut humanitas dicit quoque rationem formalem hominis etc.

includunt, præcipuè, quia Artificiale non est unum per se, nec per se ut tale movetur, neq motus ini[illegible] gio est naturalis, sed Artificialis. Ars quoque non est principium motus in saltu, sed tantum modificationis [illegible] motus, neq per se est in Artifice. Ad 4tum dico: Principium sumi dupliciter. 1mo Formaliter, et [illegible] dicit Relationem Principii. 2do Fundamentaliter ut significat fundamentum talis relationis. Pri[illegible] modo non est de Essentia rei, et est quid Relativum: At 2do modo dicit Entitatem illam respectum [prin]cipii in se fundantem, quæ Entitas et quidditas rei et quid absolutum: Quod verò in Definitione Na[tu]ræ, principium materialiter seu fundamentaliter potius quam formaliter accipi debeat potest [illegible] 1mo quia intentum Philosophi est hic aperire rationem Formalem, quæ constituit corpus naturale in [ob]jecti Philosophiæ, quæ ratio est ipsa naturalitas fundamentaliter accepta. 2do Quia sic dicendo [fa]cilè salvamus istam Naturæ Definitionem esse Essentialem, quam non possemus salvare dicendo princi[pium] hic accipi Formaliter; quia respectus non est de essentia absoluti.

Motus in ordine ad Subjectum est triplex.

THEOREMA SECUNDUM.

Natura non dicitur Principium motus violenti aut neutri, sed tantum Naturalis.

NOTES Motum in ordine ad subjectum triplicem esse: Naturalem quæ est juxta inclinationem Subjecti: Violentum, qui est contra inclinationem subjecti ut calefactio in aquâ et neutrum qui [ad] subjectum nec repugnantiam, nec inclinationem dicit v. g. dealbatio in pariete.

Probatio Theorematis.

Ratio 1ma: Quia alias nullus motus esset violentus vel neuter, sed omnis esset naturalis, quod est falsum. Sequela: quia ille motus est Naturalis, qui à natura tanquam à Principio provenit. Sed omnis motus proveniret à Natura tanquam à Principio. Ergo. Dices: Naturam hic sumi ut opponitur Arti, in Divisione autem, quâ motus dicitur Naturalis, sumitur tantum ut opponitur violento. Contra: Philosophus hic agit de Natura in utroque sensu, ut scil: opponitur Arti et violento. Ergo Ansi[illegible] Sumsit naturalitatem corporis in communi, prout est communis ad naturalitatem, horum et illorum corporum, sicut enim non tantum corpus in communi considerat Philosophus, sed etiam corpora in speciali secundum proprias rationes Specificas, sic non solum naturalitas in communi, sed etiam naturalita[tes] specificæ sub illâ communi contentæ, quæ sunt rationes Specificæ corporum in speciali, sunt rationes [for]males, pertinentes ad objectum Formale Philosophiæ. Ergo sicut naturalitates corporum simplicium [illegible] ut adversant violento: ita Naturalitas in communi, sub tali consideratione sumitur à Philosopho. Ratio 2da Quia alias sequeretur calefactionem aquæ esse naturalem, et motum terræ sursum, quod est contra [Phi]losophiam. Dices Aquam dupliciter posse sumi. 1mo ut corpus naturale in communi, et hoc modo [convenit] illi naturalis calefactio, sicut naturale corpori in communi, et sic calefieri. 2do ut tale corpus natura[le] et sic violenter calefactio convenit aquæ. Sed contra 1. Quod convenit superiori, convenit quoque in[fe]riori (quia quandò aliquid prædicatur de alio, tanquam de suo proprio Subjecto, tunc quicquid dicitur de prædicato, debet quoque dici de Subjecto) Ergo si corpori in communi convenit habere inclinationem ad omne accidens, sequeretur quodlibet corpus in particulari, talem habere debere proprietatem et aptitudinem. Item 2: Non [tan]tum motus in particulari dividitur in Naturalem et violentum, sed etiam motus in communi, sicut enim [illegible]

Principium sumitur dupliciter.

Aqua dupliciter potest sumi.

ab hoc et illo motu naturali, in particulari abstrahitur ratio motus naturalis in communi, competens immediatè corpori Naturali in communi, ita ab hoc et illo motu violento in particulari ratio motus violenti in communi debet abstrahi, qui motus non potest convenire corpori naturali in communi, ut est naturale, quià sicut natura in particulari est principium tantum motus naturalis in particulari, et non oppositi motus, ut concedis de calefactione respectu Aquæ: ita natura in communi ~~est~~ erit principium naturalis motus in communi, et non oppositi motus scil: violenti. Ergo Corpus Naturale in communi ut sic, non respicit quemcunque motum, sed tantum naturalem. <u>Obiicies</u> probando Naturam cujuslibet motus esse principium. <u>Imo</u> Idem est Ens Naturale ac Ens mobile (statim enim ut aliquod Ens intelligitur ex materia et Forma compositum, concipitur quoque ut capax motus) Sed Ens mobile dicit Ens quod est capax cujuslibet motus seu naturalis seu violenti (Sicut enim Ens naturale in communi abstrahit à ratione particularium Entium: ita motus conveniens Enti naturali in communi, debet abstrahere à rationibus particularibus motuum) Ergo et Ens Naturale dicit quoque Ens capax cujuslibet motus.[‡] <u>Item 2do</u>: Natura est principium omnium passionum quæ in secundo modo perseitatis Enti naturali conveniunt: Sed mera capacitas cujuslibet accidentis quæ inest corpori naturali est passio consequens ipsum corpus et in secundo modo illi competit. Ergo Natura ut natura est principium illius capacitatis. Ergo etiam erit principium Actuum quibus talis capacitas actuatur, tales sunt motus violenti et neutri. Ergo istorum motuum natura erit principium. <u>Hæc consequentia patet</u>: Quià Actus cujuslibet passionis et potentialitatis naturaliter convenire dicitur rei talem passionem habenti. <u>Item 3tio</u> motus lapidis sursum est sensibilis et extensus. Ergo pertinet ad Ens naturale, non potest autem pertinere ad ipsum, nisi, quatenus Actus potentiæ talis Entis. Ergo Ens naturale, verè illum motum respicit. <u>Item 4to</u>: Lapis ut movetur sursum differt à mathematicis et Artefactis rebus. Ergo natura ut sic, est receptiva illius motus, quià id, per quod Ens Naturale à rebus Artificialibus et Mathematicis differt est Natura. <u>RESPONDEO: Ad primum dico</u>: Aliud esse loqui de mobilitate, quæ tanquam passio in secundo modo convenit enti naturali. Aliud de Motu, qui est Accidens per accidens, verum est ens naturale converti cum Ente mobili, quatenus dicit capacitatem cujuscunque motus, quià à naturâ lapidis provenit lapidem sursum repugnanter posse moveri: At non provenit à natura motus, quo talis potentia actuatur, neque motus conveniens Enti naturali in communi est abstractus ab omni motu in particulari, sed solum ab hoc et illo motu naturali. <u>Ad 2dum Concedo</u>: Quod natura ut natura sit principium illius capacitatis, nego tamen quod sit principium etiam motus illius, qui actuat tam capacitatem: quià capacitas illa non est potentia per se intenta à Natura, ut actuetur, imò potius natura tribuit capacitatem motus violenti, ut illum respuat, cum præbeat violentiam, vel parum curet, si est motus neuter, hinc dicuntur potentiæ concomitantes naturam. At potentia naturalis data à natura, ut realiter Actuetur et intendit illum motum per se, ideo dicitur principium per se primum istius motus, non verò per se primum motus violenti vel neutri. <u>Ad 3tium Concedo</u> motum lapidis sursum pertinere ad Ens naturale, non ut naturale reduplicativè, sed specificativè, id est, non per quatenus dicit aptitudinem et inclinationem, et quatenus dicit meram capacitatem, et respectum talis potentiæ dicitur Actus, sed hoc non sufficit, ut dicatur naturalis, sed requiritur ut sit actus potentiæ cum aptitudine et inclinatione. <u>Ad 4tum</u>. Per illum motum differt à rebus artefactis et mathematicis, non tamen ut per aliquod p

[‡] Et per consequens Natura est principium cujuslibet motus. Item etc.

aliquod per se et intrinsecum, sed ut per aliquod extrinsecum et per Accidens, qui motus etiam ad Philosophum pertinet, quia oppositorum eadem est disciplina: tale autem extrinsecum non est natura, quia requiritur ut sit aliquod per se conveniens. Deinde Natura hic definita sumitur ut non tantum ab arte factis differt, sed etiam ut à violento distinguitur.

THEOREMA TERTIUM

Absolutè loquendo Natura utrique Principio, tam Activo quàm Passivo sive immanenti sive transeunti convenit.

Notandum 1mum. Dictum 1mum: Naturale prout Naturalitas convenit operationibus in ordine ad principium consideratis variè sumitur et diversis opponitur. Uno modo opponitur supernaturali. Altero modo Libero; et in hoc utroque attenditur naturalitas, penes principium Activum, unde illa operatio dicitur Naturalis, quæ est ab Agente naturali, id est habente ordinem naturalem ad passum. Supernaturalis verò quæ fit ab Agente supernaturali, id est, excedente omnem ordinem naturalem ad passum. Item operatio illa dicitur Libera, quæ provenit à principio intrinsecè indeterminato, vel se determinante; naturalis verò illa, quæ à principio intrinsecè ad agendum determinato. 3tio modo naturale opponitur violento et neutro, et sic consideratur naturalitas in ordine ad subjectum, in quo recipitur operatio et Forma: adeò ut si operatio et Forma sit secundum inclinationem subjecti dicetur naturalis, et principium ejus receptivum dicetur naturale. Si fuerit contra inclinationem subjecti, dicetur violenta. Si denique, nec secundum, nec contra inclinationem, dicetur neutra. Dictum 2dum Sicut duplex datur violentia in rebus: Alia Privativa, quæ fit per subtractionem alicujus operationis vel Formæ connaturalis, qualem violentiam pateretur Aqua sub sola frigoris carentiâ et de facto patitur homo visu privatus, vel surdus vel claudus. Alia Positiva quæ fit per positionem alicujus repugnantis naturali conditioni subjecti, in quo statu est aqua sub calore: ita quoque duplex dari debet naturalitas, quæ opponitur violentiæ. Una quæ consistit in conformitate operationis vel Formæ ad inclinationem Passivam subjecti quo sensu Forma Substantialis dicitur Naturalis materiæ primæ. Altera quæ consistit in conformitate operationis ad inclinationem Activam ipsius Agentis, quo sensu ignire dicitur operatio naturalis in igne. Nam præter inclinationem passivam in rebus quæ dicuntur determinatæ esse ad sic vel sic patiendum, danda quoque est inclinatio Activa per quam res dicantur ex innata constitutione ordinatæ ad sic vel sic agendum. Notandum 2dum Dictum 1: Naturale hoc loco sumitur prout opponitur violento, et sicut violentum est illud, quod naturali ejusque inclinationi contrariatur: ita illud principium Naturale in hoc sensu dicetur, quod in suo Actuali exercitio vel aptitudinali eidem conformatur, et de isto solent Authores disputare, an sit Activum vel passivum, Formale vel finale. Nos certè dicimus illud esse Activum et passivum, id est affirmamus, quod Natura sit Principium motus operationum, res consequentium, tam in genere causæ materialis, quatenus illæ operationes seu passiones conformiter in subjecto recipiuntur, quàm in Genere causæ Efficientis, quatenus illæ operationes producuntur. Negamus verò esse Principium in genere causæ finalis aut formalis. Dictum 2 Causa Efficiens est duplex scil: immanens cum effectum causat in se ipso, et transiens cum in subjecto distincto illum effectum producit. etc.

Sicut duplex datur violentia in rebus, ita quoque duplex datur naturalitas, ut opponitur violentiæ.

Prout

Probatio Theorematis.

Pars 1ma Theorematis (Natura dicitur de Principio Activo) Probatur: Non minus naturale est igni debitè approximato calefacere et aquæ calidæ, se ad pristinam frigiditatem reducere, prout naturale opponitur violento, quàm gravi tendere deorsum. Sed ista scili: calefacere et ad frigiditatem se reducere conveniunt igni et aquæ ut sunt activa. Ergo. Major: Non minus violentum est igni impediri à calefactione quandò est debitè approximatus, ut accidit in fornace Babylonica et aquæ calidæ potenti se reducere si à DEO impediretur, per suspensionem concursus, quàm gravi detineri sursum; quià esse sursum ideò est gravi violentum, quià est contra aptitudinem ad recipiendum Ubi deorsum, quæ aptitudo, cùm sit à principio intrinseco, dicitur naturalis, et pati violentiâ, quià impeditur ab Actu secundo et à receptione illius ubi, quo aptitudo et potentia illius actuatur, sed aptitudo et potentia quam habet ignis ad calefaciendum fluit etiam à principiis ejus intrinsecis, estque passio, igni identificata. Ergo quandò impeditur ab actu secundo per suspensionem concursus, estque debitè approximatus, verè patitur violentiam, si non positivâ; at saltem privativam, quià utrobique fit contra naturales et innatas aptitudines, et utraque aptitudo, propriis Actibus, in quos tendit una activè, altera passivè privatur. Idem de aqua dicendum. Confirmatur: materia est in potentia naturali ad omnes Formas, Sed si spoliaret omni Formâ, esset in statu quodam violento, privativo, non positivo, qui non potest materiæ primæ convenire cùm omnes formas indiscriminatim accipiat, et sub qualibet naturaliter quiescat, et solum tunc violentetur, cùm omni caret Formâ. Ergo quià Agens potest pati hanc violentiam privativam si Aget dicetur naturaliter agere, prout naturalitas isti violentiæ opponitur. Dices 1mo Principium activum non dici naturam, quià non est principium per se motus, cùm possit separari, ut si DEUS se solo reduceret aquam ad pristinam frigiditatem: At passivum semper est principium per se, implicat enim DEUM inducere frigus in aquam, quod tamen non sit secundum aquæ inclinationem. Contra: Saltem in via Philosophi, qui possibilitatem hujus impedimenti non cognoscebat Natura dicetur tàm de Activo, quàm de passivo Principio, cùm secundum opinionem ipsius æquè per se insit rei tàm Activum quàm passivum. Præterea si potest impediri à DEO et à proprio exercitio atque ab actu secundo separari. Ergo cùm agit et non impeditur naturaliter agit, quià dum non agit, violentiam patitur, sicut passivum quandò à propria Forma separatur, quià tunc pati dicitur violentiam. Nos ex hoc dicimus quod naturaliter illam Formam recipiat. Item quià generatio, nutritio et Augmentatio ita sunt Actiones naturales, ut essentialem dicant dependentiam ad potentias generativam et nutritivam, quæ dependentia non potest à DEO suppleri. Ergo principium istorum Actuum erit verè Natura. Ant. Si DEUS ex materia alimenti educeret Formam carnis illamque præexistenti carni viventis uniret, vel aliquod vivum ex semine generaret, per hoc certè non posset dici DEUS nutriens, augens vel generans, quià cum nutritio, Auctio et Generatio sint Actiones vitales à principio vitali intrinseco essentialiter dependent, cujus vices DEUS non potest supplere. Dices 2do: Principium Activum

non

non violentari: quià dum ignis ab Actu secundo impeditur per suspensionem concursg, nullam tunc violentiam patitur, nam omnis res est in potentia perfectâ obedientiali ad hoc, ut in eâ et ex eâ fiat quidquid Deus voluerit ratione cujs omnis tollitur violentia: et ex hoc Antecedente, si violentia principio Activo non convenit, inferes, quod neq naturalitas isti violentiæ opposita conveniat. Contra Falsum est violentiam activo principio non convenire. Ergo Falsum quoq est quod naturalitas eidem non conveniat. Conf: Quià implicat aquam sursum ascendere, et non contra ejus inclinationem esse, nam quamdiu manet aqua, manet Forma aquæ, et quandiu hæc manet, tamdiu etiam manet inclinatio ad motum deorsum. Ergo si à principio passivo non tollit rationem violentiæ potentia obedientialis, multominus tollet ab activo, si à propria actione impediat. Consequ. Quià Principium passivum magis est in potentia obedientiali quam Activum, quià in illo potest Formam oppositam introducere, non tamen potest illud elevare ad productionem contrariæ Formæ ut v.g. aquam ad productionem caloris. PARS 2DA Theorem(Natura dicitur de Principio passivo) Probatur: De illo dicitur natura, quod verè dicitur naturale. Sed principium Passivum verè dicit naturale. Ergo De illo dicitur natura. Minor: Quod vere dicitur violentari seu violentiam pati, illud verè dicit naturale (quia circa quod attendit ratio violentiæ, circa illud debet attendi ratio naturalitatis, quià opposita circa idem versant) Sed principium passivum verè dicit violentari v.g. Aqua suscipere calorem et lapis ferri sursum. Ergo.

OBIECTIONES ET SOLUTIO EARUNDEM.

OBIECTIO 1MA (Natura non dicitur de Principio Activo) Quià multi Scotistæ ex mente Subtilis Doctoris tenent et probant Naturam tantum de passivo principio dici. Ergo. RESPONDEO Dist. Ans: Natura seu naturalitas est 2plex. ALIA quæ opponitur violentiæ positivæ: ALIA quæ opponitur violentiæ privativæ. Scotistæ tenent et probant naturam tantum dici de principio passivo, non in secundo, sed in primo sensu ut scil: opponitur violentiæ positivæ, et sic verum est, quod naturalitas, tantum de principio passivo dicatur: At Nos hoc loco naturalitatem tribuimus Principio Activo in secundo sensu acceptam, ut scili: opponitur violentiæ privativæ, quam privativam violentiam principio Activo competere est manifestum, ut dum ignis suspendit à calefactione seu impedit ab urendo. Unde hoc Theorema nostrum non est contra Scotistas, quià non eandem seu non eodem modo acceptam naturalitatem tribuimus utriq principio, sed Activo tantum naturalitatem 2do modo acceptam, passivo autem utroq modo acceptam. Obiectio 2da (Natura non dicitur de principio passivo) quià alias omnis motus esset naturalis quod est falsum. Falsitas patet. Sequela probat: Quia omnis subjectum habet potentiam receptivam motus. RESPONDEO Neg. Sequelam. Nam motus dicit naturalis eo, quià in re adest principium receptivum et capacitas, sed quià adest principium passivum naturale et capacitas cum inclinatione,* est quidem capacitas in subjecto, sed cum repugnantia. p.

*in motu autem violento est quidem etc.

THEOREMA QUARTUM:

Physicè loquendo Natura principalius dicitur de passivo quam de Activo Principio.

Probatur: Illud est Principium principalius et independens, quo posito et circumscripto, vel sublato alio, aut variato, sequitur motus naturalis seu effectus quispiam. Sed posito quod Forma sit juxta passi inclinationem, quomodocunque varietur Activum, quamdiu permanet passum sub illa Forma licet etiam Activum non ageret, ponitur ratio naturalitatis, unde subjectum naturaliter recipit illam Formam, et naturaliter possidet illam: Si autem Forma sit contra inclinationem passi, dato, quod inducatur à principio Activo interno, adhuc violentus erit motus, ut cum homo elevat manum, motus ille respectu manus est violentus, quamvis respectu totius hominis possit dici naturalis. Ergo Natura principalius et independenter dicitur de passivo, de Activo autem, quando sunt in eodem unita, non nisi à passivo dependenter, et maximè secundum Physicam considerationem, atque sic in Definitione Naturæ (lÿ Principium) principalius sumitur pro passivo, quam Activo.

THEOREMA QUINTUM.

Privatio non solum simpliciter, sed nec Analogicè quidem potest dici Natura.

Probatur: Definitio Naturæ nullam habet particulam quæ possit Privationi convenire. Ergo. Ans: Quia privatio nec per se alicui competit; sed per Accidens, neque est ejus, in quo est, quià cum est motus et generatio, recedit privatio, nec est causa quietis seu Formæ acquisitæ, cum potius illi opponatur, neque est causa, quià hæc est entitas positivè in effectum influens, neque tandem potest dici principium in hac acceptione, in qua accipitur in Definitione Naturæ, quià hic principium sumitur pro principio in facto esse, Privatio autem est tantum principium in Fieri. Ergo. Obiicies: Aristot. 2 Phys. t. 12 dicit privationem esse Naturam, quià est quodammodo Forma, Forma autem dicitur Natura.

Respondeo Naturam sumi dupliciter. 1mo ut hic definitur. 2do ut cum ratione Formali convertitur id est, ut idem significat quod ratio Formalis. Privatio igitur dicitur quodammodo Forma et Natura, non quidem 1mo modo, sed tantum 2do: quià secundo modo accepta Natura etiam non Enti competit. Vide hujus controversiæ 1mi Theorematis Notandum 2.

THEOREMA SEXTUM.

Definitio Naturæ, spectando mentem Philosophi non convenit Formis Accidentalibus.

Probatur 1mo: Authoritate Philosophi, nam assignatâ Definitione Naturæ, definiens, quæ nam habeant Naturam hic Definitam, subjungit, ea omnia esse substantias, et postea dicit: Accidentia et Passiones, non esse Naturas, aut habentia Naturam; sed tantum esse secundum Naturam id est, ratione Naturæ, rebus naturalibus convenientia. Probatur 2do Ratione Quià hic Naturalitas definitur ut est ratio Formalis objecti Physici: Atqui talis Ratio, non potest esse aliqua Forma ac ~~definitur~~ cidentalis

accidentalis. Ergo. Notes: Licet hac Definitio spectando mentem Aristotelis Formis accidentalibus non conveniat, tamen quidditati accidentis verè et propriè potest convenire, non quidem respectu Subjecti cui inest, nam sic non est Principium primum per se, et non secundum Accidens, sed respectu ipsius accidentis, ab essentia propria constitui —, eo, quia verè quidditas accidentis, est principium et causa motus ac quietis primo et per se, saltim respectu propriarum passionum, et Actuum illis correspondentium. Obiicies: Dantur quæ Accidentia quæ per se agunt in Subjectis, quibus insunt, ut gravitas et levitas in corporibus Sublunaribus. Ergo Talia accidentia poterunt dici Natura, nam per hoc, quod Ars in Medico, infirmo per se inest, Philosophus à ratione Naturæ ipsam excludit. Respondeo Esse per se principium motus accidit dupliciter. Vel primario vel 2dario. Accidentia ergo licet essent principium motus per se, non tamen primario sed tantum secundario, imo Accidentia nec per se conveniunt corporibus, et Ars medica, non solum ideò à ratione naturæ excluditur quia non est per se; sed etiam ideò, quia non primo nec principaliter, est principium sanationis, sed solum directivè.

Esse per se principium motus accidit dupliciter.

THEOREMA SEPTIMUM.

Licet Angelis in Sententia Philosophi Natura hic definita non conveniat, tamen secundum veritatem convenit.

Ratio 1mi: Quia Aristoteles Angelos, quos vocat substantias separatas, ponit penitus immobiles et immutabiles. Ratio 2di.. Angeli verè habent proprias affectiones à principiis intrinsecis fluentes, et de novo acquirunt Accidentia sibi ipsis connaturalia, ut sunt intellectiones, volitiones et motus locales. Ergo convenit illis Natura.

THEOREMA OCTAVUM

Omnis Quidditas et materiæ et Formæ, et corporis Naturalis, tam simplicis quam compositi secundum se spectata potest dici Natura.

Probat. Nam de qualibet quidditate Enunciatur Definitio Naturæ. Ergo. Ans: Quia Quidditas est principium et causa motus, sive Activum, sive Passivum et Emanationis propriæ passionis, quæ sub nomine Quietis comprehenditur, et est quidem primum principium ejus, in quo est, per se et non secundum Accidens: imo Essentia cuiuslibet rei Natura ipsius vocari consuevit. Ergo. Porrò quod Quidditas materiæ et Formæ dicatur Natura respectu ipsius materiæ et Formæ patet. Quia sicut materia habet aptitudinem ad recipiendam Formam, et hac ratione Essentia materiæ dicitur Natura, quia est principium illius passionis: ita quia Forma habet aptitudinem ad efficiendam materiam, et ob id, Ratio Actus est ipsius passio, quidditas ejus debebit dici Natura cum sit Principium illius passionis. Obiicies Quod saltem secundum Philosophum quidditas non sit natura quia 2 Physicorum et 5 metaphysicæ composita dicit Philosophus non esse Naturam, sed à Natura. Resp: Natura est primum principium motus

At Quidditas non est primum principium motus, sed ex primis constans scilicet ex materia et Forma. Item 3tio. Natura est principium quod dat inclinationem ad motum. At quidditas non dat inclinationem, sed à materia et Forma eam accipit. Item 4to Si quidditas esset Natura Formaliter, Forma verò constitutivè, sequeretur quod magis propriè esset Natura quam Forma, atque sic Natura dicta de Forma, et omnes alii modi reducerentur ad quidditatem quod est contra Philosophum qui 5 metaphys. ad Formam omnes modos reducit nullâ mentione quidditatis factâ. RESPONDEO Ad 1mum Aristotelem ibi non loqui de Quidditate sed de compositis, quæ ex tali quidditate constituuntur, et hæc non possunt dici Natura, sed potius habentia Naturam, cum sint omninò contracta et Principia quæ operantur, non principia Quibus, cujusmodi est quidditas materia et Forma. Neque est inconveniens, ut idem sit simul Natura, et habens Naturam respectu diversorum, sic materia est habens naturam, ut respicit propriam essentiam quâ in esse constituitur: Est verò natura ut respicit compositum, quod constituit. Sic quidditas compositi materialis, est natura respectu compositi, quod simpliciter dicitur tantum habens Naturam, quià est ultimo constitutum, nullius alterius amplius constitutivum: At respectu materia et Forma quas includit potest dici habens Naturam. Ad 2dum dico Lÿ (primum) posse sumi triplicifer. 1mo Pro immediato et Proximo, & sic tantum Quidditati convenit. 2do Pro independenti omninò, et sic non competit quidditati 3tio Pro principali principio ut distinguitur contra instrumentale, et sic tam quidditas quam materia et Forma sunt prima principia. Porrò ista tertia conditio seu acceptio, magis est acceptanda, quià accipiendo ly (Primum) secundo modo. materia et Forma non essent Natura, quod est falsum, ut patebit ex Theoremate undecimo. Similiter accipiendo 3tio modo, principium Activum non potest dici Natura, quod etiam est falsum, ut patet ex Theoremate Tertio. Ad 3tium Neg. minorem: Imò primariò ac adæquatè quidditas dat inclinationem composito ad motum, quod constituit. Ad 4tum Nego id esse contra Philosophum, quià Philosophus per Formam ibi intelligit, tam Formam partis quam Formam totius, quæ utraque est terminus Formalis generationis, licet non eodem modo, quià Forma partis v. g. Anima est terminus Formalis generationis ~~licet non eodem modo~~ prout generatio in ratione mutationis sumitur. Forma verò totius v. g. Humanitas est quoque terminus Formalis generationis; sed jam prout Generatio in ratione productionis accipitur. P.

Primum sic potest sumi duplicifer.

THEOREMA NONUM.

De mente Philosophi Essentia materia et Forma non potest dici Natura.

Probatur: Cum enim Philosophus intendat agere de corpore Naturali, et ejus Principia indagare, quorum principium est ipsa Natura, certè sequitur de illa Natura hic agere Philosophum, quæ est hujus corporis constitutiva, et quæ est principium suarum passionum, ita ut habens talem Naturam, sub corpore tanquam sub proprio genere directè, et ut per se consideratum contineatur: Sed Essentia et Quidditas, tam materiæ quam Formæ immediatè materiam et Formam quarum sunt constitutivæ, non verò corpus naturale respiciunt, tanquam species sub genere. Unde Aristoteles materiam et Formam corporis Naturalis, quod constituunt, potius naturas, quam Entia habentia Naturam appellavit. P.

† nec materia et Forma ad corpus naturale reducuntur tanquam etc.

Theorema

THEOREMA DECIMUM.

Quidditas Terræ et corporum Cœlestium, imò et cujuslibet corporis Naturalis etiam secundum Aristotelem dicitur Natura.

Ratio 1mæ partis est, quià in tantum terra videtur non habere Naturam, quià secundum se totam
movetur, sed hoc parum refert, quià non est necesse ut omne habens Naturam omni specie motûs actualiter
moveatur, sed sufficit, ut ad aliquas habeat aptitudinem et inclinationem, ad aliquas verò etiam Actum. Ter-
ra, licet secundum se totam non moveatur, tamen ipsam alterari est certum, quia sicut multi ferunt, Aqua
cum terra est commixta, ut unum globum conficiant, atque sic mutuo alterari eas, non est dubium. Item
terra habet aptitudinem ad motum Localem, si scil: è suo centro moveretur, neque ista aptitudo debet
esse frustra, ex eo quod ad Actum non reducitur: quià tunc tantum aliqua potentia otiosa dicitur et esse fru-
stra, quandò semper suo fine proprio frustratur: Finis autem hujus aptitudinis ultimatus, non est Localis m[otus]
sed terminus per talem motum acquisibilis, nempè, UBI deorsum quo nunquam privatur terra secundum se to[tam]
idcirco ut sic gaudet semper proprio fine. Ratio 2dæ partis est, quià illud est verè Natura, cujus omnes par-
ticulæ Definitionis Naturæ conveniunt. Sed cœlesti Quidditati conveniunt. Ergo Quidditas cœlestis verè
est Natura. Minor: Quià quidditas ista est principium et causa primò, per se, et non secundum acci[dens]
motus Alterationis, quià cœli illuminantur. Item Astra saltem aliqua ecclypsantur, proprias passiones et ta-
lia accidentia connaturalia habent, et consequenter natura in ipsis erit principium quietis: Sub Quietis au-
tem nomine, aptitudines rerum naturales comprehenduntur. Item in ordine ad motum Localem quidditas cœ-
li dicitur Natura, quià motus ille est naturalis. Nam omnis potentia alicujus Formæ ipsam perficientis recepti-
va est naturalis, motus autem cœli est perfectio ipsius, ita enim cœlum movetur quomodo Angelus quo ad natura-
litatem: Sed Angelus movetur ad ubi, tanquam ad propriam perfectionem. Ergo et cœlum, atque sic motus cœli e-
rit ejus perfectio. Confirmatur: Cœlum verè inter corpora Naturalia à Philosopho numeratur, ut patet 1°
[de] Cœli. t. 5. Ergo. Obiicies: Nullo modo quidditas cœli potest sub hac Definitione Naturæ comprehendi.
Ergo quidditas cœli non potest dici Natura. Ans: quià natura, quam hic Aristoteles definit, est Principium
motus et Quietis, ubi Lÿ particula (ET) non debet sumi disiunctivè pro VEL, aut partim conjunctivè par-
tim disjunctivè, nam tunc Philosophus in Definitione minus propriè locutus fuisset. Ergo debet accipi copu-
lativè: At accipiendo (Et) copulativè, non convenit cœlo esse principium motus et Quietis, quià in cœlo non
est Quies, nam per Quietem intelligit Philosophus cessationem à motu in termino (AD QUEM), qualis non potest
esse illa, si scil: in proprio loco quiescat secundum totum, quià hæc quies, non est Finis motus, et totum cœlum na-
turaliter primo movetur. Ergo non potest secundum totum quiescere, neque erit illa aptitudo ad quiescendum, quià
in viâ Philosophi sustinentis motum æternum esset frustra. RESPONDEO Neg. Ans: et particulam illam (ET)
eo accipi copulativè, Nego autem, quod accipiendo etiam copulativè non conveniat esse principium motus et Qui-
etis ipsi quidditati cœli, quià falsum est in cœlo non esse quietem, nam per Quietem debent intelligi passiones cœli, [et]
aliæ Formæ Accidentales, item aptitudo ad Quiescendum, licet nunquam Localiter quiescat; nec erit otiosa [talis]
aptitudo, quià hoc fit propter bonum totius universi. &c.

THEOREMA UNDECIMUM

Ratio Naturæ tam materiæ quam Formæ cuicunque etiam Animam Rationalem ut sic includendo convenit univocè, Analogicè.

Notandum Dictum 1mum. Natura si sumatur, ut est principium constitutivum rei adæquatum, vel Actuale, et ut Principium Activum operationis, dicit perfectionem: At sic accipitur, ut est passivum quomodo convenit, sic dicit imperfectionem. Dictum 2dum: Res per materiam, habent esse Potentiâ, per Formam Actu: modo simpliciter perfectius est esse Actuale temporale, quam esse potentiale æternum, sicut perfectior simpliciter esset Angelus per unum tantum diem existens, quam albedo in æternum durans. Dictum 3tium: materia 1ma est æterna in se, non tamen dat composito esse æternum, sed potius temporale cum sit radix corruptionis. Dictum 4tum Naturam esse, potest à posteriori demonstrari, non autem à priori. Dictum 5tum Naturam esse secundum conceptum communem non demonstratur, at secundum conceptum specificum quod scil. huic vel illi conveniat potest demonstrari.

PROBATIO THEOREMATIS.

Pars 1ma (Ratio Naturæ convenit materiæ et Formæ) Probatur: Illis convenit Ratio Naturæ, quæ verè et essentialiter constituunt compositum naturale (quia quæ sunt principia constitutiva rei, illa eadem sunt quoque constitutiva motus et quietis illam rem naturaliter concomitantis, hæc enim duo munera, scil: esse principium rei, et esse principium motus et quietis, ipsi naturæ attribuuntur) Sed materia et Forma verè et essentialiter compositum constituunt naturale, quod certè non potest constitui, nisi ex Naturis. Ergo materiæ et Formæ convenit ratio Naturæ. Item cui omnes particulæ Definitionis Naturæ conveniunt, illi et Ratio Naturæ ipsa convenit (quia de quo Definitio, de illo et Definitum verificatur) Sed materiæ et Formæ omnes particulæ Definitionis conveniunt. Ergo. PARS 2DA THEOREMATIS (Ratio Naturæ convenit ~~etiam~~ etiam Animæ Rationali) Probatur: Omnis Forma informans est Natura. Sed Anima Rationalis est Forma informans hominis (quia verè homo intelligit naturaliter mediante Animâ, et per illam essentialiter differt à brutis) Ergo. Item: Quod est causa et principium cur passiones homini conveniant, illud est verè Natura (quia natura est principium motus et quietis) Sed Anima Rationalis est principium et causa cur passiones homini conveniant, v.g. Risibilitas, flebilitas, aptitudo ad loquendum, intelligendum, audiendum etc. Ergo Anima rationalis, ut sic reduplicativè, est verè natura. Pars 3tia Theorematis (Natura univocè convenit materiæ et Formæ) Probatur: Natura respectu materiæ et Formæ est prædicatum univocum. Ergo. Ans: Quia quod dicit conceptum præcisum et distinctum à materia et Forma, illud est univocum. Sed Natura dicit talem conceptum. Ergo. Minor: Quandò intellectus est certus de uno, et dubius de duobus, habet conceptum unum distinctum ab illis duobus (Aliàs deberet esse de eodem certus et dubius, quod implicat) Sed potest intellectus esse certus in re aliquâ esse principium per se motus scil: natura, dubius verò an illud Principium sit materia et Forma. Ergo. Confirmatur: Ratio causæ intrinsecè univocè convenit utrique. Ergo et Ratio Naturæ. Pars 4ta Theorematis (Natura Analogicè convenit materiæ et Formæ) Probatur: Quià Forma magis et perfectius dicitur Natura quam materia (quià est perfectior et principalior pars quidditatis, et ab ipsâ primò ac principaliter motus dicitur Naturalis, à materiâ autem 2dariò) Ergo uni convenit per prius, alteri per posterius, et consequenter analogicè. p.

Objecti

OBJECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIO.

Objectio 1ma (Materia non est Natura) Probatur: Quod est in potentia ad Naturam, non est Na[tu]ra (sicut quod est in potentia Animal, non est Animal) Sed materia est in potentia ad Formam, quæ est [Na]tura. Ergo. Deinde unius rei, unica est Natura. Sed Forma est Natura. Ergo non materia. Respon[deo] majorem concedo de illo quod est in potentia ad omnem Naturam: At materia est in potentia solum ad na[tu]ram, quæ est Actus Formalis et determinatus, et hoc modo non est Natura, nisi denominative, cum tam[en] hoc stat, quod sit natura in potentia* et hæc quoque est vera ratio naturæ, sicut materia secundum [defini]tionem, est verè principium et pars constitutiva compositi materialis. Ad 2dum: Unius rei, est unica Na[tu]ra. Disting. Totalis et adæquata concedo. Partialis et inadæquata est unica, Nego. Objectio 2da (Mate[ria] ria magis est Natura quàm Forma) Probatur 1mo: Quod est principium omnis motus naturalis, est ma[gis] natura, illo, quod tantum est principium alicujus motus. Sed materia est principium universale, Forma [au]tem particulare, et determinati motus. Ergo. Probatur 2do: Illud est magis natura, quod magis principia[] tionem principii passivi, in quo principaliter diximus consistere rationem naturæ. Sed materia est magis pa[ssi]va quàm Forma, quià est Subjectum ultimum omnium Formarum. Ergo. Probatur 3tio: Illud est magis Natu[ra] ra secundum quod naturalia magis habent esse naturale: Sed materia dat magis esse rei naturali quàm Forma (quià res in materia habent esse æternum, cùm et ipsa sit æterna, à Forma autem accipiunt esse tempora[le]) Ergo. RESPONDEO: Materiam esse magis Naturam, quo ad universalitatem, Concedo. Quoad perfectionem, [Nego.] Quià sic Forma est magis natura, Forma enim dat perfectius esse et operari, principaliusque denominatur m[otus] naturalis à Forma, quàm à materia. Ad 2dum: Materia est magis Passiva, quià scilicet est universalior, [Forma] verò, quià perfectius ab ipsa proveniat inclinatio ad motum in composito. Ad 3tium Nego minorem. Ratio ne[] gationis habetur in Dicto 2do.

*subjectiva etc.

THEOREMA DUODECIMUM.

Natura differt ab Arte, et ut est Habitus (quanquam sic in quibusdam convenit etiam cum illa) et ut pro Formâ inductâ ab Artifice, quomodo opus Artificiosum dicitur, ~~æqui~~ accipitur.

Notandum Dictum 1mum: Naturam hic sumpsit Philosophus, non modo prout à violento, sed etiam ut ab Arte differt. Dictum 2dum: Ars variè sumitur 1 Ut omnes Scientias et Facultates comprehendit. [2] pro omni cognitione Practica. 3 Pro uno ex suis habitibus intellectus, et sic solet definiri: Quod sit habitus [cum] recta ratione factivus, ut Ars statuaria, pictoria etc. 4 Pro Forma, quam artifex in materiam intro[du]cit, ut est Forma phialæ in auro, statuæ in lapide etc. et his duobus modis ultimis hic considerantur. D[ictum] 3tium: Ars ut habitus est notitia quædam habitualis, quâ intellectus Artificis disponitur ad promptè, fa[ciliter] et rectè judicandum circa ea quæ spectant ad Artem, et ex frequentatis Actibus generatur, cum quo [...] alia duo regulariter concurrunt, cum exit in opus, 1mum est idea operis faciendi: 2dum est quædam [...] bilitas in potentiâ executiva ad promptè et faciliter operandum, ut patet in Arte tangendi organum, in quâ requiritur agiliter digitorum ad obediendum Regulis et præceptis ab intellectu dictatis. Dictum

Artis variæ Acceptiones.

Definitio Artis.

Ars pro Forma causata ab Artifice, nihil aliud dicit nisi ordinem partium Naturalium, quâ partes Quan„
titatis vel Qualitatis variè disponuntur ut resultet ista Figura artificiosa, estq Relatio ab illis parti-
bus realiter distincta, connotando Artificem operantem ex directione intellectus, nam possunt esse v.g.
duæ cruces similes in materia et figura, una tamen dicetur naturalis, quia à causa Naturali est effecta,
altera autem artefacta, quia à causa rationali, à ratione directa est causata.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS 1MA THEOREMATIS (Natura differt ab Arte ut est Habitus) Nam Natura est Substantia, Ars verò
accidens: Natura convenit cum re naturaliter producta in ESSE reali: Ars verò cum re artificiali, tan-
tum in esse objectivo: Natura est principium physicum et reale rerum naturalium: Ars verò est Prin„
cipium solum per directionem, non per veram Efficientiam: nam Ars non potest efficere opera naturæ,
nisi solum applicando Activa passivis, quod potest probari sic: Nam Ars v.g. canendi, solum regulat et
dirigit vocem atquè cantum, non autem efficit. Quod ipsum explicant nonnulli hoc Dicto (Natura
est principium Actionis naturalis quoad Substantiam: Ars verò quoad modum, modificando illas Actio-
nes) non quod effectivè concurrat ad illum modum suaviter et sonorè efformandi vocem, quia id pro„
venit etiam à potentia naturali; sed quod regulet et dirigat ~~intellectum~~ solum. Idem patet in
horologiis, quorum principium motus provenit à natura, scil: à pondere, modificato tamen per Artem.
Et Ars medica potest efficere Sanitatem applicando hæc et illa pharmaca, quæ veram Sanitatem ef„
fectivè inducunt naturaliter; Ars verò tantum directivè, et juxta hunc sensum debet explicari il-
lud Aristotelis (Ars perficit naturam) PARS 2DA Theor. (Natura et Ars ut habitus in quibusdam co„
veniunt) quia ambæ præsupponunt materiam in quam agant, ambæ ab imperfectioribus ad imperfectiora
procedunt: Ambæ non casu et temerè, sed quibusdam certis quasi præceptis operantur: Ambæ quantum
possunt efficiunt opera similia, natura quidem in essendo, Ars verò in repræsentando: Ambæ sunt imita-
trices, quia Natura imitatur Artem Divinam, scilicet ideam operis exequendi, et quanto magis Divi„
næ Arti assimilatur, eo, opera ipsius sunt perfectiora; Ars verò æmulatur Naturam, undè eo magis arte
facta laudantur, quo melius exprimunt ipsam naturam, ut patet præsertim in imaginibus. PARS 3tia
Theorem. (Natura Differt ab Arte pro Forma) 1mo: Quia naturalia ut sic, habent in se internum principi-
um motus, non ita Artificialia ut sic. Nam Forma Artificialis nullo modo est principium motus et quietis.
Multæ Figuræ, licet faciant motum tardum aut velocem, ut Figura quadrata retardat motum, non
sic pyramidalis: Et licet multa opera Artificialia per se ipsa moveantur, ut horologia et columba lignea quam
fecit Archytas. Item caput illud quod D. Thomas Aquinas Doctor Angelicus, in cubiculo M. Alberti concussit:
tamen propter hoc non debemus concedere Formam Artis esse Principium per se illius motus, hoc enim principium
est ipsa Natura, licet egeat Arte ut modificet, et illa Figura, solum se habet, ut conditio (sine qua non)
quia Figura pyramidalis causat velociorem motum tantum negativè, quatenus facit, ut äer minus retardet
mobile: Similiter in aliis operationibus principium per se est illud pondus naturale taliter contemperatum
per rotulas intus latentes. Item per Argentum vivum. Item per Aërem inclusum. 2do Differunt quia Formæ arti
ficiales

Artificiales sunt in superficie tantum ad extra, naturales verò sunt intima ad intra. 3tio Quia materia prima inclinat naturaliter ad Formas Naturales. At materia Artis, vel violenter, vel neutraliter se habet ad Formas Artificiales. 4to materia naturalium est Ens incompletum essentialiter, materia verò Artificialium v. g. Lignum, plumbum est Ens essentialiter completum. 5to: materia et Forma Naturalium faciunt unum per se, quia habent se, ut per se Actus, et per se potentia, non sic materia et Forma artificialium. 6to Naturalia possunt sibi producere simile; Artificialia verò ut sic, non possunt. Notes: Res naturales si comparentur cum rebus Arte factis, quatenus ipsæ includunt, tam materiam quæ est Res naturalis, ut Aurum, Lapis etc. quam ipsam Formam artificiosam esse imperfectiores, quia caret imperfectione illâ, quam res Arte factæ, accipiunt ab Arte: At verò si comparentur, non ut coincidunt, sed ut omninò disparatè se habent, tunc naturales sunt perfectiores Arte factis, quia naturales sunt substantiæ, artefactæ verò Accidentia, et ad res naturales tanquam ad Finem ordinantur. Porrò substantia est simpliciter perfectior accidente, et finis rerum ad se ordinatarum. etc.

CONTROVERSIA OCTAVA
DE
LOCO.

Hactenus de Principiis rerum Naturalium, superest, ut de Affectionibus communibus earundem agamus, ac imprimis quidem de Loco, prout à circumscriptivo et Definitivo abstrahit. Quare sit
in DEI NOMINE:

THEOREMA PRIMUM.

Locus Physicus est duplex.

Nomine Loci, non situs aut spacium, sed superficies ultima corporis continentis debet intelligi.

Notandum Dictum 1mum: Sermo est de Loco propriè dicto seu Physico, non autem de Loco metaphoricè, aut alio modo sumpto. Porrò Locus physicus est duplex. Alius Proprius cujusque corporis, qui vocatur rei adæquatus v. g. Superficies Aëris circumdans Paulum in hoc Lectorio. Alius communis, qualis est coelum respectu omnium inferiorum, et hoc Lectorium respectu Pauli, Petri, Joannis etc. Hic agitur de Loco proprio, non quidem ut involvit qualitates conservativas vel destructivas rei Locatæ, quo sensu dividitur in Naturalem et violentum; sed ut ab omni abstrahit Qualitate, et solet dici Locus quasi Mathematicè consideratus. Dictum 2dum: Quia Locus Physicus sumptus, ut abstrahit à Qualitate dupliciter potest considerari. 1mo materialiter seu fundamentaliter, pro illâ re quæ dicitur Locus. 2do Formaliter scilicet: pro ipsamet Loci formalitate, quæ illam rem in Ratione Loci constituit, et eam Formaliter esse Locum denominat. Scias hic Nos agere de eo materialiter, non autem Formaliter considerato. Dictum 3tium: Quo ad Locum Formaliter, Antiqui cum Aristotele conveniebant, omnes enim tenebant, quod Formalitas Loci consistat in receptione et continentia, et in unum fuit. Sed quo ad Locum materialiter, id est cuinam rei talis receptio et continentia conveniret, et in

Locus Physicus ut abstrahit à Qualitate dupliciter potest considerari.

quonam fundamento fundaretur ab Aristotele discordabant, nam ipsi dicebant, id esse interval-
lum inter latera corporis continentis inclusum; Aristoteles verò tenet ipsam potius esse super-
ficiem concavam corporis continentis, quià corpus inclusum ab hac superficie dicitur ambiri et contineri;
non autem à spatio vel intervallo. Dictum 4tum: Locus Formaliter consideratus consistit in respectu
ad prædicamentum UBI spectantem, quià continentia illa, quâ Locus materialis v.g. Superficies con-
cava dicitur Formaliter continere Locatum, nihil est aliud, nisi Relatio continentis ad contentum,
quam continentiam UBI Activum appellamus; et certè Locus Formaliter non potest intelligi sine ordine
ad Locatum, Locus enim est alicujus Locati Locus.

PROBATIO THEOREMATIS

PARS PRIMA THEOREMATIS (Nomine Loci non debet intelligi SITUS) Probatur: Situs quē
res obtinent in hoc universo, in ordine ad polos et centrum, non potest dici Locus. Ergo. Ans: Quod est
Locus, illi munera et attributa Loci conveniunt. Sed Situi seu positioni non conveniunt. Ergo. Minor:
Quià Locus est rei locatæ extrinsecus, et est in Locante subjectivè: positio verò est rei Locatæ intrinseca:
Locus continet locatum, respicit illud, et est æqualis illi, non sic positio. Locus est terminus motus
localis, non autem positio, quià positio est distantia, jam verò distantia à polis et centro mundi est
Relatio intrinsecus adveniens; porrò ad Relationem intrinsecus advenientem non est motus. Ergo. PARS 2DA theorem.
(Nomine Loci non debet intelligi spatium) Probatur: Quià aut illud spatium est imaginarium,
aut reale: Sed neutrum potest habere rationem Loci. Ergo. minoris 1ma pars scil. imaginarium: Quià
alias corpora dùm in suum Locum naturalem moverentur naturali inclinatione, omninò moverentur ad
consequendum NIHIL, quod est falsum: nam nulla res propendet naturaliter in ipsum NIHIL. Sequela:
Quià spatium imaginarium est NIHIL, quià non est aliquid reale. Ergo. Confirmatur: Locus naturalis est
conservativus Locati, undè pisces in aqua conservantur, non item extra: Sed purum nihil, quale est illud spa-
tium imaginarium non conducit quicquam ad conservationem. Ergo. 2da pars minoris, id est: Non spatium
reale, quià tale spatium non potest esse aliqua Substantia corporea, aut incorporea, neque Accidens corporeum,
vel spirituale separatum à Substantia. Ergo erit nihil, et per consequens non erit reale. Consequentia: Quià
Antecedens continet omnia genera Entis Realis, sub quibus illud Spatium, si esset aliquid reale, deberet claudi.
Antecedentis 1ma pars: Quià Substantia corporea semper habent suam Quantitatem, et sic est incom-
penetrabilis cum Locato, et per consequens impediret, ne Locatum sit ibidem: imò cùm Quamlibet
Substantiam corpoream et Quantam opus sit esse in Loco, deberet illa Substantia quam dicis esse Locum, esse
in Loco, et sic in infinitum. 2da pars Antecedentis: Quià Spiritualis substantia, neque est realiter longa, la- [± hac in alio Loco, et sic in etc.]
ta aut profunda, nec quid proportionatum ad hoc, ut sit Locus rerum corporearum. 3tia et 4ta pars Antece-
dentis patet, quià naturaliter non potest dari Accidens, realiter à subjecto separatum, nec potest esse Locus,

quia

quia vel esset corporeum trinam habens dimensionem, et sic impediret Locatum ibidem esse. Vel Spirituale et sic erit ineptum, ad suscipiendum in se Locatum, et ut cum illo commensuretur, ita ut pars Locati respondeat parti Loci, quia Accidens spirituale, est omnino indivisibile. PARS 3tia Theorematis (Nomine Loci, superficies debet illigi) Probatur: Superficies est Locus. Ergo. Ans: Illud est Locus, in quo fundatur ratio Formalis Loci, nempè ipsa continentia (quia sicut illud verè dicitur pater, in quo fundatur paternitas, ita illud verè est Locus, in quo fundatur ratio Loci scili: ipsa Locatio) Sed in superficie fundatur Ergo. Minor: In eo fundatur Ratio Loci, cui omnes proprietates, et attributa Loci conveniunt, ut Continentia, separabilitas, Differentia positionum, esse terminum motus Localis etc. Sed superficiei corporis continentis ipsæ proprietates conveniunt. Ergo. Confirmatur: Nulli alteri præter superficiem potest convenire ratio Loci. Ergo. Ans: Nam vel illud esset spatium, vel Situs, vel quidpiam aliud. Sed nil horum. Ergo.

OBJECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIONES.

Objectio 1ma (Nomine Loci non potest intelligi superficies) Probatur 1mo. Superficies non potest dici Locus. Ergo. Ans: alias posset fieri, ut res manens immota mutaret Locum, quod est absurdum, implicat enim rem mutare Locum, et tamen manere immotam. Sequela: Tunc res mutat Locum quando unus Locus perit, et alius succedit. Et tunc res manet immota quando semper habet eandem distantiam et propinquitatem ad alia Entia. Sed sic fieret, si superficies esset Locus. Ergo. Minor: Nam fluente aquâ in fluvio, mutantur superficies aquæ baculum fixum ambientes, et tamen ipse baculus manet immotus, non enim è Loco suo recedit; quia semper ipsius distantia et propinquitas ad alias res est eadem quam antea habebat, cum tamen ista distantia deberet variari ad mutationem Loci. Pro baculo in aquâ seu fluvio, potest accipi turris, et äer ipsam circumdans, variata vento flante superficie. Respondeo Neg. Ans: 2 sequelam. 3 primam partem majoris Disting. Quia si uno pereunte Loco alius succedit superficie distinctus à priori, tunc Concedo quod res mutet Locum, seu quod res sit in alio Loco: At verò si numero tantum distinctus succedit, et est idem cum priore specie, tunc Nego, quod res mutet Locum. Jam verò in proposito nostro, licet superficie unâ pereunte succedat alia, tam circa baculum in fluvio, quam circa turrim in äere, tamen quia illa succedens est ejusdem speciei cum priori in ratione Loci, baculus aut turris non mutat Locum, ut enim dicatur mutare Locum turris, opus est ut non solum numero, sed etiam specie diversa superficies illam circumdet: superficies inquam non ut sic, nam ejusdem est speciei una superficies cum alia, sed superficies in ratione Loci accepta quatenus scilicet spatium intercetum involvit. Quæres Cur turris non possit dici mutare Locum, dum superficiei priori succedit alia, quæ est ejusdem speciei cum illa priore? Respondeo ideò: quia ista succedens superficies est eadem illi priori per æquivalentiam, non quomodocunque accipiendo istud Lÿ (eadem per æquivalentiam) Sed accipiendo quatenus

quatenus scilicet est eadem illi priori per æquivalentiam, quantum ad motum Localem: nam ita est impossibile,
ut motus Localis sit ab hoc loco in hunc, id est, ab una Superficie recedente ad alteram, immediatè illi succeden-
tem, atque sic esset omninò hæc succedens, cum illa priore Locus idem numero. Cum enim motus Localis debeat
fieri inter duos terminos, certè non solum numero; sed etiam Specie debent illi termini differre propter
spatium interceptum, et alium respectum habere, non solum numero, sed etiam Specie ad totum universum.
Hoc Spatium concipies sic, Scribe A B C D, deinde pone acum in A, et circumda illam modò Aquâ, modò aëre, modò cerâ etc.
etc. ego dicam illam Acum esse in eodem loco, licet superficies sint variatæ, quia nullum Spatium est inter-
ceptum: At si illam acum ex A transtuleris ad B, dicam illam esse in alio Loco, quia hic jam duo erunt
termini A et B, et spatium interceptum erit inter A et B, quod prius non erat, dum Acus manebat in A.
<u>Hinc collige ad motum vel mutationem Localem, non sufficere varietatem Loci numeralem quia hæc po-
test esse sine spatio intercepto, inter unum et alium Locum: Sed necessariò requiri diversitatem spe-
cificam, quæ cognoscitur ex spatio intercepto,</u> undè absolutè dicendum est, bacillum in fluvio
in eodem Loco manere licet varientur superficies circa ipsum, quia ad hoc ut mutaret Locum, ex-
igeretur quod continuo acquireret superficies in ratione Loci specie diversas, quod esse non potest sine spa-
tio intercepto. Hoc modo est respondendum in casu, si reliquæ partes totius universi moverentur sola tur-
ri exceptâ. Adhuc enim inter superficies aëris sibi succedentes impossibilis foret motus Localis, quia
nullum inter unam et aliam daretur spatium interceptum, quod tamen omninò est necessarium inter
duos terminos, ut ab uno in alium possit fieri motus. <u>Instabis contra primum</u>: Variata superficie
circa turrim, vel turris illa habet eundem numero Locum, quem prius habebat, vel non? <u>Si primum</u>:
Ergo Superficies continens non est Locus, quia variata istâ superficie, manet idem numero Locus. Si
non? Ergo turris mutata est Localiter, quia Localiter moveri, est aliter se habere nunc quam prius
in ordine ad Locum. <u>RESPONDEO</u> Licet variatio superficierum circa turrim sit aliqua mutatio, et
non nisi ad Prædicamentum UBI pertinens, tamen non potest dici mutatio Localis, quia hæc non est,
nisi inter terminos specificè diversos, quales termini non possunt esse, nisi quandò inter eos spatium
interjicitur, et hoc verum est nedum juxta communem vulgi conceptum, sed etiam Philosophorum,
qui ideò motum Localem vocant motum Lationis, quia inter ejus terminos spatium interjectum requiritur:
Translatio enim corporis non potest concipi, nisi à termino ad terminum, inter quos sit medium spa-
tium: Undè ad hoc ut corpus dicatur localiter moveri, non sufficit quod aliter se habeat quoad Locum quo-
modocunque sed debet se aliter habere per sui translationem, hâc ratione dicitur motus Lationis. <u>Imo Absolu-
tè</u> potest negari quod turris aliter se habeat quoad Locum, quia Loci variatio propriè dicta fit per acquisitio-
nem novi Loci, qui est à priori Locus specie diversus, et ad hoc prorsus materialiter se habet diversitas numera-
lis. <u>Instabis 2</u>: Si superficies succedentes sibi circa turrim, solum numericè distinctæ, non faciunt tur-
rim esse in alio Loco. Ergo pari ratione, dum navis decurrit in flumine, superficies circumdantes ipsam
navim

navim, non faciunt eam esse in alio Loco: Atqui hoc consequens est falsum (quia navis decurrens in flum[ine] non est in uno eodemque Loco, sed in alio atque alio) Ergo et Ans: Sequela: quia superficies circumdantes [illegible] quas navis successivè extrinsecè tamen acquirit, ita sibi immediatè succedunt, ut inter unam et aliam [nul]lum sit spatium interceptum et ita se omnino habent sicut superficies ipsæ circa turrim aut bacil[lum suc]cedentes#; quale non est inter superficies äeris circa turrim. Quod quidem potest cognosci ex distantia [ad] universum, quia superficies äeris circa turrim, semper ipsam in eadem distantia continent: super[ficies] verò aquæ circa navim, dum navis currit, semper continent illam in distantia diversa ad universum, [quan]tumvis illæ superficies immediatè sibi succedant: Unde illæ superficies aquæ differunt specie in ra[tione] Loci, superficies autem äeris solo numero, et ideò turris est in eodem Loco, navis verò decurrens [non] item. DICES Ergo sic respondendo iam non superficies, sed potius distantia illa ad totum universum scili: ad polos et centrum debebit dici Locus, quia ab ista distantia variata, non autem à superficie [di]citur Locus variari. RESPONDEO: Ratio ista desumpta à distantia, est ratio per Accidens, non verò [per se] et valet tantum quandò poli et centrum est immobile, ut nunc est de facto: Ratio autem per se, [cur in] eodem Loco sit turris variatis superficiebus, navis verò non in eodem sed in alio atque alio, debet sumi à mo[tu] Locali et spatio interjecto, non autem à distantia. Probatur 2do: Implicat ut res simul, et moveatur Localiter et eundem retineat Locum: Sed si nomine Loci intelligeretur superficies, omninò sequeretur [quod] res simul, et Localiter deberet moveri et eundem retinere Locum. Ergo. MINOR: Ponatur, quod navis per f[lumen] [Vistu]lam decurrens, inde versus Varsaviam, continuò iisdem aquæ partibus ambiatur (tunc postquam Varsaviam [per]venerit, adhuc in eodem Loco esse dicetur (quia sic eandem retinebit superficiem) Ergo. Similiter: Impleatur [vi]no Lagena, et Cracoviâ deferatur Casimiriam, certè si superficies (ut dicis) est Locus, postquam delatum fuit Casimiriam illud vinum, adhuc debebit dici esse in eodem Loco (quia eadem circundabitur superficie Ca[]simiriæ, quâ circumdabatur Cracoviæ, nempè superficie Lagenæ, quod omninò videtur esse paradoxon). RESPON[DEO] negando majorem et eius probationem: quia navis postquam Varsaviam pervenerit, non erit in eodem Loco, nam cùm superficies aquæ immediatè ipsam circumdans, non habeat rationem Loci, sed potius vas[is, na]vis illa erit in aqua sese circumdante, non ut in Loco, sed ut in vase, sicut universaliter accidit quando conten[tum] movetur cum ipso continente, et dicetur illa navis mutasse Locum, non quidem per se sed per accidens, quia sicut vas movetur per se, vasatum autem per accidens‡/. Sed CONTRA INSTABIS: Navis delata Varsaviam habet novum ubi scili: varsaviense. Ergo Licet navis moveatur per accidens ad motum alterius scili: aquæ, et vinum ad motum Lagenæ, tamen adhuc per se, non verò per accidens Locum mutasse dicetur. Præterea: Si [il]lud vasatum v.g. vinum, dicitur moveri per Accidens, quia movetur ad motum vasis scil: Lagenæ, tunc fiet ita, si [loco vini] ponatur plumbum dextrè in eam Lagenam, vel in aliquod solidius, aut saccus impleatur Arenâ vel lapillis, atque in aquas projiciatur, eo casu ad motum vasati scili: plumbi, vel arenæ movebitur vas scili: lagena seu saccus. Quæ[ro] ergo, aut tunc mutabit locum illud plumbum aut non? Secundum dici non potest, quia est et contra [rationem] et contra experientiam. Ergo Debet dici primum quod tamen allatum negat. RESPONDEO: si [illeg] Si enim [illegible]

A Varsaviense quo hic apud nos prius carebat; et vinum habet novum UBI casimi=viense. Ergo Licet navis moveatur etc. vide supra.

Succedentes. Ergo si verum est quod tu dicis, verum etiam erit quod ego dico. RESPONDEO Neg. Sequelam et eius probationem: quia omninò tale spatium quo est loco ad motum Localem interjicit inter superficies in flumine circa navim succedentes quale non est etc. respice signum.

‡ ita vas acquirit Locum per se, vasatum verò per accidens.

responsio omnino illud plumbum non deberet dici mutasse Locum, nec per se, quia non acquirit immediatè novam superficiem, nec per accidens, quia non movetur ad motum Lagenæ, sed potius Lagena ad motum illius. RESPONDEO neg. conseq. Quia tunc eo in casu UBI Casimiriense habebit per accidens: quando enim vinum in Lagena transfertur casimiriam, jam non tunc superficies Lagenæ, circumdans immediatè vinum sed potius superficies äeris circumdans Lagenam vendicat sibi rationem Loci, nam in tali casu, vinum & Lagena unum quod totale constituunt, et istud totale aggregatum ex vino et Lagena, dicitur tunc per se moveri. Similiter, dum navis decurrens per vistulam circumdatur iisdem superficiebus aquæ, dicetur quoque habere UBI varsaviense, sed per accidens non verò per se, et erit in diverso Loco, non per se, sed ratione totius, quod ex aqua currente et ipsa navi constat; quod quidem totum aggregatum, ex aqua et navi, per se tunc movetur, et successivè, alias atque alias superficies alvei acquirit, atque continentias specificè distinctas ob spatium interceptum, nec illa instantia de plumbo tollit responsionem: quia id, quod tunc per se moveretur et locaretur, non esset plumbum sed totum aggregatum illud, ex Lagena et plumbo constitutum: sicut modo in homine vestito, id quod per se primo movetur et Locatur, non dicimus esse hominem præcisis vestibus, sed ex homine et vestibus totum aggregatum: Hoc enim totum consideratur ut quid unum, in ordine ad motum et Locum, et sic in proposito plumbum erit in alio Loco, non per se, quia modo non habet rationem totius, sed per accidens ratione totius ex continente et contento aggregati. Probatur 3tio: Idem corpus naturaliter in pluribus locis non potest esse simul et semel: Sed si superficies esset Locus, posset hoc fieri naturaliter. Ergó nomine Loci non debet intelligi superficies. Minor: Quia palus infixus fluvio potest ambiri superficiebus terræ, aquæ et äeris atque sic erit in tribus Locis. RESPONDEO Idem corpus simul et semel naturaliter esse in pluribus Locis partialibus nullum est inconveniens, palus autem ille sic esset, id est, esset in diversis Locis partialibus, non verò totalibus. OBJECTIO 2DA (Nomine Loci intelligitur positio seu situs) Probatur: Situs est idem quod Locus. Ergo. Ans: Illa sunt essentialiter et Quidditativè eadem quæ easdem habent differentias. Sed Locus et situs habent easdem differentias. Ergo. Minor: Quia sursum et deorsum, quæ sunt differentiæ ipsius situs, conveniunt Loco. Ergo. RESPONDEO Neg. Ans: deindè minorem. Ad probationem dico sursum et deorsum convenire Loco per Accidens, non per se. &c.

THEOREMA SECUNDUM.

Locus benè Definitur dicendo quod sit ultima superficies corporis continentis immobilis primò: ubi Lÿ (Superficies) non habet rationem Generis sed Subjecti.

Duplex est Loci Definitio Una Quidditativa, Altera per Additamentum data.

Notes duplex Genus esse Definitionum seu duplicem esse Definitionem. Una est QUIDDITATIVA quæ per Genus et Differentiam assignatur, et hæc solent definiri illa, quæ habent per se conceptum unum unitate completâ, cujusmodi sunt omnia Entia absolutè quæ dicunt unam Naturam compositam absque ullius connotatione. Altera Definitio est per Additamentum data quæ fit per Subjectum et Formam accidentalem, et hæc convenit iis quæ habent conceptum compositum per se unum unitate connotativâ, cujusmodi sunt omnia Entia, quæ licet in suo integro conceptu includant plura, tamen cum illa plura sint diversorum prædicamentorum, neque apta sint per se aliquid unum constituere, includunt illa per se primo, quia alias jam non essent entia per se, sed potius aggregata per accidens, quæ dicunt plura diversæ rationis, ut sunt plura, id est, æquè principaliter: Sed unum dicunt primario aliud secundario, quæ subordinatio conceptuum salvet unitatem Entis connotativi. &c.

Probatio

Probatio Theorematis.

Pars 1ma Theorem (1mo) Probatur: Definitio ista est apta, et talis qualem ipsum Definitum requirit. Ans: Definitio ista est data per additamentum. Ergo. Conseq. proxima. Ens connotativum debet definiri definitione per additamentum data (quia 7 Met. docetur Entia connotativa præsertim accidentalia per subjectum debere definiri) Sed Locus est Ens connotativum. Ergo debet definiri definitione per additamentum; et per consequens si Definitio ista est per additamentum data, sequitur quod sit apta. Minor: omne concretum Accidentale est Ens connotativum: Sed Locus est concretum accidentale, licet à Grammaticis substantivè proferatur, et dicatur in recto de corporibus locantibus v. g. ignis est Locus äeris. Ergo Denique Locus non dicit conceptum simplicem sed compositum et quidem ex rebus non unius prædicamenti (nam superficies ad quantitatem, continentia vero ad ubi refertur) atque sic non æquè primo omnia quæ dicit, importare potest. Probatur (2do) singulæ particulæ istius Definitionis benè exprimunt Naturam Loci. Ergo. Ans patet examinando istas particulas. 1mo dicitur (superficies ultima, seu ultimum seu extremum, aut terminus) quia corpus continens v. g. Lagena, non ambit, nec locat immediatè secundum partes, sed solum secundum ultimam et indivisibilem superficiem. Ratio: quia præcisum continens alicujus est indivisibile, non verò divisibile, divisibile enim secundũ illam dimensionem secundum quem est divisibile, non potest immediatè alieni applicari, ut continens ipsum. 2do dicitur (corporis continentis) Primo ideò, quia de facto non reperitur talis superficies nisi in corpore, et ideò est semper ultimum quid corporis continentis. Secundo ideò quia sicut ratione superficiei convexæ corpus Locatum dicitur contineri, ita ratione concavæ, corpus Locans dicitur continere, quod enim convenit superficiei ut est terminus totius profunditatis, id etiam solet toti corpori attribui, ut patet de contactu, qui fit mediis superficiebus et attribuitur corporibus. Tertio ideò ut superficies dicatur esse Locus naturalis: nam superficies ut superficies præcisè corpore, licet possit dici Locus mathematicè dictus, non tamen potest dici Locus naturalis nisi inhæreat corpori continenti, quod suas qualitates proficuas possit influere in Locatum. 3tio dicitur (immobilis) quia Locus nec per se, nec per Accidens movetur Localiter. 1 ideò quia est terminus AD QUEM mobile tendit motu Localiter: aliàs si Locus, cùm sit terminus AD QUEM, moveretur Localiter, sequeretur quod mobile nunquam attingeret terminum, dato si ipse Locus æquali velocitate moveretur, ut et ipsum mobile. 2 ideò, quia aliàs daretur Loci Locus, et ita processus in infinitum. 3 ideò quia aliàs ratio Aristotelis, quâ docet Locum non esse materiam aut Formam, quia hæc moventur localiter per accidens, nihil valeret. 4 Quia si Locus immobilis esset per se, et tamen mobilis per accidens, sequeretur quod non aliter Locus esset immobilis atque ipsa alia Accidentia nam et ista sunt per se im/mobilia, per Accidens verò mobilia, quia moventur ad motum sui subjecti. Conseq. tamen est falsum, quia ipsi Loco specialiter convenit esse immobilem inter alia accidentia. 4to dicit (Primo) ut per hoc ostendatur Locum hic definiri non communem, qui scilic. præter Locatum continet alia; sicut aer est Locus avium communis, quia præter Aves continet alia; sed proprium qui ita continet Locatum ut sibi sit adæquatus et præter illud non contineat aliud. Pars 2da Theorematis (Superficies in Definitione Loci non habet rationem Generis) quia aliàs continentia et immobilitas essent Differentiæ. Conseq. Falsum: quia sic cum Differentia contrahens ad idem prædicamentum spectet, ad quod spectat et ipsa res contracta [illegible]

genus deberet illa continentia et immobilitas, in prædicamento Quantitatis collocari, quod tamen falsum est. Deinde superficies, Linea et corpus sunt species infimæ seu specialissimæ. Ergo superficies non habent rationem generis. Præterea genus sine omni Differentia non potest conservari . Superficies verò saltem virtute Divinâ potest conservari sine omni continentia. etc.

OBJECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIONES.

OBJECTIO 1ma (Locus non rectè definitur) Dicitur enim in Definitione Locum esse immobilem: Atqui hoc est falsum. Ergo. MINOR patet, tum ex 2 Theoremate, tum etiam quià quod corrumpitur est mobile (nam corruptio est quoque motus) sed Locus corrumpitur non solum pro Formali, sed etiam pro materiali. Ergo. RESPONDEO et dico Locum in Definitione ipsius dici immobilem, non quâlibet immobilitate sed tantum illâ quæ est opposita omninò motui Locali, quià motu Locali nullo modo Locus ut Locus potest moveri. At verò alio motu v. g. corruptionis Locum esse mobilem est certissimum: nam recedente corpore v. g. Lapide ab hoc äere statim concurrunt partes illius äeris ne detur vacuum, et corrumpitur illud ultimum, atque sic non solum ille respectus continentiæ, sed etiam ipsamet superficies äeris extrema continens depravitur. OBJECTIO 2da (Superficies habet rationem Generis in Definitione Loci) quod prædicatur in Quid de Loco est genus ipsius. Sed superficies prædicatur sic. Ergo. RESPONDEO Quod prædicatur in Quid de Loco in prædicatione Formali illud genus est ipsius Concedo: Non verò quod prædicatur in prædicatione materiali. Porrò superficies prædicatur de Loco, sed in prædicatione materiali. Nam hæc prædicatio (Locus est superficies) est materialis, cujus sensus est hic: Locus est Relatio continentiæ in superficie fundata.

THEOREMA TERTIUM

Omnia Attributa Loci à Philosopho enumerata optimè superficiei conveniunt. Probatur singula ista attributa examinando.

Primum Loci Attributum est (Continere Locatum) id est ita ambire ac terminare ipsum, ut non sit aliquid ipsi intrinsecum scili: nec materia nec Forma, nec pars integralis, nec accidens illi inhærens, aut alio modo ita ipsi adjacens, ut cum commoveatur, prout vestis movetur, sed sit omninò quid sibi extrinsecum continens tamen ipsum et ambiens: Undè per attributum istud Loci debet intelligi non continentia ipsa, nam hæc pro ratione Formali ipsius Loci ponitur, sed modus continendi. porrò istud superficiei concavæ corporis continentis convenire, patet indè, quià hæc nihil est Locati, et omninò est extrinseca illi, claudens illud intra se et continens, tum materialiter, tum Formaliter: materialiter beneficio suæ Figuræ; Formaliter verò beneficio continentiæ Activæ quæ fundatur in illa. Secundum Attributum Loci est ut sit (æqualis Locato) æqualitate continentiæ seu secundum extensionem, non verò æqualitate cujuslibet dimensionis: Sufficit enim ad hoc, ut Locus sit æqualis Locato, si superficies concava Loci secundum Longitudinem et Latitudinem commensuretur Locato, neque requiritur ut secundum profunditatem seu crassitiem sit illi æqualis: Porrò istud attributum superficiei convenire, indè potest colligi, quià hæc æqualitas attenditur inter superficiem concavam Locantis et convexam Locati. 3tium Attributum Loci est ut sit (Separabilis à quocunque Locato) distributivè, non tamen collectivè, naturaliter loquendo: Alias enim

Primum Loci attributum.

Secundum Loci attributum.

3tium attributum.

enim si collectivè, tunc naturaliter deberet dari vacuum, quod est falsum. Hoc attributum convenire su-
perficiei patet: Nam experientiâ constat quod eâdem superficie concavâ recipiantur successivè diversa
corpora, maximè dum illæ superficies inhærent subjectis solidis, quia istæ non variantur recedente Locato
ut patet in superficie interna vitri quæ non variatur, sed semper manet in eadem numero, sive sit aqua in-
tro, sive äer seu arena etc. in corpore autem fluido, cujusmodi est Aqua et Äer et alia liquida, recer-
dente Locato, quod intra terminos talis locantis erat, partes ipsius concurrant, et concavæ superfici-
es illius corporis fluidi destruantur, tamen hoc provenit quatenus Aqua vel äer est corpus fluidum, non
verò quatenus est Locus: Nam si intra illos terminos statim immediatè uno recedente corpore aliud vel
le priori succederet, omninò superficies illa maneret eadem numero præsente et absente priore † [—]

NB † vel Locato

4tum. butum QUARTUM Loci est ut sit terminus Lationis seu motus Localis, qui ideo ita vocatur
quia est ad Locum tanquam ad terminum, non quidem intrinsecum, quia terminus intrinsecus mo-
tus Localis est ipsum UBI vel quidpiam aliud illi æquivalens; sed extrinsecum: nam in pleno ita nunc cor-
pus movetur, ut alicui corpori extrinseco ipsum continenti approximetur, quod non fit aliter nisi mediante super-
ficie, et propterea superficiei istud attributum dicitur convenire. Attributum QUINTUM et præ-

5tum cipuum Loci est ut sit immobilis immobilitate oppositâ motui Locali, hæc enim omninò requiritur
termino motus Localis. Hic Quæres Undenam ista immobilitas Loci sit desumenda. Rdeo Loquendo
respectivè, id est juxta Philosophum dico immobilitatem, item unitatem et diversitatem Loci desumen-
dam esse ex determinato ordine, quem dicit superficies ad partes totius universi fixas et immobiles
Scilic: ad centrum et polos. At verò Loquendo absolutè, dico ista omnia scil: immobilitatem, unitatem
et diversitatem Loci debere sumi ex determinato ordine quam dicit ad partes virtuales Divinæ substantiæ:
Cum enim hæc ob suam immensitatem sit diffusa, ubique etiam extra hoc totum universum, revera non po-
test dari ulla superficies quæ possit subterfugere ejus præsentiam; ita ut non possit illi præsens intimè.
cum ista superficies ob suam limitationem et finitatem (enim est Ens finitum et limitatum) non possit illi
Divinæ substantiæ coexistere ubique concipimus illam alicui parti illius Divinæ Substantiæ coexistere non
Formali, quia Substantia Divina Formaliter est indivisibilis, et est tota in toto universo, et tota in
qualibet ejus parte; sed virtuali, idque ideò, quia cum Substantia Divina, ob suam illimitationem, per
Locum extendatur non minus ac si esset corporea et divisibilis, necessariò in ipsa debemus concipere plu-
ralitatem partium virtualem, resque creatas aliquibus earum, non autem omnibus coexistere id est to-
Substantiæ Divinæ, sed non totaliter. Cumque Divina Substantia et qualibet pars ejus virtualis, sit pror-
sus immobilis et consistens, immobilis quoque erit Relatio præsentiæ seu præsentialitas illa quam dicit super-
ficies ad eam: Nam Relatio non est mobilis, nisi utrumque extremum sit mobile. Ex tali itaque præsentia
intima benè potest desumi tam superficiei immobilitas quatenus superficies cum tali præsentia est prorsus
Localiter immobilis: quam unitas et diversitas Loci, quatenus ex determinata præsentia et ordine ad deter-
minatam

determinatas partes Divinæ Substantiæ, superficies continens ad hunc vel illum constituendum contrahit, non quidem ut Genus Logicum, quia immobilitas quæ talem præsentiam involvit non habet Rationem Differentiæ, sed ut Genus physicum, et sicut ad rationem integram Loci in genere pertinet immobilitas in communi desumpta scil: ex præsentia superficiei ad terminatam partem Divinæ Substantiæ vagè: ita immobilitas in particulari, spectat ad rationem Loci in particulari, illa nimirum quæ sumitur ex præsentia ad certam et signatam partem Divinæ Substantiæ.

THEOREMA QUARTUM

Præter Locum extrinsecum scilicet superficiem quæ ab extrinseco ambit rem Locatam debet admitti UBI tanquam Forma accidentalis superaddita, quâ res Formaliter dicatur Locata et superficies Locans.

Notes: Aliter formari hoc Theorema posse sic: Præter rem Locatam et Locum, verè dari peculiaris modus præsentiæ Localis, qui vocatur UBI, tanquam quid ex natura rei superadditum, quo Formaliter, tam res Loco, quàm Locus rei debet esse præsens Localiter, nam ex applicatione rei ad Locum resultat in Loco UBI Activum, et in re Locata, UBI passivum, et ambo hæc ubi tam Activum quàm passivum spectant ad Prædicamentum ipsius UBI.

THEOREMATIS PROBATIO.

Probatur 1mo: Potest esse hoc corpus v. g. hic Lapis vel Petrus in Rerum Natura et hæc superficies ita ambire Petrum, absque eo quod Petrus dicatur esse hic seu in tali Loco. Ergo esse hic seu in tali Loco conveniens Petro omninò superaddit aliquid Entitatis Petri et superficiei. Sed istud tale esse superadditum, non appellatur aliter, nisi ipsum UBI seu ubicatio, per quam nihil aliud debet intelligi nisi intima conjunctio rei et Loci sive præsentia hujus corporis in Loco. Ergo præter Locum extrinsecum. DICES Ubicationem Petri hic nihil aliud esse, nisi indistantiam ipsius ab hoc Loco, quæ quidem distantia cum sit negatio, nihil superaddit reale. CONTRA Probo non esse negationem: Ista indistantia est quid separabile à Petro et Loco. Ergo est Entitas realis et non negatio. Deinde quod per motum Localem acquiritur debet esse quid positivum (quia motus realis et positivi terminus debet quoque esse realis et positivus, et quidem ita mobili intrinsecus, sicut et ipse motus) Sed indistantia Petri ab hoc Loco seu ubicatio ipsius hic aquiritur per motum Localem realem et positivum. Ergo UBICATIO est quid positivum, id est, est positiva indistantia seu est intima præsentia rei Locatæ ad Locum et non sola distantiæ Negatio. DICES Quod per motum Localem acquiratur quidam terminus realis scil: nova superficies ambiens Petrum ratione cujus superficiei Petrus dicitur nunc esse hic, ubi prius non erat. Coeterum cum ista superficies sit terminus extrinsecus ipsi Petro, non poterit denominare Petrum, nisi extrinsecè, atque sic UBIcatio Petri hic nihil aliud erit nisi nova denominatio extrinseca à superficie proveniens, et ita non erit quid superadditum Petro. CONTRA denominatio ista à Loco in Petrum vel provenit virtute alicujus de novo superadditi vel non? Si 1mum, habeo intentum. Si 2dum. Ergo Quandiu Petrus et iste Locus erunt in rerum Natura, semper Petrus eodem

Quid sit Ubi seu Ubicatio.

eodem modo denominabitur. Dices Non fore ut semper ita denominatur, eo quod non sem
poterit haberi debita applicatio Petri huic Loco ad suscipiendam illam denominationem.
TRA Hoc ipsum est de quo disputamus, num scilic: ista applicatio sit aliquid à Petro et Loco di
stinctum an non? Si non, ergo semper manebit eadem denominatio, quia et applicatio eadem ma
nebit. Si autem est quid distinctum, et de novo superadditum. Ergo id erit quod nos volumus, et
ne UBI vel ubicationis appellamus. In Summa, quidquid dixeris[F] erit separabile à Petro realiter et à Lo
~~à Petro realiter~~, an non? Si erit separabile, ergo erit aliquid distinctum et per consequens super
additum. Si non? ergo eodem modo Petrus semper denominabitur, quod patet falsum esse. Pro
batur 2do: Fundamentum propinquitatis et distantiæ est quid superadditum Loco, et re lo
catæ atque ab ipsis distinctum. Sed UBI est Fundamentum propinquitatis et distantiæ. Ergo UBI est ali
quid superadditum, Minor: Nam Petrus est indifferens de se ad distandum à Paulo aut uno pede
aut duobus: et cur distet modo duobus, prius autem uno, hoc certè non aliundè provenit, nisi, quia prius
erat hic seu in hoc ~~illo~~ Loco.‡ Ergo esse hic vel ibi, nihil est aliud nisi ipsum UBI est Fundamentum dista
tiæ. Subsumo: Sed esse hic vel ibi nihil est aliud nisi ipsum UBI. Ergo UBI est Fundamentum distantiæ et
propinquitatis. Obiicies Quod meram Denominationem importat extrinsecam in re denominata
illud nihil suæ addit positivum supra rem denominatam: Sed UBI importat meram extrinsecam denomi
nationem (quia esse alicubi, nihil est aliud, nisi esse in aliquo Loco, id est aliqua superficie continenti, in
autem est mera denominatio extrinseca) Ergo UBI nihil superaddit rei denominatæ. Secundo Sup
ubicatio est superflua. Ergo Non debet admitti. Ans: Præcisa seu ablata per intellectum ista ubica
tione à Locato, v. g. à vino et relicta superficie corporis continentis extrinseca, ~~[illegible]~~ scilic: vitri. Quæ
ro vel illud vinum erit alicubi, vel non? 2dum dici non potest, ergo primum, et per consequens, ubica
tio erit superflua, quia sine illa adhuc res erit alicubi. Confirmatur: Quod supponit Locatum es
se in Loco, non est necessarium ad hoc, ut illud Locatum dicatur esse in Loco: Sed UBI est hujusmo
di (nam supponit corpus et superficiem intimè approximata) Ergo Non est necessarium. Item Tertio
quærat de Petro, ubi est Petrus, et dicat illum esse in Templo vel in Lectorio, benè et aptè responde
bitur: Sed esse in Templo vel in Lectorio non significat aliquid intrinsecum inhærens ipsi Petro, imò
tius dicit ipsa Loca extrinseca. Ergo UBI est quid extrinsecum. Respondeo ad 1mum Neg. mi
norem: Nam cum circumscriptio passiva rei locatæ à Loco sit terminus motus realis, et positivi, con
non potest in re mobili importare solam extrinsecam Denominationem ad 2dum neg. Ans et ad proba
onem dico, supposito quod res Locata non distet à superficie, circumscriptione passivâ non posse tolli à re
Locata quia circumscriptio ista nihil est aliud, nisi ipsamet rei Locatæ ad superficiem conjunctio seu præsen
tia Localis: Si tamen per impossibile tolleret ista continentia seu circumscriptio, tunc licet res Loca
non esset

F dixeris quæram ex te an illud quod dixeris erit ipsa[?] etc.

‡ et postea ibi, seu in illo Loco. Ergo etc.

Circumscriptio quid.

non esset formaliter alicubi, tamen omninò esset fundamentaliter alicubi sicut præcisa similitudine à duobus albis, dicimus quidem duo alba esse similia, non quidem formaliter quod quidem est commune omnibus relationibus, quià antequam consurgant, prærequirunt tam fundamentum quàm terminum, undè illa extrema, fundamentum scilic: et terminus, priusquam consurgat inter illa Relatio sunt talia fundamentaliter, non autem Formaliter, ut patet de duobus albis. Ad 3tium Dico quod interrogatio facta per ubi, secundum modum vulgi quærit de Loco pro materiali et continente, cui etiam plerumque facimus satis per Locū communem respondendo, quod res sit aut in templo, aut in foro etc. et hoc ideò, quià ista sunt notiora, præsertim verò plebi, at verò non hic agimus de Loco pro Formali.

THEOREMA QUINTUM.

UBI, non est Forma absoluta, sed merè Relativa.

PROBATUR 1mo: Quod ex sua ratione intrinseca dicit ordinem ad aliquid extrinsecum, ita, ut illo ablato, tollatur, non est absolutum: Sed UBI ex sua ratione intrinseca dicit ordinem ad aliud extrinsecum, et ablato eo destruitur (nam Loco sublato tollitur UBI) Ergo. DICES Ubi seu ubicationem esse Formam non merè absolutam, sed ex absoluto et respectu simul constitutam. CONTRA. Si sic. ergo UBI non erit Prædicamentum, nec Genus Supremum, quod est falsum. Sequela: Quià cuiuslibet Prædicamenti conceptus debet esse per se unus: Sed si ubi constituitur ex absoluto et respectū, conceptus ipsius non erit per se unus (nam absolutum et respectus non faciunt conceptum per se unum) Ergo. DICES Quod importent conceptum, per se unum, quià absolutum in recto, respectus in obliquo denotatur, hoc autem non impedit conceptus unitatem. CONTRA Absolutum et respectivum sic conjuncta, non possunt unum Prædicamentum constituere, sed necessariò sunt in diversis Prædicamentis, aliàs sequeretur quod et Relativa secundum dici v.g. manus, caput, pes, possent constituere unum prædicamentum. Ergo. DICES Hunc respectum non esse prædicamentalem[‡], atque ideò nihil obstare, quominus sit conceptus per se unus. CONTRA ex absoluto et respectu etiam transcendentali, non potest conceptus per se unus coalescere (quià sic esset et non esset aliud, quod implicat) Ergo. Deindè ultima Sex prædicamenta, non important Relationes transcendentales, quandoquidem per se constituunt diversa Prædicamenta, non minus quàm Relationes quarti Prædicamenti, et non minus accidunt rebus quàm illæ: ita enim accidit Petro esse Filium seu similem, quàm esse Agentem, patientem, Locatum etc. Ergo et UBI non importabit Relationem Transcendentalem, quià et hoc est unum de numero 6 prædicamentorum. PROBATUR 2do: Illa Forma est respectiva, cuius effectus Formalis est Relativus (quià Forma respectiva, non habet effectum absolutum, sicut nec absoluta respectivum) Sed UBI est Forma cuius effectus formalis est respectivus, non enim constituit rem in ordine ad se, sed ad aliud, nimirum in tali Loco vel Spatio. Ergo. PROBATUR 3tio: UBI in tua sententia est modus. Ergo Quidquid de modo dicitur, etiam debet dici de UBI. Sed de modo dicitur quod non sit quid absolutum. Ergo et de UBI idem est dicendum. Minor: Quià nulla modalis Entitas debet poni absoluta: nam omnis entitas absoluta potest per se esse et conservari: hac enim ratione dicimus Quantitatem et Qualitatem separatas

[‡] sed transcendentalē.

Formaliter, quià similitudo est præcisa, sed solum fundamentaliter. Ad confirmationem eodem modo respondeo quià UBI supponit corpus in Loco, fundamentaliter et materialiter, non verò Formaliter quod quidem est commune etc. vide supra.

ā sub

à Substantiâ posse existere et conservari, quia sunt Entitates absolutæ: Sed modalitas seu modus est talis naturæ ut nequaquam possit esse absque re, cujus est modus sed semper debet esse illi affixus. Ergo modus non est entitas absoluta, et per consequens natura ejus debet esse Relativa. DICES modum non habere per se existentiam quatenus est talis entitas absoluta scilicet modalis, de cujus essentia est ut semper rei affixa existat. CONTRA Differentia debet esse Generi quod contrahit proportionata, non autem illi repugnans. Ergo entitas absoluta, quæ significat entitatem per se existere potentem, non bene per modalitatem contrahitur, quæ hoc directè negat. Ergo omnis modus Accidentalis (Substantialis enim, qualis est Subsistentia, vel per se potest existere, vel non est nisi duplex negatio) debet poni entitas respectiva, cui ratione suæ naturæ relativæ convenit necessariò esse affixam subjecto. OBIICIES Ad Relationem non est motus ex 5 Physicorum (quia Relatio nec aquiritur, nec deperditur per se primò) Sed ad UBI est per se motus scilicet: Localis. Ergo UBI non est vera Relatio. Item: Si UBI esset Relatio, tunc non alia quam propinquitatis et indistantiæ (non enim alia Relatio per motum Localem acquiritur, nisi ista): Atqui hæc Relatio supponit extrema esse simul, vel ibi, sicut Relatio distantiæ supponit unum extremum esse hic, et aliud ibi. Ergo. Item: Si ubi esset Relatio, ergo potissimum extrinsecus adveniens: Sed hæc non insurgit ex natura extremorum, sed per ea ex eorum approximatione. Ergo cum approximatio et propinquitas fundetur super UBI, ad hoc ut acquiratur UBI, præexigetur aliud UBI, atque sic processus in infinitum. Imò jam erit UBI, antequam resultet, quod est inconveniens. RESPONDEO ad 1mum Disting. majorem. Licet enim ad Relationem intrinsecùm advenientem non detur motus: tamen ad extrinsecus advenientem datur. Jam verò ubi est Relatio extrinsecus adveniens, et habet propriam novitatem atque ideò potest esse terminus motus. Ad 2dum Neg. majorem cum sua probatione: quia in re Locata per motum duplex acquiritur respectus. UNUS est intima præsentialitatis ad Locum. ALTER est tantæ distantiæ vel propinquitatis ad aliam rem: qui secundus necessariò comitatur primum, non aliter quam similitudo albedinem, et ille per se primò acquiritur, in quo ipsum UBI consistit. Ad 3tium dico in tantum UBI exigere extremorum approximationem ad sui positionem, quia ut corpus ab hac superficie locari formaliter dicatur, debet esse intra illam, ita, ut superficies ipsius convexa sit cum concava continentis superficie contigua, tunc enim primò ex tali extremorum positione insurgit intima præsentia rei Locatæ ad Locum, quæ vocatur ubi Passivum, et è contra: Intima præsentia Loci ad rem Locatam quæ dicitur UBI Activum, unde approximatio quæ inter Locum et rem Locatam requiritur, ut UBI insurgat, non est propinquitas illa cui pro fundamento ipsum UBI assignat, sed contactus et contiguitas Loci et Locati, quæ non est sola et simplex propinquitas eorum, sed potius compenetratio facta per utriusque indivisibilia.

THEOREMA SEXTUM.

Duplex est Ubi Passivum, Locale et Præsentiale.

Duplex UBI passivum est, aliud Locale, aliud præsentiale, et neutrum terminatur ad Spatium imaginarium: Sed Locale respicit superficiem, Præsentiale verò partes virtuales Divinæ substantiæ ubique diffusæ.

NOTES duplex esse UBI passivum. ALIUD LOCALE quod attenditur in ordine ad superficiem ambientem quæ propriè est Locus, et per se terminus motus Localis, quia hic non potest fieri nisi in pleno, quatenus est Localis. ALIUD PRÆSENTIALE, quod attenditur in ordine ad diversas partes Divinæ Substantiæ, non quidem Formales, sed virtuales: Cum enim hæc sit virtualiter divisibilis, habet consequenter virtutem terminandi diversas præsentias Præsentiales

Porrò hoc UBI ideò dicitur præsentiale simpliciter, et non Locale quia Divina substantia propriè non est Locus corporum, cùm ipsis intimè illabat, et hoc UBI præsentiale, est per se terminus motus Lationis, quilicet, dum fit in pleno, coincidat cum motu Locali, tamen secundum se potest fieri æquè in pleno ac in vacuo quia habet pro per se termino aliam et aliam præsentiam, ad alias et alias partes virtuales Divinæ Substantiæ ubiquè diffusæ etiam in vacuo et spatiis imaginariis. Et quoniam quilibet respectus præsentiæ spectat ad prædicamentum UBI, ideò istud UBI præsentiale, non minus quàm Locale in Septimo Prædicamento scilicet UBI debet collocari.

PROBATIO THEOREMATIS.

<u>PARS 1ma Theorematis (UBI est duplex) Probatur</u>: Quia UBI Locale non sufficit. Ergo debet admitti præsentiale, et sic erunt duo UBI. <u>Ans</u>: quia non omne UBI est UBI Locale. Ergo. <u>Ans</u>: Quia UBI Locale semper respicit superficiem ambientem: Sed non omne UBI respicit talem superficiem. Ergo. <u>minor</u>: Ultima sphæra verè et propriè habet UBI; similiter si per vacuum daretur motus, mobile acquireret UBI: Sed istud utrumque UBI non respicit superficiem ambientem (Quia ultima sphæra nullo alio circumscribitur corpore. Similiter in vacuo nullum esset corpus quo posset circumdari mobile) Ergo. <u>PARS 2da Theorematis (Neutrum UBI respicit spatium imaginarium) Probatur</u>: Spatium imaginarium est nihil. Ergo Non potest terminare Relationem realem distantiæ propinquitatis et præsentiæ: Ridiculum enim est dicere rem distare à nihilo, vel esse nihilo præsentem aut propinquam. <u>Item 2do</u>: Tale Spatium imaginarium non potest habere rationem Loci nec ejus munera obire. Ergo Nec terminus potest esse ipsius UBI. <u>Item 3tio</u>: Præsentia dicitur propriè de una re in ordine ad aliam, non ad Nihil, sed ad aliam, et non potest constitui in ordine ad Nihil. Ergo ablato quolibet corpore, non potest dici res hic vel ibi præsens per ordinem ad spatium. <u>Item 4to</u> Licet corpora coexisterent spatio, tamen non possent dici esse in illo tanquam in Loco, dum enim dicimus rem esse in Loco, est constructio transitiva, et significat Locum esse quid Reale et positivum à re Locata distinctum ut patet ex 4 Physicorum t. 18. Semper, (ubi dicitur) id quod alicubi est, et ipsum esse aliquid, et aliud aliquid extra ipsum. Ergo res in solo spatio existens, et hac præcisa coexistentia, non potest dici esse alicubi, et consequenter UBI non sumitur per ordinem ad spatium. <u>PARS 3tia Theorem. (UBI Locale terminatur ad superficiem corporis continentis) Probatur</u>: Hic et ubi dicuntur adverbia Localia, id est à Loco desumpta an Locatum exprimentia. Sed Locus non est spatium; sed ultima superficies corporis continentis. Ergo Ubi constituitur in suo esse per ordinem ad superficiem corporis ambientis. <u>PARS 4ta Theorematis (UBI præsentiale terminatur ad partes virtuales Divinæ Substantiæ) Probatur</u>: Si quodlibet corpus extrinsecum tollatur circumdans Lapidem, ipso lapide permanente, tunc Lapis ille permanens in parte spatii, non posset dici hic vel ibi Localiter, quia revera propriè nusquam esset Localiter, neque enim ulla tunc superficies circundaret illum, et tamen deberet dici esse hic vel ibi præsentialiter, tunc Quæro, vel per ordinem ad Spatium? vel ad corpus? vel ad partes virtuales Divinæ Substantiæ dicetur præsens ille Lapis? <u>Non ad CORPUS</u>, quia tale nullum præter Lapidem in eo spatio dari supponimus. <u>Non ad SPATIUM</u> quoque, quia sicut res, non potest dici æqualis rei non existenti, vel impossibili, neque ab ea distans: ita neque potest dici illi esse propinqua et intimè præsens, aliàs possemus dicere, Deum ab æterno, rebus futuris coexstitisse,

imò

imò et possibilius nunquam futuris, et posteriori quidem ratione quàm res dicantur spatio coexistere, quia majorem realitatem habent hæc omnia quam spatium: sunt enim Entia Realia, saltem ... liter quod non potest dici de spatio. Ergo superest ut dicatur ille Lapis esse hic præsentialiter per ... ad diversas partes virtuales Divinæ Substantiæ ubique diffusæ; deberetque dici esse hic, et non alibi, quatenus non coexisteret toti Divinæ Substantiæ et totaliter sed tantum determinatæ parti, juxta suam limitationem.

OBIECTIONES ET SOLUTIONES.

OBIECTIO PRIMA (UBI Locale terminatur ad spatium) Probatur: Ubi constituitur in suo Esse per ordinem ad Spatium. Ergo. Ans: quia spatium ipsum est id à quo ratio sumitur, cur res dicatur manere ... manere in eodem Loco: nam v.g. variatâ superficie ambiente, dicimus adhuc corpus manere, ubi prius erat Localiter, ut patet de turri flante vento, aut de palo fluente aquâ, et non alia quidem ratione, nisi quia manent in eodem spatio: Et è contra, si eadem superficies, cum eadem superficie corporis continentis, mutet spatium, ut patet de vino in Lagena translato non amplius dicitur manere hic, ubi antea erat. Ergo. RESPONDEO Neg. Ans: ad probationem dico variatâ superficie, turrim dici manere adhuc, ubi prius erat, ideo quia advenit alia superficies priori æquivalens quatenus continet turrim ... simili ordine ad easdem partes Divinæ Substantiæ, non autem Spatii, quod ibi non est cum sufficienti ... enim unitas Loci non simpliciter debeat attendi, ex hac superficie continente, sed continente immobili quatenus verò est immobilis, involvit respectum præsentiæ ad certas partes Divinæ Substantiæ (habent ... absolutè idem Locus quia Locus non variatur, nisi ex talis ordinis varietate specifica. E contra verò si circa idem corpus eadem superficies ambiens perseveret, et cum ipso moveatur, non habet rationem Loci sed vasis. Locus verò tunc dicitur alia et alia superficies immobilis quam acquirit illud mobile, ex navi et aqua secum labente integratum, et dicitur alius et alius Locus, non præcisè, quia alia et alia superficies, sed quia continentes navim, cum ordine ad alias et alias partes virtuales Divinæ Substantiæ. Itaque corpus esse Localiter, ubi prius erat, est corpus Locari ab eadem superficie, vel æquivalente: et esse alibi est contineri à superficie, cum ordine ad alias partes divinæ Substantiæ. OBIECTIO SECUNDA (UBI Locale non terminatur ad Superficiem) Probatur 1. Relatio distantiæ et propinquitatis inter aliqua duo, fundatur super UBI (ideò enim istud corpus distat ab alio quia istud est hic, et illud est ibi) At distantia reperitur inter duo corpora etiam extra cælum posita, uno v.g. ad orientem alio autem ad occidentem (quia destructo cælo et toto universo, videret DEUS, illa duo corpora ... mul) Ergo UBI non debet attendi in ordine ad corpus extrinsecum, atque sic UBI Locale non terminatur ad Superficiem. Probatur 2: Potest fieri motus Localis in vacuo et inani extra cælum, cui pro termino debet assignari ipsum UBI. Ergo Non potest UBI Locale respicere corpus extrinsecum ambiens ... et absolutè loquendo, quia tum ibi nullum est corpus circumdans. RESPONDEO Inter duo corpora potest esse duplex distantia. Una Localis et positiva et hæc attenditur penes spatium reale et positivum interceptum fundaturque in UBI quod à Loco extrinseco pendet. Altera Præsentialis et Privativa, et hæc fundatur super diversas præsentias rerum, ad diversas partes virtuales Divinæ Substantiæ: et ...

Marginal notes:

(†) omnino superficies circa idem corpus succedentes quia illud continent in ordine ad easdem partes divinæ substantiæ dent etc.

Inter duo corpora duplex distantia.

attenditur penes spatium imaginarium inter præsentiam unius et alterius interjectum rei: undè diceremus inter præsentiam A et præsentiam B interjici intervallum duorum palmorum, non quià spatium illud sit aliquid reale, sed quià aptitudo quædam est ex parte corporum, ut inter utrumque interjiciatur quantitas duorum palmorum. Itaque in casu posito inter illa duo corpora orbe destructo, non maneret distantia Localis et positiva, sed sola præsentialis et privativa, et unum ex illis corporibus diceretur esse hic, et aliud ibi, ut hæc sunt adverbia præsentialia et non Localia. Ad 2dum: motus in vacuo aut inani factus, non esset motus Localis, quià non esset ad Locum, cùm ibi non sit Locus sed foret motus Lationis ad aliam, et aliam præsentiam, in ordine ad diversas partes virtuales substantiæ quatenus mobile non coexisteret illi toti et totaliter, undè potius deberet dici motus præsentialis: sicut etiam adverbia hic et ibi, quæ tunc adhiberentur ad explicandas illas diversas præsentias, non essent Localia, sed præsentialia: et talis præsentia benè posset terminare motum, cùm sit respectus extrinsecus adveniens, sicut etiam de facto terminat cum UBI Locali, imò cum talis respectus præsentiæ ad prædicamentum UBI debeat reduci. Poterit etiam hæc præsentia vocari UBI et motus ad eam, motus ad UBI.

OBJECTIO TERTIA (UBI præsentiale non terminatur ad diversas partes Divinæ Substantiæ) Probatur: quià sic non esset unum UBI præsentiale passivum in una re sed plura, in ordine ad Divinam Substantiam, quod quidem est falsum: quià respectus præsentiæ, ad Divinam Substantiam non variatur secundum variationem Locorum. PRIMA enim INTELLIGENTIA scilicet DEUS est omnibus rebus in quovis Loco existentibus æqualiter indistans et præsens, undè qui existit Romæ, ita est præsens Divinæ Substantiæ atquè si esset Cracoviæ. RESPONDEO Neg. Falsitatem et ejus probationem. Quià Divina Substantia ob suam virtualem divisibilitatem potest varios respectus præsentiæ terminare, quià scilicet æquivalet terminis qui talem præsentiam possunt vulgo terminare. Undè licet idem corpus in diversis reperiatur partibus universi, adhuc per diversos respectus dicetur DEO præsens.

THEOREMA SEPTIMUM

Absque omni UBI Locali Passivo, non solum distributivè, sed etiam collectivè potest res esse: absque ubi autem præsentiali, distributivè quidem potest, sed collectivè nequaquam.

PRIMA PARS probatur 1mo: Majorem affinitatem habet modus Substantialis subsistentia cum substantia, quam modus accidentalis UBI, et tamen natura Substantialis, potest omni Subsistentia creatâ expoliari collectivè, ut patet de naturâ humanâ à VERBO assumptâ. Ergo multo magis idem de UBI est asserendum. Probatur 2do: Qualibet res est prior suo UBI, etiam vagè sumpto et ab eo independens (dependentia enim rei à Loco est merè accidentalis) Ergo quodlibet UBI, etiam collectivè videtur expoliari posse: nam omne absolutum, prius alio absoluto et ab eo realiter distinctum et independens potest separari ab illo.

PARS

PARS 2DA Probatur: Aliàs daretur aliquod UBI præsentiale quod res semper haberet, hoc autem est falsum, quià sic, semper ab illo UBI præsentiale denominaretur esse hic præsentialiter, nec posset esse alibi, propter illud ubi præsentiale, quod semper haberet: nisi certè duo UBI præsentialia vel plura ad unum terminum fundando in eadem re, quod non est dicendum, quià sic simul esset res præsentialiter, et hic et ibi, et ibi, et ibi. etc. PARS 3tia (Quod scilicet res non possit esse sine UBI præsentiali collectivè, sed quod necessariò semper aliquod sibi determinet vagè) Probatur: Quià UBI præsentiale passivum habet pro fundamento rem et pro termino Divinam Substantiam ubicunque in infinitum diffusam. Ergo Non potest corpus in hoc mundo, vel extra poni quin semper illi coexistat, et per consequens non potest carere omni UBI præsentiali passivo collectivè. Confirmatur: Quià UBI, licet sit Relatio extrinsecus adveniens, tamen necessariò inter extrema consurgit, nam etiam Relatio extrinsecus adveniens necessariò insurgit positis aliquibus præter fundamentum et terminum: posito enim Loco et corpore, licet non necessariò sequatur UBI Locale, tamen posito corpore in Loco, necessariò sequitur: posita materia et Forma, non necessariò quidem sequitur Unio, at posita Forma in materia, necessariò sequitur. Item: Posito igne et Ligno, imò et approximato, non sequitur necessariò, sed (saltem absolutè loquendo) calefactio et combustio, ut patet in camino trium puerorum. At inducta caliditate in Ligno, necessariò sequitur calefactio instar Relationum intrinsecus advenientium, quià hanc necessitatem illæ conditiones Fundamento et termino superadditæ, omninò causare videntur. OBIICIES: Ubi Locali passivo potest res expoliari, non modò distributivè sed etiam collectivè, ita ut verè nullibi sit localiter, quod de quolibet potest accidere corpore si extra cælum ponatur. Ergo et UBI præsentiali sic poterit spoliari quolibet, ita ut verè dicatur nullibi præsentialiter esse. RESPONDEO Neg. Conseq. Ratio: Quià non est tanta connexio inter rem et Locum, quanta inter rem et Divinam Substantiam, quià hæc est immensa et infinita, propterea etiam ejus præsentiam nihil potest subterfugere, ille verò est finitus et limitatus.

THEOREMA OCTAVUM.

Omnia corpora sunt in Loco, excepto cœlo ultimo quod Actualiter non est in Loco licet potentialiter sit.

Notandum Dictum 1mum: Ultima Sphæra seu ultimum Cœlum juxta Philosophos est primum mobile, juxta Theologos verò est cœlum Empyreum, quod ipso cœlo mobili est adhuc majus: Undè licet primum mobile non sit in Loco secundum Philosophos, tamen secundum Theologos est in Loco, et solum Empyreum juxta hos, et ipsam veritatem non est in Loco. Dictum 2dum: Duplex est UBI, sicut et circumscriptio ...

continentia. Aliud Passivum in corpore Locato. Aliud Activum in corpore Locante, quæ ambo UBI sunt ejusdem Generis seu Prædicamenti, ex quo sequitur quod utrumque illorum est natum terminare motum: Quando enim aliqua sunt ejusdem Generis, si ad unum illorum potest terminari motus aliquis, et ad aliud: sed ad UBI passivum potest terminari motus Localis. Ergo et ad UBI Activum, quod est ejusdem generis cum passivo. Dictum 3tium: Motus Localis est duplex. Alius qui terminatur ad UBI Passivum, et tali motu quodlibet Locatum, et in Loco contentum, movetur in Loco. Alius qui terminatur ad UBI Activum, et tali motu Locans movetur, non in Loco, sed circa suum Locatum quod ambit.

Motus Localis est duplex.

Dictum 4tum: Ultimum Coelum non movetur Localiter quo ad Locari, seu quo ad UBI passivum; sed tantum quo ad Locare, seu quo ad UBI Activum, quatenus continuò acquirit alium atque alium respectum continentis ad contentum, in ordine ad corpora inferiora. Motus itaque ultimæ Sphæræ non est ad ubi passivum, quia ultima sphæra non continetur in Loco, sed ad UBI Activum circa Locatum, dicitur autem ille motus Localis quia est circa Locatum, non quod sit in Loco, ipsum coelum ultimum, nec quod moveatur ad Locum, sed tantum quia movetur circa suum Locatum. Dictum 5tum: Licet ultimum Coelum moveatur Localiter, tamen non est in Loco, potest enim aliquid moveri Localiter, non tamen per Acquisitionem UBI Passivi quod prius non habebat, sed tantum per solam acquisitionem Activi, utrumque enim natum est terminare motum Localem: At esse in Loco non potest, nisi id, quod ab alio continetur, nam esse in Loco formalissimè est Locari ab aliquo continente.

PROBATIO THEOREMATIS.

Pars 1ma Theorematis et secunda Probatur: Quia quidquid continetur ab alio corpore, vel quidquid habet extra se aliquid à quo contineatur, est in Loco (quia Locus est superficies corporis continentis) Sed omnia corpora excepto coelo ultimo sunt talia. Ergo. Et è contra: Quidquid est, et se in Loco, habet aliquid extra se continens (Quia Locus est ultima etc) Sed ultimum coelum nullum extra se habet ~~habet~~ contienens (quia nihil est extra coelum) Ergo. Et hæc ratio sumitur ex Philosopho 4. Physicorum t. 43. ubi illud non dicitur esse in Loco quod non habet aliud corpus extra se continens: quod verò habet extra se continens, est in Loco. Dices 1mo cum recentioribus, ultimum coelum esse in Loco actualiter, quia est in spatio quod occupat et replet. Contra Spatium non potest dici verè Locus, sed tantum abusivè, quia munera Loci non potest exercere cum sit nihil. Ergo. Item: Spatium imaginarium non est compossibile cum corpore (quia ad ipsius positionem tollitur, dum ab eo occupatur & repletur) Ergo. Dices 2do Cum Averroe: Aliter ultimam sphæram esse in Loco, et aliter corpora inferiora. Ista enim sunt in Loco, ratione corporis extrinseci ipsa ambientis. Sphæra autem ultima est in Loco ratione Centri circa quod movetur. Contra Nullum continens est in Loco ratione contenti (alias idem simul esset Locus et Locatum respectu ejusdem, quod esse falsum patet: quia Locus & Locatum

Locatum repugnantes exigunt Rationes) Sed coelum est continens, terra autem et centrum est contentum. Ergo. Praeterea Locus est aequalis Locato, et extra ipsum: Sed centrum non est tale respectu summae sphaerae. Ergo. Dices 3tio cum Thomistis ultimum Coelum esse in Loco ratione partium suarum, quatenus una pars continetur in alia, tanquam in Loco. CONTRA Totum non potest proprie esse Locus partium, nec una pars alterius Locus (quia una pars continuatur alteri, non autem Locus Locato, tantum enim est illi contiguus, non autem continuus) Ergo. Dices 4to cum quibusdam ultimum coelum esse in Loco quoad Locare, non quoad Locari, quia indesinenter alio et alio modo locat per motum circularem corpora inferiora. CONTRA Esse in Loco & Locare sunt functiones oppositae (quia esse in Loco formalissime est contineri; Locare vero est continere, iam vero continere et contineri opponuntur) Ergo. PARS TERTIA THEOREM. (ULTIMUM COELUM EST IN LOCO POTENTIALITER) Probatur: Quicquid potest esse in Loco, est potentialiter in Loco. Sed ultimum coelum potest esse in Loco. Ergo. Minor: Illud potest esse in Loco, cui convenit ambiri ab alia sphaera majori: Sed ultimo coelo convenit ambiri ab alia sphaera majori (quia quodlibet corpus, quantum est ex se, est Locabile circumscriptive, haec enim est ejus proprietas in quarto modo) Ergo. OBIICIES: Omne corpus qua corpus necessario est in Loco (quia corporeitas est Ratio essendi in Loco circumscriptive) Sed coelum ultimum est corpus. Ergo necessario est in Loco etiam Actualiter. Item: Quod movetur Localiter, debet habere Locum: Sed ultimum coelum movetur Localiter motu circulari. Ergo Debet habere Locum in quo istum motum possit exercere, et a quo talis motus dicatur Localis, maxime ideo, quia Locus inventus est propter motum Localem. RESPONDEO Neg. majorem et ejus Probationem Distinguo Licet enim corporeitas sit fundamentalis ratio essendi in Loco circumscriptive, tamen non est formalis, quia haec ratio est ipsum ubi circumscriptivum, iam vero potest esse fundamentum, absque tali respectu Locati ad Locans actuali, quamvis non sine aptitudinali, et ita est de Coelo. Sed Instabis: Quantitas est ratio formalis essendi in Loco ex 4 Physicorum. Ergo Non ipsum UBI. RESPONDEO per Distinctionem: Licet Quantitas sit ratio formalis remota essendi in Loco, non tamen proxima: quia haec est ipsum UBI, atque ideo potest esse sine tali respectu Actuali Locati ad Locans, praesertim si terminus deficiat, ut in proposito est de ultimo coelo quod nullam Relationem Ubicationis in se fundat, quia nullum est corpus extra quod eam possit terminare: Relatio enim semper duo requirit extrema scilic: Fundamentum & terminum, et uno eorum sublato, etiam ipsa tollitur. Ad secundum Disting. majorem: Quamvis enim id quod movetur secundum Locari seu UBI passivum debeat esse in Loco, tamen id, quod movetur Localiter secundum Locare seu UBI Activum, non est necesse ut semper sit in Loco: Porro Coelum ultimum movetur quidem Localiter, sed secundum Locare, non autem secundum Locari, id est secundum UBI Activum, non autem

(margin:) Duo Relationis requisita.

nem autem Passivum, quià nempè per illum motum continuò acquirit alium et alium respectum in suis partibus continentiæ Activæ, ad alia atq alia corpora contenta, non tamen alium atq alium respectum continentiæ passivæ, quià nullum corpus habet extra se continens. NOTES Verum id esse quod Cœlum ultimum etiam secundum partes acquirat UBI diversa, at illa UBI non Localia; sed UBI præsentialia vocant in ordine ad diversas partes virtuales Divinæ substantiæ desumpta. Constat enim ex supius dictis præter UBI Locale Passivum, dari etiam UBI præsentiale Passivum in ordine ad partes Divinæ Substantiæ, quod quidem UBI præsentiale tanquam proprius et per se terminus terminat motum Lationis qui secundum totam suam realitatem est indifferens ut fiat aut in pleno, aut in vacuo: dumquè fit in vacuo, hunc certè et non alium potest habere terminum. Cæterum non debet dici propter hoc UBI Passivum præsentiale motq cœli esse Localis, quià Divina substantia, non est Locus rerum, sed tantum debet dici præsentialis, sicut et motq in vacuo factq, non esset vocandus Localis sed præsentialis, quatenq per illum motum continuò res acquireret aliam et aliam præsentiam: imò et adverbia Hic et ibi quibus explicarentur illæ præsentiæ, nō vocarent Localia sed Præsentialia: Porrò huic UBI præsentiali passivo tantum tribuimq ut possit terminare sufficienter motum, licet omnia corpora intra cœlum contenta annihilarentur.

THEOREMA NONUM

Omnes Substantiæ Spirituales sunt in Loco, solo DEO Glorioso excepto, cui ratione immensitatis suæ potiq cum Loco præsentialiter, quā in Loco Localiter esse convenit.

Modi essendi in loco sunt duplices.

NOTANDUM Dictum 1mum. Modi essendi in Loco, abinvicem distincti, sunt potissimum duo. Primus modus est Essendi in Loco INDEFINITE, id est sine fine, in omni Loco et etiam extra Locum omnem, in spatio imaginario, et hoc modus soli DEO convenit, quià Solus DEUS GLORIOSUS dicitur esse in Loco INDEFINITE et immensivè. Secundus modus essendi in Loco, est DEFINITE, id est, in Loco certo, definito et determinato, et hoc modo secundo scili: Definitè, omnes res creatæ tam corporeæ quam Spirituales sunt in Loco. Iste secundus modus essendi in Loco definitè est rursq duplex. Alius qui dicitur modus essendi in Loco DEFINITE CIRCUMSCRIPTIVE id est cum extensione partium, et cum commensuratione ~~partis~~ ad partes materiali Loci, et hoc modo omnia corpora dicuntur esse in Loco. Alius est modus essendi in Loco DEFINITE INCIRCUMSCRIPTIVE, id est sine commensuratione materiali ad partes Loci, et sine ulla repletione aut extensione, et hoc modo res Spirituales v.g. Angeli dicuntur esse in Loco, ut et nostrum docet Theorema. Dictum 2dum. Indivisibile Spirituale potest coextendi superficiei aut Spatio divisibili, quià licet sit indivisibile formaliter, est tamen divisibile virtualiter. Dictum 3tium: Superficies potest Locus Actualis denominari duplici de causa 1mo ideò, quià actualiter includit intra se aliquid quod ratione suæ molis extendit ipsam Actualiter, et de continuante atq partes sui Subjecti unientem facit illam terminantem per abruptionem illiq Subjecti: et per hanc causam corpora dicuntur esse in Loco, et ratione eorum etiam Substantiæ Spirituales. v.g. Si Angelq malus, in obsesso tantum diffundatur, per Quantitatem virtutis, quantum extenditur corpus obsessi per quantitatem molis, ita, ut superficies ultima continens

continens corpus sit quoque terminus sphæra Localis Angeli. Ideo ideò, quia Actu intra se continet aliquid,
quod Licet eum non extendat actu, nec faciat ultimam seu terminantem, tamen adhuc verum est dice-
re, quod ita intra hanc superficiem contineatur, ut nihil ejus sit extra, et hoc modo sunt in Loco Spiritua-
lia, undè si Angelus, per unum stadium äeris continui diffunderetur, utique non abrumperet äerem, ni-
illum extenderet eo modo quo extenditur Lapis, dum de superficie ipsius continua facit ultimam, et cavam con-
cavam, sibi quasi præparat, intra quam recluditur, adhuc tamen in extremitatibus illius stadii posset signari
certa aliqua superficies ad quam pertingat Angelus, sed ultra non progrediatur. et sic Actu diceretur ab ea conti-
neri. Dictum 4tum Hoc Theorema supponit substantias Spirituales intra hunc mundum existere, non
autem extra, ibi enim utique non existerent Localiter.

Probatio Theorematis.

Pars 1ma Theorematis probatur: Illud propriè est in Loco dicitur extra quod potest assignari corpus con-
tinens ex 4 Physicorum t. 43. Sed ita se habent Substantiæ Spirituales v.g. Omnes Angeli in hoc mundo exi-
stentes. Ergo sunt propriè in Loco. minor: quia nullus Angelus est ita præsentialiter per orbem diffusus quin ha-
beat terminum sphæra Localis, sive intrinsecum sive extrinsecum, ubi enim signari possit in circuitu
certa superficies ad quam pertingat, nec ulterius progrediatur, et dicitur intra hanc superficiem contineri
ita ut nihil ejus sit extra. Ergo. Pars 2da Theorem (DEUS non est propriè in Loco) Probatur: Quia Di-
vina Substantia ratione suæ immensitatis est ita præsentialiter diffusa ut nullum corpus extra habeat,
quod ipsam contineat et Localiter terminet, nec extrinsecè, ita, ut sit verum dicere, totam Divinam Substan-
tiam et totaliter intra superficiem hujus corporis contineri: neque intrinsecè, ita, ut sit verum dicere Divi-
nam Substantiam ita hanc superficiem attingere, ut nihil ejus ultra hanc reperiatur. Ergo. Confirmatur Autho-
ritate D. Augustini qui Lib. 83. Quæst. 20 dicit Deum non esse alicubi, quod enim est alicubi, debet Loco con-
tineri. Item D. Anshel. qui in monologio cap. 22 ait quod DEUS in nullo Loco propriè dicitur esse, quia omninò à
nullo continetur. PARS 3tia Theorem (DEUS est cum LOCO) Probatur: Deus ratione suæ immensitatis per il-
lapsum generalem est intimè præsens omnibus rebus tam incorporeis quàm corporeis: Sed Locus est res quædam
corporea. Ergo DEUS est illi præsens per illapsum generalem, et per consequens DEUS est cum Loco.

OBJECTIONES ET SOLUTIONES EARUNDEM.

Objectio 1ma (Res Spirituales non sunt in Loco) Probatur: Angeli non sunt in Loco: Sed ipsi sunt Spi-
rituales. Ergo. major: Quia Locus debet esse Locato proportionatus: At superficies non est proportionata
Spiritui, sed tantum corporibus. Ergo tantum corporum, non verò Angelorum potest esse Locus, et per conse-
quens Angeli non sunt in Loco. Confirmatur: Quia quando Philosophus 4 Physicorum docet superficiem esse Lo-
cum, tantum de Loco loquitur corporum, non verò Angelorum. Item plures S. Patres dicunt negare Angelos es-
se in Loco. RESPONDEO majorem Neg. deindè minorem Disting. Licet enim superficies non sit apta vel pro-
portionata, ut Angelos contineat circumscriptivè, eo modo, quo continet corpora, tamen apta est ut contineat
Definitivè incircumscriptivè, ita ut sit verum dicere, intra hanc superficiem sic Angelum contineri, ut eam
ca-

ean non sit. Ad confirmationem Concedo Philosophum statuere superficiem pro Loco rerum corporearum quia de illa disseruit, ut apta est circumscriptivè Locare Entia, attamen non licet indè inferre quin eadem Superficies possit dici esse Locus Angelorum, si consideretur ut est apta Locare definitivè Entia. Et certè sicut nihil repugnat Animam rationalem esse in corpore, tanquam Formam in materia, ita etiam multo minus repugnabit Angelum esse intra aliquam superficiem, tanquam Locatum in Loco. Ad aliam confirmationem Distinguo Authoritates S. Patrum. Licet enim negent in Loco illos esse secundum modum Essendi circumscriptivè, et per Quantitativam commensurationem, tamen non negant illos esse in Loco Definitivè incircumscriptivè per simplicem præsentiam. Objectio 2da (Deus est in Loco) Probatur Authoritate S. Scripturæ Ψ 67 Deus in Loco suo Sancto et Ψ 75 Habitatio ejus in Sion. et Gen. 28. verè Dominus est in Loco isto, et ego nesciebam. Item Isaiæ 67 Cœlum sedes mea etc. Ergo. Respondeo Dum S. Scriptura dicit Deum esse in Loco, non loquitur ut Locus est, seu ut exerceat munus Loci, quod est continere Locatum, sed ut Locus est res quædam, quomodo sicut est in aliis rebus per indistantiam, ita et in Loco, non autem per continentiam passivam.

Theorema Decimum.

Licet plura Entia corporea non possint naturaliter esse in eodem Loco: tamen plura incorporea, vel unum incorporeum, cum alio corporeo possunt.

Notandum: De rebus corporeis est ferè hic Difficultas, circa quam tres dicuntur esse opiniones. 1ma est Fernelii, qui tenet plura corpora, etiam naturaliter posse esse in eodem Loco. 2da Durandi et Paludani, qui tenent implicare contradictionem, ut duo corpora sint simul. 3tia est media Scoti et aliorum qui tenent plura corpora naturaliter non posse, supernaturaliter verò posse in eodem Loco collocari.

Probatio Theorematis.

Pars 1ma Theore. (Plura corpora non possunt naturaliter esse in eodem Loco) Probatur: Quæ sunt Quanta, quantitate molis non possunt esse naturaliter in eodem Loco: Sed omnia Entia corporea sunt talia. Ergo. Major: Quià una quantitas est naturaliter incompossibilis alteri Quantitati in eodem Loco, nec una aliam secum in eodem patitur spatio (nam ut habetur 4 Physicorum t. 76. Si dimensiones essent à corporibus separatæ, adhuc invicem repugnarent, et incompossibiles forent) quod Fides docet in Divinissimo Eucharistiæ Sacramento accidere, ubi videmus unam hostiam consecratam cum alia non penetrari sed Loca distincta petere. Ergo. Pars 2da Theorematis (Probatur sic) Quæ carent Quantitate molis, possunt naturaliter in eodem Loco simul esse: Sed Entia incorporea carent Quantitate molis. Ergo possunt plura esse in eodem Loco. Major: Quià quantitas molis est ratio præcisa cur plura Entia eundem Locum habere naturaliter non possint. ipsa enim Formaliter adfert rebus impenetrabilitatem. Ergo. Confirmatur: Quià in uno eodemque obsesso corpore, aliquandò unum, aliquandò plures spiritus esse videmus: imò in Evangelio legimus, unum idemque corpus obsessum fuisse, integrâ Dæmonum legione, quæ quidem legio claudebat in se juxta Romanorum consuetudinem 5556 Dæmones.

Objectiones et Solutiones earundem.

Objectio prima (Res plures corporeæ possunt naturaliter esse in eodem Loco) Probatur 1mo Experientia: Panis recenter coctus. item farina imbibit liquorem v. g. vinum, aquam etc. et sic plura corpora in eodem Loco collocabuntur

collocabuntur. Item: Vitrum, vel quidpiam aliud simile si impleatur vino vel aquâ, potest capere absque diffusione

ejus liquoris plures nummos, aut aureos, aut etiam argenteos immissos. Si verò impleatur idem vitrum cineribus

tunc amittet propè tantum aquæ, quantum admitteret, si non essent in eo cineres. Ergo res plures corporeæ [illegible]

Item candens seu ignitum ferrum compatitur secum ignem, et quidem in eodem Loco. Ergo. Probatur Secundo Ra-

tione: Nam plura Accidentia materialia ejusdem Subjecti sunt simul in eodem Loco cum ipso Subjecto et

sese penetrant adinvicem ut patet de albedine et dulcedine in Lacte. Præterea si unum corpus non potest es-

se cum alio in eodem Loco propter Quantitatem, hoc certè debet fieri propter aliquam repugnantiam

quæ inter illas quantitates intercedit: atqui talis repugnãtia nulla potest assignari. Ergo plures res cor-

poreæ possunt esse in eodem Loco. Minor: vel enim illa repugnantia esset Formalis vel Virtualis [illegible]

neutra potest dici. Ergo simpliciter nulla reperitur. Minor quoad primam partem scilic: non Formalis, quia

non potest esse nisi respectu ejusdem Subjecti, porrò duæ quantitates duorum corporum non sunt in eodem Subjecto,

~~[illegible]~~, sed diversa habent. 2da pars minoris: Scil: Non repugnantia virtualis, quiâ repugnantia virtualis

pertinet ad Genus causæ Efficientis (inter illas enim Formas invenitur tantum, quæ possunt producere

effectus inter se formaliter repugnantes: Sed duæ vel plures Quantitates, non sunt Formæ Activæ) Ergo. Respon-

sio: Ad omnes experientias Dico negando consequentiam. Ratio est, quiâ quandò panis recens est, imbibit liquorem

tunc ille liquor in ipsis poris panis recipitur: in omnibus enim ferè corporibus dantur partes, quarum aliæ

solidæ, aliæ autem porosæ: Nec in omnibus partibus est vinum, sed in quibusdam sola humiditas reperitur.

verò farina admiscetur aqua, tunc una non penetrat aliam, sed una juxta aliam ponitur, non enim illa [illegible]

penetratio eorum adinvicem, sed sola juxta positio. Neque in vitro vinum et nummi aurei seu argentei

eundem Locum occupant quasi sese penetrando, quiâ tunc partes vini superiores sursum ascendunt, fa-

ciendo quasi sphæricam figuram: porrò ideò ex vitro vinum eo tempore non elabitur, quiâ labia vitri [illegible]

sicca, quæ si madefacta fuerint, statim effluent vini partes illæ omnes, quæ aureis immissis sursum a-

scenderent. Item: Intra cineres credibile est äerem esse, quem adveniens aqua cogit recedere, tanquam le-

vius corpus sibi graviori, vel etiam aqua illa resolvit in crassos vapores, qui secum etiam alias partes cine-

rum auferunt. Neque ignis et ferrum sunt in eodem Loco quiâ ignis intra poros ferri candentis re-

cipitur. Ad Rationem Dico Illas Quantitates eidem potius subjecto inhærere quam ad invicem penetratas

esse, quiâ penetratio propriè convenit rebus corporeis distinctas quantitates habentibus qualia non sunt illa ac-

cidentia quæ unicâ extenduntur quantitate. Ad aliud nego minorem, ad probationem dico illam repugnan-

tiam posse dici virtualem, vel etiam materialem seu subjectivam. Objectio 2da (Res plures spiri-

tuales non possunt esse in eodem Loco) Probatur: Quæ sunt in eodem Loco, non sic possunt esse nisi [illegible]

penetrationem: Atqui penetratio naturaliter esse non potest. Ergo. Respondeo: Penetratio convenit re-

bus Quantis quantitate molis, non autem iis, quæ non sunt ita Quantæ, et quiâ Angeli seu res incorporeæ non

sunt Quantæ, ideò non dicuntur sese penetrare. Sit itaque de hoc Theoremate hoc loci satis dictum.

THEOREMA UNDECIMUM.

Plura corpora possunt esse supernaturaliter, in eodem Loco per mutuam penetrationem.

Notand

Notandum Dictum 1mum: Cur duo corpora non possint se penetrare naturaliter in eodem Loco, provenit hoc ex illorum quantitate: nam in quantitate duplex est passio seu aptitudo et utrique suus correspondet Actus proprius eo modo, quo potentiæ videndi videmus correspondere visum seu Actum videndi. Prima aptitudo est occupandi Locum divisibiliter, et hæc pro Actu habet actualem occupationem Loci seu repletionem, quæ repletio nihil est aliud nisi Actualis extensio in ordine ad Locum, et vocatur UBI circumscriptivum. Altera aptitudo quæ ex priori quasi manat est POTENTIA expellendi aliam quantitatem ab eodem spatio quod prius ipsa occupabat, et hæc aptitudo vocatur aliter impenetrabilitas quæ pro actu habet actualem exclusionem seu expulsionem alterius Quantitatis ab eodem Loco. Porrò ideò hæc à priori manat, quia unum corpus propterea aliud à proprio Loco arcet quia scilicet illum Locum occupat et replet. Dictum 2dum: Licet illæ duæ aptitudines prædictæ sint à Quantitate inseparabiles propter identitatem realem, quia quælibet propria Passio est eadem realiter cum Subjecto suo nec potest per ullam Potentiam ab ipso separari, tamen Actus illarum, cum merè sint accidentales, et non, nisi juxta communem cursum naturæ cum Quantitate connexi benè possunt saltem virtute Divinâ à Quantitate separari, potest enim DEUS facere (Licet virtus naturalis hoc non possit) ut causa naturalis sit sine suo effectu connaturali, præcipuè si ab illâ dependeat in Genere causæ efficientis, imò et in genere causæ formalis potest impediri talis effectus, modo sit secundarius. Notandum 2dum Dictum 1: Ut plura corpora in eodem Loco sese compenetrent potest DEUS facere duobus modis, duplicem Effectum actualem quantitatis propter quem naturaliter penetratio corporum fieri non potest impediendo. 1mo modo potest impedire utrumque illum Effectum quantitatis, scilicet: et repletionem et expulsionem, idque facit non concurrendo ad positionem illorum; vel aliâ quapiam ratione, et in tali casu erunt plura corpora in eodem Loco compenetrata, unum repletivè et alterum non, et hoc modo de facto fit penetratio corporis Christi in Eucharistia cum Quantitate specierum. 2do modo potest impedire unum Effectum ex illis scilicet: posteriorem, nempe ipsam expulsionem, non impedito priori, nimirum repletione seu occupatione, et in tali casu erunt plura corpora repletivè et occupativè in Loco quæ fundabunt suas relationes Situs et UBI ad eandem superficiem ambientem, et in hoc sensu corpora Beatorum de facto dicunt se penetrare per dotem subtilitatis, quæ non consistit in aliqua Physicâ Qualitate Beatorum corporibus inhærente, sed est potestas penetrandi omnia ex peculiari assistentia DEI omnia naturalia impedimenta auferentis. Dictum 2: Quantitas est ratio fundamentalis repugnantiæ plurium corporum in eodem Loco: Formalis verò et Actualis ratio talis repugnantiæ est ipsa Actualis expulsio & impenetratio, quæ quidem expulsio aut non est Effectus Formalis Quantitatis, aut si est, tunc solum est secundarius, quem Deus potest impedire, non verò primarius.

In Quantitate duplex est passio.

Repletio quid.

Subtilitas quâ Beati se penetrant quid sit.

PROBATIO THEOREMATIS

Probatur 1mo Si id fieri non posset hoc ideò quia penetratio corporum esset impossibilis. Atqui hoc est falsum: Ergo. Minor‡ probatur: quia majorem connexionem habet Quantitas cum UBI circumscriptivo quàm cum expulsione alterius Quantitatis ab eodem Loco: Sed potest Quantitas spoliari UBI circumscriptivo

‡ Quod scilicet: penetratio corporum non sit impossibilis probatur esse.

circumscriptivo (ut patet ex Div. Eucharistiæ Sacramento) Ergo et expulsione alterius Quantitatis pot-
privari. Major: Quia UBI circumscriptivum convenit Quantitati absolutè secundum se, expulsio ver-
venit in ordine ad aliud scilic. ad corpus quod expellitur: Undè sine Actuali UBI circumscriptivo non potest
naturaliter esse Quantitas, sine expulsione actuali verò optimè v. g. Si nullum corpus quod debeat exp-
Actu illi Quantitati approximetur. Confirmatur: Quia ut ex mysteriis Fidei colligimus, non semel
corpora Divinitus fuerunt penetrata. Ergo talis penetratio non implicat contradictionem. Ant: Nam
Christus Dominus ita ex Sacratissima VIRGINE natus est. Item clauso sepulchro et obsignato à mil-
is resurrexit illæsis signis omnibus. Item post resurrectionem, clausis januis (ut Evangelista testatur)
ad discipulos fuit ingressus. Item juxta D. Paulum tempore suæ ascensionis cœlos penetravit. Et li-
cet ad ista Testimonia afferat Durandus responsiones, tamen minus feliciter. PROBATUR 2DO: Quæ
sunt incompossibilia ob virtualem oppositionem, possunt se compati in eodem Loco saltem Virtute
Divinâ: Sed duæ quantitates, sunt incompossibiles in eodem Loco ob virtualem oppositionem. Ergo pos-
sunt se compati simul. Major: Opposita enim virtualiter non opponuntur sibi secundum se sed tan-
tum secundum suos effectus ut v. g. Lumen producens calorem in äere, opponitur virtualiter alteri a-
genti fortiori, à quo induceretur in eundem Aërem frigiditas. Opposita autem formaliter, sunt illa
quæ non solum secundum suos effectus, sed etiam et secundum se sibi opponuntur qualia sunt albedo et
nigredo, calor et frigus, et aliæ similes Qualitates: Sed potest DEUS impedire effectus cujuslibet cre-
aturæ v. g. subtrahendo concursum, aut aliâ ratione. Ergo potest tollere incompossibilitatem inter
quæ sunt opposita virtualiter. MINOR princip. Quia duæ dimensiones non repugnant formaliter (nam
repugnantia Formalis est ejusdem respectu Subjecti informati, quæ informatio non est in proposito a-
pud nos, sed est tantum respectu Loci qui secundum suam capacitatem natus est repleri) Ergo Duæ
Quantitates, non nisi ob virtualem oppositionem et repugnantiam sunt incompossibiles in eodem
~~[illegible]~~ Loco. PROBATUR 3TIO: Duo vel plura corpora esse in eodem Loco nihil est aliud, quam duo
corpora contineri ab eodem Loco: Sed nullum est inconveniens duo ita contineri. Ergo. MINOR: Quia
à duo corpora contineri ab eodem Loco, nihil est aliud quam unum Locum, id est superficiem, habere
duos vel plures respectus scil: duo vel plura Activa UBI: Sed hoc non implicat (quia duos respectus
seu duas Relationes ejusdem Rationis esse in eodem Subjecto, nulla est contradictio) Ergo. OBIICI-
ES: Ut se habent partes Quantitatis successivæ ad suum totum, ita etiam et partes quantitatis con-
tinuæ: Sed implicat duas partes Entis ~~permanentis~~ successivis esse simul duratione v. g. motus. Ergo implicat et
2 duas Entis permanentis esse simul Loco. RESPONDEO Neg. majorem. Ratio Disparitatis est, quia
in Quantitatis Successivæ conceptu Essentiali necessario includitur extensio Actualis partium in du-
ratione secundum prius et posterius, ita ut ~~[illegible]~~ una non existat cum alia simul, sed necessario post aliam

atque ideò non potest constitui essentia Quantitatis successivæ per solam aptitudinem ad extensionē successivam, quicquid enim caret successione Actualiter, licèt illam possit habere secundum partes suas, non est Ens successivum sed potius permanens ut patet de calore et aliis Qualitatibus successivè acquisibilibus: At verò partes Quantitatis continuæ, cum omnes simul existant, possunt sibi invicem in eodem Loco coexistere. INSTABIS 2do: Si duo corpora possunt esse in eodem Loco. Ergo et duæ partes ejusdem corporis v. g. manus cum manu, vel pede poterit esse invicem sese penetrando. Conseq. falsum. Ergo et Ans: Sequela: quià par est ratio; sicut enim diversa corpora, diversis naturaliter gaudent Locis, ita etiam diversæ partes ipsorum diversis partibus et continentiis Locorum. Falsitas: quià ex illo consequenter multa incredibilia sequunt. Nam sic pars foret æqualis toti, et totum in quavis sua parte minima posset includi. Item: Non solum camelus seu funis crassissimus, sed etiam quercus aut ingens saxum, et alia, quantumvis maxima moles, posset transire per foramen acus. Item: Cœlum, imò et totum universum posset in una minima nuce recludi, quæ quidem omnia tollunt quantitatis naturam, cui convenit semper habere partes extra partes, ut faciat extensionem. RESPONSIO: Hoc Argumentum duplici opus habet responsione. Quia duplicem habere potest sensum. PRIMUS: Si illa corpora sint in eodem Loco circumscriptivè, nec partes unius corporis sese penetrent adinvicem. SECUNDUS Si unius corporis partes adinvicem penetrent. Si in secundo sensu arguis, tunc nego Falsitatem, et ad probationem Dico negando ullum sequi indè inconveniens: quià ratio essentialis quantitatis non consistit in extreitate actuali partium in ordine ad Locum; sed in extreitate partium, in ordine ad Locum aptitudinali seu in Actu primo: undè cum possit Deus facere, ne aptitudinem suus sequatur Actus, non erit impossibile, ut partes ingentis magnitudinis in puncto spatii sese compenetrent, atque sic et camelus vel quercus per foramen acus transibit, et cœlum ac totum universum, in una recludetur nuce, et ita de facto contingit in Sac. Eucharistia de partibus corporis Christi Domini, neque per hoc tollit inæqualitas quæ est in parte respectu totius, nam semper suapte Natura, majorem extensionem Localem exigit totum, quàm pars, et sic de facto totus Christus Dominus sub speciebus Sacramentalibus est major suo digito tam in ordine ad se, quàm in ordine ad Locum. QUÆRES Si virtute Divinà reducatur Quantitas totius manus ad Locum digiti, an eo tempore manus futura est digito æqualis? Dico extrinsecè scilicet: respectu Loci, quem eo tempore haberet digitus fore æqualem sed radicaliter et intrinsecè nequaquam, quià adhuc manus ipsa major erit digito, plures enim partes continebit manus quàm digitus et majorem postulabit extensionem manus in Loco quàm digitus, licet de facto tunc careat illo loco. Si autem arguis in 1mo sensu, tunc Nego Sequelam. RATIO, quià non valet consequentia (Duo corpora possunt esse Divinitus in eodem Loco circumscriptivè. Ergo pariter duæ partes, vel plures illorum corporum, ita scilicet circumscriptivè in Loco existentium) non sequitur. nam

cum

cum esse in Loco circumscriptivè sit ita esse in Loco, ut totum corpus toti Loco correspondeat, et ejus partes, singulis Loci partibus, planè implicat in terminis, ut et illa corpora sint in Loco circumscriptivè, et præterea partes ejusdem corporis sint invicem compenetratæ. Nam si verum est, partes ejusdem corporis se ita compenetratas, tunc omninò opus erit indè sequi, corpus illud, cujus sunt partes, non esse in Loco circumscriptivè. Et licet non implicet absolutè penetratio partium adinvicem, quià si illam admittimus in corporibus, et partibus quoque admittere debemus ut patet in Eucharistia: sed implicat factâ suppositione, quod scilicet corpus cujus partes deberent esse tunc compenetratæ sit in Loco circumscriptivè. Instabis 2do: adducendo inconvenientia multa: Sequeretur enim 1mo Quod et infinita corpora possent esse simul in eodem Loco. Sequela: non est major ratio ut possint esse duo, non autem centum vel mille, vel infinita. Falsitas: Quià sic quodvis contineri ab eodem Loco seu superficie, et tandem una superficies haberet plures circumscriptiones activas, et causaret plures continentias passivas. 2do Sequeretur, illa duo corpora in eodem Loco compenetrata, esse et duo per suppositionem et unum per unitatem Loci in quo sunt simul. Sicut enim punctum cum alio puncto simul, non nisi unum facit punctum, et superficies cum superficie non nisi unam constituit superficiem, ita de corpore posito cum alio corpore est opus dicere. 3tio: Sequeretur Locum non esse Locato adæquatum. Sequela: quià recepto isto, adhuc aliud Locatum posset recipere. 4to: Dato hoc, tunc ab uno puncto continentis possent duci duæ lineæ rectæ ad punctum Locati, quod est falsum, quià à puncto ad punctum non nisi una tantum Linea recta potest duci. Sequela: Quia tot possunt duci lineæ à puncto ad aliud punctum correspondens, quot sunt corpora in ipso. 5to Tunc et Lupus cum Ove, et canis cum Lepore, et accipiter cum columba, et ignis cum aqua, imò et hostilis exercitus cum alio exercitu possent esse simul in eodem Loco.

RESPONDEO Neg. 1mam, 2dam et 3tiam Falsitatem, quandò enim plura corpora sunt in eodem Loco simul, tunc quodlibet corpus habet UBI passivum, seu circumscriptionem passivam, undè et Locus seu superficies contineret illa corpora plura, tot habebit ubi activa, quot corpora habebit contenta, ita, quod per unum ubi contineat unum corpus, et per aliud UBI aliud corpus. Ad 2dum Illa duo corpora, essent et duo et unum, sed alter atque aliter, essent enim unum penetrativè, quià ambo non facerent majorem molem, quam si unum essent tantum corpus, essent autem duo Entitativè. Sicut etiam ex uno puncto addito alteri puncto, licet fiat unum quid penetrativè, nam ex ipsis non consurgit aliquid majus quantitativè; tamen non fit unum quid Entitatè ex ipsis sed sunt omninò duo Entia Entitativa. Ad 3tium inter Locum et Locatum duplex potest concipi adæquatio. 1ma secundum magnitudinem et extensionem, quià scilicet Locus nihil majus continere potest, quam sit ambitus ipsius, nec Locatum potest habere minorem Locum. 2da secundum multitudinem priorem admittimus, non autem posteriorem. Quod si dicas unum Locatum esse adæquatum etiam secundum multitudinem capacitati Loci. Dico id verum esse de capacitate naturali, non autem obædientiali; quod ita accipe, quasi sint duæ capacitates realiter distinctæ, sed ita, ut sit eadem ad diversa agentia comparata, et respectu unius dicatur limitata, respectu verò alterius interminata. Ad 4tum Dico, duo

Inter locum et locatum duplex est adæquatio.

fore puncta Entitativè tam ex parte Loci, quam Locati licet unum sit situaliter, sicut et duo corpora quoq. Ac proindè duæ rectæ Lineæ ducentur à puncto Loci et punctum Locati correspondens, sed illas Lineas ita opus erit esse compenetratas sicut et puncta earum ad quæ terminantur sunt compenetrata. Ad 5tum Concedo Sequelam Scil: Aquam et Ignem et alia enumerata posse simul in eodem Loco esse per penetrationem, Nego autem consequentis falsitatem aut implicantiam. Quæres 1mo Quænam sit futura concordia inter ista omnia fuerint simul; vel enim habebunt suas Qualitates aqua et ignis, quas habent dum in diversis Locis existunt, vel non? 2dum dici non potest, quià sublatis Qualitatibus, rem posse permanere, non est credibile. 1mum quoquè repugnat, nam tunc unum impetret aliud, et cum ipso rixaretur, et tandem perimeret. Nec valet si dicas per subtractionem Divini concursus illas qualitates eo tempore non prodituras in Actum secundum ut accidit in fornace Babylonica, in quam tres pueros injectos, ignis vehemens non combussit; non valet inquam, quià tunc multiplicarentur miracula, et deindè adhuc maneret difficultas, an unum corpus perimeret aliud, si qualitates ipsius relinquerentur suis viribus et naturæ. Rdeo pro nunc (salvâ aliâ meliore resolutione) Concedo in aqua et igne fore easdem qualitates, etiam tunc, dum sunt simul in eodem Loco, Nego autem inde sequi, ut unum perimatur per aliud, quod fiet non ob subtractionem concursus Divini, sed ob defectum contactus actualis, quià scili: eo tempore unum non tangeret aliud, nam ut corpora sese tangant adinvicem, opus est, ut sint contigua, quià ex 5 Physicorum cap. 3. (ea se tangunt, quorum extrema sunt simul, et est quorum extrema sunt contigua) non possunt autem esse contigua, nisi per ipsasmet superficies, quæ superficies in illo casu sese penetrabunt mutuo, quià Deo impediente, impenetrabilitas ipsius propria passio debitum Actum non habebit, ac proinde ignis et aqua ita se tunc gerent ac si non essent sibi approximata, quià tantum entitativè, non autem quantitativè erunt simul. Non sufficit autem entitativa approximatio ad hoc, ut unum agat in aliud scili: alterativè. Porrò, quod hoc fiat absq. subtractione concursus Divini, indè colligimus, quià dum ignis manet in suo centro (v. g. ut vulgo docetur sub concavo Lunæ) certum est, quod nihil corrumpat, et in nihil corruptivè agat, et tamen non dicimus id fieri miraculosè scil: per subtractionem concursus; ita et in casu præsenti idem est dicendum. Quæres 2do: An ignis, qui non agit in aquam secum in eodem Loco existentem ageret in sulphur vel stuppam, si illi tunc approximaretur? Rdeo Affirmativè: nam potest DEUS impedire contactum ad aquam, stante contactu ad sulphur, et ad alia corpora: Actio verò Physica, qualis est ipsius ignis, fit per contactum. Quæres 3tio: An unum animal sentiret vel cognosceret se ab alio esse penetratum? Rdeo pro nunc Negativè, quia deest contactus actualis inter illa. Dices: Sublato sensu tactus, tollitur Animal. Ergo tunc tollerentur illa animalia quià non sentiret. Rdeo sensum tactus pro tunc tolli, in Actionem tamen sentiendi non prodire ideò, quià ille contactus, qui secundum superficies fieri solet, tunc esset impeditus. Quæres 4to: An tertium Animal cognosceret illam duorum Animalium penetrationem, et an tangendo unum ipsorum, tangeret statim alterum? Item: An ad motum unius, alterum quoq. deberet moveri? An verò quodlibet suo gauderet motu naturali? Item: Si hinc duo darentur penetrata animalia v. g. Canis cum Lepore, illinc deindè etiam

℞ Adinvicem duo ejusdem speciei scil: canis quoq cum Lepore, quomodo sese haberent [illegible]. RESPONSIO Dico has et si-
les imaginationes consequenter juxta prius dicta esse solvendas: Ista enim penetratio inter duo corpora
facta, non impedit Actionem tertii corporis, circa alterutrum illorum duorum, et potest fieri q[uan]do
dum transeuntis, et ita se habebit Lepus cum hoc cane penetratus erga alium canem et ergo alia cor-
ra atq entia omnia, ut se habere solet extra talem penetrationē. INstabis 3tio: Si ista pene-
tratio corporū est possibilis, utiq Dominus DEUS, Sanctum Felicem p[er] illam potius, quam p[er] aranea
telam ab impetu Lictorum servasset incolumem. ℞deo Possibile fuisse Domino ut hac penetratio-
ne et mille modis aliis suus servaret servus, aliter tamen factum est, quia sic placuit ipsius Divinæ
majestati.

THEOREMA DUODECIMUM.

Quid p[er] Sphæram Loci naturalis intelligat[ur].

Nulla Res corporea, aut incorporea potest Naturaliter simul esse in pluribus Locis adæquatis, vel inadæquatis, extra propriam Sphæram sui Loci Naturalis.

Notes hoc Theorema in omni Schola esse receptum, sicut et præcedens immediate. Porro p[er] Sphæram Loci naturalis, nihil aliud intelligit[ur], nisi continentia illa seu circumsparentia, intra quam res creata to-
tam virtutem et totaliter claudunt, v.g. Si faceres circulum vel etiam globū p[er]fectum, quem res cre-
ata repleret suā quantitate, sive molis, sive virtutis, tunc illa continentia diceret[ur] Sphæra natu-
ralis Loci, qui rei creatæ debet[ur]: Quod si verò ultra superficiem illius circuli vel globi, unam aut duas Lo-
ci vel superficiei, vel spatii extrinseci portiones (vel particulas) assignaveris, iam hæc portio à te assignata dicet[ur]
inadæquatus extra propriam Sphæram Loci naturalis, quia respectu illius globi vel circuli erit quid ex-
guum illi globo inæquale, et inadæquatum. At si alium globum priori omninò æqualem feceris, tu-
deberet dici ille globus esse Locus adæquatus alius: Unde si res corporea utrumq hunc repleret globum, dicere-
tur esse in pluribus Locis adæquatis, quod certè naturaliter fieri non potest, ut in prima parte Theorematis di-
cit[ur], si enim repleret unum globum, et præterea ultra continentiam ipsius adhuc repleret, et illam sup[er]ad-
tam huic globo portionem, seu particulam unam, vel plures, tunc diceret[ur] in pluribus Locis esse inadæqua-
tis extra propriam Sphærā sui Loci naturalis.

PROBATIO THEOREMATIS.

Pars 1ma Probat[ur]: Ille est Locus adæquatus, quem res corporea, vel incorporea replet secundum sub-
stantiæ vel Quantitatis limitationem, et ad quem replendum movet sese secundū ultimū sui
posse, et secundum omnes vires suæ motricis potentiæ: Ergo non potest res plura talia Loca a-
quata replere naturaliter, et p[er] consequens neq in illis esse. Posterior consequentia est clara
esse in Loco est replere Locum. Prior autem probatur: Quia alias p[er] hoc amitteret res limitatio-
Quantitatis, corporea molis, et incorporea virtutis, et locus ipse, qui supponit[ur] esse adæquatus
jam non esset adæquatus, quia res locata excederet ipsius terminos. PARS 2DA probat[ur] ea-
ratione quod scilic: non possit fieri naturaliter ut res creata sit in Locis inadæquatis, quos Sphæra natura-
lis Loci talis rei non cludit intra se quia loquimur hic de Loco, qui naturaliter toti Quantitati

molis in re corporea et virtutis in incorporea correspondet: Ergo si Locus v. g. Palmaris adæquatè respondet rei corporeæ, aut incorporeæ, et repletur ab illa re per præsentiam palmarem, jam implicabit naturaliter rem extendi posse ad replendum simul, quantumvis exiguum spatium quod extra illum Locum adæquatum scilic: palmarem existit: Nam si istud spatium extra Locum palmarem existens, potest naturaliter res locata replere, sequetur inde omnino, illum Locum palmarem esse et adæquatum, et inadæquatum. Adæquatum ex suppositione, Inadæquatum verò quià terminos ipsius res locata excederet.

Objectiones et Solutiones earundem.

Instabis 1mo: Quod potest habere naturaliter plura UBI, simul et semel, illud potest naturaliter esse in pluribus Locis (Quià esse in pluribus Locis, nihil est aliud, nisi habere plura ubi) Sed res creata potest naturaliter habere plura UBI. Ergo potest esse naturaliter in pluribus Locis. Minor: Plura UBI possunt naturaliter fundari in eodem numericè fundamento. Ergo. Ans: Quià respectus extrinsecus advenientes, possunt naturaliter plures fundari in eodem numericè fundamento: Sed UBI est respectus extrinsecus adveniens (quià est Relatio loci ad locatum et Locati ad Locum, quæ inter Locum et Locatum non consurgit, nisi hæc duo extrema approximentur) Ergo. Major: Plurificatio respectuum intrinsecus advenientium de quibus minus videtur fit naturaliter (una enim albedo naturaliter fundat plures similitudines, et unus homo plures paternitates) Ergo tanto magis poterit fieri naturaliter plurificatio respectuum extrinsecus advenientium. RESPONSIO: Neg. 1 minorem. 2 Ans. 3 majorem. 4 Consequentiam: Ratio Disparitatis est, quià quandò alicui subjecto convenit mutatio positiva et privativa simul, tunc naturaliter non potest fieri mutatio positiva absque privativa v. g. non potest fieri naturaliter tabula alba, nisi prius privetur nigredine: Quandò verò alicui subjecto convenit mutatio tantum positiva, et non privativa, tunc naturaliter potest fieri positiva absquè privativa v. g. potest äer Lucem suscipere, licet nulla qualitate opposita Luci privetur, quià talis nulla datur. Ad propositum: Relationes extrinsecus advenientes præcipuè autem Ubicationes, non acquiruntur nisi per mutationem positivam et privativam: nam motus ad diversa UBI, est veluti ad contrarias formas positivas, et ideò absolutè loquendo non potest facere natura, ut corpus acquirat unum UBI, et non privetur alio, quià circa talia UBI concurrit mutatio simul positiva et privativa: At verò in acquisitione respectuum intrinsecus advenientium v. g. similitudinis aut paternitatis, non contingit illud: Ut enim album, quod est modo simile albæ chartæ fiat etiam simile albo parieti, non est opus ut amittat illud esse simile prius in ordine ad chartam. Instabis: Pluralitas Locorum occupatorum, non excedit capacitatem rei (alias nec virtute DEI posset poni in pluribus Locis) Ergo nec virtutem Activam naturalem excedit. Conseq. Quià naturalis capacitas passiva, naturali Activæ commensuratur, quod saltem de Angelo videtur non posse negari, quià adæquatio ejus cum Loco non est per commensurationem, qualis est adæquatio corporis. R. deo duplex est capacitas rei passivæ. Alia Obedientialis, quæ correspondet activitati agentis supernaturalis. Alia naturalis quæ corres

Capacitas est duplex rei passivæ

correspondet activitati Agentis Naturalis. Licet ergo pluralitas Locorum adæquatorum [illegible] priorem capacitatem scil: Obedientialem, tamen excedit posteriorem scilic: Naturalem. Angelus [illegible] cet non commensuretur ipsi Loco mathematicè, tamen Entitativè et metaphysicè per limitationem Entitatis omninò commensuratur.

THEOREMA DECIMUMTERTIUM

*(incircumscriptè)

Corpus quantum potest supernaturaliter esse in Loco incircum-*scriptè ad modum Spiritus: imò et in pluribus Locis adæquatis, i-dem met numero potest existere, quod idem et Angelo convenit.

Notes Cognitionem modi, quo res corporea existit in Loco indivisibiliter, posse peti ex cogni[tione mo]di quo res incorporea est in Loco divisibili. Nam sicut Angelo, quamvis sit ex natura sua in[divisibilis] convenit esse in Loco divisibili indivisibiliter propter præsentias quas fundat in se, in ordine ad p[artes Lo]ci tot, quot sunt partes proportionales Loci‡, et ad diversas partes illius terminantur, ideò per illas [consti]tuitur Angelus in Loco divisibili, et quia istæ præsentiæ eædem ex parte Subjecti scilic: Angeli [fun]dantur sunt indivisibiles, et proinde singulæ in toto Subjecto, ideò per illas præsentias Angelus e[st] totus in toto Loco, et totus in singulis partibus illius Loci. Ita corpori quamvis, sit ex [se] divisi-bile convenit etiam esse in Loco indivisibiliter, instar ipsius Angeli propter præsentias, quas po[test] in se fundare etiam ad idem punctum Loci, tot, quot habet in se partes proportionales [etc.] omnes ipsius partes erunt eidem Loco indivisibiliter præsentes, etiam puncto, si illæ singulæ præ-sentiæ ad idem punctum terminari supponantur: non implicat ergo corpus esse in Loco indivisibiliter ad modum Angeli, cum hoc tamen discrimine, quod licet præsentia corporis et Angeli conveniant quoad rationem respiciendi Locum indivisibiliter, adhuc tamen differunt, quia præsentia corporis [est di]visibilis ex parte Subjecti, non autem præsentia Angeli: implicat enim Subjecto divisibili inesse acci[dens] Spirituale et indivisibile.

‡ quæ præsentiæ quia sunt divisibiles ex parte Loci et ad diversas etc.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS PRIMA (Corpus potest supernaturaliter esse in Loco incircumscriptivè) Probatur: [De]us potest privare corpus suo connaturali modo essendi in Loco, et ponere illud in eodem indivisibiliter ad modum Spiritus. Ergo. Ans: Quia potest DEUS impedire effectum naturalem corporis replendi [Lo]cum Actualiter; et consequenter potest privare corpus positione de prædicamento ipsius Situs per quam nihil aliud intelligitur, nisi materialis commensuratio totius corporis ad totum L[ocum] et partium ipsius, ad partes hujus. Ergo. PARS 2DA THEOREMATIS (Corpus idem numero tem Angelus potest esse in pluribus Locis supernaturaliter) Probatur: Quod supernatura[li]ter potest habere plures præsentias adæquatas, illud potest supernaturaliter esse in pluribus Lo[cis a]dæquatis (quia idem est, esse in pluribus Locis adæquatis, et habere plures præsentias adæquatas [quia] rem esse in Loco, nihil aliud dicit nisi respectum præsentiæ extrinsecus advenientem) Sed po[test]

naturaliter idem numero corpus et Angelus habere plures præsentias adæquatas. Ergo. minor: Quia plures præsentiæ adæquatæ non repugnant rei, nec implicat ipsas simul esse, in re. Ergo. Ans: quia plurificatio respectuum præcipuè extrinsecus advenientium, quales sunt præsentiæ ad Locum, non implicat absolutè super idem fundamentum (nam etiam respectus intrinsecus advenientes, de quibus minus videtur, ita multiplicantur) videmus enim in eadem albedine plures similitudines fundari etiam naturaliter. Ergo. Confirmatur: quia hoc de facto verum esse fides Catholica nos docet, nam Sacratissimum corpus CHRISTI Domini idem numero in pluribus hostiis consecratis, incircumscriptivè existit: Porrò CHRISTI DOMINI CORPUS esse quantum est certissimum, quia idem numero est in Altari, quod existit in Coelo. Si autem implicaret contradictionem corpus quantum esse definitivè incircumscriptè; iam nec corpus Christi Domini ita posset existere in pluribus hostiis consecratis, cujus oppositum omninò firmissimè tenemus. Præterea licet natura non possit causare mutationem positivam sine privativa in iis subjectis, in quibus possunt ambæ mutationes istæ concurrere, undè non potest communicare albedinem subjecto nisi prius privet illud nigredine: Neque hanc præsentiam in ipsum introducere, nisi prius ab eo tollat præcedentem: Tamen id non potest denegari Divinæ Omnipotentiæ, quæ sicut duo contraria potest in eodem subjecto componere, ita à fortiori duas vel plures præsentias, quæ non sunt contraria.

Christi Domini corpus est quantum.

Obiectiones et earundem solutiones.

Obiectio 1ma. Corpus non potest poni in Loco incircumscriptè et indivisibiliter. Probatur: Quia corpus quantum non potest esse in rerum Natura absque sua figura: Sed si posset esse in Loco incircumscriptè, omninò deberet esse absque figura sua, (quia figura ista corporis consistit in tali extensione partium in ordine ad Locum) Ergo. Item 2do Angelum esse in Loco divisibiliter ideò repugnat, quia ex natura sua est indivisibilis. Ergo etiam corpori repugnabit esse in Loco indivisibiliter, ideò, quia est in se divisibile. Item 3tio Repugnat corpori existere indivisibiliter (quia corpus est divisibile, iam verò divisibile existere indivisibiliter, omninò repugnat) Sed esse in Loco incircumscriptè seu definitivè, est esse indivisibiliter. Ergo. R. ad 1mum: Corpus duplicem habet figuram. Aliam Intrinsecam quæ attenditur penes ordinem partium in toto et ad invicem, et hanc figuram corpus semper retinet, etiam tunc, quandò existit in Loco indivisibiliter. Aliam Extrinsecam quæ attenditur penes ordinem partium in Loco, estque corpori accidens per accidens, et ab ipso corpore est separabilis; Licet ergo corpus non possit in rerum natura existere absque figura intrinseca, tamen potest absque extrinseca. Ad 2dum Nego Consequentiam, quia non est paritas; Angelus enim non potest esse in Loco divisibiliter quia extensio rei in Loco, supponit extensionem rei in se, sicut ~~[illegible]~~ naturaliter, (Ad... secundus præsupponit primum: At non ita necessarium est id, quod est

Corporis duplex Figura.

est in se extensum, debere esse etiam actualiter in Loco extensum, quia nec semper opus est [illegible]
secundum tactui primo esse conjunctum. Ad 3tium Licet repugnet corpori existere indivisibili-
ter, prout Ly (indivisibiliter) dicit omnimodam et perfectissimam indivisibilitatem, ta-
men repugnat existere indivisibiliter, prout indivisibiliter dicit aliquam imperfectam in[di]-
visibilitatem. Quia modus essendi corporum in Loco definitivè virtute DEI non est undi[quaque]
indivisibilis, sed tantum ex parte spatii seu Loci quatenus indivisibiliter, et sine ordi[ne exsta]-
nit totum corpus et partes ejus in Loco: At ex parte subjecti est divisibilis, et in hoc [differt]
à modo essendi in Loco spirituum, et talis modus essendi in Loco indivisibiliter non [repugnat]
corpori, ut subjstat potentiæ obedientiali, licet repugnet, ut comparatur ad agens natural[e]. [Insi]-
stabis: Partes adinvicem esse confusas in corpore, repugnat naturali compositioni [corporis]
(quia semper una pars debet esse extra aliam, et magis ab hac, quàm ab illa distare) Sed si [incir]-
cumscriptè seu indivisibiliter posset corpus esse in Loco, omninò illæ partes corporis essent
confusæ (nam omnes æqualiter abinvicem distarent, quia essent æqualiter præsentes [in]-
visibili puncto Loci omnes) Ergo corpus non potest esse in Loco incircumscriptè ad modum [spi]-
ritus. RESPONDEO Disting. majorem: Licet enim partes esse confusas Entitativè aut
Quantitativè repugnet constitutioni naturalis corporis; tamen situaliter et quoad [lo]-
cum esse confusas minimè repugnat. Porrò in casu nostro essent solùm partes illæ conf[usæ]
secundo, non autem primo modo: Quia licet singulæ illius corporis partes essent confusæ in
Loco, quatenus singulæ sunt in eodem puncto Loci compenetratæ, tamen adhuc inter [il]-
las erit ordo et distantia entitativa quatenus pes non erit immediatè conjunctus ca-
piti, imò et quantitativa erit quatenus adhuc singulæ partes illæ sunt futuræ ex-
gitivæ ex natura sua distinctorum Locorum et situum: et hoc ipsum sufficit ad na[tu]-
ralem compositionem corporis quanti; distantia enim situalis partium ad invicem [est]
penitus corpori accidentalis. OBJECTIO 2DA (Eadem res numero, non potest supernatu-
raliter poni in pluribus Locis incircumscriptè) Probatur: Eadem res non potest simul es-
se in diversis temporibus v. g. Non potest simul idem corpus esse totâ hac die hodiernâ, et to-
tâ crastinâ (quia nec ipsa tempora possunt esse simul; impossibile enim est, ut dies crastina
simul cum hodierna existat, quia dies crastina ex natura suâ debet succedere diei hodier-
næ, non autem simul esse cum illa) Ergo nec in pluribus Locis simul esse poterit. Item [res]
esse in Loco Definitivè, est ita esse hic, ut non alibi; Ergo implicat in terminis posse rem
poni

...i in pluribus Locis Definitivè. Item 3tio Qualibet res creata est Limitata quo ad Locum
Ergo. Ans: Quia est limitata quo ad esse. Ergo et quo ad Locum. Consequentia ista patet, quia li-
mitatio rei creatæ ad Locum provenit ex limitatione Entitatis ipsius. Ergo si est limitata quo ad es-
se, sequitur quod etiam sit limitata quo ad Locum. RESPONDEO Neg. Sequelam quia non est paritas
de Loco et Tempore, quod enim res non possit esse simul in diversis temporibus, provenit hoc ex parte
ipsiusmet Temporis cujus natura in continuò fluxu consistit, undè nunquam duo Tempora v. g. duo
dies vel tres possunt esse simul, ut excluditur successio. At Loca sunt Entia permanentia et per-
manent, non verò fluunt. Ad 2dum modus essendi in Loco Definitivè dupliciter solet usurpari. 1mo modo
ut idem significat, quod esse in Loco incircumscriptè, quo sensu appropriatur rebus incorporeis. 2do modo
ut dicit negationem cujuscunque alterius Loci, in quo sensu omnibus convenit rebus creatis quæ ex
vi potentiæ naturalis unum certum Locum sibi determinant. Licet ergo in isto secundo sensu ni-
hil possit poni in pluribus Locis Definitivè, quià hic est modus naturalis rerum essendi in Loco quem sibi
vendicant naturaliter, et eo privantur statim ac ponuntur in pluribus Locis: quod tamen in primo sen-
su potest poni aliquid in pluribus Locis Definitivè. Ad 3tium Neg. 2 Ans: 2 Conseq. quià non est par
Ratio, nam finitas in Entitate est modus intrinsecus realiter creaturæ identificatus: At verò Actu-
alis limitatio et determinatio ad Locum unum non item, quia Limitatio ad unum Locum est Actus con-
sequens aptitudinem, quam res creata habet ex vi potentiæ naturalis essendi in uno tantum Loco, quê
quidem Actum potest Deus impedire sicut et cujuslibet alterius aptitudinis actum naturali necessita-
te rei convenientem solet impedire. DICES 1mo Ergo tunc res erit illimitata quo ad esse, quià
erit illimitata quo ad Locum. RESPONDEO Neg. conseq. Licet enim tunc res diceretur illimitata quo
ad Locum, non tamen esset ideò illimitata quo ad Esse, nec deberet ab hoc censeri immensa, non
enim ista illimitatio esset in illa, ex principiis ejus intrinsecis, sed tantum ex potentia Agentis
infiniti, respectu cujus est in potentia Obedientiali, sicut a pari ex eo, quod res aliqua fuisset
ab æterno creata, non proinde participaret Æternitatem Dei, quià talis illimitatio in duratio-
ne non conveniret sibi ab intrinseco et necessario, sed tantum ab extrinseco et contingenter.
DICES 2do: Ergo res creata quo ad Locum erit limitata, et illimitata quod implicat. RESPON-
DEO Neg. implicantiam. Licet enim res creata in ordine ad Locum sit limitata et illimitata,
tamen hoc non ab eodem utrumque provenit: Quià est limitata quo ad Locum ex vi potentiæ na-
turalis, est autem illimitata ex vi potentiæ obedientialis. Porrò nullum est inconveniens rem cre-
atam in ordine ad Locum habere limitationem ex vi potentiæ naturalis et non habere ex vi obedien-
tialis, quià hoc non est novum, nam licet ex vi potentiæ naturalis passivæ materia non sit simul ca-
pax duarum Formarum Substantialium disparatarum v. g. non potest informari simul et semel Formâ
Lapidis et Formâ arboris: Similiter Licet Subjectum non sit capax duorum contrariorum v. g. albedinis

albedinis et nigredinis ex vi potentiæ naturalis, tamen est capax ex vi potentiæ obedientia-
lis. <u>DICES</u> Ergo per hanc potentiam obedientialem res creata fieret infinita. Respon-
deo Negando Sequelam: Quia potentia ista Obedientialis passiva in rebus comparata ad illud quod
excedit naturalem facultatem agentium naturalium, infert infinitatem, tantum in
potentia Agentis supernaturalis, à quo res elevantur, non verò in ipsis rebus creatis; unde res
istæ non fiunt per illam infinitæ, quia ista potentia Obedientialis est potentia passiva, quæ in
genere nullam dicit perfectionem. <u>Deinde</u> si in rebus datur potentia Obedientialis [illegible]
te illa non poterit esse sufficiens per se et completa. <u>INSTABIS contra idem</u>, quod ei-
dem res simul et semel non possit esse in pluribus Locis, quia alias idem posset esse à se
divisum. Consequens falsum. Ergo et Antecedens. <u>Sequela</u>: quia si Roma et Cracoviæ simul
stat, tunc existens Romæ esset divisum à se ipso existente Cracoviæ. <u>Item 2do</u> idem esset
distans et indistans respectu ejusdem Loci v. g. Si simul esset Romæ et Cracoviæ, tunc di-
staret à Cracovia, et non distaret quod est falsum. <u>Sequela</u>. Ut enim est Romæ, distat à
Cracovia, ut verò est Cracoviæ, non distat. Ergo. <u>Item 3tio</u> idem esset extra terminos pro-
prios et ultra extremitatem suam. Nam Locus ex 2 Physicorum est terminus et extre-
mitas Locati. <u>Item 4to</u>: Si idem posset esse simul in duobus Locis, ergo et bis posset poni in
eodem Loco, quia par est ratio. <u>Item 5to</u>: Aliàs unum Ubi, esset compossibile alteri Ubi.
Consequens falsum. Ergo. <u>FALSITAS</u>: quia si in eodem Subjecto sese compaterent, tunc
per UBI Cracoviense denominaretur UBI Romanum esse præsens Cracoviæ, et è contra, quod
manifestè est falsum, quia UBI cracoviense non est Romæ, nec UBI Romanum est Cra-
coviæ. <u>Sequela patet</u>, quia accidentia in eodem Subjecto existentia solent sese invicem deno-
minare ut patet de albo et quanto, nam dicimus Quantum album, et album Quantum. Divisum

RESPOND. <u>Divisum esse à se dupliciter sumitur.</u>

<u>esse à se ipso stat dupliciter scilicet quo ad ESSENTIAM, et quo ad LOCUM.</u> Licet ergo
in casu posito idem esset divisum à se ipso quo ad LOCUM, non tamen esset divisum quo
ad SUBSTANTIAM, non enim illa res in pluribus Locis replicata divideretur in plura se ipsa
ita ut plures evaderent entitates, sed semper esset eadem diversas fundans præsentias. Ad 2-

<u>Distans et indistans dupliciter accipitur.</u>

dum: Idem <u>esset distans et indistans à Cracovia, dupliciter potest intelligi 1mo per eandem
ubicationem. 2do per diversas ubicationes</u>; nullum ergo est inconveniens eandem rem per UBI Ro-
manum distare à Cracovia, et ab eodem non distare per UBI Cracoviense, unde
ob talem diversitatem præsentiarum salvatur contradictio. <u>Ad 3tium</u> [illegible] respondeo

responsio valet: Nam Locus est terminus et extremitas rei Locatæ, quo ad illam præsentiam, quā ipsum res Locata respicit, undè non potest res Locata per illam eandem præsentiam alibi constitui, benè tamen potest per aliam præsentiam. Ad 4tum Nego Sequel. quia non valet paritas, ut enim multiplicentur Relationes, requirit, ut saltem unum extremum scilic: terminus aut fundamentum multiplicetur: At pluralitatem ergo Locorum possunt multiplicari præsentiæ in re Locata. At manente unitate Loci et Locati non aparet ex quo capite relationes possint multiplicari. Ad 5tum nego Falsitatem. Ad Probationem dico, quod licet in Abstracto sese non denominet, tamen in concreto possit denominare v. g. dicendo: UBIcatum Romæ est ubicatum Cracoviæ, vel potius sic: Ubicatum Romanum est ubicatum Cracoviense, id est, res existens Romæ, seu fundans in se relationem ad Romam, est res existens Cracoviæ, seu est res fundans in se Relationem ad Cracoviam. Instabis 2do: Si res potest esse simul in pluribus Locis, tunc motus Localis poterit fieri ab uno extremo ad aliud extremum non transeundo per medium, poterit enim id fieri per immediatam productionem secundi UBI, quo res formaliter dicitur esse in alio Loco. Conseq. falsum Ergo et Ans. Item 2do Si idem corpus potest esse in pluribus Locis simul, tunc poterit in illis pluribus Locis existens agere in passa sibi approximata plurima, átque sic una scintilla poterit totum comburere mundum, et Angelus replicatus, vel etiam homo poterit omnia movere corpora in mundo quod non est credibile. RESPONSIO: Motus Localis est duplex. Alius qui est successivus includens totam realitatem motus. Alius est qui solam realitatem termini motus includit et vocatur propriè mutatio Localis potius, quam motus Localis. Licet ergo nequeat fieri transitus de extremo ad extremum sine transitu per medium, loquendo de motu successivo qui totam realitatem motus includit, tamen potest fieri, loquendo de motu posteriore qui dicitur mutatio localis et qui includit totam realitatem termini ad quem terminatur motus ille prior, undè in casu proposito fieret mutatio Localis acquisitiva absque deperditiva et hoc modo de facto fit Christus Dominus præsens in Sacratissima Eucharistia, non descendens à cœlo neque transiens per medium. Ad 2dum patebit per tertiam propositionem quam ex Doctore Subtili sequente Theoremate sumus Relaturi scilic (Sicut se res habet in uno Loco existens in ratione Activi, ad diversa passa ibidem sibi approximata, ita etiam se habebit ad illa eadem, dum in diversis existet Locis) quia per replicationem et repetitionem præsentiarum, non augetur virtus illius rei Activa, nec extensivè, nec intensivè. Quare sicut ignis, dum in uno Loco existit, non combureret omnia combustibilia, si essent sibi sufficienter approximata, sed ageret in aliquot illorum præcisè tantum, quod adæquatè ejus virtutem terminaret; Vel si in omnia approximata ageret

Motus Localis est duplex.

tunc

tunc valdè remissa illa Actio ejus foret: ita dicendum de scintilla in pluribus Locis replicata; nec mirum hoc debet esse quià virtus naturalis minor est in plura, quàm in pauciora, hoc eodem modo respondendū est ad instantiam de Angelo et homine, si enim hic Cracoviæ in movendo uno corpore totam suam exerat virtutem, iam alibi nullum ab illo movebitur corpus; sed si non exerat totam hic poterit et alibi movere, verum tanto debilius semper, quanto plura erunt movenda corpora. Dices si sic, ergo nec candela in pluribus locis replicata poterit illuminare, nisi tantundem aëris, quantum in uno Loco. R. deo Neg. paritatem. Quia candela non habet in passo tantam resistentiam, quæ ipsius retundat virtutem, ut accidit in aliis agentibus: Unde posset omnia illuminare Loca in quibus replicaretur, quià talis illuminatio fieret per productionem Luminis, quod Lumen secundum nostram sententiam est species lucis: Porrò non videtur negandum quod corpus ubicunque replicet, non possit species intentionales suas in medio multiplicare, aliàs non posset oculo videre, nisi tantum in uno Loco, in quo ejaculare tur eas.

THEOREMA DECIMUM QUARTUM.

Idem corpus numero potest Supernaturaliter in pluribus Locis adæquatis esse etiam circumscriptivè.

Dictum 1mū.

NOTANDUM 1mum. Circa positionem ejusdem corporis in pluribus Locis circumscriptivam, non minor est controversia inter Scholam Angelici Doctoris, et inter Scholam Subtilis Doctoris, quàm circa Actum Entitativum materiæ primæ: Hæc enim affirmat, illa verò negat. Dictum 2dum: Loquimur hic de Loco adæquato, qui scilicet ita locatum ambit, ut nihil aliud contineat præter Locatum, et contradistinguitur à Loco inadæquato qui autem est minor Locato aut major; item de Loco proprio, non autem de communi. Dictum 3tium: Aliud est dicere idem corpus posse in pluribus Locis esse circumscriptivè, aliud posse esse in uno circumscriptivè, in aliis verò Definitivè seu incircumscriptè: Unde Schola Angelici Doctoris in secunda hujus Dicti parte nobiscū convenit, in prima verò à nobis differt: Licet enim admittat idem corpus posse esse in pluribus Locis adæquatis, in uno circumscriptivè, in aliis verò tantum Definitivè ad salvandum Eucharistiæ Sacra. mysterium; tamen negat poni posse in pluribus Locis circumscriptivè. Dictum 4tum. Quià potentia naturalis in rebus est distincta ab obedientiali, non quidem entitativè sed in ordine ad Agens...

ideò dicendum est, multa convenire posse illis ratione potentiæ obedientialis, quæ non conveniunt ratione naturalis, quia per illam comparatur ad agens illimitatum, per istam verò ad agens limitatum. Neq; istæ potentiæ repugnant adinvicem quia ambæ sunt una potentia, ad diversa comparata, nec quæ conveniunt rei ex vi potentiæ obedientialis, dicunt*r* repugnare vel esse contra naturam illius, eo quòd non conveniunt ex vi potentiæ naturalis, quia non dicitur potentia naturalis, quasi ita determinatè petat *et* absolutè postulet ipsa Natura rei, sed quia ita petit in ordine ad Agens naturale, absolutè tamen est indifferens ad hoc & illud et ideò quæ conveniunt rei ex vi potentiæ obedientialis, dicunt*r* supra naturam rei non contra naturam. Undè licet ex vi potentiæ naturalis exigat corpus unam tantum circumscriptionem & continentiam: Tamen ex vi potentiæ obedientialis potest habere plures, nec ista pluralitas repugnabit naturæ quantitatis quia potentia non dicit*r* naturalis, quia sic absolutè postulet natura rei, sed quia ita postulat quatenus Actioni ~~qq~~ Agentis naturalis subest. NOTANDUM 2dum DICTUM 1. Ut veritati istius Theorematis præbeat*r* assensus, opus est familiarem sensui, qui assuetus est corporibus in uno duntaxat Loco existentibus excludere imaginationem, & potius sequi rationem, quæ ex natura ipsorum terminorum in hoc Theoremate positorum, hanc nobis monstrat veritatem. Dictum 2: Ut imaginationes partis adversæ, et argumenta, quæ solent contra hanc veritatem proponi ingeniosè et feliciter discutias atq; diluas, has ~~[illegible]~~ tres, ex ipsomet Subtili Doctoris Lib. 4 Sent. Distinct. 10. Quæst. 2 accipe propositiones pulcherrimas.

PROPOSITIO PRIMA Quæcunq; sunt priora essentialiter ipso UBI, uniformiter insunt eidem corpori, etiam tunc, dum in diversis existit Locis: nec variant*r* ad varietatem ipsorum UBI: quæ verò sunt posteriora ipso UBI, vel simul naturâ cum illo, ea omnia ad variationem UBI variant*r*. Hæc Regula esse vera indè colligit*r*, quia prius essentialiter, non variat*r* propter variationem posterioris; sed posterius benè variat*r* ad varietatem prioris: Similiter, quæ sunt simul naturâ cum aliquo, variant*r* cum illo. Ex hac propositione collige 1mo: Non esse opus, ut illa accidentia, quæ ordinem habent ad Locum, vel simul natura sunt cum Loco, cuiusmodi esse constat (iacere, abire, stare, sedere, quiescere, percuti, distare, propinquum esse) insint omninò eidem corpori in pluribus Locis replicato: quia hæc accidentia omnia consequunt*r* ipsum UBI, ideò ad variationem Locorum possunt variari, undè si Paulus sedet Cracoviæ, non est opus ut sedeat Romæ, sed potest sedere Cracoviæ et stare Romæ, item hic sedere, ibi autem currere. Colligendo, Formas Absolutas tam essentiales quam accidentales

quæ

quæ præcedunt ipsum UBi, cujusmodi sunt Formæ Substantiales, item propriæ passiones; item potentiæ omnes, item accidentia, quantitas, qualitas, Figura, temperies etc. easdem habet corpus etiam si dum in pluribus Locis existit, quia istæ Formæ præcedunt, non verò sequuntur UBi, ideò ad variationem Locorum non variantur, nam ad variationem respectus seu Relationis, non est opus variari absoluti.

PROPOSITIO SECUNDA Eodem modo se habet passum existens in pluribus Locis respectu Formarum absolutarum quas recipit ab Agentibus extrinsecis, quomodo se haberet si existens in eodem Loco pateretur ab iisdem agentibus. Quia formæ absolutæ sunt distinctæ ab UBi nec consequuntur UBi, ideò licet corpus Romæ sit prope ignem, non tamen est opus ut et Cracoviæ sit propè ignem, tamen si Romæ calefiat et recipiat caliditatem necesse est ut eandem caliditatem recipiat et Cracoviæ; et ratio diversitatis est, quia esse propè ignem, vel distare ab igne, est Relatio consequens intrinsecè Locum et est posterior Loco: At caliditas est forma absoluta distincta ab UBi, et quamvis producatur in suo esse post varios illos respectus, tamen quia est Forma absoluta, distincta ab aliis respectibus, absolutè recipitur in corpus absque ulla Relatione ad hoc vel illud UBi. Hæc propositio patet, quia ad hoc ut patiens patiatur ab agente recipiendo aliquam formam non oportet, nisi ut sit in potentia passiva, et Agens habeat Formam activam, et sint debitè approximata, sive in hoc UBi, seu in illo hæc postea fiat approximatio, nihil refert quantum spectat ad introducendam hanc Formam in illud passum. Sed passo posito in duobus UBi, habet ipsum, potentiam eandem ad Formam illam absolutam, et Activum habet eandem potentiam Activam et eodem modo potest approximari sibi, [illegible] in isto UBi, sicut si sit in alio UBi. Ergo eodem modo patietur, quantum ad omnem Formam absolutam à quocunque Activo sibi approximato, sive in isto UBi seu in quocunque alio: Sicut si tantum esset in unico UBi, et Agens esset sibi approximatum. Hoc idem potest concedi respectibus.

PROPOSITIO TERTIA: Corpus in pluribus Locis existens in ratione Activi, ita se haberet ad diversa passa sibi approximata, sicut se haberet si esset in uno UBi, et diversa passa essent sibi approximata. Hæc propositio probatur ex iis quæ dicta sunt in secunda propositione, nam Forma seu potentia Activa est eadem: seu in unico seu in pluribus sit, quia est Forma absoluta quæ non variatur ad variationem Locorum et UBi sed manet eadem semper. Ideò eodem modo semper se habet Activè respectu passorum. Omnes istæ propositiones fundantur in hoc Axiomate (Absoluta non mutantur ad mutationem respectuum) Et ideò omnes Formæ absolutæ, tam positivæ quàm privativæ, quia essentialiter non includunt respectum Localem, semper eædem insunt corpori, in quocunque Loco sit, et quantumcunque in diversis Locis ab agentibus diversis producantur in illo corpore, ut dictum est de eo, qui Romæ est propè ignem, Cracoviæ autem distat ab igne, si enim recipit caliditatem Romæ, etiam eandem Cracoviæ habebit, licet Actio calefaciendi non sit Cracoviæ. Unde opinionem eorum rejicimus, qui dicunt etiam Formas absolutas posse Divinitus variari ad variationem Locorum, et consequenter fieri posse, ut homo vivat Romæ, et moriatur Cracoviæ, vel ut Romæ sit Cæcus, Cracoviæ autem videns etc. Vide Theorema 16.

Probatio

PROBATIO THEOREMATIS.

Unum idemque corpus in pluribus Locis existere circumscriptivè non implicat contradictionem. Ergo potest supernaturaliter ita fieri. Ans probatur ex triplici fundamento. PRIMUM FUNDAMENTUM ab EXEMPLO seu Simili: quià vel illa contradictio proveniret ex parte præsentiæ in diversis Locis, vel ex parte modi essendi, neutrum potest dici. Ergo. Nō ex ima parte quià Fides docet idem corpus CHRISTI DOMINI verè et realiter simul præsens esse in diversis et à se distantibus Locis in diversis hostiis. Ergo. Consequentia ista. quià à facto esse ad posse est optima consequentia. Neque ex secunda parte, quià si ex prima parte non repugnat, neque ex hac secunda repugnabit. Hac consequentia probatur: quià existere circumscriptivè in pluribus Locis corpus, minus est miraculum, quam existere illud incircumscriptivè. Sed potest supernaturaliter corpus constitui (‡ in pluribus Locis) modo in extenso et indivisibili sua natura naturaliter repugnante (ut patet de CORPORE CHRISTI DOMINI) Ergo tanto magis poterit constitui in pluribus Locis, sub modo extenso, qui est illi connaturalis. Major: Quià hic unum tantum intervenit miraculum: exspoliatur enim corpus modo naturali Definitivo, circumscriptivo per quem ex vi potentiæ naturalis ita ad unum Locum limitatur terminatur, ut simul in alio esse nequeat: At verò ibi exspoliatur, nedum hoc modo connaturali Definitivo, sed etiam circumscriptivo, et certè difficilius est explicare quomodo corpus divisibile et extensum, possit esse in pluribus Locis modo Spirituali et inextenso (ut patet ex præcedenti Theoremate) quam quod possit esse in pluribus Locis modo extenso et divisibili. DICES Hoc esse difficilius, quià contradictoria sequerent, quæ ex primo non sequunt. CONTRA Falsum est contradictionem inde ullam sequi, ut patebit ex solutione objectionum. Et dato si unum implicaret, etiam et aliud deberet implicare, quià in hoc eadem est ratio de utraque existentia. Undè si duæ præsentiæ naturales respectu ejusdem corporis essent Formaliter opposita, neque præsentia Sacramentalis, et cum illa naturalis possent esse simul in eodem corpore, quià ambæ conveniunt in hoc quod videtur esse causa repugnantiæ scilicet quià utraque præsentia definit et limitat corpus in uno determinato Loco. CORPUS enim CHRISTI DOMINI in Eucharistia ita est sub illis accidentibus, ut extra illa nequaquam in proximo circumdante äere reperiat. Ergo habet sibi determinatum Locum. Ergo præsentia Sacramentalis est æquè determinata et definita sicut naturalis. Licet itaque differant in modo essendi, quià existere circumscriptivè, requirit extensionem ad partes Loci, et commensurari Loco, existere verò Sacramentaliter non requirit illud: Tamen hoc non facit ut hæc ~~[illegible]~~ præsentia sit infinita et illimitata, illa verò non; Quià etiam in præsentia Sacramentali corpus CHRISTI DOMINI est solum in Loco accidentium, non autem alibi ubi non est Sacramentum. Porrò exemplum hoc est evidens et maximè

maximè convincens (et certè ut dicit Barrovius) opposita pars tantò magis fuisset negatum possibilem esse replicationem corporis spiritualem (in pluribus Locis) nisi Fidei mysterium obviasset, et intellectum humanum in hac difficultate captivandum esse persuasisset. **Dices 1mo** Nego Paritatem. Quòd si corpus sit in duobus Locis, in UNO per proprias dimensiones, in alio Sacramentaliter ex vi conversionis alterius in ipsum, ut est de corpore CHRISTI DOMINI, quod est in Cœlo RATIONE PROPRIÆ DIMENSIONIS, et in Eucharistia ex vi CONVERSIONIS substantiæ panis in ipsum, nulla est implicantia, implicat tamen quod Quantitas, quæ est ratio occupandi unum Locum, sit simul ratio occupandi alium. **Contra** Per conversionem velle illud salvare est impossibile, nam conversio alterius in istud, non est isti formaliter Ratio essendi hic, quià alias non posset terminus conversionis manere in hoc Loco, non manente illa conversione, quod apertè est falsum, nam peracta illa conversione manet ipse terminus scilicet præsentia corporis in hoc Loco: cùm tamen terminus Formalis nequaquam possit esse absque causa Formali, neque enim homo est rationalis sine Anima rationali, sicut nec paries est albus sine albedine, et ideò potest absque contradictione hoc tribui alicui, ut sit hic, sine conversione alterius in ipsum. Nec valet si dicas conversionem illam ut præteritam fuisse causam illius præsentiæ, quià DEUS de potentia absoluta non potest facere conversionem præteritam non præteriisse. Ergo si conversio in quantum præterita, est causa hujus præsentiæ Sacramentalis, reverà DEUS non posset facere, ut CORPUS CHRISTI DOMINI transacta conversione non sit præsens sub illis speciebus, quod omninò est falsum: Quià permanentibus illis speciebus potest CORPUS CHRISTI DOMINI abesse. Deindè (ut docet Subtilis Doctor 4 Sentent. Distinct. 11 quæstione 3tia) poterat Sacramentum Eucharistiæ institui absquè eo quod desineret Substantia panis, et in CORPUS CHRISTI converteret. Quod quidem si factum fuisset, certè ista conversio nihil partem adversam juvisset ad salvandam istam præsentiam ejusdem corporis in pluribus Locis. Tandem Falsum est, quod Quantitas sit ratio Essendi in uno tantum Loco, quamvis enim istud sit verum de ipso UBI, nam istud est determinata ratio Formalis essendi hic vel ibi, tamen Quantitas est de se indifferens ad occupandum hunc vel illum Locum: et sicut naturaliter potest fundare plures præsentias successivè ad diversa Loca, ita Supernaturaliter potest simul illas fundare, nec ad multiplicationem posterioris opus erit sequi multiplicationem prioris. **Dices 2do:** Quod Species Sacramentalis facta conversione sit ratio existendi in hostia CORPORIS CHRISTI DOMINI. Undè in cœlo est circumscriptivè per proprias dimensiones, in Sacramento autem per alienas scilicet: per dimensiones hostiæ consecratæ, in quo nulla cernitur implicantia. **Contra:** Illa species seu dimensio hostiæ non est formaliter in CORPORE CHRISTI DOMINI. Ergo non esse ipsi ratio existendi FORMALITER in Loco. Atque fides Catholica nos docet omnes ipsum esse

esse formaliter præsens: Ergo per aliquid aliud, quam per conversionem, vel speciem substantiæ conversæ. Deinde si dimensio hostiæ esset ratio formalis sacro corpori Christi Domini essendi in Eucharistia, tunc esset in eâ dimensivè et modo extenso (Nam dimensio, non potest esse ratio essendi in Loco indivisibiliter et inextensè) Atqui consequens falsum Ergo et Ans: Præterea licet sit opus, ut corpus existens in pluribus Locis, existat in illis per diversas præsentias, non tamen est opus ut existat per diversas dimensiones, quandoquidem una & eadem dimensio potest plures fundare præsentias. Dices 3tio: Quod præsentia quantitativa convenit Sacratissimo corpori CHRISTI Domini in cælo ratione propriæ Quantitatis; At verò præsentia Sacramentalis, convenit illi ratione propria suæ Substantiæ, non qualitercunque sed quatenus Substantia panis conversa est in Substantiam corporis Dominici: Undè conversio est ratio causalis, et Substantia ratio formalis cur sit præsens in hostia. CONTRA: Substantia corporis Dominici in hostia, non est sine Quantitate. Nam licet ibi non sit quantitas ex vi conversionis, adest tamen ratione concomitantiæ. Ergo si Substantia Sacratissimi CORPORIS quanta potest recipere UBI inextensum, et indivisibile, præter UBI extensum, quod habet in cælo tantò magis potest recipere aliud ubi extensum et divisibile, cum iste posterior modus sit illi connaturalis, non autem ille. Item 2 Si ideò corpus Christi sit præsens de novo sub accidentibus, quia Substantia panis quæ erat sub illis accidentibus convertit in corpus Christi. Ergo. Stante hoc fundamento posset Dominus convertere unum corpus in aliud, non solum quo ad Substantiam, sed etiam quo ad Quantitatem. Ergo corpus illud fieret præsens de novo, non solum secundum Substantiam, sed etiam secundum Quantitatem (porrò quantitas potest converti in aliam sicut et Substantia, quia est in potentia Obedientiali ad Dominum, ita atque ipsa Substantia) et sic esset præsens illud corpus modo naturali de novo, et per consequens habet propositum. RESPONSIO Neg. Conseq. Nam si Quantitas panis converteretur in Quantitatem v. g. corporis Dominici, tunc non adesset, nisi unica quantitas, scilicet Sacratissimi Corporis CHRISTI Domini, per illam autem tantum esset in uno Loco. Et Confirmabis istam Responsionem sic: quia vel Substantia panis converteret totaliter in corpus CHRISTI Domini, id est: et secundum Substantiam, et secundum Quantitatem, et tunc corpus Christi non fieret præsens ibi, ubi prius erat Substantia panis, quia nihil panis scilicet nec Substantia, nec Quantitas remaneret, quod sit causa præsentiæ ibi in tali corpore. Vel Substantia panis remaneret et existit sub quantitate corporis CHRISTI Domini, et sic corpus tale non esset, nisi in uno Loco, quia non haberet nisi unam rationem essendi in Loco, scilicet Quantitatem dimensivam sui corporis. CONTRA Licet ista ratio falso innitatur fundamento (scil: quod conversio sit ratio essendi alicubi, ubi prius non erat) et ideò non acceptetur à nobis, tamen dato et non concesso

quod istam

quod istud Fundamentum prædictum sit verum, adhuc partis adversæ non potest subsistere opinio. Dato
enim casu quod Substantia panis maneret, et sola quantitas ejus converteretur, in quantitatem
corporis Christi Domini, et Substantia panis illa non informaretur quantitate corporis Christi Do-
mini. Ergo tunc ex vi conversionis, quantitas corporis Christi Domini esset ibi, ubi est Substantia panis
sua Quantitate denudata, atque sic esset in duobus Locis, modo Quantitativo. Sequela patet
quia non amitteret priorem Locum, nam (ut dicis) quod per conversionem fit præsens ibi, ubi prius
non erat, non amittit Locum priorem. Ergo tunc corpus CHRISTI Domini esset ubi prius erat,
in Cœlo et ubi est Substantia panis, atque sic, in duobus Locis modo Quantitativo. RESPONDEO
tunc, quando scilicet converteretur sola Quantitas panis, Substantia panis nullibi esset, nec cor-
pus Christi Domini tunc fieret præsens illi Substantiæ Localiter, quia non adesset ratio essendi
in Loco scil: quantitas. CONTRA Falsum est, quod in tali casu Substantia panis nullibi esset,
alias nec Angelus diceretur esse in Loco, sed potius nullibi esse, quia et hic caret quantitate mo-
molis. Deinde non videtur major ratio cur conversio Substantiæ in Substantiam faciat Substantiam ibi
se, ubi erat Substantia conversa, et conversio Quantitatis in quantitatem hoc non faciat, si istud fun-
damentum suum esset verum, quod scilic: conversio sit causa essendi alicubi, ubi prius non erat
absque mutatione Locali. Item: Ex eodem Fundamento arguitur. Non minus inconveniens
duo corpora esse simul, quam idem corpus in pluribus Locis: Sed primum est possibile ex præcedenti
Theoremate. Ergo et Secundum. Major: Quia Philosophi dicerent esse repugnantiam Formalem,
inter duo quanta respectu ejusdem Subjecti ut colligitur ex 4 Physicorum cap. de Vacuo t. 76. Ergo
Cum utrinque sit repugnantia Formalis, ita videtur impossibile unum, sicut et alterum. Vel En-
thymematicè sic: Potest DEUS ponere duo corpora in eodem Loco. Ergo et idem in diversis.
Consequentia: Quia sicut naturaliter unum corpus est simul et semel in uno tantum Loco, i-
ta etiam naturaliter in uno Loco est tantum unum corpus, non verò duo. DICES Neg. Con-
sequentiam: Quia de ratione unius sunt duo, scilic: esse indivisum à se, et esse divisum à quolibet a-
lio, primum dices esse magis intrinsecum quam secundum, et quoniam, dum duo corpora po-
nuntur in uno Loco, solum fit ut inter se non sint divisa, quando verò unum in duobus Locis ponitur
unum à seipso dividitur, ideò secundum est possibile, non verò primum. CONTRA. Si valet ista dedu-
cere. Ergo idem dicendum esset de qualibet præsentia reali, etiam Sacramentali. Nam licet corpus
per hanc præsentiam scil: Sacramentalem, non repleat Locum, modo Quantitativo, tamen verè
ac propriè per illam est in terra eadem numero res, quæ est in Cœlo, et hic caret modo quem ibi ha-
bet, ergo etiam dicetur distare seu dividi à seipsa, sicut si naturali modo sit in duobus Locis. De-
inde ex unius corporis in duobus Locis existentia, non licet inferre quod secundum Entitatem, sit à se divisum

F ejusdem UBI, sicut est repugnantia inter album et nigrum respectu ejusdem
Subjecti, ut colligitur ex etc. vide supra hujus pag. signum.

divisum, et fiat duo corpora: Nam sicut cum duo corpora sunt in eodem Loco, non propte-
rea sunt unum corpus; ita nec ex eo, quod idem corpus sit in duobus Locis sequitur quod sit
duo corpora, vel à seipso divisum, vel divisum in multa corpora; sed solum esset divisum
in diversa Loca, sic quod divisio esset Locorum, et non corporis, unde haberet non unam,
sed diversa Loca seu diversos modos præsentiæ Localis. Sicut etiam quando in uno est
Loco naturaliter, et in alio Sacramentaliter, non dicitur à se ipso divisum, et sicut
ad multiplicationem præsentiarum Sacramentalium, non multiplicatur idem corpus;
ita nec ad multiplicationem naturalium præsentiarum debet multiplicari, quia ita Sa-
cramentalis præsentia est vera et realis, ut et ipsa naturalis, et ideò, ita hæc est fundamen-
tum propinquitatis et distantiæ, atque illa et ita definitivè clauditur dum est Sacramentali-
ter, atque si esset naturaliter, et per consequens, si una est possibilis, et alia: Aut si u-
na est impossibilis, ergo et alia. Quia in eo tantum differunt, quod naturalis habet modum
quantitativum et extensum, Sacramentalis vero non. Porrò hæc Differentia nihil facit ad
rem, ut una possit multiplicari, et alia non, quia ratio repugnantiæ, cur duæ naturales non in-
sint eidem corpori, est, quia illæ præsentiæ sunt distinctæ et discretæ, unde juxta partem
adversam non possunt multiplicari, nisi idem corpus multiplicetur: Atqui et duæ Sacramenta-
les præsentiæ sunt quoque distinctæ et discretæ. Ergo. Item 3tio ex eodem Fundamento. U-
nus Angelus potest esse in pluribus Locis Definitivè. Ergo et unum corpus circumscriptivè. Conseq.
Quia similis est Habitudo in utroque suo modo, est enim Angelus in Loco uno determina-
tè, ita, ut non sit in alio: Sicut corpus est in uno Loco, ita, ut non in alio licet Angelus
incircumscriptè, corpus verò circumscriptivè occupet Locum. Ans: Potest DEUS convertere pa-
nem in Angelum (nam de sua potentia absoluta facilè est ei quamcunque creaturam con-
vertere in aliam, siquidem utraque est in potestate ipsius, quo ad totum esse, et totum
unum non esse) sed juxta Te verum est quod ubi præfuit conversum, ibi est illud, in quod
convertitur, saltem si ratio Locationis maneat, in hoc autem casu supponit manere scil:
la Accidentia panis, quæ tuo judicio sunt causa, quod corpus CHRISTI DOMINI sit ibi, ubi fuit
substantia panis. Ergo Angelus esset in duobus Locis quia non desereret priorem, nam hic in
tua opinione per motum Localem deserit, non autem quando per conversionem fit præsens
alicubi: unde propterea salvas, corpus CHRISTI Domini fieri præsens in Eucharistia absque
eo, quod Locum deserat in Cœlis. NOTES Hoc Argumentum esse ad hominem, quia pro-
cedit ex Fundamento à parte adversa, concesso quod scilicet conversio sit ratio essendi alicu-
bi in Loco, quod falsum est in nostra sententia. SECUNDUM FUNDAMENTUM ex
Factibus. Quia de facto ita aliquandò accidit, ut patet ex variis apparitionibus quæ apud Sanctos

Patres

NB. Patres, et in Sacra Scriptura habentur: Nam D. Ambrosius dum Mediolani di-
vinis rebus assisteret, simul etiam Turone exequiis D. Martini interfuit. Item B. Christ-
to eâdem horâ quâ celebrabat Missam funeri D. Marthæ itidem adfuit. Item S. Antonius
de Padua simul in cathedra concionabatur et in monasterio Lectionem in Choro ca-
bat. Item de Sancto Adalb. erto nostro narrat. Item de S. Francisco Xaverio. Item in Sa-
cra Scriptura legimus CHRISTUM Dominum pleris que in præsentia visibili et natura-
li apparuisse, ut D. Paulo; undè dicit apertè ipsemet (Nonne CHRISTUM Dominum nostrum
vidi) et in Actis Apostolorum Ananias dicit D. Paulo (Dominus Iesus qui apparuit tibi in via)
Sic et D. Petro Romam deserenti etc. DICES CHRISTUM Dominum tunc deseruisse Cæ-
lum. CONTRA: Dicere ita non videtur satis consonum esse Sacræ Scripturæ: Nam habetur
in ea, CHRISTUM Dominum non relicturum cœlum corporaliter, nisi in die judicii. Actorum 3.
(quem oportet Cœlum suscipere usque in tempora restitutionis omnium) et D. Augustinus dicit (Donec
finiatur seculum sursum est Dominus) DICES 2do quod non sit inconveniens in illis casibus ad
brevem morulam CHRISTUM Dominum reliquisse Cœlum, et quod Scriptura et patres dum
solum intendant CHRISTUM Dominum ante judicium non recessurum à Cœlo per spatium
temporis notabile. CONTRA Allata explicatio ista non est ad sensum Sacræ Scripturæ, quia
neq in die judicii relinquet Cœlum DEUS, nisi per brevem morulam, in qua fiet judicium. DI-
CES 3tio: Tales apparitiones fuisse imaginarias, non autem veras aut reales. CONTRA
Esse imaginaria, non autem vera et realia non est tutum dicere illa quæ enumerantur inter
cætera mysteria, quibus veritas resurrectionis CHRISTI Domini confirmatur: Sed apparitiones
istæ D. Paulo factæ enumerantur ab ipso I Corinth. c. 15. inter illa, quæ confirmant veritatem
Resurrectionis CHRISTI Domini. Ergo istæ apparitiones veræ et reales, non autem imagina-
riæ fuerunt. FUNDAMENTUM TERTIUM Ex improbatione adversæ opinionis. Quia
nihil est aliud corpus unum constitui in duobus Locis quam substare duo UBI extensa Loca-
liter seu fundare in se respectum ad aliud corpus circumscribens: Sed non est impossibile ta-
les respectus plures simul in uno Subjecto fundari. Ergo. MINOR: Respectus intrinsecus ad-
venientes possunt multiplicari in eodem Subjecto seu fundamento. ut patet ex Logica in
Patre et albedine: Ergo et respectus extrinsecus advenientes. CONFIRMATUR. Quia ad multi-
plicationem posterioris non est opus multiplicari prius: Sed plura UBI sunt posteriora, corpus autem
est prius, et ipsa UBI sunt accidentalia, et contingenter advenientia ipsi corpori, non est autem im-
possibile, ut accidentia multiplicentur, non multiplicato subjecto, et deinde in multis aliis simili-
tudinibus

habitudinibus in quibus major est connexio earum ad fundamentum concedit ipsas multiplicari in eodem fundamento v. g. unus homo potest habere plures Scientias. Ergo similiter in ipsius intellectus plures erunt habitudines ad plura Scibilia, absque ullo inconveniente. Ergo similiter et plura UBI poterunt fundari in eodem corpore, præsertim cum nulla Relatio sit accidentalior suo Subjecto quam ipsum UBI. DICES 1mo Neg. minorem quia unum corpus non potest esse in duobus Locis nisi multiplicetur numero et nisi sit duo vel plura, jam vero unum numero, esse plura numero, implicat. CONTRA Falsum est absque multiplicatione UBI, non posse idem corpus in pluribus Locis esse, quia in Loco esse est Relatio corporis ad Locum; atqui Relatio extrinsecus adveniens, potest adesse et abesse à Subjecto absque ejus corruptione et multiplicatione. Ergo ad multiplicationem UBI, non sequetur multiplicatio numeralis in corpore. MINOR quia Relatio est Accidens commune, porrò omne tale est à Subjecto distinctum. Ergo multiplicato illo, non est necesse corpus multiplicari, quæ sunt res realiter distinctæ: jam vero quæ sunt realiter distincta, ita se habent quod variato uno, non variatur alterum. Deindè UBI est Relatio extrinsecus adveniens, quæ est terminus per se motus, et ideò potest poni in esse et corrumpi, absque eo quod corrumpatur Subjectum vel mutetur intrinsecè. Sequitur igitur indè, non oriri necessitatem intrinsecam, et ex terminis, ut multiplicato Loco multiplicetur Locatum, vel è contra. Nec valet si dicas oriri extrinsecè quia jam hoc modo habeo intentum: jam enim non esset repugnantia ex terminis, sed ex aliqua causa externa. Porrò potest DEUS supplere causalitatem causæ externæ cujuslibet quia est omnipotens. DICES 2do Tunc habitudines posse multiplicari in eodem Subjecto, quando una non est adæquata Subjecto: At verò quandò est adæquata, jam non possunt esse plures in eo, tale autem est UBI scilicet adæquatum uni corpori, et ideò unum corpus non potest habere plura UBI, sed tantum unum, quod hic observabis. CONTRA Nullus respectus extrinsecus adveniens ita Subjecto adæquatur ut non possint plures numero eidem Subjecto inesse et multiplicari non multiplicato Subjecto. Ergo multo minus respectus extrinsecus adveniens. Ans: patet ex Logica de pluribus paternitatibus: Item ex eo Theoremate quod plura accidentia ejusdem speciei possunt inesse simul eidem Subjecto numero. Consequentia: quia Relatio quæ oritur ex natura fundamenti, magis videtur adæquari fundamento, quam illa quæ extrinsecus advenit cæteris paribus, id est circumscriptis circumstantiis extrinsecis et consideratis ipsis terminis præcisè, sic enim [illegible] sunt. Confirm: una præsentia Sacramentalis non adæquat unam Substantiam numero, ita ut plures non possint esse. Ergo Nec una circumscriptiva potest adæquare Quantitatem. Consequentia, quia præsentia Quantitatis ad Locum merè naturalem, non magis adæquat suam Quantitatem quam præsentia Sacramentalis suam Substantiam, utrobique enim videtur sequi illa divisio numeralis Entitatis à seipsa, quod implicat contradictionem. Undè si non sequitur ad Substantiam, neque debet sequi ad Quantitatem.

Solutio

SOLUTIO Argumentorum Adversæ partis.

Notes Ad quatuor capita posse reduci, omnes instantias contrariæ opinionis juxta quatuor quæ in corpore, et in hac Difficultate possunt considerari. 1mum est corpus ipsum. 2dum Locus extrinsecus. 3tium UBI intrinsecum. 4tum ea quæ consequuntur corpus in diversis Locis constitutum.

CAPUT PRIMUM.

INSTANTIARUM, quæ EX NATURA CORPORIS DUCUNTUR.

Instantia 1ma: Si idem corpus potest esse in pluribus Locis, tunc erit divisum et indivisum à seipso, quod implicat. Nec valet si dicas, fore divisum à se Localiter, non autem Entitativè: non valet inquam, nam multiplicatio effectus Formalis, etiam secundarii non potest esse absquè multiplicatione Formæ, quià posterius pendet à priori. Sed extensio et præsentia quantitativa est effectus Formalis quantitatis secundarius. Ergo non potest multiplicari ista extensio et præsentia nisi multiplicetur ipsa Quantitas, et per consequens nisi multiplicetur ipsum subjectum quantitatis scilicet corpus. Ergo ex multiplicatione Locorum circumscribentium, non tantum Localis sed etiam Entitativa in re Locata sequetur divisio. Confirm. Sicut se habent principia essentialia rei naturalis ad constitutionem specificam ejusdem: ita Quantitas ad constituendam rem in Locum: Sed implicat absquè multiplicatione Principiorum essentialium rem constitui in multiplici specie. Ergo Etiam implicabit absquè multiplicatione Quantitatis corpus Locabile esse in multiplici Loco circumscriptivè. RESPONDEO Fore divisum à se Localiter, non autem Entitativè: non enim ex distinctione seu divisione Locati, quæ sit in illa, licet colligere Divisionem Entitativam, quià eadem res potest esse in pluribus Locis, et quidem per eandem rationem fundamentalem in omnibus scilic: per Quantitatem, licet non per eandem numero Formalem scilic. (per ipsum UBI) Ad 1mam Probationem Neg. majorem 1mo: Quià posterius dependet à priori, et non è contra, debemus dicere cum unitate prioris posse stare multiplicationem posterioris, et de facto videmus extensiones et præsentias quantitativas multiplicari successivè in eadem numero Quantitate dum scil: idem corpus per eandem Quantitatem, modò Locatur in hoc, modò in illo Loco, eo, quod hæc et illa extensio est secundarius effectus quantitatis inadæquatus. Ad 2dam impugnationem nego paritatem: Nam eadem differentia essentialis, non potest esse ratio naturæ essendi, nisi in specie determinata: At quantitas non constituit rem, ut sit tantum in illo Loco: Sed indifferenter, ut sit in hoc vel in illo ex vi potentia Naturalis, et indifferenter, ut sit in uno vel in pluribus ex vi potentiæ obedientialis. NOTES hanc objectionem non solum à nobis, sed etiam à parte diversa esse solvendam

solvendam, eo, quod pariter impugnat replicationem Sacramentalem. DICES Non valere contra Sacramentalem, quia non est eadem ratio existendi in pluribus Locis, sicut eveniret, si esset circumscriptivè in illis. CONTRA Hoc non tollit paritatem, falsum enim est conversionem esse rationem formalem, cur CORPUS CHRISTI DOMINI sit præsens in hostia. Deinde licet esset ratio formalis, tamen adhuc ipsa Substantia CHRISTI DOMINI esset Locata Sacramentaliter pluries in Locis. Quare si hoc potest contingere de Substantia absque divisione Entitativa à se ipsa, hoc idem contingere poterit de ipsa Quantitate quod possit poni in pluribus Locis, vel per plurificationem præsentiarum in eâ, vel per conversionem alterius Quantitatis in ipsam, et planè hæc paritas de quantitate, et Substantia in ordine ad Locum maximè convincit, quia non potest assignari ratio, cur possit Substantia eadem in pluribus Locis replicari absque Divisione Entitativa à se ipsa, non autem quantitas. INSTANTIA 2da: Si idem corpus per proprias dimensiones posset esse in duobus Locis circumscriptivis. Ergo posset esse in pluribus. Ergo et in infinitis. Ergo et ubiquè, et per consequens deberet esse immensum, quod implicat. Nec valet si dicas, illud corpus non fore immensum, quia id non habebit ex vi sua essentiæ et independenter ab alio, et per unicam præsentiam quæ omnia requiruntur ad immensitatem, non valet: quia sicut ex eo, quod aliqua creatura posset tanquam causa Principalis, licet per participationem à Deo, producere aliquid ex nihilo, vel effectus secundum essentiam perfectiores, et perfectiores usque in infinitum causare optimè colligitur, illam esse, et non esse creaturam, habere et non habere omnipotentiam, ita ex hoc, quod aliquod corpus habeat à DEO, tanquam à causa efficiente et à sua Quantitate, tanquam à causa Formali, et principali virtutem repletivam omnium Locorum in Actu primo, et Actu sit ubique, rectè poterimus inferre, tale corpus esse, et non esse immensum. RESPONDEO Neg. Conseq. propter causam superius dictam. Ad probationem nego paritatem, de Potentia creativa et Loci repletiva, quia illa est virtus Activa, et ideò eadem sufficit ad producendos effectus perfectiores et perfectiores in infinitum, et hinc arguitur in ea infinitas. At potentia Loci repletiva in corpore est merè passiva ad plura et plura (UBI) recipienda, quæ nullam dicit perfectionem. Undè licet per eandem quantitatem esset corpus in pluribus Locis, non tamen ideò deberemus in ipsa arguere infinitatem, sed tantum indifferentiam et indeterminationem ad unum, vel plura UBI. INSTANTIA 3tia: Quantitas ex se est prima ac principalis ratio quâ corpus formaliter est aptum extendi et Locari. Ergo si comparata ad Agens naturale, non potest facere Substantiam ut plures fundet præsentias Locales, neque etiam hoc poterit præstare comparata ad Agens supernaturale. RESPONDEO Neg. consequentiam. Vide Notandum de potentia Naturali & obedientiali. e.

CAPUT SECUNDUM.

INSTANTIARUM EX LOCO EXTRINSECO.

INSTANTIA PRIMA: De Ratione Loci circumscriptivi est, ut infra se comprehendat Locatum, et per consequens ut sit adæquatus illi. Ergo implicat Locatum comprehendi ab illo Loco, et simul esse extra illum. Nec valet si dicas, hanc comprehensionem importare tantum ut totum Locatum sit intra terminos

terminos Loci scilic: Totum in toto, et pars in parte, quod certè reperiretur etiam tunc quan[do] à duobus Locis ambiretur, non valet. quià Locatum continetur à Loco, non utcunq, sed tant[um] tanquam à termino INTRA QUEM est, atque id, quod continetur in aliquo, tanquam intra termi-num, implicat esse extra illud. Ergo. major patet ex 4 Physicorum t. 41. ubi Locus dicitur termi-nus extrinsecq et extremitas Locati. minor patet ex 5 metaphysicorum cap. de Extremo ubi di-citur Extremum esse id, extra quod nihil rei possumus usurpare. RESPONDEO De ratione Loci cir-cumscriptivi et comprehensionis Localis esse, ut contineatur totum Locatum, intra ambitum Lo[ci] ita ut nihil sit ejus Locati, quod sub ejus comprehensione non contineatur, non verò, ut idem Loca-tum, non possit ab alio comprehendi. Et sicut licet candela tota videatur à Paulo, id est quo[ad] omnes partes, tamen potest videri simul à Petro, Joanne etc. ita et Locatum, licet totum con[ti]-neatur ab uno Loco, tamen et ab alio Loco poterit simul contineri. Et dum dicis Locum esse termi[num] rei Locatæ, et de ratione termini esse, non modo ut comprehendat rem determinatam, [sed] etiam ut nihil ejus rei sit extra illum terminum: dico hoc dupliciter posse intelligi. Primo ut ill[e] terming constituat rem Locatam, hic tantum, non autem simul, et hic esse et alibi. 2do ut ill[e] terminus non modo faciat rem hic totam esse sed etiam cum hoc, faciat adhuc, illam rem et a[li]-bi esse. Dico ergo in primo sensu, non autem in secundo accipiendam esse termini rationem. U[n]-dè si Petrus sit Cracoviæ, ita cum Locus terminabit ‡ UBI Cracoviense, non possit Petrus es[se] Roma simul ~~[illegible]~~, non autem (ut tu vis) impedit quominus per aliam præsentiam existat alibi. Nempe tu tribuis termino, quasi duas conditiones: Unam, ut com-prehendat rem Locatam: Alteram, ut eam prohibeat terminari simul posse alio termino; Ego ve-rò tribuo ipsi tantum unam conditionem scilicet primam. INSTANTIA SECUNDA Si potest [esse in] pluribg Locis, ergo et in diversis temporibg simul. RESPONSIO Videatur præcedens Theorema.

‡ ut ex vi istig ubi Cracoviensis non etc.

CAPUT TERTIUM

INSTANTIARUM EX NATURA IPSIUS UBI.

INSTANTIA PRIMA: Occupatio Loci non potest multiplicari absq. multiplicatione rationis oc-cupandi Locum: Sed hæc non multiplicatur (nam eadem numero supponitur esse quantitas in cor-pore) Ergo. RESPONDEO Duplex est Ratio occupandi Locum. Alia Fundamentalis scilic: Quan-titas. Alia Formalis scilic: UBI circumscriptivum. Major itaque est vera de Ratione Formali, non autem de Fundamentali, quià hæc eadem numero manens, potest esse ratio occupandi Loca di-versa diversas fundando præsentias, et contingit hoc naturaliter successivè. INSTANTIA SE-CUNDA: Alias una eademque Quantitas bis extenderetur, quod est falsum. Sequela: quià Quantitas non potest extensa esse in Loco, nisi prig sit in se extensa. RESPONDEO Neg. Sequelam, quià non o[portet] pus multiplicari prig scilic: Quantitatem seu ejg extensionem intrinsecam ad multiplicationem poster[i]-oris scilicet ipsig Loci, et ideò, cum extensio Quantitatis in se præcedat extensionem Localem, ta[n]-quam fundamentum ipsius, potest illa eademque manens pluralitas fundere. INSTANTIA TERT[IA] occupatio

Duplex est ra-tio occupandi locum.

Occupatio Loci licet sit secundarius Effectus Quantitatis, est tamen adæquatus. Ergo Una et non plures eidem corpori conveniunt. Consequentia: quia implicat ab una Forma plures esse effectus Formales adæquatos. RESPONDEO Neg. Ans: quod hæc et illa occupatio Loci sigillatim sumpta sit effectus adæquatus Quantitatis, imò sunt inadæquati effectus atque ideò multiplicabiles successivè per potentiam Naturalem, et simul per Divinam.

CAPUT QUARTUM
INSTANTIARUM EX CONSEQUENTIBUS POSITIONIS CORPORIS.

INSTANTIA PRIMA: Alias idem homo posset magnum adæquare exercitum, si scilicet toties replicetur, quot sunt milites in exercitu. Item posset secum saltus exercere, sibi ipsi occurrere etc. quo casu difficile est cognoscere, an seipsum deberet expellere, an verò penetrare. RESPONDEO per tertiam propositionem in notando relatam, nimirum per replicationem præsentiarum non augeri virtutem Activam rei Locatæ, nec extensivè, nec intensivè, et ideò si homo toties replicetur, ut integrum conficiat exercitum, tunc ille exercitus, ita erit terribilis quam ipse homo in uno tantum Loco existens, neque enim majorem virtutem belligerandi, sed solum majorem Locum acquiret, poterit sibi quoque ipsi occurrere, et alias Actiones similes exercere, quo in casu, si vellet Deus illum conservare in pluribus Locis, se ipsum expellet, neque hoc est inconveniens Tum quia eo tempore haberit se per modum plurium, tum quia illa Actualis extensio, non tam ratione quantitatis eveniet, quam ratione illarum plurium præsentiarum, quæ debebant rem constituere in Loco cum Actuali impenetratione ex suis rationibus formalibus. Tum tandem quia etiam ratione ipsius Quantitatis fieret illa expulsio, si ille homo occurreret sibi secundum diversas partes impenetrabiles parte nimirum dextrâ occurrente sinistræ, quia istæ partes, etiam dum corpus in uno Loco existit, non possunt se penetrare. Si autem vellet Deus illum hominem amplius conservare in pluribus Locis, tunc non propterea dicetur seipsum penetrasse, quia penetratio est diversarum Quantitatum; sed dicetur unum retinendo UBI, aliud amittere juxta beneplacitum Dei. INSTANTIA SECUNDA: Alias eadem gutta aquæ, totum orbem inundaret, atquè sic totus orbis, in una gutta submergeretur, vel super illam navale bellum poterit committi. RESPONDEO eodem modo concedendo hanc totam colluviem, ex una sola gutta coaugmentatam, tantum effecturam, quantum efficeret in uno Loco existens, undè sicut non submergit in uno Loco existens, nec navali bello potest inservire, ita nec in pluribus Locis hoc præstabit. DICES saltem adeò magnum fore ipsius pondus, ut ab uno non possit sustineri. RESPONDEO Æquale futurum esse pondus ipsius ubique, quia Ampliatio Loci non augebit in eo pondus, quod idem dicatur de Lapide, si ex eo solo immediate sibi pluries copulato turris vel civitas construatur. INSTABIS quærendo quomodo fieret ipsius aquæ aut Lapidis replicatio, vel enim replicabitur, ita in Loco sibi immediato, ut sit sibimetipsi continua, vel contigua. Neutrum potest

neutrum potest dici. Ergo. Non primum, quia continuatio est diversorum non solum secundum [illegible] sentiam sed etiam secundum Entitatem: Nec 2dum, quia illa dicuntur contigua quæ [illegible] diversa indivisibilia terminantia, quod hic in proposito non est, quia hic sunt eadem gutta [illegible] bilia. RESPONDEO in his casibus non fore ut gutta sibi proprie continua vel contigua dicatur, sed [illegible] bit dici immediata sibi secundum præsentiam. Alias multo plures instantias et similes imaginationes eodem modo solves. Vide duo sequentia Theoremata.

THEOREMA DECIMUMQUINTUM.

Dum res in pluribus Locis supernaturaliter ponitur, tunc hoc fit non per replicationem Substantialem, id est iterum atque iterum illam rem reproducendo, sed per replicationem accidentalem, id est plures præsentias Locales in ea ponendo.

Imaginatio Triplex occurrere potest, dum una res in pluribus locis esse concipit.

NOTES Triplicem posse occurrere imaginationem, dum una res in pluribus Locis concipitur: Unde alii per motum Localem, alii per Reproductionem ejusdem rei: Alii per productionem novi UBI in illa re hoc fieri existimant, v. g. quando concipitur Petrus qui modo est Cracoviæ, sequenti horâ simul esse Cracoviæ et Romæ, tunc quidam imaginantur, quasi Petrus sine Cracoviâ transferatur Romam per medium spatium, quod inter Romam et Cracoviam interjacet, ita concipiunt quasi motum Localem, in ipso, quo præsentiam Romanam acquirit. Alii vero imaginantur, quod Petrus absque motu Locali iterum Substantialiter Romæ producatur: Alii tandem concipiunt ipsum absque motu Locali, et absque nova reproductione Substantiali Romæ existere, tenentes eo, solum UBI Romanum produci. Nos ipsam tertiam acceptamus imaginationem, et dicimus, ut idem Petrus existat simul Cracoviæ et Romæ, sufficere, ut in eo duo UBI scilicet Cracoviense et Romanum producantur: In Summa concipe in Petro tria simul Actualia UBI scilicet Cracoviense, Romanum et Varsaviense, sicut concipis in eodem Lacte simul albedinem et dulcedinem et [illegible] liditatem: Vel in eodem homine tres paternitates quibus respicit tres filios, et si hoc feceris, habebis Petrum simul Romæ, Cracoviæ et Varsaviæ, nihil enim aliud est Petrum esse Romæ, Cracoviæ et Varsaviæ, nisi respicere UBI Romano Romam, Cracoviensi Cracoviam et Varsaviensi Varsaviam, sicut et modo, dum es Cracoviæ respicis tua præsentialitate Cracoviam, si ergo Deus in te istâ præsentialitate superinducat adhuc in te UBI Romanum, iam eris utrobique, et Romæ et Cracoviæ. Romæ per UBI Romanum, Cracoviæ per UBI Cracoviense. DICES si in Petro producant tria UBI prædicta, quânam tunc in Urbe Petrus erit Substantialiter. RESPONDEO ut supra dictum fore ipsum simul Cracoviæ, Varsaviæ et Romæ, quia esse Romæ, est informari UBI Romano, similiter esse Cracoviæ est informari UBI Cracoviensi, eo modo sicut Lac informatur albedine, dulcedine et [illegible] liditate, vel idem homo hâc illa vel illa paternitate.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS PRIMA THEOREM (Positio corporis non fit per replicationem Substantialem) Probat quia illa res aliàs denuo deberet produci (nam replicatio substantialis dicit reproductionem rei) hoc autem est falsum. Ergo. minor: quia productiva rei actio non potest exerceri, nisi tunc, quando per eam res de non existente fit existens. Sed in proposito hoc non habet (quia res ista jam existit) Ergo. Item probatur: Dum res actualiter existit, non producitur (quia productio substantialis dicit respectum ad non esse immediatè praecedens) Sed ita est in proposito. Ergo. Item: Res illa esset et non esset quo ad suam Substantiam, quod implicat: Esset quia dicitur praexistere; non esset verò quia de novo accipit suum esse, nam produci est transire à non esse ad Esse. Nec valet si duplicem statuas productionem primam et secundam, et Duplex esse Substantiale, 1mum et 2dum, et quod Prima productio absolutè procedat à non esse simpliciter ad esse simpliciter, quod dicitur Esse Substantiale primum. Altera verò productio non habet terminum A QUO, aut si habet, erit esse Substantiale secundum. Non valet, quia absolutè loquendo, omnis generatio Substantialis est rei inceptio, si non sit ab aeterno. Unde Generatio Aristoteli est de non esse transitus ad Esse. Deinde secundam productionem rei dicimus, quâ res semel corrupta reproducitur, non autem quia Actualiter adhuc existens reproducatur. Praeterea implicat in adjecto dari Esse Substantiale secundum cum omne tale sit primum: Et si dicatur secundum, quia potest res bis produci, debebit etiam dari tertium, quartum etc. quod est falsum. Deinde Generatio Substantialis non potest esse sine termino A QUO. Ergo si hoc in casu fieret, generatio deberet habere terminum A QUO: Sed hic non potest esse aliq, nisi ipsum non esse simpliciter. Ergo in proposito deberet haberi non esse simpliciter, quod est falsum, siquidem res jam existit, et habet suum esse. Vide sequentem partem. PARS SECUNDA THEOREMATIS (Positio corporis in pluribus Locis fit per accidentalem replicationem) Probatur: Dum corpus in pluribus Locis ponitur, nullum esse Substantiale per hoc acquirit sed solum respectum extrinsecus advenientem ad Locum (tantum enim ex vi illius replicationis, dicitur esse ibi, ubi prius non erat) Ergo. Praeterea id acquirit corpus de novo, dum in pluribus Locis ponitur, quod etiam amittit, dum esse in pluribus Locis desinit: Sed dum desinit in pluribus Locis, amittit UBI Locale seu Respectivum ad Locum (neq enim opus est corpus secundum Substantiam corrumpi ut desinat esse in duobus Locis, sed sufficit in eo destrui unum UBI seu Relationem ad Locum) Ergo etiam dum incipit esse in pluribus Locis UBI Locale et esse accidentale, non verò esse Substantiale acquirit. Confirmatur: Posito Petro in pluribus Locis cum suis accidentibus, sicut potest DEUS destruere aliquod ex illis accidentibus absolutis conservatâ Petri Substantia; ita multo magis poterit destruere aliquod ex illis pluribus UBI, quae sunt magis extrinseca quam forma absoluta, non destructâ ejus Substantiâ. Ergo sicut in tali casu desineret esse Romae per solam destructionem UBI Romani; ita incipit esse Romae per solam illius UBI Romani, in se ipso positionem, atque sic positio corporis. etc. R.

objecti.

OBIECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIO.

OBIECTIO ITMA (Positio fit per replicationem Substantialem) Hæc objectio habet istas instantias. INSTANTIA PRIMA: Si Petrus producat à DEO in pluribus Locis, non potest assignari Ratio cur hic Substantialiter sit productus, alibi verò tantum accidentaliter replicatus, cum æquè primo supponamus à DEO creari et in pluribus Locis poni. RESPONDEO Generationem rei Substantialem insequuntur omnia Accidentia connaturalia, undè dum res generatur à generante, etiam per accidens ponitur in Loco, si ergo DEUS crearet rem aliquam in pluribus Locis, utique unica esset creatio, et unica res illa creata, at non cum unica præsentia, sed cum pluribus, quia produceret ipsum in pluribus Locis, et in hoc sensu potest dici, in omnibus illis Substantialiter esse productus quatenus est eadem numero Substantia, omnes illas præsentias simul et semel habens, non autem in eo sensu, quod sit eadem numero Substantia toties Substantialiter reproducta, quot sunt illa Loca. INSTANTIA SECUNDA: Res in pluribus Locis constituta desinit esse desitione substantiali, quia quandò CORPUS CHRISTI Domini desinit esse Romæ sub Speciebus, tunc desinit esse secundum Substantiam, non aliter, ac si desineret Substantia Angeli existentis in hoc Loco, si DEUS subtraheret influxum conservativum ipsius, quatenus existit secundum suam Substantiam. Ergo si desinit esse Substantialiter in pluribus Locis, omninò per productionem Substantialem ponitur in illis. Confirmatur: CORPUS SACRATISSIMUM CHRISTI DOMINI ita sub Speciebus esse desinit, sicut Anima Rationalis desinit esse in digito abscisso per retractum sui ipsius. Ergo verè desinit esse in se, et non tantum secundum nudam præsentiam, et per consequens ita etiam debet incipere. RESPONDEO Neg. Ans: et ejus Probationem. Non enim desinit esse corpus Christi Domini secundum Substantiam, sed tantum secundum præsentiam, nam illa CORPORIS CHRISTI DOMINI desitio est tantum præsentiæ sub illis Speciebus amissio: At verò si desinat Angelus in rerum Natura, jam desinet, non solum secundum præsentiam, sed etiam secundum esse Substantiale, quia et Entitatem et præsentiam amittet. Ad Confirmationem Dico Paritatem istam facere pro nobis, sicut enim in abscisione digiti Anima non amittit propriam Entitatem sed tantum Relationem unionis quam habebat ad digitum, ita CORPUS CHRISTI DOMINI desit esse sub Speciebus non per amissionem Substantiæ quæ sub illis continebat sed per solam amissionem præsentiæ. INSTANTIA TERTIA: Quod habet geminatam Substantiam rectè dicitur esse reproductum: Sed corpus in duobus Locis positum habet geminatam suam Substantiam, et bis multiplicat, non solum secundum præsentiam; sed etiam secundum Substantiam. Ergo Rectè dicetur esse reproductum. MINOR: quia repetita præsentia supponit repetitum esse ipsius rei (non enim potest dari præsentia sine re quam modificat

modificat) Ergo. RESPONDEO Neg. minorem. & Distinguo Ans: Licet enim praesentia repetita sup-
ponat esse rei, non tamen opus est ut illud esse repetatur per productionem, sed sufficit ut repeta-
tur per adductionem, non transeundo tamen per medium: unde utrobique rem esse secundum suam
substantiam concedimus, non quidem productam sed tantum adductam, et ideo licet geminet praese-
tiam, non tamen geminabit substantiam: INSTANTIA QUARTA: Actio qua de facto CORPUS SA-
CRATISSIMUM CHRISTI DOMINI in pluribus Locis constituitur sub speciebus Sacramentalibus,
est substantialis, unde vocatur in conciliis TRANSUBSTANTIATIO. Ergo est productio CORPORIS CHRI-
STI DOMINI, nuda enim Actio non potest dici substantialis Actio, et transubstantiatio, cum ter-
minus illius sit sola Forma accidentalis scil: UBI. RESPONDEO in hac difficultate distinguenda est
Actio conversiva ab ipsamet conversione, quia sicut in transmutatione distinguitur Actio transmu-
tativa ab ipsamet transmutatione, nam transmutatio intrinsece non respicit Agens; sed tan-
tum Subjectum, Formam et privationem, et solum inter ista mediat: At vero Actio trans-
mutativa, non jam inter Subjectum et Formam vel privationem, sed inter Agens transmutans
et Subjectum vel Formam intercedit, ita et in transubstantiatione seu conversione panis in
CORPUS CHRISTI distinguere oportet conversionem ab Actione conversiva, conversio
enim intrinsece versatur inter substantiam desinentem vel succedentem, non autem inter A-
gens et substantiam desinentem vel succedentem / vero ex vi desitionis illius ut terminum AD QUEM.
Licet igitur conversio substantiae panis in CORPUS CHRISTI sit substantialis, et bene transubsta-
tiatio dicatur, quatenus est transitus substantiae in substantiam, et habet pro termino AD QUEM
substantiam succedentem ex vi desitionis alterius substantiae, Actio tamen conversiva, seu pro-
ductio quae ibi intervenit inter Agens convertens et substantiam vel desinentem vel succeden-
tem non est substantialis, quia substantia corporis CHRISTI DOMINI non producitur ibi de novo,
sed tantum nova praesentia illius sub speciebus, et ideo est tantum accidentalis. Ut autem con-
versio dicatur substantialis seu transubstantiatio non est necesse substantiam ad quam ter-
minatur accipere esse de novo, sed sufficit ut terminus A QUO desinat esse substantialiter. Si e-
nim ipse non desineret, iam conversio non daretur, quia unum convertere in aliud, est unum desi-
nere ex vi desitionis illius. Sed DICES: Si ad conversionem requiritur desitio termini A QUO, [in margin: in aliud succedens ex vi etc.]
ut vere dicatur converti in terminum AD QUEM. Ergo pariter requiritur inceptio nova ter-
mini AD QUEM, ad hoc ut terminus A QUO dicatur in ipsum conversus. RESPONDEO Nego con-
sequentiam, est enim dispar ratio, quia terminus A QUO est ille, qui denominat conversus, et per
consequens desinens in aliud, atque ideo ex parte ejus requiritur desitio simpliciter: At vero terminus
AD QUEM solum denominat per conversionem succedens termino A QUO: Ad hoc autem non est
opus, ut incipiat habere esse de novo, sed solum ut succedat termino A QUO ex vi desitionis illius
quomodocunque succedat: Unde ex differt transmutatio substantialis a conversione substantiali seu transub.
succedentem, et solum respicit substantiam desinentem ut terminum A QUO,
succedentem vero ex vi etc. vide supra.

Transsubstantiatio quid.

transubstantiatione, quod illi terminus AD QUEM, huic verò terminus A QUO tribuit denominationem. Nam transubstantiatio est transitus unius substantiæ in aliam, et conversio in ... et unum converti in aliud est unum desinere in aliud, et terminus desinens, seu à QUO est ille, qui dicitur conversus et transubstantiatus. Ergo ab ipso vel maximè conversio vocatur substantialis, quia nimirum iste substantialiter desinit in aliud. OBIECTIO SECUNDA (Positio corporis in pluribus locis non fit per accidentalem replicationem. Probatur: Si DEUS petrum Cracoviæ existentem, vellet Romæ ponere in instanti, hoc certè fieri non poterit per accidentalem replicationem, id est producendo in ipso solam ubicationem Romanam. Ergo. Ans: Nam si fieret ita, tunc vel produceret illam ubicationem Romanam, in Petro Cracoviæ existente, vel Romæ: neutrum potest dici. Ergo. ~~Conseq.~~ Minor Non 1mum, tunc ubicatio Romana produceretur Cracoviæ, quod implicat, et tunc potius Roma adduceret ad Petrum quam è contra: Nec 2dum, quia Petrus saltem Naturâ prius Romæ existeret (Causa enim naturâ prior est suo Effectu) Ergo Non esset Romæ, nisi per reproductionem ejus ibi substantialem, non autem per replicationem accidentalem. RESPONDEO Neg. Ans: Dato enim casu, omninò poneret Deus Petrum Romæ, non reproducendo ipsius substantiam sed novam ubicationem Romanam in ipso ... Ad probationem dico negando minoris 2dam partem, et Concedendo illud novum UBI productum fore in Petro in aliquo priori naturæ Romæ fundamentaliter solum, non autem formaliter existente. Quæres Si Petrus existat Cracoviæ, et ponatur in ipso adhuc ubicatio Romana, ita ut simul Cracoviæ et Romæ die hodiernâ existat, deinde crastinâ die auferat ab illo UBI Cracoviense, et relinquat UBI Romanum, quânam in Urbe existet Petrus? Rdeo illum fore Romæ. Quæres ergo quomodo et quando est translatus Romam Cracoviâ? Respondeo Non esse translatum, quia sic oportuisset illum motu Locali successivo moveri qui ordinariè fit per acquisitionem novi UBI, cum deperditione antiqui, sed tantum dico mutatum illum esse Localiter per positionem in eo ipsius ubicationis Romanæ, quæ ubicatio Romana absque motu Locali successivo, supernaturali virtute posita ... nam dupliciter ubicatio Romana potest acquiri. 1mo Per motum Localem naturaliter eundo per medium, ut fit modo, quando aliquis Cracoviâ discedit Romam. 2do Supernaturaliter absque motu Locali per media.

THEOREMA DECIMUM SEXTUM.

Formæ dependentes à Loco, licet non insint subjecto ubique: tamen Formæ quæ non dependent à Loco, si insint in uno Loco, debent et in alio inesse, ita ut aliter fieri implicet.

NOTES Hoc Theorema esse illam propositionem 1mam quam Theoremate 14 retulimus, cujus sensus est iste: Affectiones seu proprietates vel Formæ, quæ dependent à Loco, cujusmodi sunt ea omnia Entita, et prædicata, quæ sunt posteriora ipso, vel simul naturâ cum illo, diversa sunt in eodem subjecto, pro diversitate Locorum in quibus est. At verò quæ insunt illi independenter à Loco, si ei conveniunt in uno, debent etiam [f. convenire] in alio, et oppositum fieri non potest etiam supernaturaliter.

Probatio Theorematis

PRIMA Theorem[atis]: Quia Petrus potest Romæ stare, Cracoviæ autem sedere: ibi proximus esse igni, hic verò aquæ etc. Ergo Formæ dependenter à Loco non insunt Subjecto ubiquè. PARS 2DA THEOR[EMATIS] (Formæ non dependenter à Loco, si insunt Subjecto hic, debent etiam inesse et alibi) Probatur 1mo Res existens in pluribus Locis est eadem et numero: Ergo quæ ei conveniunt absolutè et independenter à Loco, necessariò debent illi convenire, ubicunque reperietur. Aliàs sequeretur contradictio, quod idem numero subjectum esset et non esset album, vivens et non vivens, calidum et non calidum etc. DICES Neg[o] sequi contradictionem quià verificatur de eodem ratione diversorum Locorum, erit enim calidum hic, ubi habet ignem approximatum, non autem alibi, ubi deest ignis. CONTRA Affectiones et prædicata ista non pendent à Loco; sed præscindunt ab illo, nec ratione Loci rebus conveniunt: Ergo licet ista responsio de illis affectionibus, quæ ratione Loci subjecto conveniunt, ut sunt stare et non stare etc. debeat valere, tamen de istis, quæ à Loco præscindunt, non valet, sed est omninò impertinens: Sicut enim affirmatio non inest subjecto secundum UBI, ita neque negatio: Sicut omninò impertiens foret si quis vellet salvare contradictionem in Petro, quod sit albus et non sit albus, per hoc, quià habet vel non habet filium, nam habere vel non habere filium est impertinens ad esse album, vel non esse album. CONFIRMATUR: quià ratio recipiendi hujusmodi formas absolutas non est ipsum UBI, sed capacitas rei secundum suum esse absolutum independens ab UBI, quod eodem modo se habet in omnibus Locis; Ergo sequitur, quod secundum idem, eidem subjecto contradictoria convenirent, et diversitas Locorum non potest hanc contradictionem impedire. Probatur 2do: Non potest dici res annihilata in uno Loco, et non in altero, sed si annihilatur in uno, omninò etiam annihilatur in altero: At si Formæ non dependenter à Loco, non inessent subjecto in omnibus Locis, id omninò eveniret. Ergo. minor: Nam si hic annihilaretur ratio cur desineret in isto Loco, non foret simplex desitio UBI, sed substantiæ rei (si enim solum ubi amitteret, non diceretur annihilari) Ergo ex vi desitionis subjecti non solum sequitur desitio istius UBI, sed etiam alterius, quià desinit illa Entitas, in quâ utrumque istud UBI fundatur. Ergo si illa Entitas subjecti annihilatur hic, etiam annihilabitur et alibi. DICES Quod cum in tali casu supponatur res substantia, liber replicata in pluribus Locis, amittit suum esse substantiale hic replicatum, non autem alibi, et ita annihilatur hic et non ibi. CONTRA Tunc res propriè dicitur annihilarari, quandò verum est dicere, nihil entitatis ejus remanere in rerum natura (hunc enim conceptum omnes habent de annihilatione, quià non satis est dicere rem non amplius esse ubi erat, ut verè dicatur annihilari) sed si ita desineret substantia rei hic, ut adhuc alibi remaneret, non posset dici verè nihil ejus remanere. Ergo Non diceretur verè annihilari. OBIICIES: Corpus existens Cracoviæ et Romæ, potest hic calefieri ab igne, non autem Romæ (quià ignis non habet virtutem naturalem ad agendum extra propriam sphæram) Ergo erit ex natura rei hic calidum non autem Romæ. Consequentia

quià

quià calor est terminus calefactionis, nec recipitur in Subjecto, nisi per calefactionem. Nego consequentiam. Ratio: Quià aliud est loqui de calefactione, et aliud de termino ipsius scilicet calore ipsam producto, et de unione illius caloris ad Subjectum; Actio enim illa et passio, cum fiant per tactum et approximationem Agentis ad passum, dependent à Loco: At nec calor, nec unio ejus ad Subjectum dependet à tali Loco, ideò calor erit unitus Subjecto, ubicunque erit Subjectum, tamen producetur in eo, nisi hic.

CONTROVERSIA NONA.

DE VACUO.

Quemadmodum tenebra Luci, aut cœcitas visui; ita vacuum Loco videtur esse quodammodo oppositum. Unde cum ejusdem Artificis sit munus et officium de oppositis agere, meritò hanc controversiam præcedenti adjungimus, in qua nonnullas difficultates de vacuo, et aliquot Theoremata determinare decrevimus, unde sit in Nomine Domini

THEOREMA PRIMUM.

Quid per vacuum intelligatur.

Vacuum in rerum natura de facto non datur; nec potest ratio à priori assignari, cur natura refugiat vacuum, præter causam extrinsecam et congruentiam.

NOTES Per vacuum nihil aliud intelligi nisi Locum privatum corpore v. g. Si ex illo Lectorio expellatur äer, et nullum aliud corpus ingrediatur, nec ipsi parietes inter se uniantur, aut coeant, sed eodem modo distantes ab invicem permaneant, verè tunc esset vacuum; unde solet definiri sic: Vacuum est Locus corpore carens, aptus tamen repleri. In qua

Vacui definitio.

Definitione dicitur (1° Locus) qui non sumitur hic Formaliter scilicet pro respectu Locantis ad Locatum, sed materialiter pro ipsa superficie corporis potentis aliud corpus continere: Neque est formale significatum vacui, sed materiale, et stat Loco Subjecti, per hoc enim inane seu spatium imaginarium (Spatium imaginarium et inane sunt idem) differt à vacuo, quod inane nullum connotat corpus, in quo talis negatio Subjectetur; At verò vacuum omninò connotat. Dicitur 2° (Corpore carens) quià si daretur corpus aliquod contentum in eo, jam tunc non esset vacuum, sed plenum. Porrò debet hoc intelligi de corpore Quantitativo, quod scilicet ponitur in prædicamento quantitatis et est

Differentia inanis seu spatii imaginarii, et vacui.

tia species ipsius, continens in se Lineam et superficiem; non autem de corpore Substantiali, quod in Arbore Porphyriana ponitur sub substantia, pro genere vel specie ~~subalterna~~. Unde si in[...]

NB (~~[illegible]~~ intermedia)

omni quantitate privetur aqua, ita, ut sola ejus maneat substantia absque omni quantitate, tunc verè daretur vacuum in illa Lagena, et multo magis si in eadem lagena aliqua substantia ~~sol~~ spiritualis, absque omni alio corpore quantitativo existeret. E contra si in aliquo Loco esset quantitas absque substantia, ut sunt ipsæ species sacramentales, tunc Locus ille non esset vacuus, sed plenus, quia repleretur ab illa quantitate Sacramentali, quæ manet post transubstantiationem: Porrò illud dicitur replere Locum, quod facit partes corporis Locantis extensas et distantes, et prohibet ne in unum coëant, quod quidem à sola habetur Quantitate. Additur 3 (Aptus tamen repleri) ut per hoc magis explicetur negatio per vacuum importata, quod scilicet non sit simplex negatio sed privatio aptitudinem subjecti concernens. Ex his colligere licet quid sit plenum? quid vacuum? et quid inane, et quomodò differant.

PROBATIO THEOREMATIS

PARS 1MA THEOREMATIS (Vacuum in rerum natura de facto non datur) Probatur: illud de facto non datur, quod natura maximè abhorret: sed vacuum maximè natura abhorret. Ergo.

MINOR: Nam ad evitandum vacuum multos motus Natura, aut ~~ipsi~~ violentos admittit, aut naturales negligit. Sic v.g. Aqua sursum ascendit per fistulam, dum ex illa äer extrahitur, sic cucurbitulæ carnem in tumorem elevant, et Phiala aquam tumescere seu elevari facit, quandò calefacto in ea äere, orificius ponitur super aquam, quia ille äer intra inclusus, propter frigiditatem aquæ condensatur, et ideò ne detur vacuum, ascendit aqua: Et si Phialæ os super aliquod corpus ponatur, quod non possit ascendere, statim illam frangi opus erit, sic in clepsidra obstructo superiori orificio, non descendit aqua licet inferius habeat apertum orificium, et ex natura sua sit apta tendere deorsum. PARS 2DA THEOREMATIS (Ratio cur vacuum natura abhorreat, non est à priori assignabilis) Probatur: quia vel provenit ab eo, quod Locus attrahit ad se Locatum, vel ex hoc, quod res, cum propriam appetant conservationem, aliis unitæ magis conservantur quam separatæ: Vel ex eo, ut possint hæc inferiora à cœlestibus per influentias gubernari. Sed nihil horum. Ergo. Non 1mum, quia communiter conceditur Locum non effectivè, sed finaliter ad motum concurrere. Deindè si hinc proveniret, tunc Locus naturalis haberet istam vim, non autem violentus, et tamen ad replendum vacuum, aqua aliquandò proprium Locum relinquit. Non 2dum: Tùm quia potius Sublunaria plus conservarentur separata, quam unita, quia sic unum non ageret in aliud, cum quodlibet sit contrariis ornatum. Tùm, quia magis conservatur res in proprio et naturali Loco quam in violento. Tùm quia perfectius res permanet in esse, quandò est alteri ejusdem rationis conjuncta, quam alii diversæ rationis unita, quia virtus unita fortior, et tamen non ita resistit divisioni in proprias partes, sicut resistit separationi ab alio corpore. Non 3ium, quia non est ad agendum necessaria plenitudo medii, quoad omnes Actiones. Præterea si daretur aliquod minimum vacuum ad Tempus, nequaquam ob id subverteretur ordo totius Universi

ita ut

ita, ut, non possint cœlestia in hæc inferiora influere. PARS 3tia Theorematis (cur natura fu-
giat vacuum, extrinseca tantum ratio, et congruentia quædam potest assignari) Probatur:
Non potest ulla ratio à priori dari (ut modo est probatum) Ergo assignanda est extrinseca, et
illa quidem erit ipsius DEI decretum, quo determinavit hunc mundum unitum et contiguum
conservare. Porrò ut mundi partes sint unitæ et contiguæ maximè congruum esse videtur, quia ni-
mirum unitas est perfectior quàm pluralitas et discontinuitas, unde Natura in omnibus in-
tendit ad unum, eo modo, quo est possibile, imò et Ars hoc sæpius intendit, melius enim do-
mui est habere partes connexas quàm disjunctas. Ergo quià mundus non potest esse unus conti-
nuitate perfectâ, quià multa includit specie et genere distincta, saltem erit unus connexi-
one et contiguitate, et quoniam bonum totius est præferendum bono particulari, ideò ut ha-
beatur ista contiguitas, multa contra proprias Affectiones rerum in particulari causantur à na-
tura. OBIICIES Datur in rerum natura plenum. Ergo et vacuum. Consequent: quià posito u-
no contrario, debet dari et aliud. Item 2do: Locus potest separari ab omni Locato (quià Lo-
cus est prior omni Locato, prius autem potest separari à suo posteriori) Ergo dabitur vacuum
Conseq. quià tunc esset Locus privatus corpore. Item 3tio Possibile est quodlibet corpus non
esse hic, ut patet per inductionem. Ergo si possibile poneretur in esse, daretur vacuum, ergo va-
cuum non est impossibile, quià possibile posito in esse, non sequitur aliquod impossibile. Item 4to:
A propositione de tertio adjacente valet consequentia ad propositionem secundi adjacentis v. g.
Licet sic arguere (si homo est albus, homo est) Sed vacuum est Locus privatus corpore. Ergo vacu-
um est. RESPONDEO Neg. consequentiam, probationem autem distinguo. Licet enim possit ad-
mitti de contrariis seu oppositis positivis, non autem de oppositis privativè, cujusmodi sunt Lo-
cus et vacuum. Ad 2dum dico illam propositionem (prius potest separari à suo posteriori) non es-
se universaliter veram secundum vires Naturæ. Ad 3tium Disting. Ans: Verum enim est distri-
butivè, non autem collectivè. Ad 4tum Disting. majorem. Licet enim propositio de secun-
do adjacente inferatur ex propositione de tertio adjacente + ex materia contingenti, quià talis
propositio non abstrahit ab omni temporis differentia; tamen ex propositione de tertio adjacente

+ tunc quando constat illa propositio de tertio adjacente ex etc.

quæ constat ex materia necessaria, non potest inferri, non enim valet (Antichristus est homo. Er-
go Antichristus est) quià istæ propositiones abstrahunt ab omni temporis differentia. Porrò in nostro pro-
posito, illa propositio Vacuum est Locus privatus, est in materia necessaria, non autem con-
tingenti. INSTABIS Detur vas aneum secundum omnes partes æque compactum, ita ut nullo
modo äer subintrare possit, et impleatur aquâ calidâ, eaque ipsius occludatur omnimodè et exponatur fri-
gori

frigori maximo, jam tunc opus erit aquam constringi in glaciem (quia frig[us] erit tunc applicatum, nec erit impedimentum habebitque sufficientem virtutem) Ergo Tunc omnino dabitur vacuum. Præterea sint duæ tabulæ perfectæ planè rotundæ, ejusdem densitatis et ponderis, et sint inter se contiguæ, tunc elevetur una earum quæ est superius secundum omnes partes æqualiter, eo tempore revera äer non poterit statim in instanti existere, tam in partib[us] circumferentiæ, quàm centri (nam mot[us] Localis non potest fieri in instanti, sed tantum in tempore) atquè sic dabitur vacuum. RESPONDEO Aquam in illo casu non posse constringi in glaciem, quia aderit impedimentum scilicet illa occlusio. Item natura universalis prohibens vacuum, et si vas vitreum fuerit, franget[ur], vel in parte debiliori, vel si esset æquale secundum omnes partes, illa in parte qua DEUS determinaret. Ad aliud dico illam tabulam non posse naturaliter elevari secundum omnes partes æqualiter, sed prius secundum unam quam aliam, ut det[ur] äeri temp[us] ad replendum istud spatium.

THEOREMA SECUNDUM.

Vacuum supernaturaliter potest dari, imò et naturaliter, si universum secundum proprias vires spectet[ur], non autem ut subest DEI decreto.

PARS 1ma probatur: Magis repugnare videtur, ut accidens separetur à Subjecto, materia à Forma. Item ut duo corpora sese penetrent. Item ut corpus indivisibiliter instar Spiritus existat, quàm ut continens separetur à contento absq[ue] concurrentia et coitione suorum Laterum (quia inter illa est major dependentia et connexio, quàm inter continens et contentum) Ergo si illa possunt supernaturaliter fieri, etiam hæc separatio continentis à contento erit possibilis, et per consequens dabitur vacuum. Subsumo. Sed illa possunt fieri supernaturaliter ut alibi probatum est. Ergo. Præterea Entia Creata, quæ sunt absoluta et inter se distincta, et unum pendet ab alio, ita se habent, ut unum possit virtute Divinâ conservari, annihilato alio; Sed Cœlum et Elementa, omniaq[ue] ista sublunaria ita se habent (Cœlum enim est absolutum et realiter ab Elementis distinctum, nec pendet ab illis) Ergo poterit conservari Cœlum, facta Elementorum annihilatione, et p[er] consequens potest dari vacuum, quia tunc inter latera Cœli nullum esset corpus. PARS 2DA Probat[ur]: Magis inclinat[ur] una res ad unionem cum alia ejusdem rationis, quàm cum altera diversæ rationis (nam cum illa conservatur, cum ista verò corrumpitur) Sed non obstante tali inclinatione, adhuc virtute Agentis creati potest ab illa separari. Ergo multo magis ab hac, quæ est diversæ rationis et p[er] consequens vacuum poterit dari naturaliter, si universum suis virib[us] relinquat[ur]. PARS TERTIA Probatur, quod scilicet stante DEI decreto non possit

Agens

Agens finitum causare Vacuum, quia non potest inferius Agens virtutem Superioris superare. Ergo si DEUS decrevit ut hoc universum sit contiguum et colligatum, non potest Agens Finitum talem ordinem immutare: Hinc in S. Scriptura habetur (non enim Deus subjecit Angelis orbem Terrae).

OBIECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIONES.

OBIECTIO PRIMA (Vacuum supernaturaliter non potest dari) Implicat contradictionem. Ergo. Ans: Quia alias requireret, quod Locus esset et non esset, hoc autem implicat: Esset, quia vacuum est Locus corpore carens: Non esset autem quia non esset locatum. Ergo Nec Locus. Consequentia ista, nam sublato uno relativorum, tollitur et aliud. RESPONDEO Neg. Ans: Ad probationem dico, Locum pro Formali non esse in vacuo scilicet continentiam Activam, sed tantum Locum pro materiali scilicet superficiem, qui sensu sumitur in Definitione Vacui. OBIECTIO SECUNDA (Vacuum potest virtute naturae causari) Probatur: Quia unaquaeque res magis inclinatur in bonum totius, quam in bonum proprium particulare (Unde manus exponit se periculo ut salvet caput, tanquam magis bonum. Sed contiguitas est bonum totius universi: Permanentia autem in Loco naturali est bonum particulare Entis Physici. Ergo Ens Physicum magis inclinat in illud, quam in istud. Ergo simpliciter resistit ne detur vacuum. RESPONDEO Neg. majorem, nec exemplum adductum argumentum enim sequitur quod totum magis diligit bonum sui ipsius, vel partis principalioris, quam minus principalis; unde non manus ex suo appetitu exponit sese, sed homo ipsam exponit tanquam partem minus principalem pro salvanda parte magis principali. Sic virtus, quae regit totum universum movet partes ad bonum totius conservandum, non autem ipsae partes se movent.

THEOREMA TERTIUM.

Corpora ad prohibendum vacuum non moventur à Principio intrinseco, sed tantum ab illo solo extrinseco, à quo corpus illud, in cuius Locum aliud violenter motum succedit, movetur.

PARS PRIMA PROBATUR Vel enim illud Principium intrinsecum esset gravitas vel levitas, vel virtus omnibus rebus indita ad replendum Vacuum. Sed nihil horum. Ergo. Minor quoad primam partem. Non gravitas quia motus ad replendum vacuum eo est velocior, quo velocius movetur corpus, relinquens spatium, et aliquando velocius Aqua ascendit ad replendum vacuum, quam naturaliter descendat. Atqui gravitas non potest talem motum causare (nam gravitas est Forma ex se determinata ad producendum motum determinatae velocitatis, nec potest velocius movere sur-

movere sursum, quam deorsum, eo quod iste motus sit magis ipsi naturalis, quam ille. Ergo gravitas non est principium talis motus. Praeterea, quod Aquam sursum movet, illud idem eandem sursum detinet (quia quod potest dare esse motui, potest quoque conservare illud esse datum) Sed gravitas non detinet aquam sursum, ergo nec movet illuc illam, et per consequens gravitas non est principium intrinsecum. Minor: Quod resistit et impedit motum sursum, illud non detinet aquam sursum (nam eadem Forma, qua est ad unum determinata, duos oppositos motus simul et semel causare non potest) Sed gravitas impedit motum sursum (quia resistit, quando enim aqua ascendit sursum propter vacuum replendum, gravitas ipsius (ut patet in clepsydra) causat pondus, quod est signum resistentiae et propensionis ad motum deorsum. Ergo. Hoc idem potest accommodari levitati. Quoad 3tiam partem probat: Quod alicui est à natura inditum, non est rei destructivum: Sed illa propensio ad impediendum vacuum est rei corruptiva. Ergo non est ipsi à natura indita. Item 2do Alias aqua esset naturale conjungi cum igne, si sub ejus sphaera deberet dari vacuum, quod tamen falsum est, quia magis convenit Aquae à contrario refugere scil: ab igne quam illi approximari. Item 3tio Dum Lapis adhaeret alteri Lapidi propter evitandum vacuum certè non minus gravitat quam alias solet, Sed si haberet virtutem inditam ad replendum vacuum ±, deberet decrescere et diminui resistentia opposita. Ergo istam virtutem non habet.

± minus omnino deberet gravitare quia crescente virtute ad replendum vacuum deberet etc.

PARS SECUNDA THEOREMATIS (Quod effective movet unum corpus Localiter, effective quoque expellit aliud corpus. Ergo A pari, quod effective movet unum corpus, effective quoque movet aliud corpus quodlibet aliud naturali vinculo conjunctum, ut patet in conglutinatis rebus. Ergo stante Divino decreto, quo partes mundi debent esse contiguae, sequitur quod, qui attrahit aërem ex fistula, ille idem attrahit aquam effective. Confirmatur: Quod defatigat aquam sursum ascendente, ab illo aqua movetur et attrahitur: Sed extrahens aërem ex fistula, defatigat Ergo ab eo aqua movetur, unde eadem resistentia sentitur utrobique, et tunc quando propter vacuum, et tum quando propter aliam causam aqua sursum movetur. Hoc idem in aliis accidit: Nam quod causat condensationem, causat quoque motum in corpore ambiente, ad superficiem condensati, et quod facit ignem in cucurbitula extingui, et aërem densiorem generari, illud quoque carnem intumescere facit.

THEOREMA QUARTUM.

Motus in corpore ad replendum Vacuum moto, respectu corporis particularis est violentus; At verò respectu totius universi est naturalis.

PARS PRIMA PROBATUR: Quod vi movetur, illius motus est violentus: Sed dum aqua sursum ad replendum vacuum ascendit, vi movetur. Ergo motus ejus est violentus. MINOR: Quod tractione movet, illud violenter movetur (quià ex 7 Physicorum tex. 10 Tractio est motus violentus) sed aqua tractione movetur. Ergo. Præterea Aqua ad motum sursum nullam præbet inclinationem etiam tunc, quandò propter vacuum movet (nam eandem suam retinet gravitatem, et trahens trahendo eam defatigatur) Ergo. PARS 2DA patet, quià ille motus ad replendum vacuum ordini universi est maximè accommodatus, imò magis est naturalis aquæ motus sursum quàm deorsum comparando illum non ad aquam, ut est pars universi, sed ad aquam et ad universum ipsum. Quià natura totius universi cui motus ille est conformis, est magis principium naturalitatis quàm natura particularis ipsius Aquæ.

THEOREMA QUINTUM

Non repugnat motum fieri in Vacuo, præcipuè motum Lationis, imò et alios motus, non tamen omnes.

PARS PRIMA Probatur: Ubi datur movens, mobile, et extrema ex quibus unum potest à mobili de novo acquiri relicto alio; ibi non repugnat fieri motum: Sed in vacuo si daretur, posset esse tam movens quàm mobile, cum carentia alicujus Formæ, neque impedirent media adstantia in omnibus. Ergo motum in vacuo fieri non repugnat. Item 2do: Si placeret DEO, utique posset aliquod mobile per vacuum movere, atquè sic daretur ibi motus. Item 3tio Posset Angelus seipsum et aliud mobile in vacuo movere Localiter. Ergo. Ans: quià à medio nullo modo dependet Angeli motus, nec esset ille motus instantaneus, sed tantum successivus. Item 4to Si ultima sphæra cœlestis, non à Cœlo Empyreo, sed ab ipso spatio imaginario immediatè circumdaretur, tunc, si illi virga ferrea esset affixa, omninò opus esset illam virgam moveri ad motum sphæræ, et tamen non moveretur in pleno. Ergo similiter si omnes sphæræ inferiores cum Elementis et Elementatis omnibus annihilarentur, adhuc ultima sphæra circulariter in vacuo moveret. Ergo. PARS SECUNDA probatur: Si vivens in vacuo positum haberet alimentum sufficienter applicatum, et non impediret respiratio, tunc posset ibi nutriri et augeri. Ergo. Item: Homo in vacuo non solum posset intelligere, sed etiam sensationes Tactus et Gustus exercere, si sensibilia haberet approximata, quià istæ operationes non pendent à medio pleno. Ergo Alii motus præter Localem seu Lationis possent fieri in vacuo.

PARS TERTIA Probatur: Quià visio et auditio in vacuo non possent haberi. Ergo Non omnes motus fierent in vacuo. Ans: Aliàs si visio fieret, deberet ibi dari species visibilis (nam ad producendam visionem opus est specie visibili in medio ab objecto productâ) Sed in vacuo non potest haberi talis species

lis Species (quiâ Species est Accidens, et ideò requirit Subjectum, cui inhæreat, quod Subjectum in vacuo nullum datur) Ergo. Idem dicendum de audiendi sensatione. OBJICIES: motus Localis non datur, nisi detur UBI (quiâ terminus motus Localis est UBI) Sed in vacuo nullum est UBI (quiâ ubicatio non potest esse sine superficie, quæ in vacuo nulla datur) Ergo. Item motus qui fieret in vacuo, aut esset Naturalis, aut Violentus: Neutrum potest dici. Ergo Non datur. MINOR: Non Naturalis, quiâ hic fit ad unam certam determinatam partem scil: sursum, aut deorsum. Sed in spatio non posset fieri ad unam certam partem, non enim esset major ratio cur potius ad hanc partem tenderet, quàm ad illam, ad omnes quoque tendere non poterit. Neque potest esse Violentus, quia à quo removetur motus Naturalis, ab illo et motus violentus debebit removeri, quiâ uterque circa idem Subjectum exercetur. RESPONDEO et dico motum Localem non posse quidem fieri, nisi in pleno, in quo solum reperitur UBI Locale, quod penes superficiem realem ambientem attenditur, tamen motum Lationis secundum totam suam realitatem affirmo posse fieri tam in pleno, quàm in Vacuo, quiâ per se terminus ejus est UBi præsentiale, UBI verò Locale tantum per Accidens quatenus accidit motum Lationis fieri in pleno. Terminus igitur motus in vacuo facti esset UBI præsentiale quod debet attendi penes determinatas partes virtuales Divinæ Substantiæ per illud totum spatium diffusæ, quatenus in toto motu illi toti coëxisteret, non tamen totaliter, qui respectus cum sit verus realis et positivus et à mobili realiter distinctus, modo enim coexistit DEO hic, modo ibi in eo spatio, sufficienter potest terminare motum Realem et positivum. Ad 2dum dico: Motum illum in vacuo nec naturalem, nec violentum, sed tantum neutrum fore, qui scilicet: nec erit secundum inclinationem rei, neque contra inclinationem. QUÆRES An gravia et levia possent naturali motu in vacuo moveri. RESPONDEO et Dico 1mo Si gravia et levia ideò ad propria Loca sursum et deorsum moventur, quiâ petunt duntaxat esse gravia sub levibus, et levia supra gravia, non verò ideò quiâ determinatum situm postulant in Universo, tunc verum est, nullo modo, ea naturaliter moveri in Vacuo, sive sit illud vacuum terminatum, sive interminatum, propterea quiâ in neutro isto vacuo esset assignabilis Locus naturalis sursum et deorsum, atque sic eodem modo se haberent hic et ibi, quiâ nullum corpus adesset contiguum à quo possent determinari, in quam partem deberent moveri: Nec extrema distantia possunt tali motui causando prodesse, alias enim si aqua esse supra aliquod grave sub quo äer reperiretur, ut modo est mare supra terram, quæ in suis concavitatibus multum äeris continet, tunc sequeretur, quod non quiesceret naturaliter,

quod tamen

quod tamen est falsum. Sequela: quia sic extremum levius scilic: Aërem haberet subtus. Naturalitas itaque Loci penes corpus proximum & circumstans debet attendi, et cum in vacuo terminato nullum esset tale corpus, eodem modo se haberet grave, ac in spatio interminato. Dico 2do Si rationem Loci naturalis non tantum corpus continens attendatur, sed etiam situs universi, tunc gravia et levia, quamvis in spatio interminato non possint naturaliter moveri, quia non essent assignabiles ista Locorum positiones sursum et deorsum, tamen in Vacuo terminato intra universum possent naturaliter moveri ad propria Loca, quia verè daretur adhuc sursum et deorsum. Quaeres

Quid sit ferendum de motu Animalium progressivo in vacuo?

2do Quid sit ferendum de motu Animalium progressivo in vacuo? RESPONDEO et dico: Animalia supposito quod non impediat respiratio, ut erunt corpora beatorum post judicium, si essent in vacuo interminato, posse moveri motu progressivo, cum virtutem habeant motivam, et nihil impediat, illud tamen addo, quod si essent in vacuo terminato, et gravia ac levia ad proprium Locum tenderent, non solum, ut sub levibus, vel supra gravia sint, sed etiam ratione situs universi, dico illa non posse moveri absque sustentaculo sub pedibus, unde volatus avium non posset ibi confici: At si ad situm non tenderent, sed tantum ad superficiem corporis continentis et conservantis, tunc, quemadmodum, ut gravia deorsum non tenderent, nec sustentante indigerent, ita possent motu progressivo moveri et volatu, ac si essent in spatio inani interminato, eadem enim utrobique est ratio.

THEOREMA SEXTUM

Motus qui in Vacuo fieret, successivus, non autem instantaneus foret.

In motu duplex Successio. Essentialis & Accidentalis.

NOTES in motu duplicem esse successionem: Unam Essentialem: Alteram Accidentalem, quam quidem successionem alii appellant resistentiam, internam et Externam, Interna autem est idem quod successio essentialis. Externa verò idem quod successio accidentalis. Successio Essentialis in motu provenit ex spatio quanto ut sic, si enim grave moveatur à tecto aulae usque ad pavimentum, necesse est, quod prius sit in priore parte illius spatii, deinde in media, tandem in ultima: Atque haec est successio essentialis, hinc apparet talem motum non posse fieri in instanti, quia non posset in momento has partes spatii transire. At verò successio Accidentalis provenit ex subtilitate et densitate medii, et haec successio non ~~p~~ posset esse in motu, qui fieret in vacuo, quia medium vacui nihil est, et sic neque est densum, neque subtile.

Mediū vacui nihil est.

PROBATIO THEOREMATIS.

Ratiocinium: Ubicunque datur resistentia aliqua, ibi motus debet fieri successivus (quia successio in motu, provenit ex aliqua resistentia) sed in vacuo datur ejusmodi resistentia. Ergo in vacuo motus debet fieri successivus seu in tempore (motus enim factus in tempore dicitur fieri successivè) et per consequens motus qui fieret in vacuo etc. Minor: quia ibi adesset resistentia, non quidem accidentalis, quae provenit ex densitate et raritate medii, nam haec potest à motu separari; sed Essentialis, quatenus illud spatium et distantia terminorum saltem privativa non potest simul pertransiri, sed prius secundum

secundum unam partem, quam secundum aliam, nec movens est tantæ virtutis ut possit terminum statim inducere, cum ipsius entitas sit finita et limitata. Confirmatur 1mo Quia juxta Theologos potest Angelus moveri successive de Cœlo ad Terram, cum tamen nulla sit resistentia medii quo ad densitatem vel raritatem, neque enim opus est ut Angelus scindat medium transeundo cum sit spiritualis. Ergo sufficit ad hoc, ut motus fiat successivus, successio essentialis seu resistentia interna. Item 2do: Motus Cœli circularis fit successive licet nulla sit resistentia Accidentalis ex parte medii, sed tantum essentialis. Item 3tio Si ultima sphæra virga ferrea affigat, omnino successive ad motum sphæræ in vacuo moveretur. Ratio 2da Ponatur vacui distantia seu capacitas centum palmorum, et vocetur A, deinde ponatur mobile unius palmi, et vocetur B, tunc sic arguo: mobile B non potest simul coëxistere toti spatio A. Ergo mobile B non potest moveri in instanti per A. Ergo successive, et per consequens motus talis erit successivus. Ans: quia Quantitas unius palmi non potest in instanti replere, nisi spatium unius palmi, neque enim potest seipsa majus occupare. Consequentia quia non potest in instanti moveri per A, quin coëxistat toti A, atque sic esset æquale ipsi A, nam æqualia dicuntur quæ secundum extensionem sibi mutuo correspondent, neutrum excedit, aut exceditur ab alio. Confirmatur 2do: Nihil potest pertransire se ipso majus spatium quin prius coëxistat spatio æquali sibi: Sed in hoc spatio vacuo nempe A datur pars æqualis mobili B et etiam major. Ergo prius mobile erit in spatio æquali sibi, quam in majori. Confirmatur 3tio: Si esset aliqua columna in vacuo, et duo Lapides simul descenderent juxta illam, unus tamen a summitate, alter a medio, tunc non possent simul in instanti descendere, sed qui est a medio, prius alio, quia quando ille a summitate descendens est in medio ~~[illegible]~~ ~~[illegible]~~ vel iste lapis hic existens, est jam motus, vel non? Si non. Ergo non simul ambo moventur, quod est contra suppositum, quia utrumque simul moveri supponimus. Si primum. Ergo prius alio hic secundus. Ergo successive. Et per consequens motus in vacuo erit successivus. Confirmatur 4to: Quia mobile vel in eodem instanti est in termino (A QUO, AD QUEM) et medio, vel in diverso instanti? Non in eodem, quia tunc minus esset æquale majori scilicet instans mobili. Ergo est in diverso instanti: Sed inter duo instantia datur tempus. Ergo motus ille fit in tempore, et per consequens erit successivus. Confirmatur 5to: Omne quod transit de extremo ad extremum, prius attingit medium quam terminum (AD QUEM). Sed ubi est prius et posterius, ibi est tempus, ubi autem est tempus, ibi est successio (quia tempus est Ens successivum) Sed in vacuo ita accidit. Ergo. OBIICIES: Motus factus in pleno, non potest esse æqualis motui qui fit in vacuo. Sed si motus in vacuo esset successivus, posset illi fieri motus æqualis in pleno. Ergo in vacuo motus successivus esse non poterit. MINOR: Sit aliquod plenum subtile in tanta proportione ut excedat aliud plenum subtile, tantum, quantum tempus motus facti in vacuo excedit tempus motus facti in pleno, tunc si fiat motus in hoc pleno subtiliori, erit æqualis motui facto in Vacuo. Item: motus in pleno non potest fieri velocius et breviori tempore quam in vacuo: At si esset successivus, posset fieri breviori tempore. Ergo Non est successivus. MINOR: Si enim motus in vacuo duraret per horam, et in pleno per duas horas, tunc si DEUS produceret aliud plenum,

Æqualia quæ dicantur!

quin

quintuplo subtilius illo priore pleno, omninò motus in isto secundo pleno fieret citius, quàm quatuor horam. Respondeo ad 1mum distinguendo majorem. Licet motus factus in pleno non possit esse æqualis motui, qui fit in vacuo, quoad successionem accidentalem, quæ provenit ex subtilitate vel densitate medii, tamen potest esse æqualis, quoad successionem essentialem, quæ provenit ex distantia extremorum, et ex parte moventis. Ad 2dum per eandem distinctionem respondeo. Si enim augeatur spatium et distantia aut virtus motiva, tunc potuit motus in pleno citius absolvi quàm in vacuo: At cæteris paribus motus semper erit velocior in vacuo quàm in pleno, quia major subtilitas minuit tempus correspondens successioni accidentali, non verò essentiali, non enim hoc semper dep.

Controversia Decima
De
Tempore.

Quibus necdum Sol ad occasum vergit, ii de duratione in communi, item de Æternitate et Ævo ad libitum tractent. Nobis (quod idem et alii quoque faciunt) sufficiet hac vice cum Aristotele de Tempore tractare unde sit in nomine Domini:

Theorema Primum.

Quid per Tempus in hac controversia intelligatur.

Verè datur Tempus Intrinsecum, et duratio successiva.

Notandum Dictum 1mum: Tempus hoc Loco, non aëris constitutionem, sed durationem rei successivè per partes continuo fluentis significat. Dictum 2dum: A successivarum rerum numero excludendæ sunt qualitates per partes acquisibiles et similia, quia cum plures simul habeant partes, permanentia potius sunt Entia quam successiva. Dictum 3tium: Entia successiva sunt illa, quorum nulla pars est simul cum altera, cujusmodi sunt actiones, passiones, ubi Locale per motum continuum successivum acquisibile et ipsemet motus.

Entia successiva quæ.

Dictum 4tum: Quia Entia successiva prædicta, ferè semper cum motu fiunt, et motus est illis notior, ideò motus per Ἀντονομασίαν à Philosophis Ens successivum appellatur, et Tempus tribuitur motui tanquam propria passio, undè ab Aristotele in ordine ad motum definitur sic: Tempus est numerus motus secundum prius et posterius.

Definitio Temporis.

Dictum 5tum: Istud Tempus est duplex scil: Intrinsecum, quod nihil est aliud, nisi propria cujuslibet motus successiva duratio. Alterum Extrinsecum, quod est duratio alicujus successivi Entis, in qua duratione cæteri motus exercentur, vel coexistunt, quâ ratione dicitur mensura motus, et de hoc præcipuè agit Physicorum 4to.

Temporis divisio.

Dictum 6tum: Rursum Tempus extrinsecum est duplex. Aliud Reale quod est duratio realis alicujus motus realis quâ cæteri motus mensurantur, qualis est motus primi mobilis. Aliud verò Imaginarium quod est duratio alicujus motus, non actualis sed possibilis, imaginati tamen à nobis ad modum actualis et positivi.

Temporis Extrinseci duplex divisio.

Probatur

PROBATIO THEOREMATIS.

Probatur 1mo Authoritate. 1 Genesior habet (Fiant luminaria magna, et dividant diem ac noctem, et sint in signa et Tempora, et dies et Annos) Item Actorum 1 (Non est vestrum nosse Tempora et momenta) Item D. Augustinus ait nihil esse notius existentia Temporis, quia in omnium ore est Heri, Hodie, cras etc. quae significant Tempus. Item Aristot. 4 Physicorum probat Tempus dari, quod et alii idem tenent. Probatur 2do Ratione: Non solum datur à parte Rei Ens permanens, sed etiam successivum. Ergo praeter durationem permanentem debet dari successiva. Consequ. quia res existens, est res durans. Vel sic: Omnis res durans existit, habet durationem sibi proportionatam v.g. Deus aeternitatem, Angelus Aevum. Sed motus est res. Ergo habebit quoque suam durationem. Sed duratio motus nihil est aliud nisi Tempus. Ergo si duratio datur, etiam tempus debet dari. Scias hoc loco existentiam Entis successivi differre ab Existentia Entis et praesentia permanentis, quod habet totum esse simul est simultanea, Entis vero successivi est fluens et successiva secundum quamlibet partem, et in continuo transitu, eo modo quo fluvius dicitur existere, cum tamen continuo fluat. Obiicies Partes Temporis non existunt, nec possunt existere. Ergo Nec Tempus. Ans: Partes Temporis non sunt, nisi praeteritum et Futurum (nam Praesens non est pars, quia est instans, iam vero instans non est Tempus, nec pars Temporis) Sed praeteritum et Futurum non possunt existere. Ergo. minor: Quia, quod existit, dicitur nunc esse: Sed praeterito ut praeteritum, et Futuro ut est Futurum, repugnat nunc esse. Ergo. Respondeo Neg. Ans: Ad probationem dico partes Temporis proprie loquendo non esse praeteritum et futurum reduplicative: Sed solum ut sunt praesentia, non quidem simultanea sed successive: Unde partes Temporis rectius assignantur istae scilicet: Prius et Posterius, quae possunt successive dici praesentia, quia prius tunc est prius, quando est ante posterius; et posterius est tale tunc, quando succedit priori: At vero Praeteritum, dum est praeteritum non existit, neque Futurum dum est Futurum. Et quia quaevis pars Temporis est Tempus (sicut quaelibet pars aquae est aqua) et consequenter quaelibet debet includere prius et posterius: idcirco pars prior dicitur Tempus, quia includit prius et posterius, non quidem respectu eiusdem, sed respectu diversorum: Nam prioritas et posterioritas dicunt successionem, quaelibet autem pars est successiva.

Differentia Entis successivi ab Ente permanente.

+ Quia Existentia & praesentia entis permanentis quod est.

THEOREMA SECUNDUM.

Temporis Intrinseci si large sumatur Formale significatum est rerum transeuntium tam successiva quam instantanea existentia: At vero si sumatur stricte, tunc formale eius significatum erit duratio successiva, et successio partium si est Essentialis.

Temporis Intrinseci duplex Acceptio.

Notandum 1mum Dictum 1mum: Tempus intrinsecum dupliciter potest accipi. 1 Stricte secundum communem et usitatam acceptionem. 2 Large Prout est una Species sub duratione contenta ab aliis duabus scilicet: ab Aeternitate et Aevo distincta; adaequate cum ipsis durationem in communi dividens. Dictum 2dum Si Tempus intrinsecum sumatur hoc secundo modo tunc

modo, tunc nihil aliud formaliter dicet, nisi durationem seu Existentiam Entium ex sua n-

+ ut instantaneæ mutationes etc.

tura transeuntium, sive illa Entia instantaneè + mutationes, sive successivè, ut motus successivi tran-
seant: Dum tamen significat istam durationem præscindendo ab instantaneitate et Succes-
one, statim simul cum hoc connotat coexistentiam alicui extrinsecæ durationi. Dictum
3tium: Si Tempus primo modo sumatur, tunc formaliter solam successivam durationem de-
notabit; sed sumendo sic Tempus, iam divisio Durationis in communi in Æternitatem, Æ-
vum et tempus non erit adæquata propterea, quià dabitur aliquod inferius sub duratione
tentum, quod nec sub Æternitate, nec sub Ævo, nec sub Tempore continebitur directè; da-
bitur inquam mutationis duratio essentialiter instantanea, quæ sub nulla illarum trium
cierum directè claudetur, cùm tamen talis instantanea duratio sit vera duratio, sicut
ipsa talis mutatio omninò veram ac realem habet existentiam. NOTANDUM 2dum

Successio quid sit.

Dictum 1: Successio nihil est aliud, nisi Ordo seu Relatio ordinis partium secundum Prius et
Posterius uno termino communi copulatarum, quatenus una pars ita succedit alteri, ut semper
una sit prior, altera verò posterior, et nunquam ambæ simul. Dictum 2: Successionem
istam aliquandò vocamus Essentialem, aliquandò etiam accidentalem: Tunc est Essentialis, quan-
dò differentiam intrinsecam, quæ durationem in tali Specie constituit, circumscribimus ipsam.
Tunc verò est accidentalis, quandò accidentaliter Enti successivo convenit, et in partibus ipsius
in suo esse constitutis fundatur. Dictum 3tium: Ordo iste partium quem Successio signifi-
cat in motu essentialiter successivo, qualis est motus Localis per Spatium divisibile, est realiter
ipsi motui identificatus, et licet non sit differentia essentialis, tamen circumscribit eam. Dico
autem iste ordo in motu non est Differentia Essentialis, quià hæc constituit rem, iste autem
ordo non constituit motum: aut partes ejus, sed præsupponit ipsas iam in suo proprio Esse con-
stitutas, nam quæ partes ipsius motus sunt talis ordinis seu Successionis Fundamentum, quià

Motus potest esse motus.

ipsas fundat talis respectus ordinis. Dictum 4 Triplex motus esse potest. Alius, qui essentia-
liter petit esse in instanti, ut est acquisitio cujuscunque indivisibilis: Alius qui sit in Tempore
v. g. motus Localis in Spatio divisibili factus: Alius tandem qui indifferenter, tàm in instanti
quàm in tempore fieri potest, ut sunt omnes alii motus, qui saltem supernaturaliter possunt fieri
in instanti. etc.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS 1MA Quod Tempus Formaliter dicat existentiam patet: Quià Duratio in commu-
ni dicit existentiam rei durantis: Ergo et qualibet Species ipsius dicet eandem: Sed tempus in-
secum est Species durationis in communi. Ergo. PARS 2DA Quod Tempus dicat durationem exter-
nam.

transeuntium præscindendo ab instantaneitate et successione. Probatur Quia res instans tā,,
tummodo durans habet propriam existentiam et durationem (ut patet ex xmo notando) Ergo hæc
ejus duratio et existentia aut est Æternitas, aut Ævum, aut Tempus. Sed non potest dici Æter-
nitas, quia hæc soli DEO GLORIOSO convenit; neq etiam Ævum quia hoc convenit rebus iis, quæ possunt ex na-
tura sua diu permanere. Ergo erit Tempus. Nam stante illa trimembri divisione durationis in
communi, non nisi ad hanc tertiam poterit reduci, atque sic, tempus continebit sub se dura,,
tiones rerum ex natura sua transeuntium præscindendo ab hoc, quod est transire in instā,,
ti vel successivè. PARS TERTIA: Quod scilic: Tempus non aliter dicat successionem partium
nisi ut successio circumscribit differentiam essentialem. Probatur: quia differentia essenti-
alis constituit rem etc. Vide Notandi 2di Dictum tertium. PARS QUARTA Quod scilic: Tem,,
pus intrinsecum connotet potius successionem Accidentalem quam formaliter dicat, id est quod
successio seu ordo ille partium, quando accidit enti successio, non sit formale significatum Tempo-
ris intrinseci, sed tantum connotatum. Probatur: Quia nulla res potest intrinsecè et essenti,,
aliter durare per aliquid realiter à se distinctum (sicut nec homo est essentialiter Animal aut
rationalis per id, quod ab eo realiter distinguitur) Sed si Temporis intrinseci formale signifi,,
catum esset successio, jam omninò res essentialiter duraret per aliquid realiter à se distinctū
(quia talis successio est realiter distincta à re ipsa, nam accidit illi) Ergo significatum for,,
male Temporis intrinseci non est successio, ut accidit Enti successivo: Unde calefactio dici-
tur intrinsecè durare per propriam existentiam, et si est successiva, dicetur tempore durare,
propterea quia connotabit ordinem partium: Si verò instantanea, tunc instantaneè durabit
propterea, quia connotabit negationem ordinis in partibus fundari soliti, atq sic, licet exi-
stentia et duratio calefactionis instantanea differat à temporali connotativè solum et ab
extrinseco, quia hæc connotabit ordinem partium, illa verò negationem talis ordinis: Tamen
intrinsecè una eademq erit, et non alia atque alia duratio seu existentia. OBIICIES pro-
bando Temporis Formale significatum esse successionem, et semper ipsam esse de ratione for-
mali Temporis. Quia quod est intrinsecè et formaliter duratio successiva, de illius ratione
formali est semper successio: Sed Tempus est duratio successiva intrinsecè et formaliter. Er-
go de ratione formali Temporis est successio. Minor: Quia esse successivum essentialiter
competit tempori. Ergo. Ans: Illud essentialiter competit tempori, quo Tempus differt à du-
ratione instantanea: Sed per esse successivum ita differt. Ergo. RESPONDEO Neg. minorē
et Disting. Ans: quia licet esse essentialiter successivum conveniat tempori strictè sumpto, tamen
[illegible] largè illi accepto non competit, illud enim solummodo Tempus est essentialiter successivū

quod dic.

quod dicit durationem rei necessariò secundum variationem partium existentis, et ex [illegible] ratione assimilatur quantitati, imò et in prædicamento Quantitatis à quibusdam (licet minus rectè) collocatur: At verò duratio rei, quæ se indifferenter habet ad existendum aut successivè, aut instantaneè, non dicitur Tempus nisi eo modo, quo tertia species [illegible]tur ab Ævo et Æternitate distincta: Porrò duratio ista rei indifferenter se habentis ad existendum aut successivè aut instantaneè semper est eadem intrinsecè, quomodocunque fiat, sive successivè sive instantaneè, et non nisi accidentaliter differt à seipsa, sicut ho[mo] sedens à seipso stante; ideò autem talis duratio dum fit successivè dicitur Temp⁹, quia assimilatur vero Tempori: Nam cum existentia Entis essentialiter successivi, quod scilicet est determinatum, ut semper successivè existat, sit propriissimè temp⁹, proptereà etiam et existentia Entis indifferentis ad existendum instantaneè vel successivè est quoque temp⁹ tunc, quando fit successivè. Cœterum intrinsecè illa duratio nequaquam est Temp⁹, sicut si Angel⁹ coexisteret Tempori, tunc ipsius duratio diceretur temporanea propter connotationem coexistentiæ cum Tempore, et tamen eadem esset intrinsecè, si solum per instans duraret. Scias ad cognitionem habendam prodesse scire Ens esse duplex. Aliud Permanens quod omnes suas partes simul habet vel potest habere. Aliud Successivum quod non simul, sed unam post aliam habet partem; et quod utrumquè istud Ens habeat existentiam, quæ existentia dicitur Temp⁹ modo strictè modo largè acceptum: Tunc strictè, quandò significat existentiam Entis ex natura sua successivè tantum transeuntis; Tunc verò Largè, quandò dicit existentiam Entis indifferenter, aut successivè, aut instantaneè transeuntis. Si ergo vis cognoscere Tempus intrinsecum strictè acceptum, statim concipe ipsam existentiam Entis Successivi; Nam Tempus et existentia talis Entis est unum et idem. Similiter si vis cognoscere Tempus Largè acceptum, statim concipe existentiam Entis indifferenter aut successivè, aut instantaneè existentis. Item: Ens successivum constituitur per Gen⁹ et Differentiam non aliter, quàm homo per Animal rationale, quia verò differentia talis est nobis ignota, ideò circumscribimus illam, et loco ipsius accipim⁹ successionem, atque hinc divisio Successionis in Essentialem atq̃ Accidentalem profluxit, quæ tunc est Essentialis, quandò pro differentia illa ignota usurpatur: Tunc verò Accidentalis, quandò respectum in partib⁹ Entis successivi fundatum significat. &c.

Ens est duplex pmanens & successivū.

THEOREMA TERTIUM.

Tempus intrinsecum tam strictè quàm largè acceptum à reipsa cuj⁹ est Temp⁹ non differt realiter sed tantum Formaliter.

NOTES De distinctione Temporis intrinseci à re durante per tale Temp⁹ Intrinsecum idē est sentiendum quod de distinctione existentiæ ab essentiâ: Undè potest sic probari Theorema: Existentia rei non distinguitur ab ipsa re cujus est existentia realiter, sed tantum formaliter: Ergo Nec Tempus Intrinsecum distinguetur realiter. Ans: probabit DEO dante alibi; Consequentia verò patet ex præcedenti Theoremate. Porrò sicut Tempus intrinsecum non differt realiter à re cujus est Tempus, ita nec duratio in communi à re durante. Sed CONTRA

OBIICIES Aliàs sequeretur quod Tempus esset realiter motus, quod est contra D. Augustinum qui dicit 11 Libro confessionum (Tempus non esse corporis motum) et contra Philosophum, qui 4 Physicorum t. 92 concludit Tempus non esse motum, et Ratio est 1ma, quià, quæ sunt eadem realiter, habent easdem differentias; Sed Tempus et Motus non habent easdem differentias (nam Tempus dicitur longum vel breve, motus verò dicitur Velox vel Tardus). Ergo motus & Tempus non sunt eadem realiter. Ratio 2da: mensura differt realiter à mensurato: Sed Tempus est mensura, motus est mensuratum. Ergo. Ratio 3tia: quorum unum potest à DEO reproduci, et aliud non potest, illa differunt realiter: Sed idem motus numero potest virtute Divinâ reproduci, Tempus verò idem verò numero non potest. Ergo differunt realiter. minor quo ad secundam partem probatur: Tùm quià ad præteritum nulla est potentia; Tùm quià aliàs dies præterito Anno ellapsus posset hoc anno reproduci, quod est falsum, quià sic dies præteritus et dies hodiernus esset unus idemque dies, quod est falsum. RESPONDEO Neg. Falsitatem, ad probationem Dico: Illas Authoritates de Tempore extrinseco esse intelligendas respectu cæterorum motuum quorum est mensura, quià hoc Tempus omninò differt realiter à motu qui tali tempore mensuratur. Ad Rationem 1mam dico Neg. minorem. Falsum enim est quod velocitas cum tarditate sint differentiæ motus aut brevitas cum Longitudine Temporis, quià velocitas et tarditas ita conveniunt motui sicut raritas et densitas quantitati permanenti, undè idem de his et de illis ferendum judicium, ideò sicut raritas et densitas nihil aliud dicunt nisi respectus diversos, ad majorem vel minorem Locum, ita velocitas et tarditas in motu diversos quoque dicunt respectus suæ partes motus fundatos ad longius vel brevius tempus cui coëxistunt. Atque hinc patet velocitatem et tarditatem, convenire motui, quatenus est mensurabilis: longitudinem verò et brevitatem convenire Tempori, quatenus est mensura. Ad 2dam Disting. minorem: Licet enim Tempus quod est mensura motus et vocatur extrinsecum, differat realiter à motu, tamen Tempus intrinsecum nequaquam differt à motu, quià existentia non differt à re existente, iam verò Tempus intrinsecum est existentia, connotans tamen alterius Entis coëxistentiam. Ad 3tiam Neg. 2dam partem minoris, quod scilic: idem Tempus non possit reproduci, et cùm dicis (ad præteritum non esse potentiam) Respondeo hujus dicti hunc esse sensum, quod scilic: nulla potentia facere potest, ut

facta

OBSERVABIS: Raritas et Densitas sunt purè respectus ad Locum majorem vel minorem: Tum enim quantum est rarum cum majorem Locum occupat, tunc verò densum cum minorem occupat Locum. Sic motus est Tardus vel Velox respectu Temporis quo absolvitur.

facta non sint ea quæ facta sunt: Non verò istum (quod Deus Gloriosus non possit facere quæ fa-
cta ~~sunt~~ præsentia quæ facta fuerunt, etjam præterierunt) Similiter Nego diem præterito ann[o]
elapsum, non posse reproduci hoc Anno, et si reproductus fuerit, tunc dico illam diem illapsum et di[em]
hodiernum fore unum et eundem diem, sed pro formali tantum, non ~~pro~~ verò connotato, quia aliam di[-]
cit coëxistentiam dies hodiernus ad tempus imaginarium, et aliam dies anno præterito elapsus [...]
terum formaliter unus idemque esset dies, et diceretur jam elapsus quatenus connotaret coexistenti[am]
alteri Tempori imaginario quasi præterito. Diceretur verò hodiernus quatenus connotaret coexistenti-
am Tempori quasi hodierno; nam tempus imaginarium habet quoquè partes imaginarias Præsens, Futu-
rum, Præteritum.

THEOREMA QUARTUM.

Tempus extrinsecum pro materiali est motus primi cœli, pro Formali verò supra istum motum addit rationem men-
suræ Activæ, in Actu primo proximo estque unum numero.

Notandum 1mum Dictum 1mum Sensus Theorematis istius est hic: Tempus extrinsecum quod [...]
liter universale et commune vocatur, si solum pro fundamento et materialiter sumatur, nihil
est aliud nisi primi Cœli scilic: primi mobilis motus, seu ipsius successiva duratio, simul cum regula-
ritate, velocitate et notione accepta, quia istæ conditiones requiruntur ut aliquid sit fundament[um]
mensuræ / nihil est aliud nisi designatio et determinatio partium primi motus, qui inest primo mobi[li]
quales sunt horæ, quadrantes minuta etc. Porrò Actus secundus mensuræ, id est ~~Actualis~~ ipsa mensura-
tio, per accidens convenit Tempori sumpto in Actu primo. Dictum 2dum Ad habendam cognitio-
nem Temporis extrinseci proderit ista imaginatio. 1mo Concipe primum mobile. 2do Concipe in illo [...]
mobili motum. 3tio in eo motu concipe velocitatem et uniformitatem seu regularitatem. 4to
compone motum et velocitatem atque uniformitatem, atque hoc aggregatum ex motu et velocitate
erit Tempus pro fundamento seu materialiter. 5to assignes partes illius motus, id est dividas illum mo-
tum in partes v. g. in Annum, menses, dies, horas etc. atque sic habebis tempus pro formali, et me[n-]
suram, in actu primo proximo, nam motus ille cœli, antequam designentur in eo partes, non voca-
tur mensura Actualiter sed solum est fundamentum ut in eo fundetur ratio mensuræ, post divisi-
onem verò in partes, fit actualis mensura in Actu primo proximo, sic ~~enim~~ nec bacillus est Actualis [mensu-]
ra, nisi in eo prius designentur partes. 6to Concipe Actualem mensurationem Activam illius
motus quam exercet dum mensurat alios motus, quod tunc fiet quando dicimus rem durare uno [an-]
no, uno mense, unâ horâ. NOTANDUM 2dum Dictum 1. Mensura Activa est duplex. Una [es-]
sendi et per se, et talis mensura est illud, à quo in sua entitate pendet mensuratum, vel per
participationem ut DEUS gloriosus dicitur mensura Creaturæ. Vel per imitationem, sic [...]
bile est mensura scientiæ, et inter ista est relatio realis absque omni opere intellectus. Altera
est mensura Cognoscendi, et nihil est aliud, nisi quantitas illa, quæ tanquam nota certificat in[tel-]
lectum de alia ignota. Dictum 2dum Ista certificatio aliquandò fit per quantitatem exi[sten-]
tem

[Margin note:] * Pro Formali verò addit supra istum motum rationem mensuræ Activæ in Actu primo proximo, quæ ratio mensuræ nihil est aliud nisi etc.

[Margin note:] Mensura Activa est duplex.

existentem in imaginatione, sicut Artifex peritus, per aliquam quantitatem, quam in sua habet imaginatione, quamcunque mensurat quantitatem: aliquandò verò fit per quantitatem existentem in re extra imaginationem, et hoc tripliciter, quià ista Quantitas triplex potest esse scilic: Excedens, Excessa et Æqualis. 1mo ergo modo fit per Excedentem, et tunc intellectus certificatur de quantitate minori per accessum ejus ad quantitatem majorem, vel recessum ab ea, et hoc modo ponitur mensura in quidditatibus rerum, quià in unoquoque genere datur unum, quod est metrum et mensura omnium, quæ sunt in illo genere: nam quidditates habent suas Quantitates virtuales scilic: proprias perfectiones quidditativas, sic homo est mensura omnium Animalium, sic albedo omnium colorum. 2do modo fit certificatio per quantitatem Excessam, dum scil: quantitas nota est minor quantitate ignota, et talis mensuratio fit per replicationem seu repetitionē mensuræ, sic v. g. quià quantitas panni est major quam ulna, ideò ulna toties repetitur et replicatur donec totum adæquet pannum. 3tio modo fit certificatio per Quantitatem Æqualem, quandò scilicet una quantitas est nota, et altera ignota, ambæ autem sunt æquales, et hoc absolvitur per applicationem vel suppositionem ipsius. Dictum 3tium: Ista Ratio mensuræ quià sumitur in ordine ad intellectum cognoscentem non dicit Relationem Realem simpliciter, quià respicit fundamentum ut habet esse cognitum. NOTANDUM 3tium Dictum 1mum Dupliciter intellectus potest unam quantitatem assumere pro mensura ad cognoscendam aliam quantitatem ignotam quià vel ipsi intellectui est notior, quamvis ita se non habeat à parte rei v. g. Si alicui esset nota quantitas panni, et ignota quantitas ulnæ, tunc illâ pro mensura istius posset uti, vel quià est notior ex natura rei, et hæc debet habere istas conditiones 1mo Debet esse notissima. 2do Certissima et Regularis, quià alias non posset certificare intellectum. 3tio debet esse Homogenea, id est, ejusdem rationis cum mensurato, hoc est, ut pondus pondere, longitudo longitudine & superficies superficie mensuretur. Unde Localis extensio non potest mensurari tempore; sed aliâ extensione Locali. 4to Debet esse quid unum et minimum, hinc in quantitate discreta unitas, quæ est indivisibilis est certissima mensura, at in quantitate continua non est opus ut sit prorsus indivisibilis, palmus enim vel hora non sunt hujusmodi, sed sufficit ut ad instar indivisibilis se habeant, et hoc secundum placitum hominum, neque enim ulna est ejusdem longitudinis ubiquè. Dictum 2dum Ex his deducitur quod Mensura potest sumi dupliciter: 1mo Pro Actu 2do mensurandi id est pro Actuali mensuratione quæ provenit ab Actu nostræ cognitionis, et est relatio quædam causæ in cognoscendo ad causatum in cognosci, quæ relatio est inter extrema, non ut habentia esse reale; sed ut habentia esse cognitum, ideò non est simpliciter realis, quamvis nec sit purè rationis ut est secunda intentio. 2do Sumitur pro Actu primo mensurandi, et sic dicit mensuram ut proximè potentem assumi ad actualiter mensurandum. Dictum 3tium: Quià unitas, quæ est mensura in quantitate discreta præscindendo ab omni opere intellectus habet omnes mensuræ conditiones et el

Dupliciter Intellectus potest unam Quantitatem assumere pro mensura ad cognoscendam aliam quantitatem.

Mensura duplex Acceptiv.

conditiones et est sufficiens, ut possit ad mensurandum assumi, idcirco erit ex natura rei aptitudi-
nalis mensura in potentia proxima independenter à ratione: At verò quantitas continua quae debet
pro mensura assumi, quià habet plures partes, ideò praescindendo ab intellectu non habet hoc in se
statim et proximè possit assumi, sed prærequiritur, ut ab aliquo intellectu determinetur illud mi-
nimum pro ~~[illegible]~~ unitate et indivisibili per cujus replicationem postea mensuretur Actualiter
quantitas ignota. Solum ergo in potentia remota potest ex natura rei dici mensura quatenus habet
alias conditiones scilic: Certitudinem et uniformitatem. NOTANDUM 4tum Dictum ...
Sicut assumitur una longitudo nota ad mensurandam aliam ignotam, et unum pondus ad aliud
ita cum omnes motus habeant quandam extensionem, potest unus secundum suam extensio-
nem assumi ad cognoscendam extensionem et durationem alterius, et ille dicitur Tempus extri-
secum. Dictum 2dum: Tempore mensurari non est simul esse cum Tempore, nam Deus coëxi[stit]
Tempori, non tamen mensuratur ex natura rei Tempore, ut sic, quià coëxistentia praescindit ab intel[lectu]
tempus verò pro formali non praescindit ab illo. Dictum 3tium: Tempus non potest dici mensura
in essendo, quià nulla duratio temporalis essentialiter dependet ab alia in essendo, si enim depen-
deret, tunc vel maximè dependeret à motu primi mobilis, quod est falsum, nam post diem judi-
cii cessabit (ut asseritur) iste motus, et tamen beati movebuntur. Et in Sacra Scriptura habe[tur]
quod Josue pugnavit stante Sole et Luna, et per consequens stante toto cælo, ne stantibus istis
aliis autem sphæris motis esset nimia irregularitas in motu aliarum sphærarum et D. August[inus]
11 Confess. dicit (stante Coelo rotam figuli moveri) atque sic Tempus erit mensura tantum in co-
gnoscendo quo ad durationem. PROBATIO THEOREMATIS.

PARS PRIMA Quod scilic: Tempus extrinsecum pro Fundamento et materialiter sit motus
primi Coeli. PROBATUR: Quià id est Tempus pro fundamento cui competit ratio Temporis extrin-
seci. Sed motui Coeli competit. Ergo. MINOR: Illi competit ratio Temporis extrinseci, quod est fun-
damentum mensura Activa in qua consistit ratio Temporis extrinseci: Sed motus primi Coeli est tale fun-
damentum. Ergo. MINOR: quià ille solus, et nullus alius motus, ut sunt motus Augmentationis, Alte-
rationis aut Localis inferiorum corporum, habet conditiones requisitas ad fundandam rationem
mensuræ. Ergo. Ans: Nam alii motus nec sunt uniformes, nec sunt omnibus noti ut possint univer-
saliter ab omnibus sumi pro mensura aliorum motuum: At verò motus primi Coeli, est imprimis omni[bus]
notissimus, et licet aliquandò utamur inferioribus motibus scilic: Horologii, Lunæ, Solis etc. ad
mensurandum motum primi Coeli, tamen revera non utimur illis ut mensuris, sed potius ut signis
bus possimus distinguere partes motus primi mobilis, hic enim rapit secum omnes inferiores sphæras
causatque in illis motum diurnum. Secundo est certissimus, et uniformis et ejusdem rationis cum
surato, et tandem est brevissimus propter suam velocitatem; et licet possit dari motus Angelicus velo[cior]

non tamen propterea debebit dici mensura cum non habeat alias conditiones. PARS SECUNDA Quod scilicet Tempus extrinsecum pro Formali addat supra motum primi cœli rationem mensuræ. PROBATUR: quia motus primi cœli per se sumptus absque ullo superaddito non est potens proximè ut possit in mensuram Actualem assumi. Ergo. Ans: Quia quod caret indivisibilitate ad mensurandum requisita, illud non est potens ut possit proximè assumi pro mensura (quia ad mensurandum requiritur indivisibilitas saltem proportionaliter) sed motus primi cœli caret ejusmodi indivisibilitate (nam in isto motu partes ex natura rei sunt continuæ et divisibiles) Ergo ista motus secundum se sumptus absque ullo superaddito non potest esse Actualis mensura, sed requiritur ut in illo fiat per intellectum in partes certas ac determinatas designatio, quæ designatio pendet tota ab hominum arbitrio, nam sicut motus primi cœli est divisus in partes viginti quatuor quæ vulgò vocant horæ, ita poterat in duodecim, in viginti, vel in triginta partes distribui. Porrò tanti est momenti ista designatio, ut antequam fiat, omninò motus primi cœli non sit potens proximè ad mensurandum: eâ autem factâ, statim efficiet talis, quia per talem designationem omnes conditiones requisitas ad mensurandum completè nanciscitur, sicut bacillus antequam in ipso designentur palmi, non est propriè ad mensurandum applicabilis, sed quando jam sunt designati, tunc est capax apta mensura, et completè habet rationem ipsius. PARS TERTIA Quod scilic: mensuratio Actualis accidat Tempori. Probatur Quia potest esse Tempus absque actuali mensuratione. Ergo. Ans: Nam licet nullus cogitaret de Tempore, sed omnes homines dormirent, adhuc Tempus extrinsecum in rerum natura daret. Sic se etiam habet ulna, quæ mensura etiam dicitur tunc, quandò per ipsam nulla Quantitas mensurat actualiter quia hoc est merè accidens ipsi ulnæ.

THEOREMA QUINTUM. Tempus

Tempus Extrinsecum est unum numero, at verò Intrinsecum multiplicatur, non solum numero; sed etiam specie, ad multiplicationem numericam vel specificam motuum.

Hujus Theorematis Ima pars patet per Theorema præcedens, quia totuplex debet esse Tempus, quotuplex est motus primi mobilis (quia motus primi cœli et Tempus extrinsecum idem significant) sed motus primi mobilis est unus numero. Ergo et Tempus extrinsecum. Similiter 2da pars per Theorema secundum et tertium est clara quia existentia rerum seu motus non est una numero, aut specie, sed multiplex (quia datur existentia materialis et spiritualis motus) sed Tempus intrinsecum est existentia motus per Theorema secundum. Ergo Tempus intrinsecum non erit unum numero aut specie ‡/ OBJICIES contra primam partem Theorematis, quia Philosophus 4 Physicorum 133. Tex. ait Tempus in rebus, ita esse unum, sicut est idem numerus in 10 hominibus, et in 10 equis

‡ sed multiplex.

equis est unus denarius non numero, sed specie. Ergo et Tempus erit unum, non numero, sed specie. Item 2do In quantitate permanenti, non datur una numero mensura omnium permanentium quantitatum communis. Ergo neque in successiva et per consequens tempus non erit unum numero. RESPONDEO ad 1mum et dico quod Philosophus ibi loquatur, tam de extrinseco quam intrinseco Tempore, cum ergo affert illa exempla, tantum de Tempore intrinseco loquitur. Ad 2dum Nego consequentiam 1mam Quia dispar est ratio, nam id provenit ex eo, quod quantitas una numero permanens certa et invariabilis non datur apud omnes, at vero successiva datur.

THEOREMA SEXTUM.

Tempus Intrinsecum est aliquid reale ab Anima independens, similiter et Tempus extrinsecum fundamentaliter acceptum: at vero formaliter sumptum necessario dicit aliquid rationis.

PARS PRIMA patet ex Theoremate secundo, nam si Tempus Intrinsecum est Existentia ipsius rei. Ergo est aliquid reale independens ab Anima et opere intellectus. Consequentia: quia existentia alicujus realiter existentis est quid reale præter opus intellectus. Ergo est Ens reale et completum independenter ab Anima tempus Intrinsecum. PARS SECUNDA Quod scilicet Tempus extrinsecum fundamentaliter sit quoque Ens reale et ab Anima independenter completum. Probatur: quia Tempus extrinsecum pro mensura in potentia remota sumptum, prout scilicet dicit entitatem ipsam motus, cum uniformitate, velocitate et partibilitate et habet discretionem Qualitativam secundum modos prioris et posterioris est omnino Ens reale, nisi enim haberet partes priores et posteriores, non posset esse mensura motus. Ergo. Consequentia clara. Quia Tempus Extrinsecum tunc fundamentaliter ~~tunc~~ dicitur sumi, quando dicit mensuram remotam aptitudinalem, et accipitur pro mensura in potentia remota) Ans: Quoque patet, quia non nisi de Tempore sic accepto verificantur illæ Locutiones, dum dicitur (quod DEUS fecerit Tempus et quod ante opus intellectus res dicitur esse in Tempore, mensurabilis Tempore, una diuturnior alia) quas omnes dicimus esse veras et Tempori convenientes ratione mensuræ remotæ aptitudinalis quam habet à parte rei. PARS TERTIA Quod scilicet: Tempus extrinsecum formaliter acceptum dicat aliquid rationis. Probatur: Quia Tempus acceptum pro mensura Activa in potentia proxima accipit suum complementum ab Anima. Ergo. Ans: Quia ista discretio qualitativa partium secundum prius et posterius non sufficit, ut proxime sit applicabilis ad mensurandum motus primi Coeli, licet talis discretio omnino prærequiratur, sed ultra hanc adhuc opus est ut habeat partes determinatas certas, et quasi discretas, ac per designationem separatas, quæ designatio non est ante opus intellectus, sed per ipsum intellectum habetur. Hinc 4 Physicorum t. 131 dicitur (Si non esset Anima

Anima, non esset Tempus) quæ Authoritates de Tempore extrinseco formaliter accepto intelligitur. OBIICIES De quo tractat Physicus, illud non est Ens rationis (quia Philosophia naturalis non est de Ente rationis) sed de Tempore tractat Physicus. Ergo Tempus non dependet ab Anima. Item Mensura cum mensurato debet esse homogenea. Sed motus cui pro mensura assignatur Tempus est realis. Ergo et Tempus debet esse quid reale. RESPONDEO Disting. majorem. Ens Rationis aliud est quod SECUNDA INTENTIO appellatur et fit per operationem intellectus, quæ vulgo vocatur fictio. Aliud QUOD NON fit per Fictionem sed per aliam operationem intellectus. Licet Ergo Physicus non tractet de Ente rationis primo modo dicto, tamen potest tractare de Ente Rationis secundo modo dicto, quod scilic: complet Ens Reale, et facit ad cognitionem illius. Ad 2dum Disting: majorem Mensura debet esse homogenea mensurato aut formaliter aut fundamentaliter. Tempus Ergo, licet non sit mensura homogena motui formaliter, tamen est homogenea fundamentaliter.

Ens Rationis duplex.

THEOREMA SEPTIMUM.

Tempus Extrinsecum pro fundamento remoto acceptum non distinguitur realiter à subjecto, scilic: à motu primi mobilis: At verò acceptum pro fundamento proximo scilicet pro rationibus fundamentalibus, realiter distinguitur à motu primi mobilis: Acceptum verò pro formali scilic: pro mensura proxima, aptitudinali vel Actuali ipsâ mensuratione distinguitur à motu realiter secundum quid. Tandem à mensurato semper distinguitur realiter, vel simpliciter vel secundum Quid.

NOTES: Tempus Extrinsecum esse quid respectivum, quia est mensura, iam verò mensura est mensurati mensura, unde sicut alii termini Relativi, ita et Tempus accipitur, aut pro Formali, aut pro fundamento, et eo quidem vel proximo vel remoto, atque sic propter istas acceptiones distinguitur et non distinguitur à Subjecto. Porrò veritas hujus Theorematis patet ex Superioribus. Nam imprimis ideò acceptum pro re, quæ est mensura et fundamentum remotum, non distinguitur realiter à motu, quia est ipsemet motus successivus, nec quidpiam aliud dicit, prout sic accipitur nisi istum motum successivum. 2do ideò quando sumitur pro rationibus fundamentalibus quæ requiruntur ad mensurandum, ut sunt uniformitas, velocitas et partibilitas distinguitur à motu, quia dum Tempus pro tali uniformitate et velocitate sumitur, ita distinguitur, sicut et ipsa uniformitas atque velocitas, sed hæc realiter distinguuntur à motu primi mobilis quæ accidunt ipsi (nam idem motus potest esse successivè velox et tardus) 3tio ideo pro mensura proxima aptitudinali aut Actuali acceptum distinguitur realiter secundum quid et non simpliciter quia realis

realis distinctio simpliciter dicta est inter extrema simpliciter realia. Sed Tempus sic acceptum non est reale simpliciter sed aliquid rationis, ut dictum est Theoremate 6to. 4to Ideo distinguitur à mensurato realiter simpliciter dùm ambo accipiuntur ut dicunt aliquid reale, quià tunc habentur extrema simpliciter realia. 5to Ideo differt à mensurato realiter secundum quid, dum subsunt alicui intentionali, quià tunc non habentur extrema simpliciter realia, in quibus fundet distinctio simpliciter realis quæ à fundamento suam sumit denominationem.

THEOREMA OCTAVUM.

Ratio mensuræ soli Tempori Reali, aut imaginario, et durationi successivæ, non verò permanenti, quale est ævum aut æternitas convenit.

NOTANTUM. Dictum 1mum: Ratio mensuræ in cognoscendo, de qua hic est sermo, non consistit in hoc, ut cognoscamus duo Entia existere simul, seu duorum coëxistentiam, sed in eo potius, ut cognoscamus, quantitatem unius Entis ignotam, per quantitatem alterius magis nobis notam, non quidem quo ad perfectionem et quantitatem virtutis, sed quo ad durationem et extensionem successivam quâ potest concipi [~~tanti~~ quan]titas, vel tantitas durationis rei alicujus, id est tanta, vel tanta duratio.

Dictum 2dum: Ad hanc mensuram parum juvat, ut sit perfectioris vel nobilioris rei, nam hoc requiritur solum ad rationem mensuræ, in perfectione quidditativa sufficit, ut sit notior intellectui, licet sit Entis imperfectioris, alias ferreo pondere, non liceret auri pondus mensurare seu cognoscere. Dictum 3tium Hinc sequitur rationem istam mensuræ solum desumi in ordine ad nostrum intellectum, sensibus alligatum, non autem in ordine ad intellectum separatum, nisi de Æternitate Dei loquamur.

Dictum 4tum: Separatus intellectus æquè cognoscit quamlibet durationem creatam per se, non verò unam per aliam, et dùm cognoscit duas, solum cognoscit earum coexistentiam. Dictum 5tum Quià intellectus separatus clarius cognoscit durationem creatam quàm increatam, sicut et nos magis cognoscimus motum primi mobilis, quàm cæteras durationes, idcircò in his casibus duratio magis nota potest habere veram mensuræ rationem.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS 1ma patet: Quià omnia in ordine ad ipsum Tempus mensurantur. Ergo ipsi soli ratio mensuræ competit. Deindè quià nulla alia mensura est nobis æquè nota ac Tempus. PARS 2da (quod scilicet duratio permanens non sit mensura) Probatur: Duratio permanens manet æquè invariata ac qualibet alia quamdiu manet res à parte rei, et ut plurimum indivisibilis est, ita ut illi repugnet successio partium vel saltem si habet partes, simul sunt. Ergo non potest esse mensura alterius. Consequent. Illud est hocmodo mensurabile cujus quantitas cognoscitur ad cognitionem alterius: Sed cognita [~~essentia~~ existentia] unius, v. g. Angeli, non possumus ex eâ alterius durationem cognoscere; sed solum, vel quod fuerint simul creati, vel unus [illegible] terum, prius tamen cognita [~~essentia~~ existentia] alterius, quod est concipere Relationem coëxistentiæ, non autem rationem mensuræ.

Theorema

THEOREMA NONUM.

Definitio ista (Tempus est numerus motus secundum prius et posterius) est optima: ubi Tempus est numerus, non numeratus, sed potius numerans, non quidem simpliciter, sed secundum Quid, per motum autem debet intelligi, non subjectum Temporis sed terminus.

Numerus est duplex.

NOTES Numerum esse duplicem. Alium numeratum seu Qui, et hic nihil est aliud quam multitudo rerum numerata v. g. Lapides, Scamna, Aurei etc. Alium numerantem seu Quo, et hic rursus est duplex: Alius numerus numerans simpliciter, et est numerus prout habet esse objectivum in Anima, quo omnia numeramus. Alius est numerans secundum quid, quem respectu diversorum vocamus et numeratum, et numerantem: Nam in ordine ad Subjectum in quo recipitur, vocatur numeratus, quatenus habet aptitudinem ut numeretur à numero simpliciter numerante. At in ordine ad alia extrinseca dicitur numerans quatenus potest assumi ad illa numeranda: Verb. g. Ulna ut habet octo partes distinctas est aliquo modo mensuratum seu numeratum, et numerus octo partium quo illas numeramus, est simpliciter numerans; At in ordine ad pannum, potest etiam ulna numerus numerans dici, et mensura Activa vocari.

PROBATIO THEOREMATIS.

Pars 1ma patet: Quià illa Definitio est optima quæ constat GENERE et DIFFERENTIA, nec convenit alteri à Definito, et declarat adæquatè essentiam et quidditatem definiti: Sed Definitio prædicta est talis. Ergo est bona. Ubi Scias Numerum seu mensuram poni Loco Generis, reliquas autem particulas loco Differentiæ. Pars 2da probatur: Quià si Tempus esset ut numerus numeratus, tunc sequeretur quod hic definiretur Tempus intrinsecum, non autem extrinsecum, quod falsum esse probo: Quià quod definitur per numerum, illud dicit Formaliter rationem mensuræ (numerus enim propriè dicit mensuram, vel Activam si est numerans, vel passivam si est numeratus) Sed Tempus pro duratione acceptum non potest formaliter dicere rationem mensuræ Activæ vel passivæ. Ergo Si Definitio ista est Essentialis, certè non debet Tempus ut duratio intrinseca per numerum seu per mensuram definiri, sed potius per existentiam, quæ est ratio formalis durationis. Pars 3tia: Quod scilic: Sit numerus numerans secundum quid, patet, quià numerus numerans secundum quid est, qui respectu diversorum, potest esse et numerans et numeratus ‡ (quià est motus primi coeli, qui est & numeratus, prout in eo partes tot et tot assignantur: Et est etiam numerans prout alios motus mensurat et numerat, et per hoc debet solvi Authoritas Philosophi, dum dicit, Tempus esse numerum numeratum, non verò numerantem scilic: non esse numerantem simpliciter, et quià est numeratus, ideò est numerans secundum quid. Pars 4ta: (Quod Scilicet per motum non intelligatur Subjectum Temporis) Patet quia tale Subjectum habetur in prima particula definitionis, scilic: in numero, nam per talem numerum nihil aliud intelligitur nisi motus primi coeli cui Soli conveniunt conditiones mensuræ Activæ.

‡ Sed tempus potest respectu diverso esse et numerans et numeratum, quià etc.

PARS 5ta

Pars 3tia Quod per motum in definitione intelligatur Terminus Temporis, nempe quilibet motus [illegible] Localis, sive alterativus, sive augmentativus. Probatur Quia relativum debet definiri per suum correlativum. Tempus pro mensura est relativum, et ad motum in communi, ut ad correlativum [illegible] natur, licet inadæquatum, quia præter motum etiam alia tempore mensurant. Ergo motus in communi debet ingredi Definitionem Temporis. Obiicies: Tempus est Quantitas continua. Ergo Non potest definiri per discretam, qualis est numerus, et maximè si (ly numerus) ponitur pro significato formali. Ergo Definitio non est bona. Item 2do: Tempus non est mensura motus. Ergo Non est bona Definitio. [illegible] mensura est notior mensurato. Sed Tempus non est notius motu, imò potius è contra ut patet [illegible] tex. 99 & 100. ubi habetur quod tum prius et posterius cognoscimus in Tempore, cùm in motu prius [et] posterius cognoscimus. Item 3tio Tempus permanet in esse absque eo quod Actu sit mensura. Ergo non definitur sicut mensura. Respondeo et Dico Tempus non definiri per quantitatem discretam, quia licet numerus numerans simpliciter, semper sit quantitas discreta, tamen numerus numerans secundum [illegible] test esse quid continuum quandò est conflatum ex unitatibus, non reipsa discretis, sed solum mente, [illegible] ut est in proposito, et numerus, ut dicit collectionem unitatum, non est formale temporis, sed tantum materiale. Nam Formale Temporis est ratio mensuræ in illis partibus fundata, quæ nihil est aliud nisi Relatio quædam aptitudinalis ad mensurabilia. Ad 2dum nego Antecedens, ad probationem dico: Tempus potest comparari ad duo. 1mo ad motum primi Cœli. 2do Ad alios motus aliorum Infinum. Si comparetur primo modo, tunc concedo Tempus non esse notius motu, sed ignotius illo, in quo subiectatur respectu cuius [illegible] taliter accepti, non dicitur mensura Actiua: At verò si comparetur ad alios motus, tunc nego illud non esse notius aliis motibus quos mensurat, et licet aliquandò utamur istis aliis motibus ad cognoscendum ipsum Tempus, hoc tamen fit, non aliter, quam dum per rem mensuratam cognoscimus mensuram ut dum cognoscimus capacitatem vasis, ex quantitate vini alio vase mensurati. Ad Tertium distinguo Ans: Nam verum est de Tempore, ut est duratio intrinseca, non autem ut est mensura. Deindè dico non definiri hic Tempus ut est mensura actualis, sed tantum ut est mensura aptitudinalis in potentia proxima. Hæc de Tempore hac vice dixisse sufficiat. De Ævo autem, et de Æternitate, et ipsa in communi duratione, tum et de inceptione ac desitione rerum per primum vel ultimum sui esse, aut per primum vel ultimum sui non esse, quid sentire oporteat docent alii hoc Loco, alii in Metaphysica, alii in Theologia, quos [illegible] cebit, oportebit, et licebit adire, proficuum erit.

Tempus potest ad duo comparari.

Controversia Undecima.

De Motu.

Qui de motu tanquam de principali corporis naturalis passione tractant, ii omnes potissimum Entitatem, passiones, species et causas ipsius inquirunt, et quia hoc idem et Nos, licet pressius, cum Deo auxilio facere decrevimus, sit itaque in nomine Domini:

THEOREMA PRIMUM.

Motus Naturalis formaliter dicit quid respectivum, nempe successionem Termini AD QUEM posterioris post terminum à quo priorem, immediatè præcedentem ut in Subjecto.

NOTANDUM 1mum Dictum 1mum: motum hic accipimus universaliter pro eo, quod denominat subjectum qualiter moveri scilic: est communis ad motum propriè dictum et ad mutationem propriè dictam. Dictum 2dum: multa sunt in motu, in quibus sita est ipsius Entitas, seu Formalitas, seu Formalis ratio potest putari: In primis sunt Tres Entitates absolutæ scilicet movens seu Agens, mobile seu Subjectum, et Forma in Subjecto recepta, quæ in motu Locali est respectiva, non verò absoluta. Secundo adsunt multi respectus reales qui ex duabus comparationibus nobis innotescere possunt. Prima comparatio est, quando agens comparatur, 1mo ad Formam. 2do ad Compositum. 3tio ad materiam, atque sic habent respectus sex reales hoc modo Dum comparatur Agens seu movens ad Formam, tunc duo sunt respectus scilic: Eductio Activa in Agente fundata, et eductio passiva in Forma Subjectata: Dum comparatur idem Agens ad compositum, tunc alii duo consurgent respectus scilic: productio Activa in Agente, et productio passiva in composito: Dum vero comparatur idem Agens ad materiam, tunc alii duo respectus, sed jam extrinsecus advenientes consurgunt scilic: Transmutatio Activa seu Actio in Agente, et transmutatio passiva, seu passio in materia. Secunda comparatio est, quando Forma et materia inter se comparantur, tunc enim aderunt quatuor respectus, duo intrinsecus advenientes scilic: Respectus eductionis ad id, ut ex quo educitur, quem dicit Forma ad materiam, et è contra materia ad Formam, si illa dependet à materia: Et alii duo Extrinsecus advenientes scilic: Ratio perfectibilis ad perfectivum, et è contra, quæ relatio vulgò informatio Activa et informatio passiva appellatur. Ideò autem sunt extrinsecus advenientes, quià potest esse materia & Forma, absque hoc ut Forma perficiat et informet materiam. 3tio Præter istos respectus reales enumeratos adsunt etiam multi respectus rationis‡ et secundæ intentiones, sed in quantum ipsis deficit aliqua ex conditionibus quas relatio simpliciter realis debet habere, quod scilicet debeat esse inter extrema realia et realiter distincta, et quod insurgat independenter ab opere intellectus. Nam cùm Forma vel respectus simpliciter reales supius enumerati habuerint suas privationes, ideò dicunt Relationem ad non esse præcedens, non quidem realem simpliciter, quià non esse extremum, non est quid reale, sed reale secundum Quid. NOTANDUM 2dum Dictum 1mum: Motus dicit Formam fluentem. Porrò fluxus ille formaliter importat respectum subjecti ad Formam, qui informatio passiva dicitur connotando tamen respectum rationis, qui est inter esse Formæ, et non esse ejusdem, seu inter esse hujus informationis passivæ, et non esse ejusdem immediatè præcedens, et in hoc novitas Formæ in Subjecto consistit. Dictum 2dum Motus est duplex. Alius Acquisitivus, cujus terminus AD QUEM est positivus. Alius Deperditivus, cujus terminus AD QUEM est privatio. Dictum 3tium: Motus dupliciter potest considerari. 1mo Secundum suam Entitatem præcisè, quomodocunque sit possibilis in rerum natura, sive à creato, sive ab increato Agente, sive

modo

In motu tres sūt entitates absolutæ.

‡ qui in tantum dicuntur rationis non quod sint entia Rationis et secundæ etc.

Motus est duplex.

Motus duplex consideratio.

modo naturali et secundum communem cursum naturæ, seu modo supernaturali vires naturæ excedente. 2do ut secundum cursum naturæ potest fieri, quo sensu Physicus et naturalis vocatur, non quidem prout naturale violento, vel neutro opponitur, sed prout à supernaturali distinguitur, ubi motus primo modo consideratus à naturali et supernaturali præscindit, hoc autem Theorema intelligitur de motu secundo modo considerato. Dictum 4to: Successio, quam motus formaliter dicit, nihil est aliud nisi relatio quædam termini ad quem in subjecto ad terminum A QUO immediatè præcedentem, sive motus sit acquisitivus, sive deperditivus: Nam si acquisitivus erit, tunc relatio illa, quam dicit respectu informationis passivæ ad non esse ipsius immediatè præcedens motus, acquisitivus dicitur. Si verò deperditivus, tunc relatio quam dicit, non informatio ad informationem immediatè præcedentem, erit motus deperditivus.

Successio quam motus formaliter dicit, quid sit.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS 1MA Quod motus dicat quid respectivum, non autem absolutum. Probatur: Quia si diceret aliquid absolutum, tunc vel erit Forma, vel Quantitas successiva, vel modus quidam absolutus præcedens Formam transcendentaliter relativus, per quem Forma acquiritur in subjecto, qui modus vocatur via, vel tendentia ad Formam. Sed nihil horum. Ergo. Minor probatur quoad omnes partes. Quoad 1mam partem quod scilicet non sit FORMA connotando fluxum ipsius. 1 ideò, quia 5 Physic. t. 5. aperte dicitur quod albedo non sit motus, sed dealbatio tantum. Ergo Motus potius formaliter dicit fluxum Formæ quàm ipsam Formam. 2 ideò quia motus solet dividi per instantaneum et successivum, tantum et locum, rectum et circularem: Atqui divisiones istæ non conveniunt Formæ; sed tantum acquisitioni ipsius formaliter loquendo. Ergo. 3 ideò: Quia motus secundum suam formalitatem privativè et intrinsecè opponitur quieti formaliter sumptæ, non extrinsecè. At si formaliter diceret Formam connotando fluxum quies, vel diceret formaliter Formam cum negatione fluxus, et sic formaliter motus et quies convenirent, et solum per connotata et extrinsecè different. Vel dicet negationem fluxus, et sic motus dicit formaliter fluxum, qui privativè opponitur quieti. 4 ideò, quia saltem quoad principale significatum motus semper maneret quamdiu Forma esset in subjecto, nec cessaret quoad principale significatum præsentibus habitibus, quod est contra Philosophum 1 de Generatione t. 55. Quoad 2dam partem eadem minor probatur, quod scilicet NON sit quantitas successiva, 1mo ideò quia motus est via ad terminum, Quantitas verò non est via, nec ad Substantiam, nec ad quantitatem, nec ad qualitatem, nec ad UBI. Ergo Quantitas non est motus. Confirmatur: Via est imperfectior termino motus. Sed Quantitas non est imperfectior omni termino motus. Ergo. Minor: Nam Ubi est terminus motus, tamen isto ubi non est imperfectior Quantitas, quia nullum absolutum, est imperfectius relativo: Sed Quantitas est quid absolutum, Ubi autem est quid respectivum. Ergo Quantitas non est imperfectior ipso UBI, et per consequens non est via ad Ubi. 2do ideò, quia quod habet partes, non est id, quod caret partibus: Sed Quantitas

Quantitas habet partes, motus verò pro formali non habet partes. Ergo motus non est Quantitas. Minor: quià nec motus specificè sumptus, id est, motus instantaneus aut successivus, nec genericè acceptus habet partes. Ergo. Antecedens: De motu instantaneo patet, instans enim caret partibus: De successivo et genericè sumpto probatur: Nam motus in communi præscindit à motu propriè dicto, qui est successivus, et à mutatione propriè dicta, qui est instantanea, et tanquam genus in his includitur. Ergo iste motus genericè et in communi sumptus non habet partes. Consequentia: Nam si haberet partes, tunc et ejus species scilic. motus instantaneus easdem haberet, quià quod convenit essentialiter generi, convenit et speciei, hoc tamen est falsum. Porrò si motus in communi caret partibus. Ergo et motus successivus formaliter acceptus carebit iisdem, et sic non erit quantitas. Consequentia ista ultima patet, quià diversorum generum et non subalternatim positorum, diversa sunt species et differentiæ, ideò si motus successivus, est sub genere motus in communi, jam non potest sub genere quantitatis contineri. Quo ad 3tiam partem scilic: quod motus non sit modus absolutus. Probatur: Quià vel iste modus est ab actione distinctus, vel cum illa realiter identificatus. Si primum. Ergo quià non est agentis causalitas debet ab aliquo causari, cum non sit à se, ideoque motus esset effectus, et daretur ad ipsum Actio, et per consequens ad motum esset motus, quod est falsum. Si secundum. Ergo sicut Actio est in agente, ita et motus erit in agente, quod est contra Philosophum, qui dicit motum esse Actum mobilis, non Agentis. PARS SECUNDA Theorematis Quod scilic: motus formaliter dicat successionem termini, vel esse Formæ in subjecto ad non esse immediatè præcedens probatur: quià tunc mobile formaliter movetur quandò in ipso succedit terminus AD QUEM post terminum A QUO. Ergo per locum à conjugatis et casibus, motus erit talis successio. Confirmatur quià isti respectui opponitur Quies privativè, tunc enim subjectum intelligitur quiescere cùm jam acquisivit Formam, nec novitas Formæ in subjecto concipitur, hoc autem evenit cum Forma immediatè non respicit NON esse præcedens, sed esse ejusdem præhabitum, quod est carere illo respectu ad non esse immediatè præcedens. DICES 1mo quod motus dicat informationem de principali significato connotando respectum informationis ad non esse immediatè præcedens. DICO CONTRA: Informatio manet semper cum in subjecto est Forma, motus verò non manet. Item informatio ista non dividitur iisdem Differentiis quibus dividitur motus, imò eadem receptio Formæ potest duobus motibus specie distinctis acquiri, ut idem UBI potest acquiri motu recto et circulari. Item informatio ista non opponitur privativè quieti, nam cum ipsa manet, at verò motus opponitur Quieti, nec cum motu manet quies. DICES 2do Quod motus formaliter dicat relationem Formæ ad Agens. CONTRA: Respectus simpliciter realis, non est respectus secundum quid tantum realis; sed respectus Formæ ad Agens est simpliciter realis: mutatio verò seu motus universaliter sumptus est respectus secundum quid realis (quià aliquando ad non esse terminatur præcedens) Ergo. Item

Ergo. Item: Respectus iste Formæ ad Agens est in Forma, non verò in mobili, et Formam, non verò mobile denominat, et quod si etiam dependet ab Agente in conservari eo modo, quo Lux in aëre à Sole dependens, tunc semper cum Forma permanet et Agens intrinsecè respicit, sine quo non potest intelligi. At motus est in mobili, et denominat illud moveri ex 3 Physic. t. 16. et 23. et transit seu evanescit acquisita Formâ, nec respicit Agens ut principium, aliàs quatuor essent motionis principia, non tria, imo duo tantum, quià respectus iste solùm Formam respicit et Agens, [illegible] materiam et privationem. Ergo motus non consistit in tali relatione Formæ ad Agens. Dices [illegible]: Quod motus formaliter dicat passionem solam, vel simul passionem cum Actione. Contra [illegible] sic: Ergo privatio non erit principium sed Agens, quod est falsum. Sequela: Nam Actio et Passio non dicunt ordinem ad Privationem ut ad Principium; sed ad Agens, vel tanquam ad terminum, qualis est [illegible], vel tanquam ad fundamentum, qualis est Actio seu agens ipsum. Item: Si motus includeret in suo conceptu formaliter Actionem, sequeretur, quod esset Actus agentis, et in duobus ~~[illegible]~~ subjectis, subjectaretur distinctis, scilic: in Agente et in passo, nec esset unum per se, sed per accidens, quià nulla res includit in suo conceptu formali res diversorum prædicamentorum, diversæ enim species non possunt aliam tertiam constituere. PARS TERTIA THEOREMATIS (Quod scilicet motus naturalis dicat successionem in subjecto) Probatur: quià Agens naturale necessariò ad hoc, ut producat, aliquid præsupponit subjectum, aliàs enim si non præsupponeret illud, haberet virtutem Activam creandi, et posset creare, quod est falsum, et contra Theologiam. Ergo motus ab ipso causatus necessariò debet fieri in subjecto. Sed motus naturalis fit ab agente naturali. Ergo etc.

OBIECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIONES.

OBIECTIO I.ma (Motus dicit quid absolutum, et præcipuè Formam fluentem) Probatur: [illegible] aliàs minus propriè motus divideretur in naturalem et supernaturalem, quod est falsum. Sequela: quià isti respectui non convenit hæc divisio, sed Formæ fluenti ad quam est, imò et motus physicus impropriè divideretur, in: Naturalem, Violentum et Neutrum, quià non respectui sed Formæ convenit esse secundum, aut contra, aut præter inclinationem passi. Item impropriè divideretur in motum [illegible]nis, Alterationis etc. et motus Localis in rectum et circularem. RESPONDEO Neg. Sequelam et ipsius probationem, falsum enim est, illas divisiones non convenire motui ratione termini ad [illegible]. Nam non est novum in Philosophia, ut Relationibus tribuantur ea quæ ipsis extremis illarum conveniunt. Sic paries dicitur magis vel minus similis, cùm tamen relatio ex se præcisis extremis non suscipiat magis vel minus, undè divisiones illæ propriissimè dicuntur de motu, quià respectus non nisi per suos terminos [illegible]

digrescuntur, et suas ab ipsis desumunt denominationes. INSTABIS 1mo: Talem Formam dicit Formaliter motus in communi, qualem et ipsius species (quia idem est judicium de Genere et speciebus quoad hoc) Sed Species motus dicunt formaliter Formam fluentem v.g. calefactio calorem fluentem, et dealbatio albedinem fluentem. Ergo. Minor: Illam Formam et talem calefactio dicit formaliter, et similiter quoque dealbatio, quali subjectum denominatur calefieri atque dealbari (quia omne denominativum importat formaliter Formam secundum quam fit denominatio) Sed calore fluente et albedine fluente, denominatur subjectum calefieri et dealbari, sicut calore ipso, aut albedine in esse quieto dicitur calidum et album. Ergo. RESPONDEO Neg. minorem. 2. Disting. aliam minorem. Licet enim subjectum denominetur calefieri calore fluente, est ut fluens, non tamen denominatur calefieri calore fluente ut est calor, et ideo falsum est, quod calefactio formaliter dicat calorem, nam potius dicit fluxum caloris, qui nihil est aliud, nisi illa successio quam formaliter importat motus. Et cum addis, quod in esse quieto calore denominatur subjectum calidum. RESPONDEO Quod si consideratur calor secundum suam essentiam, sic denominativum ipsius erit calidum. Si vero consideratur, ut jam est in esse quieto reduplicative, sic denominativum ipsius non erit calidum, sed calefactum: Unde calefactum, formaliter non dicit calorem, sed quietem quam subjectum habet sub calore introducto. Si tandem consideretur calor ut est in motu, non vero ut in esse quieto, aut secundum suam essentiam, tunc denominativum ipsius erit calefieri. Sic etiam debet considerari tripliciter et alia quaelibet Forma scil. secundum Essentiam. Item ut est in motu. Item ut est in esse Quieto, et respectu istius triplicis considerationis triplex habebit denominativum v.g. Albedo secundum suam essentiam spectata habet denominativum album, ut vero est in motu, sic denominativum habet dealbari: Ut vero est in esse quieto, sic habebit denominativum dealbatum. INSTABIS 2do Illud motus dicit formaliter, quo subjectum denominatur formaliter moveri, et quod est Actioni et Passioni essentialiter identificatum, et quod est perfectio, vel ἐντελέχεια subjecti, et quod est actus mobilis non perfectus, sed imperfectus et quod in nullo est praedicamento (quia secundum Aristotelem 3 Physi. motus in nullo est praedicamento dicitur Actus mobilis, et est perfectio subjecti, item est identificatus essentialiter Actioni et Passioni et denominat Subjectum Formaliter moveri) Sed Forma fluens est hujusmodi, quia illi ista omnia enumerata conveniunt. Ergo. Minor: Nam Forma fluens, ut sic in nullo est praedicamento? Sed aut in praedicamento Substantiae, aut in Quantitate, aut in qualitate, aut in UBI collocatur, et est perfectio atque Actus mobilis, non autem illa relatio; et est Actus essentialiter imperfectus, quia importat Formam, non quomodocunque sed fluentem, estque essentialiter Actioni et passioni identificata ex 3 Physicorum, et denominat Subjectum moveri, quia mobile movetur formaliter, non ideo quia habet respectum

respectum aliquem, quicunque sit ille; sed ideò quia respicit Formam, dicitur enim calefieri, aut dealbari quia respicit calorem aut albedinem. Ergo. RESPONDEO Motum dupliciter accipi 1mo materialiter seu pro materiali, seu pro re acta. 2do Formaliter. Quandò ergo Philosophus vocat motum perfectionem, et cum Actione identificatum, tunc loquitur de motu primo modo accepto quo ad materiale motus et pro re acta, non autem de motu formaliter accepto, aliàs Forma fluens esset formaliter Actio et passio, quod est falsum. Quare conceditur minor quo ad hoc. Dùm verò dicit motum non esse in aliquo prædicamento determinato et Actum esse essentialiter imperfectum, tunc loquitur de motu pro formali, et quatenus includit receptionem Formæ in subjecto, quæ est Actuatio sig. Falsum etiam est mobile per Formam, formaliter moveri, ideò, quia habet illum respectum secundum quid realem scilicet illam successionem. Alium sensum facit materialem, seu fundamentalem seu causalem, quomodò dicitur paries esse similis ideo quia habet albedinem, et sic est vera illa propositio, nihil tamen ad propositum facit, motus enim non est id formaliter, quo mobile dicitur moveri causaliter et fundamentaliter, sed quo dicitur moveri tantum formaliter. OBJECTIO SECUNDA (Motus Formaliter non dicit successionem, nec consistit in tali successione) Probatur 1mo Id motus formaliter dicit, quo subjectum denominatur Formaliter moveri vel mutari ⊕ Ergo Successio non dicit motus formaliter. Minor: Quià illo subjectum non dicitur Formaliter moveri vel mutari, ante cujus adventum subjectum, præintelligitur iam esse mutatum ✝ Ergo. MINOR Quià quod habet Formam ante adventum illius successionis, illud præintelligitur esse mutatum: Sed Subjectum ante adventum illius successionis habet Formam. Ergo. Item Probatur 2do Aliàs reperietur præter materiam, Formam et Privationem dari 4tum principium motus seu mutationis, quod est falsum. Sequela: quià daretur respectus informationis seu informatio quæ est fundamentum illius successionis, super hac enim informatione respectus qui vocatur successio maximè fundatur ad non informationem, imò motus si formaliter nihil est aliud, nisi ista successio esset saltem proximè Actus, non ipsius mobilis, sed saltem relationis, quæ vocatur informatio. R. Neg. minorem 1 et 2. deinde Distinguo majorem. Licet enim Subjectum quod habet Formam ante adventum successionis præintelligatur esse mutatum fundamentaliter, tamen non est mutatum formaliter: unde verum quidem est, quod Forma prius sit in subjecto quàm illa successio, tamen

per moveri, nam propositio ista (Mobile movetur, quià recipit Formam) dupliciter potest intelligi. Nam particula ista (Quià) duplicem facit sensum. unum FORMALEM, quomodo dicimus, ideò esse in prædicamento Relationis patrem, quià refertur ad filium, et in hoc sensu est falsa quià mobile dicitur formaliter moveri, ideò quià habet illum etc.

Mot9 dupliciter accipitur.

⊕ vel mutatum esse. Sed illa successione non dicitur subjectum formaliter moveri vel mutari. Ergo etc.

✝ mutatum: Sed ante adventum istius successionis, id est antequam insurgat illa relatio successionis præintelligitur subjectum esse mutatum. Ergo. minor. etc. vid. supra.

tamen non denominat subjectum mutari formaliter, sed tantum fundamentaliter. Sicut enim paries dicitur similis fundamentaliter albedine, et formaliter similitudine: ità mobile dicitur moveri seu mutari Formâ ipsâ fundamentaliter, successione verò quam motus dicit pro formali formaliter. Ad 2dum Nego Sequelam quià respectus informationis, id est informatio ipsa non est distinctum principium à materia et Forma, nam nec ipsa informatio potest intelligi sine materia et Forma; undè materia et Forma pertinent ad conceptum mutationis, non ut separata sed unita, id est simul cum informatione. Jam verò quod non potest denominare ipsam informationem moveri, sed tantum materiam, provenit hoc indè quià scilic: novitas illius Formæ fit in Subjecto, non autem extra Subjectum, undè informatio ipsa est quasi ratio fundandi formalitatem motus, seu successionem in Subjecto: Nam potest esse successio quæ formalitatem motus exprimit, absque istâ informatione, ut sequenti Theoremate dicetur. OBJECTIO TERTIA (Motus est passio) Prob: quià moveri est pati. Ergo. Conseq: patet per Locum à conjugatis, id est à concretis ad Abstracta. Ans: probatur: quià movere est agere, et movens est Agens. Ergo. Item 2do: Illud est passio quo patiens refertur ad Agens: Sed moveri est illud quo patiens refertur ad Agens, mobile enim in quantum movetur est patiens. Ergo. Item 3tio Motus et passio non distinguuntur Genere. Ergo. Ans: quià potentia passiva pro Actu habet tam motum quàm passionem, non enim ista duo possunt esse Actus potentiæ Activæ. Ergo. Consequentia ista: quià eadem potentia non habet actus distinctos genere, nam potentiæ distinguuntur per Actus. Ergo si potentia passiva pro actu habet etc. Item 4to: Omnis respectus extrinsecus adveniens, est in aliquo prædicamento, sed motus pro formali est respectus extrinsecus adveniens. Ergo est in aliquo prædicamento, et potissimum in prædicamento passionis. RESPONDEO Neg. Conseq. quià Locus à conjugatis tenet in concretis essentialiter ordinatis ad abstracta non ultimatæ abstractionis, v. g. Album est coloratum. Ergo Albedo est color. At verò in proposito non est ita, nam moveri non est pati formaliter, quià passio dicit respectum transmutati ad Agens transmutans, motus verò dicit successionem, sed dicitur pati concomitanter, quià ad motum semper concomitatur actio et passio, id est relatio Actionis et passionis, et eodem modo debet explicari (movere est Agere) scilic: concomitanter, non formaliter, movere enim est noviter efficere materiam quod se tenet ex parte Formæ. Ad 2dum Ly (moveri) aut accipitur formaliter aut concomitanter. Si primo modo, est falsa minor. Si 2do: est vera. Ad 3tium neg. Ans: 2 cons. Nam licet eadem potentia non habeat Actus genere distinctos absolutos, tamen potest habere relativos, quià super eandem potentiam Activam Agentis possunt fundari tres Respectus

unus

Moveri accipitur aut formaliter aut concomitanter.

Supra Potentiam Activam agentis tres possunt fundari respectus.

Unus producentis in ordine ad compositum. Secundus educentis in ordine ad Formam. Tertius Transmutantis in ordine ad Materiam. Ad Quartum dico majorem esse veram de respectibus extrinsecus advenientibus simpliciter realibus, non autem de respectibus secundum quid realibus. Porrò motus est respectus extrinsecus adveniens, sed secundum quid realis, non verò simpliciter.

THEOREMA SECUNDUM.

Motus prout abstrahit à motu naturali et supernaturali solum dicit successionem termini ad QUEM post Terminum A QUO immediatè præcedendem præscindendo à quocunque subjecto.

NOTANDUM Dictum 1mum: motus potest considerari dupliciter (ut patet ex Notando præcedentis Theorematis) Uno modo Absolutè et secundum suam Essentiam præcisè quomodocunquè modo et à quocunque sit possibilis in rerum natura, et consequenter ut abstrahit à motu naturali et supernaturali. Secundo modo Limitatè, ut fit ab Agente naturali, hoc Loco consideratur motus primo modo, non autem secundo. Dictum 2dum: Per Subjectum hoc Loco intelligitur, non fundamentum Relationis proximum, sed tantum remotum, vide in Logicâ Controv. 6. Theor. 1 Notanda. Dictum 3tium Quando calor acquiritur successivè in Subjecto, tunc denominat subjectum moveri, non per inhærentiam in Subjecto, quià hæc non est motus, sed per successionem graduum seu termini AD QUEM post terminum A QUO quæ est formalitas intima ipsius motus. Dictum 4tum: Si daretur in rerum natura talis Successio, tunc licet in eo casu non esset Subjectum, tamen propterea non sequitur indè, quod etiam tunc non esset essentia motus, sed tantum sequitur hoc, quod Scilicet talis essentia nullam rem in eo casu denominabit moveri, moveri inquam ut Subjectum, non autem ut fundamentum proximum. Dictum 5tum: Si produceretur Forma absque subjecto v.g. calor, et intenderetur, tunc in eo casu jam non essent tria principia mutationis seu rerum naturalium in Fieri scilicet materia, Forma et Privatio, sed tantum duo Scilic. Forma et Negatio. Nam tunc Privatio propriè sumpta non esset ~~non esset~~ principium, privatio enim connotat Subjectum A QUO in isto casu præscinditur motus. PROBATIO THEOREMATIS. ~~Ratio~~ Ratio prima: Motus vel Quies intelligitur absque mobili, id est absque Subjecto remoto. Ergo possunt sine illo esse. [illegible]

per consequens motus ut abstrahit etc. Ans: potest dari per absolutam Dei Potentiam aliqua Forma quae ac-
cipiat esse post non esse, et quae sic producta intendatur. v. g. potest DEUS GLORIOSUS producere in re-
rum natura calorem absque eo subjecto modo quo Fides docet existere Quantitatem in Eucharistia,
et deinde potest illum calorem absque subjecto productum intendere usque ad octavum gradum, hoc
casu dato, tunc calor ille flueret imprimis de non esse ad esse, et postea de uno gradu ad alium, et
ubi veniret ad octavum gradum, non amplius fluet, sed quiescet. Ergo Motus potest esse super-
naturaliter sine subjecto, licet naturaliter non possit. Ratio 2da: Ille motus praescindit à
quocunque Subjecto qui est communis motui Physico et Creationi (nam creatio nullo indiget
subjecto) Ergo si talis in rerum natura datur, omnino motus ut abstrahit à naturali et super-
naturali solam dicet successionem praescindendo à quocunque Subjecto. Subsumo Atqui datur in re-
rum natura motus seu conceptus ipsius communis motui Physico et creationi. Ergo. MINOR patet
ex hac Doctrina. Datur motus Physicus seu naturalis, de quo in praecedenti egimus Theoremate, qui
dicit successionem termini AD QUEM, post terminum A QUO in Subjecto. Similiter datur quoque cre-
atio, quae, ut à conservatione distinguitur dicit successionem termini AD QUEM post terminum
A QUO extra Subjectum: Tunc ab his duobus conceptibus scilic: à motu Physico et à creatione potest
abstrahi unus conceptus, qui erit communis illis duobus conceptibus, et iste quidem conceptus communis
erit ipsa successio termini AD QUEM post terminum A QUO praescindendo ab hoc, quod est esse in
subjecto, et nullo praesupposito Subjecto, qui conceptus essentialiter in illis duobus includitur, et per se in
primo modo de illis praedicabitur, nam habebit se ut Genus respectu specierum, quod postea per illas differen-
tias (esse in subjecto, et esse nullo praesupposito Subjecto) contrahitur ad motum Physicum et ad cre-
ationem, ut creatio sub ratione mutationis accipitur. Porrò conceptus iste communis non poterit di-
ci productio, seu conceptus productionis, quia aliàs etiam motus naturalis esset essentialiter productio,
et diceret ordinem ad Agens, quod est falsum. Item non potest esse Actio vel Passio seu conceptus Acti-
onis vel passionis, quia Actio et Passio dicunt ordinem ad Subjectum, iste autem conceptus commu-
nis praescindit à Subjecto quia est communis etiam creationi, nec potest esse quidpiam aliud. Ergo erit
conceptus communis motus ad Physicum et creationem praecipuè, quia est quidam respectus secundum quid
tantum realis, sicut quilibet motus inferior, atque sic motus secundum suam essentiam praecisissimè non
dicit ordinem ad subjectum, sed ab illo praescindet, et talis motus propriissimè dicitur motus qui in mo-
tu Physico essentialiter includitur tanquam Genus ipsius. Quaeres Si calor iste produceretur absque Subjecto
et intenderet, esset ne tunc aliquod mobile, id est moveret ne tunc aliquid? id est, denominaret ne aliquid
tunc moveri? RESPONDEO Salvo meliore judicio, et dico, quod in eo casu moveretur calor ipse et denomina-
ret moveri, non quidem ut Subjectum seu fundamentum remotum, sed ut fundamentum proximum.

nam funda

Creatio nullo indiget Subjecto.

OBSERVABIS: Inter Animal et homo distinctio formalis est.

nam fundamentum proximum respectu Relationis habet se (ut QUOD), sicut diximus in Logica. Porrò dum loquimur de mobili, vel de moveri, ferè semper intelligimus fundamentum remotum et proximum

OBIICIES Etiam in creatione adest Subjectum. Ergo motus non potest præscindere à Subjecto. Ans: quià res quæ creatur habet[F] se nunc aliter quàm prius (nam prius non existebat, modo autem existit)

RESPONDEO Neg. Ans: 1 et 2. quià ad rationem Subjecti requiritur ut maneat sub utroque termino A QUO et AD QUEM, ut ita possit dici aliter se habere. At verò res creata non habet se sic, id est non manet sub utroque termino, quià ante creationem nullum habuit esse actuale quod prærequirebatur ad hoc, ut fuerit esse sub altero termino, alias etiam in mutatione Physica Forma haberet se ut Subjectum, et sic duplex esset subjectum, quod tamen est falsum.

THEOREMA TERTIUM.

Motus pro Formali acceptus realiter distingitur à Subjecto termino Actione et passione.

PARS 1MA (Quod distinguatur à termino et subjecto) probatur, quià motus vel est successivus, vel instantaneus: At verò terminus ipsius motus et Subjectum sunt Entia ~~[illegible]~~ permanentia: Ergo. Item ad terminum est motus, iam verò ad motum non datur motus ex 3 Physic. t. 15. [illegible] Item motus est via ad terminum: At verò nec terminus, nec Subjectum est via ad terminum. Item motus solet dividi in Velocem et tardum, ista verò divisio nec termino, nec Subjecto convenit. Item motus est quid imperfectum, et Ens secundum quid Reale, at verò terminus et Subjectum sunt Entia simpliciter realia. Item quorum unum separatur ab alio, illa inter se distinguuntur realiter (quia separatio est maximum indicium distinctionis realis) Sed ista separantur abinvicem (nam præsentibus habitibus cessat motus et perit, at verò Subjectum et terminus permanent) Ergo motus realiter distinguitur à termino et Subjecto. PARS 2DA (Quod scilicet distinguatur ab Actione et Passione) Probatur. Quià Actio et motus sunt in Subjectis realiter distinctis. Porrò quæ sunt in Subjectis realiter distinctis, realiter ipsa distinguuntur. Item quæ diversos terminos realiter distinctos respiciunt, sunt inter se distincta realiter: Sed motus, Actio et Passio diversos terminos et realiter distinctos respiciunt. Ergo sunt realiter distincta. Item Actio et Passio sunt realia simpliciter, motus autem est secundum quid realis. Ergo. Item Actio et Passio aliquando separantur à motu, ut cum Subjectum tempore non præcedit introductionem Formæ, vel quandò Forma in fieri et conservari dependet ab agente. Nec valet, si dicas non esse hic distinctionem Realem, sed tantum ex natura rei, quià non est hic separatio mutua: non valet, nos enim hic vocamus distinctionem Realem illam, quæ cadit inter entia, quorum unum potest esse absque alio, sive mutuo, sive non, parum inter est, quià talis mutuitas exigitur utique ad separabilitatem, sed non ad distinctionem Realem.

OBIECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIONES.

OBIECTIO 1MA: Motus non differt realiter à termino (quià alias motus haberet propriam existentiam

[F] creatur habet rationem Subjecti: Sed Ergo. Ans: quià quod se aliter habet nunc quam prius, illud dicitur habet rationem Subjecti: Sed res quæ creatur habet se nunc aliter quam prius (nam etc. vid. supra

distinctam at essentia Formæ (nam quæ eadem existentiâ existunt, non possunt separari, nec realiter
distingui) Sed hoc est falsum. Ergo. Falsitas: quia quæ habent diversam existentiam, diversâ producti-
one producunt (quia sicut se res habent ad esse, ita et ad produci) Ergo motus et Forma diversâ producti-
one producerent, Subjectum per Formam et motum dupliciter mutaret, et daret motus ad motum in
infinitum. Item 2do Non differt à Forma. Ergo nec à termino. Ans: quia aliàs non esset quidpiam
à quo corrumperetur: Non enim à generante, quia ab ipso fit, nec ab aliquo alio præcipuè in motu
successivo, quia deberent simul generari et corrumpi infinitæ partes istius entitatis, neq possit assig-
nari id quod corrumperet et generaret. RESPONDEO Neg. falsitatem, ad probationem Neg. Majorē.
Nam non est universaliter verum, quod omnia, quæ realiter distinguuntur debeant distinctâ per se pro-
ductione produci. Hinc Subjectum non mutatur dupliciter, nisi quatenus fundamentaliter per Formam
mutatur, formaliter verò per novam receptionem, quæ non est res de novo producta per se, sed est ipsa
receptio ut nova. Ad 2dum nego Ans: Ad probationem dico motum seipso evanescere quia est ta-
lis natura, nam cùm dicat respectum ad terminū à QUO immediatè præcedentem, talis immedi-
atio statim ex se transit, in motu etiam successivo una pars sequitur aliam, neque est impossibile infi-
nitas partes proportionales syncategorematicè generari, et corrumpi successivè ut continentur in
qualibet: Verum tamen est, quod totaliter motus desinat extrinsecè, et licet sit in continua ge-
neratione et corruptione, non tamen propter hoc dicitur propriè corrumpi, sed potius existere, quià
talis est natura entis successivi, et talis modus existendi ipsius. OBIECTIO 2DA Quod motus non diffe-
rat realiter ab Actione et Passione: Probatur: Quià quibus eadem convenit definitio motus, ea non
differunt realiter à motu. Sed Actioni et passioni convenit eadem Definitio motus. Ergo. Minor
Quià Actio est Actus Entis agentis, quatenus est in potentia Agens, et passio est Actus passi, quatenus est
in potentia ad passionem. Item est Actus mobilis, et facit Subjectum aliter se habere nunc, quàm
prius. Item 2do: Quorum est una ac eadem privatio, illa nullo modo distinguuntur (quia privatio et For-
ma immediatè opponuntur) Sed Actionis et motus eadem est privatio. Ergo. Minor: Nam Quies est
privatio motus, et sicut mobile, quandò caret motu, dicitur quiescere, ita Agens quandò caret Actio-
ne dicitur quoque quiescere. Ergo Actionis et motus eadem est privatio. RESPONDEO Neg. minorē, ad
probationem dico quod nec Actio sit actus Agentis, quatenus est in potentia, id est ut dicit ordinem
ad non esse immediatè præcedens, et ut importat novitatem; Sed est Actus Agentis respectu passi,
nec passio est Actus passi, quatenus est in potentia in hoc sensu, sed tantum in ordine ad Agens, nec proprie
est actus mobilis, sed actus passi, nam idem Subjectum dicitur & mobile et passum (mobile in ordine ad novā
Formam, passum in ordine ad agens inducens Formā) unde passio formaliter facit Subjectū et denomi-
nat non mutatum propriè, sed potius ab alio transmutatum. Ad 2dum Nego minorem, ad
probationem dico, quod licet ambæ illæ privationes communi nomine quietis appellentur, tamen non sunt
una

una et eadem privatio; sed alia est privatio Actionis formaliter, et alia ipsius motus, propterea quia in diversis reperiuntur subjectis, et una potest absque altera reperiri, sicut et Formae oppositae ipsis.

Privatio dupliciter potest praecedere Formam.

THEOREMA QUARTUM sissime

Termini motus naturalis imò et praecisè sumpti, non sunt simul Tempore, sed terminus A QUO praecedit Terminum AD QUEM.

NOTANDUM Dictum 1mum. Privatio seu non esse potest dupliciter praecedere Formam, quae illi succedere, aut Tempore, aut Naturâ, et hoc quidem dupliciter, sicut duplex est ordo naturae. Alius Positivus. Alius Negativus seu Privativus. Dictum 2dum Quandò materia simul producitur cum Forma tunc privatio opposita illi Formae, non prius Tempore sed natura, non quidem positivè sed privativè seu negativè convenit Subjecto: sic, si creatura aliqua fuisset ab aeterno, tunc prius natura habuisset non esse, quam esse, non quidem positivè sed privativè seu negativè quatenus infuisset creaturae illud non esse, si à DEO per positionem illius esse non fuisset impeditum. Dictum 3tium. Sensus Theorematis istius est hic: Ad mutationem requiritur successio temporanea esse post non esse, et non sufficit non esse tantum natura praecedens, eo quod privatio, quandò natura tantum praecedit Formam non sufficiat ad rationem mutationis, licet sufficiat ad rationem productionis: Nam si creatura esset ab aeterno producta, omnio creatio et generatio illa esset ibi in ratione tantum productionis, non verò in ratione mutationis, et licet non esse creaturae tunc non praefuisset, attamen omninò debuisset praefuisse, imò et praefuisset, si DEUS illud non impedivisset producendo in Actuali existentia ipsam creaturam, et quasi anticipando et praeveniendo illud non esse, quod ipsi debebat creatura.

OBSERVABIS Materia cum Forma per creationem producta in eodem instanti naturâ praecedit Formam, quia talis ejus est natura, ut nisi eodem instanti fuisset introducta Forma, deberet esse sub privatione.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS 1MA De motu Physico probatur: Quia si non esse, non praecederet Tempore ipsum esse, sed tantum naturâ, tunc sequeretur quod Subjectum non haberet se nunc aliter quam prius, quod est falsum, quia sic esset, et non esset motus. Esset ut supponitur, non esset verò, quia nihil eo denominaretur. Sequela: Quod si aliter habet nunc quam prius, habet nunc aliquid in se quod prius non habebat, sed potius illius oppositum: Atque Subjectum in illo priori natura, non dicitur carere Formâ, nec dicitur habere privationem, sed tantum dicitur quod haberet privationem si non impediretur (Alias enim privatio esset prior naturâ ordine positivo non vero negativo) Ergo si non esse tantum naturâ praecederet ipsum esse, sequeretur quod Subjectum non haberet se aliter nunc quam prius. Praeterea mutatio realis est Successio realis: Ergo requirit realem existentiam Subjecti sub utroque termino. Ergo prius Tempore debet esse sub termino (A QUO), quam Sub Termino AD QUEM et per consequens termini motus naturalis, non sunt simul tempore. Consequentia 1ma patet: Quia quod non est, illud non potest transire, vel succedere realiter de uno ad alium terminum, cum existentia necessariò requirat ad causalitatem materialem. Consequentia 2da probatur: Quia existentia realis non nisi reali duratione mensuratur, talis autem est ad Tempus vel instans Temporis, Tempus enim est mensura successivorum. Ergo cum nequeant duo contradictoria simul esse in eodem instanti temporis, Subjectum debeat sub iisdem realiter existere, necessariò prius tempore debet esse sub uno quam sub altero.

altero. PARS 2DA De motu præcisè sumpto. Probatur: Successio realis requirit realem existentiam extremorum succedentium, non simultaneam sed unius post alterum. Ergo Terminus ad Quem præsupponit realem existentiam termini (A QUO) et per consequens termini motus præcisè sumpti, non sunt simul tempore. OBIICIES Si terminus A QUO præcederet tempore terminum AD QUEM, tunc sequeretur quod generatio viventium nunquam esset generatio in ratione mutationis, quod est falsum. Falsitas quià omnis Forma generabilis et corruptibilis, si non creatur, accipit esse per sui subjecti mutationem. Ergo falsum est, quod illa generatio non esset generatio in ratione mutationis. Sequela: quià susceptivum Animæ non est materia, sed corpus: porrò istud in quo instanti formatur, in eodem etiam animatur, aliàs Actio patris terminaretur ante animationem foetus, undè nec pater posset dici. Ergo si in eodem instanti animatur corpus, sequitur quod non mutaretur, et per consequens generatio illa, non esset generatio in ratione mutationis. Item 2do: Quià alias agens ageret, sine Actione, quod tamen est falsum. Sequela: quià Actio non est sine passione, nec passio sine motu ex 3 Phys. t. 18. ubi Philosophus propter concomitantiam illorum videtur asserere identificationem realem inter illa: Sed tunc non esset motus. Ergo nec Actio. RESPONDEO Neg. falsitatem. Neque enim est universaliter verum Formam quæ non creatur debere accipere esse cum mutatione Subjecti, sed sufficit ut per veram Actionem eductivam accipiat esse. Ad 2dum Neg. Seq. Ad probationem dico negando quod semper Actio et Passio motui conjungantur, Philosophus autem in eo loco agit de ipsis, ut materialiter accipiuntur, et ut id plurimum accidit, maximè quià ejus intentio fuit declarare motum accidentalem, qui semper cum actione et passione fieri consuevit.

THEOREMA QUINTUM.

Hæc Definitio (motus est Actus Entis in potentia quatenus in potentia) est optima, non tamen quidditativa purè.

Notandum Dictum 1mum: Tres sunt Definitiones motus. Prima hæc superius posita. Secunda ista (motus est Actus mobilis, quatenus mobile existit) Tertia hæc (motus est Actus ejus quod potentia Activi et passivi quatenus hujusmodi) Dictum 2dum: Licet harum quælibet Definitionum sit bona, non tamen tres diversæ Definitiones assignantur, sed potius eadem diversis verbis explicatur. Dictum 3tium: Inter has tres Definitiones, prima aliis duabus præfertur.

PROBATIO HUIUS THEOREMATIS.

PARS 1MA patet: Quià illa Definitio est optima quæ explicat quidditatem definiti: Sed hæc definitio explicat quidditatem motus Physici in transitu subjecti in termino A QUO ad terminum ad Quem consistentis. Ergo. Similiter et pars 2da. Nam Definitio purè quidditativa non datur per additamentum: Sed hæc Definitio datur per additamentum. Ergo Non est purè quidditativa. Minor: Quià hic definitur motus per propria extrema, sicut et quilibet alius respectus. Porrò ad habendam clariorem

Quid in Hac definitione per Actum intelligatur. (modalis)

clariorem notitiam istius Definitionis prodest examinare ipsius particulas. 1ma particula (Actus) nihil autem per actum intelligitur aliud, nisi receptio Formæ quâ Subjectum Actuatur dicituraquè ipsa Actuatio Subjecti, neque est aliquod Ens ~~mobile~~ absolutum, sed est mera Relatio subjecti ad Formam seu perfectibilis ad perfectivum, quæ quidem Relatio potest dici actus perfectus quando denominat subjectum perfectè Actuatum quod tunc est cum intelligitur habere Formam in ratione termini id est, post illam immediatam succionem: Tunc enim Subjectum intelligitur habere quieto, et verificatur illa propositio (Habitibus præsentibus cessat motus) potest etiam dici Actus imperfectus, et est cum imperfectè actuat subjectum scilic: in illa immediata successione, in qua licet subjectum habeat Formam, non tamen habet ipsam in ratione termini, et tunc illa Relatio habet Rationem motus et non quietis. 2da particula est (Entis in potentia) scilic. ad aliquam Formam. Porrò per Lÿ Ens in potentia non debet intelligi Ens transcendentaliter acceptum quia tale Ens etiam primæ causæ convenit, cum tamen prima causa non possit dici subjectum motus; sed tantum Ens illud debet intelligi quod potest esse subjectum motus communis ad mutationem accidentalem et Substantialem. Undè et mobile dicitur, et in potentia subjectiva. Tale autem Ens est non sumptum nominaliter quod convenit enti reali, sive existat, sive non existat, sed participialiter acceptum scilic. pro Ente Actualiter in rerum natura existente potente recipere Formam aliquam, et hoc volunt verba Philosophi dum dicit (Est Actus ejus, quod existit in potentia) 3tia particula est (Quatenus in Potentia) ubi scias quamlibet harum vocum (Quatenus, inquantum, ut, prout etc.) posse accipi dupliciter. Aut specificativè, aut reduplicativè. Tunc accipitur reduplicativè quandò importat causam inhærentiæ prædicati cum subjecto, sic accipitur in hac propositione (Homo quatenus animal sentit) Tunc verò sumitur specificativè, quandò dat solum intelligere et explicat rationem sub qua accipit id quod per ipsam specificatur: Sic accipitur in hac propositione (Homo quatenus albus sentit) In proposito ergo vox ista (Quatenus) non sumitur reduplicativè, quia sic inferret propositionem universalem scil: hanc (Quod omne Ens in potentia moveretur) quod est falsum; sed sumitur Specificativè, et importat rationem secundum quam motus est Actus mobilis. Duæ enim sunt in mobili rationes secundum quas illud possumus considerari. Una ratio est quod sit Ens in Actu extra suas causas. Alia ratio est quod sic positum extra suas causas, simul cum hoc sit, etiam in potentia ad aliud nempe ad terminum motus, quas duas rationes etiam et alia Entia possunt habere v.g. puer qui die hodierna studet habet istas duas rationes. 1mam Quia est in rerum natura Actualiter

Actualiter extra suas causas existens. 2dam, quia cum hoc, quod Actualiter existit, est etiam in potentia ad suscipiendos S. acres Ordines. Quando ergo hoc loco dicitur quod motus sit actus mobilis in potentia quatenus in potentia, tunc vox (Quatenus) hanc posteriorem rationem indicat explicando nobis quod motus sit Actus mobilis, non prout mobile est actualiter existens extra suas causas, sed prout est in potentia ad terminum motus. 4ta particula est (IN POTENTIA) per hanc particulam explicatur alterum extremum ipsius motus scilic: terminus A QUO seu non esse Formæ, seu privatio immediatè præcedens ut sensus Definitionis sit iste, quod scilic: Motus est Actus seu actuatio Entis potentialis quatenus respicit potentiam, id est ut respicit non esse immediatè præcedens: Cum enim motus pro formali acceptus sit relatio, omninò duo requirit extrema scilic: Fundamentum et Terminum. Porrò hanc expositionem esse rectam colligitur ex definitione mutationis 6 Physicorum tradita (mutari est aliter se habere nunc, quam prius) ubi per Ly (habere) explicatur Actuatio Subjecti et receptio Formæ. Per Ly (aliter nunc quam prius) explicatur ordo ad non esse immediatè præcedens. Cum ergo motus in communi sit idem ferè cum ista mutatione, quia per Ly (actus entis in potentia) explicatur informatio subjecti à Forma. Ergo et Ly (quatenus in potentia) significat ordo ad non esse immediatè præcedens, in quo formalitas motus consistit. Præterea qualibet relatio consistit in Definitione per sua extrema, seu qualibet Relatio debet per sua extrema definiri, scilic: per Formam in Subjecto et privationem immediatè præcedentem quæ sunt extrema ipsius (Loquimur autem hic de motu naturali, qui non præscindit à Subjecto) Subsumo Atqui extremum istud scilic: privatio non videtur posse per aliam particulam importari quam per Ly (Quatenus in potentia) Ergo Ly (in potentia) tale nobis importat extremum. Deinde quia per alias particulas non respicit motus privationem tempore præcedentem in Subjecto, nam si Subjectum simul cum Forma crearet, adhuc daret Actuatio Entis potentialis, quia verè Subjectum haberet Potentiam Actuatam respectu illius Formæ. Ergo si per Ly (Quatenus in potentia) datur intelligi adhuc aliquid subsequens motum scilic. Formam vel aliquid aliud, sequitur quod Subjectum realiter moveret quamvis non præcederet sub privatione Formæ, quia tota definitio motus salvaretur, quod tamen est falsum. Dices: Si hoc esset verum, tunc non rectè motus diceretur (Actus ejus quod existit in potentia, quatenus hujusmodi) sed potius quod sit Actus ejus, quod existebat in potentia, quia cum est motus, mobile non est in potentia cum privatione annexa. R. de per Ly (Existit in potentia) intelligi Ens materiale et potentiale quatenus est fundamentum respectus informationis passivæ, et Actuationis, et ideò rectè dicitur (existit in potentia) 3tio per Ly (Quatenus in potentia) specificatur extremum respectus informationis ad non informationem

forma

formaliter per motum importati, quod extremum est privatio Formæ in Subjecto, et potentia ipsi-
us Subjecti cum privatione, in quo sensu adveniente Formâ recedit. Quæres Sitne motus Actus
perfectus, an imperfectus? RESPONDEO esse imperfectum Actum. Porrò ideò dicitur imperfectus quia
est respectus secundum quid realis. Item Quià non denominat Subjectum jam perfectum, sed tan-
tum potius modo perfici. Nam quamdiu manet ille respectus ad non informationem, nunquam di-
citur subjectum acquisivisse Formam, sed solum acquirere. OBIICIES: Motus non potest dici
Actus. Ergo Definitio ista non est bona. Ans: quià alias motus esset Forma, quod est contra Doctr.
3tium. Sequela: quià Actus et Forma convertuntur: Ergo si motus est Actus, sequitur, quod idem
motus erit etiam Forma, atque sic erit in aliquo determinato Genere, et terminus motus, sicut alia
Forma. Item 2do Actus et potentia sunt termini metaphysici, et sunt contrarii. Ergo malè in
eadem Definitione ponuntur, et per consequens definitio ista non est bona. RESPONDEO Neg. Ans.
deinde distinguo probationem. Nam Actus sumitur dupliciter: Aut Fundamentaliter, et sic
non est Forma. Aut Formaliter, et sic est respectus Actuantis ad Actuabile seu Perfectivi ad per-
fectibile. Primo ergo modo Actus convertitur cum Forma, non autem secundo modo; motus verò di-
cit respectum actuabilis ad actuans quià est Actus mobilis, et tenet se ex parte Subjecti, quare
nec erit in determinato genere, nec terminus motus. Ad 2dum dico Negando Actum et poten-
tiam semper esse terminos MetaPhysicos nisi in communi accipiantur, sed in præsenti solum sumunt
contracti, nec sunt contrarii, ut in hac Definitione accipiuntur, quià mobile non dicitur esse in
Actu et in potentia respectu ejusdem. INSTABIS Si motus esset Actus mobilis, ut sic, cum ni-
hil possit esse tale sine Actu secundum quem est tale v.g. Nullus potest esse Sciens, sine Scientia,
nec lapis potest esse calidus sine calidítate. Ergo nihil esset mobile, nisi prius Actu haberet motum, quod est
falsum, nam calefactibile est tale ante calefactionem, v.g. Aqua antequam calefiat die cra-
stinâ, et antequam recipiat atque sustentet calefactionem, jam est hodiè calefactibilis, nam
vera est ista propositio hodiè prolata (Aqua nunc est calefactibilis) RESPONDEO CONCEDO quod
motus non constituat mobile in esse mobilis, nam ut tale præsupponit illud, prius enim mobile est
bile quàm illi adveniat motus: Sed dicitur Actus mobilis, ut sic, quatenus scilicet est ratio Actuandi formaliter
lam mobilitatem, et prout habet se aliquomodo tanquam actus secundus. Sic v.g. calefactio est
ratio Actuans formaliter [illegible] calefactibilitatem, quâ formaliter calefacti-
le denominat esse tale, et calefactibilitas quidem est quasi Actus primus/secundus, unde sicut Actus primus præ-
cedit secundum, ita calefactibilitas calefactionem. INSTABIS 2DO: Hæc definitio convenit etiam aliis

Actus duplex acceptio.

primus: Calefactio verò est quasi Actus 2dus. unde etc.

quæ sunt distincta à motu. Ergo non est bona. Ans: Nam Anima est Actus corporis Physici organici quatenus est in potentia ad vitam. Item Forma remissa v. g. calor ut duo Actuat subjectum et relinquit illud ad Formam in potentia. Item Passio est quâ subjectum ut quid potentiale respicit terminum. RESPOND. Neg. Ans. ad probationes dico, quod etiam Anima non sit Actus Formaliter, sed tantum fundamentaliter, non actus imperfectus sed perfectus, Forma remissa relinquit quoque subjectum in potentia ad ulteriorem formam sicut et motus per quem ipsa acquiritur; tamen patet, quod per Lÿ (in potentia) mobile non respicit Formam subsequentem, sed tantum terminum A QUO.+ Passio tandem est receptio Formæ, at in ordine ad Agens, motus verò in ordine ad terminum A QUO.

+(~~Fortè Ad quem~~)

THEOREMA SEXTUM.

<u>Definitio superior non motui præcisè sumto, sed tantum motui Physico, viribus naturæ factibili convenit, et huic quidem omni scilic: instantaneo successivo, deperditivo, acquisitivo, naturali, violento, neutri, Artificiali, æterno, et operationibus Animasticis, ut sunt sensatio, nec et intellectiones.</u>

<u>PARS 1MA patet.</u> Quià motus hic definitus non præscindit à Subjecto, sed illud quasi præsupponit, & dicitur esse Actus ipsius. At verò motus præcisè sumptus solam dicit successionem termini AD QUEM, post terminum A QUO (ut patet ex secundo Theoremate) Ergo hæc Definitio non competit motui præcisè sumpto ut abstrahit à naturali et supernaturali. <u>PARS 2DA patet</u>: Quià si non convenit præcisè sumpto motui. Ergo debet convenire Physico. <u>Consequent</u>. Non enim sunt plures motus genericè sumpti, quàm isti duo. <u>PARS 3tia (Quod conveniat instantaneo) Probatur</u>: Nam hæc Definitio convenit motui substantiali. Ergo convenit motui instantaneo. <u>Consequent</u>: quià motus Substantialis est instantaneus saltem in viventibus. <u>Ans</u>: patet Authoritate Philosophi qui 3 Physicorum. t. 4. ad colligendam Definitionem motus præmittit, motum non esse præter res ipsas, et statim addit (<u>Mutatur enim semper id quod mutatur, aut secundum Substantiam, aut secundum Quantitatem, aut secundum Qualitatem, aut secundum UBi</u>) ex quibus colligitur Philosophi intentum esse agere de motu, ut est quid commune ad Substantialem, et Accidentalem motum. Deinde tex. 6. probans Definitionem motus inductione connumerat generationem et corruptionem aliis speciebus motus, et t. 17 adducit generationem hominis pro exemplo. Ergo si Philosophus attribuit hanc Definitionem Generationi et corruptioni: sequitur quod hæc Definitio conveniat motui substantiali, quià Generatio et Corruptio est motus Substantialis, eo quod est ad Substantiam. <u>Item</u> motus, qui est communis instantaneo et successivo pertinet ad Physicum (nam metaphysicus et mathematicus, cum ab omni motu abstrahant, nihil agunt de illo) Ergo debet Physicus ipsum considerare, atqui nullibi explicatur à Philosopho, nisi in hoc Loco. Ergo <u>Minor</u> Quià usque ad 5tum Librum Physicorum semper egit de universalioribus et communioribus, solum ibi incipit distinguere motum propriè dictum à mutatione. Ergo hic motum in communi considerat, et + consequens ut est communis instantaneo et successivo, atque sic hæc Definitio convenit motui instantaneo. <u>Item</u> Agens + Actionem instantaneam spectat ad Physicum, sicut et passum instantaneam passionem (neque est ullus Scientificus qui consideret eam) Sed motus, quem hic definit Philosophus, est ille, qui semper est conjunctus cum Actione & passione. Ergo. <u>Item</u>. Definitio ista potest rectè appellari mutationis instantaneæ. Ergo. <u>Ans</u>: Nam verè mobile + ipsam actuat, quatenus erat sub privatione ad illam Formam, nec requiritur + quod etiam sub motu sit in potentia ad aliam Formam. <u>PARS 4ta de reliquis motibus. Probatur 1mo de motu Deperditivo et Acquisitivo</u>. Quià Subjectum potentiale non solum respicit Formam, sed etiam privationem ipsius

ipsius. Ergo Quandocunque sub aliquo istorum reperitur, Subjecti potentia aliquomodo Actuatur,
hinc Philosophus exemplificat etiam de corruptione et diminutione. Porrò si convenit ista Definitio
motui deperditivo, sequitur quod etiam conveniat acquisitivo. Probatur 2do: De motu violento et
naturali, et neutro patet. Quià licet Subjectum non habeat inclinationem ad Formam suæ natu-
ræ disconvenientem, habet tamen potentiam et capacitatem, quæ ut sic potest intelligi Actuari per
motum, neque Philosophus adduceret exemplum ægritudinis, si non conveniret hæc Definitio motui vi-
olento. Similiter neque exemplificaret de ædificatione, quæ est motus artificialis, vel neuter, nisi hæc
Definitio conveniret motui artificiali, vel neutri. Porrò si violento convenit. Ergo multo magis na-
turali. Probatur 3tio De motu Æterno, nam et hic est actuatio Subjecti, quâ saltem subjectum sic-
dum partes actuatur, quanquam talis motus non datur. PARS 5ta De operationibus Animæ, quod illis
hæc Definitio conveniat. Probatur: Quià sunt naturales, et verè Anima dicitur per illas actuari qua-
tenus erat in potentia, nec possunt rectè excludi ab hac Definitione, quià etiam sunt Actus existen-
tis in potentia, et per consequens alicujus imperfecti, nam licet intellectus sit in potentia proxima, et
Actu primo proximo ad eliciendam intellectionem, quandò est specie intelligibili fœcundatus, adhuc ta-
men est in potentia, tam Activa quam Passiva respectu intellectionis, et verè mutatur, et licet possint
esse sine motu, si essent simul cum intellectu, quo ad durationem, non tamen sequitur, quod quando fi-
unt cum motu, quod Subjectum non Actuetur per illas, sicut qualitates connaturales resultant simul
cum Forma Substantiali in generatione absque motu. Attamen si deindè privaretur illis Forma, esset
in vera potentia Subjectiva sub privatione, et consequenter in statu imperfecto. OBIICIES quod
hæc Definitio non conveniat illis motibus, inprimis non convenit instantaneo. Quià motus sic debet
mobile actuare, ut simul ipsum constituat in potentia ad ulteriorem perfectionem‡. Ergo. RESPONDEO
Neg. majorem: Quià motus non denominat mobile in ordine ad formam subsequentem, sed in
ordine ad terminum A QUO, vide præcedentis Theorematis instantiam secundam. Item 2do Non
convenit motui successivo quià non explicatur in hac Definitione successio. Ergo. RESPONDEO Negando
Consequentiam Nam non explicatur, quià nec debet explicare, siquidem Genus præscindit à speciebus, nec
dicit illud, quo actualiter species inter se differunt. Item 3tio Non convenit motui violento, nam
illi tantum motui convenit hæc definitio, qui ponitur in Definitione Naturæ (motus enim hic de-
finitur in gratiam illius motus, qui in Definitione Naturæ ponitur) Sed motus in Definitione Naturæ po-
situs non est violentus, aut artificialis. Ergo. RESPONDEO Neg. majorem, et Probationis consequentiam
Licet enim Definiatur hic motus, in gratiam illius motus, qui in Definitione Naturæ exprimitur, mo-
tus enim genericus necessarius est ad cognitionem inferiorum, sicut quodlibet genus ad cognitionem sua-
rum specierum, non tamen inde sequitur quod hæc Definitio non comprehendat motum violentum. Item
4to Non convenit operationibus Animæ, quià Philosophus 3tio de Anima t. 22 dicit sensationes esse motus spe-
cie diversos ab aliis, eo, quià sunt actus rei perfectæ: motus verò est actus rei imperfectæ. RESPONDEO et dico quod
Aristoteles non neget ab anima imperfectionem potentiæ passivæ respectu sensationum, sed imperfectionem
ad Formam potius corrumpentem, et ad destructionem disponentem, qualis est potentia subjecti ad quali-
tates contrarias. C.

‡ Sed motus instantaneus non actuat sic mobile, id est non relinquit mobile in potentia ad ulteriorem perfectionem. Ergo. etc.

THEOREMA SEPTIMUM.

Divisio motus in substantialem et Accidentalem est Essentialis: Divisio verò in Naturalem, violentum et neutrum, est accidentalis: Similiter Divisio in motum inter terminos positivos, et motum inter terminos unum positivum, et alium negativum: Divisio autem in Instantaneum et successivum Substantialem, aliquandò est essentialis, aliquandò etiam Accidentalis.

NOTANDUM 1mum Dictum 1mum In duobus Locis præcipuè loquitur Philosophus de motu in 3 et 5 Physic. In 3 quidem accipit motum secundum suam communitatem, scilic. prout ad quamcunque mutationem è se communis, et ad 4 spectat prædicamenta scilic. ad Substantiam, Quantitatem, Qualitatem et Ubi, hoc modo acceptus motus, non est passio corporis naturalis, quià ut sic, excedit ipsum. In 5to autem Phys. [dividit] motum in communi sumptum, in motum propriè dictum, et in mutationem propriè dictam, & [ponit] hanc solum esse ad Substantiam: motum verò ad illa tria Prædicamenta, quæ divisio est Generis in [Spe]cies, et ideò essentialis. Dictum 2dum: quià Genus descendit in Species per Differentias quæ sunt divi[sivæ] Generis, et constitutivæ Specierum, ideò ut significatur quæ et quot sunt Species motus, prodest [no]sse differentias quæ dividunt motum in communi, et præterea cognoscere quænam sit essentialis, et quæ [acc]identalis divisio, sic enim innotescet, quæ sint Species motus in communi, per quod constituantur, et in [quo] se distinguant. NOTANDUM 2dum: Quatuor sunt præcipuæ divisiones motus. PRIMA DIVISIO [est] in motum Instantaneum, qui scilicet absolvitur in instanti, et in Successivum, qui fit in tempore. [Et] quià successio est in aliquo sensu de conceptu motus, ideò scias dupliciter accipi posse Successionem [L]argè et Strictè. Tunc sumitur Largè, quandò dicit transitum à termino A QUO, ad terminum [AD] QUEM, et hæc successio convenit motui in communi, et rectè ab illa motus in communi potest dici suc[ces]sivus. Tunc verò accipitur Strictè, quandò illam continuam, et in tempore factam denotat successi[o]nem, et ab hac motus successivus appellatur specificè sumptus, qui ab instantaneo motu solet distingui. Se[cu]nda Divisio motus in communi est illa, quam Philosophus 5. Physic. t. 7. habet, dum ait omne [qu]od mutatur, posse intelligi mutari, vel de subjecto in subjectum, vel de non subjecto, in non sub[jec]tum, vel de non subjecto in subjectum, vel de subjecto in non subjectum, et omissa secunda [mu]tatione, tanquam impossibili, concludit, quod illis tribus modis aliis potest contigere motus. Porrò per (subjectum) intelligit terminum positivum; per (NON SUBJECTUM) intelligit terminum Ne[ga]tivum, et consequenter potest compendiosius tradi ista divisio, et fieri bimembris, scilic: quod mo[tus] potest esse, vel inter terminos positivos, vel inter terminos, quorum unus est positivus, et alter [ne]gativus, qui postmodum potest subdividi: Nam vel terminus A QUO erit negativus, Terminus autem AD [QU]EM positivus, vel totum è contra. Tertia Divisio motus est penes terminos ad quos terminatur. Nam vel [ter]minatur ad Ens simpliciter, qualis est Forma Substantialis, vel ad Ens secundum Quid, qualis est For[ma] accidentalis, et consequenter motus, vel est Substantialis, vel Accidentalis. QUARTA DIVISIO est in [N]aturalem, violentum et Neutrum, quæ Divisio sumitur penes habitudinem, quam dicit subjectum ad For[ma]m, nam vel naturaliter inclinatur ad illam, et sic est motus Naturalis, vel potius habet repugnantiam

Marginalia: 1ma Divisio — Quatuor Divisiones motus. — Successionis duplex acceptio. — 2da motus divisio. — Explicatio divisionis secundæ motus. — 3tia motus divisio. — 4ta Divisio.

repugnantiam, et sic est motus violentus, vel se habet neutro modo, et sic est motus neuter. Aliæ divisiones etiam assignantur, sed illæ, vel tantum motui Accidentali, vel tantum Successivo conveniunt.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS 1MA (Quod scilic. Divisio in substantialem et Accidentalem sit essentialis) Probatur: Divisio Generis in species est Essentialis: Sed hæc Divisio motus est hujusmodi. Ergo est essentialis. minor: Quia motus Substantialis et motus accidentalis distinguuntur specie. Ergo si motus dividitur in eos, certè illa divisio erit Generis in Species. Ans: Termini istorum motuum sunt Specie distincti (nam motus Substantialis terminatur ad Substantiam, Accidentalis verò ad Accidens: Porrò Accidens et Substantia, non solum Specie, sed etiam Genere distinguuntur) Ergo et ipsi motus specie sunt distincti. Hæc consequent: Quia omnis respectus specificatur à termino AD quem. Sed motus est respectus. Ergo debet specificari à termino AD quem. Ergo si termini istorum motuum sunt specie distincti, sequitur quod et ipsi motus distinguantur specie. PARS 2DA (Quod scilicet Divisio motus in naturalem, violentum et neutrum sit Accidentalis.) Probatur: Divisio motus data in ordine ad Subjectum est Accidentalis.‡ minor: Quia respectus subjecti ad Formam in motu, est materiale motus. Ergo Divisio quæ fit per tales respectus est in ordine ad Subjectum. Sed divisio motus in naturalem, violentum et neutrum est per tales respectus, undè naturalitas, violentia, vel neutralitas manent etiam transacto motu. Ergo Hæc divisio est in ordine ad Subjectum, atque sic non erit essentialis ipsi motui, sed tantum Accidentalis atque extrinseca. PARS 3tia probatur: Nulla Divisio essentialis datur per extrinseca, et per Accidens requisita ad constitutionem constitutorum. Sed hæc est talis. Ergo non est Essentialis. minor: Quia nullus motus necessariò petit de sua ratione formali esse inter terminos positivos, sed inter terminos contradictorios. Ergo. Ans: Nam potest aliquis moveri ad terminum AD quem positivum absque deperditione termini A QUO positivi, saltem per potentiam DEI, et tamen iste motus esset ejusdem Speciei cum aliis ex 5 Physicorum t. 31. ubi habetur (Omnis igitur dealbatio, omni dealbationi idem secundum speciem erit) quod etiam patet in exemplo, nam illuminatio quæ fit in instanti, est ejusdem Speciei cum illuminatione, quæ fit in tempore, et tamen prima est à non Subjecto in Subjectum, id est, à privatione ad Formam. Secunda verò à Subjecto in Subjectum, scilic. à remissiori lumine ad intensius. Præterea si terminus A QUO positivus esset per se terminus motus, sequeretur non esse tria Principia motus in communi, scil: Materiam, Formam et Privationem, quod est contra Philosophum. PARS QUARTA patebit sequenti Theoremate.

‡ (quià motus nequaquam à subjecto specificatur. Sed hæc Divisio motus in Naturalem, violentum et neutrum est in ordine ad subjectum. Ergo est accidentalis.

Sine quo motus potest fieri, illud illi est Accident.

THEOREMA OCTAVUM.

Divisio motus in successivum et instantaneum, tunc est Essentialis, quandò instantaneitas et successio proveniunt in motu ab intrinseco: Tunc verò est Accidentalis quandò proveniunt ab Extrinseco.

NOTES tunc successionem et instantaneitatem provenire in motu ab Intrinseco, quandò proveniunt ex rationibus ipsorum terminorum, quatenus scilic: ex propria Natura exigunt, ut aut solum successivè, aut solum in instanti producantur. Tunc verò proveniunt ab Extrinseco, quandò vel ex impotentia Agentis, vel ex motu Locali, et continuâ approximatione Agentis ad passum proveniunt, ita ut terminus possit utroque modo acquiri. etc.

Proba

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS 1MA (Quod Divisio motus in instantaneum et Successivum sit Essentialis dum Successio provenit ab intrinseco) Probatur: Quià illa Divisio motus est essentialis, quæ datur, aut per aliquos modos, aut passiones, aut quid simile intrinsecum motui, quo differentiæ essentiales ipsius motus circumscribuntur; Sed ista divisio est talis. Ergo. Minor: quià successio et instantaneitas, sunt vel modi intrinseci, vel passiones, vel quædam formalitates necessario motibus convenientes, quibus Formæ acquiruntur. Ergo. Ans: quià quod non potest ab aliquo separari, illud vel est differentia essentialis, vel passio inseparabilis, vel quid simile circumscribens nobis Differentiam essentialem: Sed instantaneitas et successio non possunt separari à motibus quibus Formæ acquiruntur (nam Forma, quæ in tempore tantum est acquisibilis, nequaquam potest acquiri in instanti. Similiter quæ tantum est in instanti acquisibilis, non potest acquiri in tempore) Ergo Successio et instantaneitas, aut sunt Differentiæ, aut passiones, aut modi intrinseci, aut quid simile, atquè sic Divisio per successionem et instantaneitatem debet esse essentialis. PARS 2DA (Quod Divisio motus sit Accidentalis dum Successio et instantaneitas provenit ab extrinseco) Probatur eâdem ratione. Nam motus ille erit ejusdem Speciei, sive in instanti, sive in tempore fiat. Ergo. Ans: Quià acquisitio ipsa Formæ in instanti similiter quoquè est ejusdem Speciei cum acquisitione in tempore: Quandò enim Forma non exigit ex natura sua, ut omninò, aut tantum in instanti, aut tantum in tempore acquiratur, tunc ibi Successio et instantaneitas omninò accidunt acquisitioni illius Formæ, et propterea acquisitio illa erit ejusdem Speciei, sive in tempore, sive in instanti fiat, et per consequens etiam motus, quià motus et acquisitio idem sonant. Præterea motus dicunt respectum Subjecti ad Formam, et respectum informationis ad non informationem, sed respectus subjecti ad Formam est ejusdem rationis quandò Forma in instanti est, et quandò successivè acquiritur, nam iste respectus manet transacto motu et eodem modo denominat Lumen v. g. äerem illuminatum, sive in instanti, sive in tempore fuerit acquisitum, ita ut non sit diversæ speciei respectus quem dicit Subjectum ad totam Formam et ad partem Formæ. Similiter respectus totius informationis ad non informationem totalem est ejusdem Speciei cum respectu informationis partialis; ad non informationem partialem: quià sicut Forma est ejusdem rationis, ita et privatio ipsius: Successivum autem solum dicit de novo respectum ad Esse partiale immediatè præcedens, et Subsequens, et instantaneum carentiam talis respectus, quæ possunt separari à motu. etc.

THEOREMA NONUM.

Successio in motu successivo, quâ differt ab instantaneo formaliter non dicit quantitatem, aut negationem simultatis partium, sed dicit Relationem seu ordinem partium eorum prius et posterius communi termino copulatarum dum est successio continua, vel ordinem plurium non habentium terminum communem si est discreta.

Notes.

Notes 1mo motum successivum dici etiam continuum, cæterum non sumitur hic continuitas pro perpetuitate quomodo 8 Physicorum t. 54 dicitur solum motum cœli esse continuum, sed quatenus dicit partes termino communi copulatas, quæ partes sunt in duplici differentia. Aut enim sunt simultaneæ, ut cum aër in instanti illuminatur, est motus continuus, quia totum continuum, et qualibet pars movetur, non solum extensivè, sed etiam intensivè, et hoc sensu non differt ab instantaneo. Aut sunt successivæ una post aliam v. g. dum aqua successivè calefit, et in tempore prius secundum unam partem, quam secundum aliam alteratur, et hoc dupliciter. Vel cum interruptione temporis v. g. si

modò movetur, ~~[illegible]~~ aqua secundum aliquam partem per calefactionem, postea cessat ab isto motu, et deinde secundum aliam partem iterum moveatur et calefiat, et hæc est successio quædam discreta, quia una non est alteri continuata. Secundo absque temporis interruptione, et dum aqua calefit per horam, et in hoc sensu accipitur in præsenti. Notes 2do ad istam successionem, prout hic sumitur necessariò requiri ut sit inter extrema quæ habeant latitudinem aliquam, sive extensivam, sive intensivam. Nam si terminus esset indivisibilis, non posset, nisi totus simul acquiri, vel totus simul deperdi, nec hoc sufficit solum, sed requiritur adhuc ut sit inter extrema habentia contrarietatem adinvicem, nam videmus multas alterationes, tam secundum extensionem quam intensionem fieri in instanti, ut est illuminatio, et hoc ideò, quia extrema non habent contrarietatem, quæ contrarietas non debet esse necessariò propria, qualis est inter formas positivas de prædicamento Qualitatis, quia motus successivus est ad Quantitatem et Ubi, in quibus non adest vera contrarietas, sed sufficit ut sit quædam oppositio, quâ non possit terminus Ad Quem à motore intentus statim induci in mobili, et terminus A Quo statim expelli, sed opus est ut tale mobile prius moveatur à motore per media interjacentia inter terminos A Quo et Ad Quem, intelligendo per media omne id, quod necessariò præcedit inductionem termini Ad Quem, et ratio hujus est quia quandò adest ista oppositio, tunc verè intelligitur, quod acquisito non sit simul et in instanti, sed in tempore. Notes 3tio: Ex dictis colligi radicem omnis successionis esse resistentiam medii ad motorem et mobile, quatenus scilicet non potest mobile statim moveri ad terminum Ad Quem

à motore propter limitatam et finitam virtutem, quæ non potest vincere istam resistentiam, tamen si esset virtus infinita posset eam superare, et consequenter omnem tollere successionem, nam ordo ille inter terminos oppositos non est ita intrinsecus ut non possit aliter fieri et per transiri ab uno ad alium terminum simpliciter loquendo, sed tantum respectu limitatæ ~~[illegible]~~ virtutis. Nec quicquam aliud, nisi hoc, innuit Philosophus cum sæpius dicit motum esse inter contraria, id est motum successivum tunc evenire, quandò est inter terminos habentes oppositionem et contrarietatem, ut non possint statim et immediatè ad invicem in subjecto succedere, sed necessariò per alia quædam media ab uno ad aliud per[illegible]

aliud pervenit. Unde sivis nosse quid dicat esse successivum, id est hoc, quid est esse prius secundum unam partem, quam secundum aliam in motu, per quod motus successivus differt ab instantaneo ex præsenti Theoremate innotescet. Docetur enim hic, quod successio in motu, nihil aliud dicat formaliter, nisi ordinem partium motus secundum prius et posterius uno termino copulatarum, quatenus una pars ita alteri succedit, ut semper una sit prior, et altera posterior, nec unquam ambæ simul. Porrò sunt unitæ et copulatæ istæ partes (Mutatis esse,) quæ (Mutata esse) instar indivisibilium in quantitate continua permanenti copulant esse, et uniunt esse seu partes Formæ terminantis ✠: per mutata verò esse acquiruntur indivisibilia ipsius Formæ illas partes continuantia. Quid sit Successio in motu, vel quid dicat.

✠ uniunt partes motus, ita ut differentia inter partes motus, et mutata esse sit: per partes motus acquiruntur partes Formæ terminantis etc. vid. signum. etc.

PROBATIO THEOREMATIS.

Pars 1ma (Quod non dicat Quantitatem) Probatur: Duplex est Quantitas. Alia Prædicamentalis; alia Transcendentalis: Sed Successio neutram dicit Ergo. Minor: Non dicit prædicamentalem, ut patet ex primo istius controversiæ Theoremate. Neque etiam Transcendentalem, quia Quantitas dicit rationem partium ※, si est quantitas. Atqui hoc est falsum, nam ista ratio partium vel intelligitur de partibus terminorum, qui per motum acquiruntur, vel de partibus motus. Sed nihil horum potest dicere formaliter successionem. Ergo. Minor: Quia tam partes termini, quam partes motus possunt sine successione reperiri, post motum enim manet terminus secundum omnes partes, et si terminus qui successivè acquiritur, acquireretur in instanti, tunc mobile moveretur secundum omnes partes motus quibus moveret in tempore et successivè, quia adesset respectus informationis ad omnes partes Formæ, et ad privationem totalem immediatè præcedentem, qui respectus partialiter essent in mobili, si successivè fieret motus. Ergo Successio formaliter non potest dicere rationem partium Formæ vel motus. Dices Quod Successio dicat rationem partium motus, non ut sic, sed ut una est extra aliam, seu ut una alteri succedit, quomodo non reperiretur in motu instantaneo, et quod hæc extreitas partium motus seu incompossibilitas in eodem tempore et subjecto formaliter importetur à Successione. Contra Ergo saltim habet quod partes motus sint de materiali ipsius successionis. Porrò hæc ~~continuitas~~ extreitas, non potest vocari nomine Quantitatis, nisi abusivè, nam reperitur ubicunquè adest ordo, et tamen ordo non est, nisi quædam Relatio secundum prius et posterius. Ergo Successio non est quædam quantitas formaliter quæ ex se dicit quandam partium rationem. Pars 2da (Quod scilicet non dicat simplicem negationem simultatis partium) Probatur: quia Successio est quoddam nomen constituens illud cui competit in ordine ad aliud (idem succedere dicitur, quod advenit post aliud) Sed Negatio simultatis partium ut sic, non constituit illud cui competit in ordine ad aliud, nisi quatenus per Relationem prioris et posterioris explicatur. Ergo. Pars 3tia (Quod scilic: dicat Relationem ordinis seu prioris et posterioris) Probatur: Quia non possunt aliqua intelligi sibi succedere invicem, nisi intelligatur inter ista Relatio. Porrò statim ac talis Relatio intelligitur concipitur ratio pro Successionis perfectè. Deinde Denominativa important Formaliter Formam.

Quantitas est Duplex.

※ Ergo etiam ista Successio deberet dicere rationem partium si est etc.

Formam, et connotant subjectum, quæ Forma postea per nomen abstractum formaliter et absolutè signi-
ficatur. Sed Ens Successivum dicit partes aliquas secundum prius et posterius ordinatas. Ergo Formale En-
tis Successivi erit ordo iste et materiale partes succedentes. Et quià ordo non solum inter Entia conti-
nuata adinvicem esse potest; sed etiam inter omninò separata, aliquomodo tamen conjuncta: ita
Successio duplex. successionem opus est esse duplicem. Aliam continuam, aliam discretam.

OBJECTIONES ET SOLUTIONES EARUNDEM.

OBJECTIO PRIMA (Quod successio sit Quantitas) Quià Philosophus in Prædicamentis ideò numeravit in-
ter species quantitatis motum et Tempus, quia sunt Entia Successiva. Ergo. Item 2do Motus successi-
vus habet proprias partes propriis continuativis continuatas. Ergo ista continuatio successiva est qui-
dam peculiaris species quantitatis. Consequentia: Quià ubi est pluralitas partium, quarum u-
na excludit aliam, non solum per exclusionem identitatis, sed etiam per exclusionem coëxistenti-
ibi est Quantitas prædicamentalis, quià ista exclusio, seu incompossibilitas est quædam extreitas parti-
um, sicut enim quantitas permanens facit partes extra partes in ordine ad Locum eundem, ita
quantitas successiva seu successio facit partes extra partes in ordine ad idem Tempus. Porrò extre-
itatem esse rationem Formalem Quantitatis, non est dubium. Item 3tio: Successio non potest
intelligi absque partibus. Ergo partes sunt de essentia successionis, et consequenter cùm ratio partium
sit saltem quædam transcendentalis quantitas successio, formaliter dicet talem quantitatem. RESPONDEO
Tempus et motum duo poni inter partes quantitatis, non tamen ex sua sed ex communi sententia
à Philosopho, cujus indicium est, quià in 5. met. apsysicorum ubi ex sua loquitur sententia, nec tempus, nec motum
numerat, sed dicit esse per accidens, Quanta. Ad 2dum Neg. consequentiam cum Probatione. Q.
non omnis continuitas partium est vera quantitas, nam ea reperitur tàm in Substantia, quàm in Qua-
litate, licet essent à Quantitate separata, nec omnis incompossibilitas et extreitas partium est
Quantitas, sed solum illa, quæ per se convenit partibus, quæ verò per Accidens et per aliud, non est propriè Quan-
titas, nam non tantum quantitas habet partes extra partes, sed etiam qualitas in composito quan-
et tamen ista extreitas, et impenetratio partium albedinis v. g. non est Quantitas distincta à
quantitate parietis, quià in tantum albedo habet istam impenetrationem, in quantum est in corpore Quan-
to, idem etiam dicendum est de relatione producentis ad productum. Si enim productum successivè
acquiritur, etiam Relatio successivè insurgit, non tamen ista successio est quantitas, cum per accidens
ipsi adveniat, et maximè, quià relatio non potest subjectare Quantitatem. Ad 3tium Neg. Conseq.
Quià etiam album non potest intelligi sine subjecto, et Relatio sine extremis, non tamen indè sequi-
tur, quod sint de illorum Essentia. Undè licet verum sit rationem partium esse quandam Quantita-
tem transcendentalem, tamen est materiale quid respectu Successionis istius, de quâ hic loquimur.
OBJECTIO

OBJECTIO 2DA (Quod scilic: Successio non sit Relatio ordinis) Quia ordinis Relatio in motu, est Relatio rationis. At verò Ens successivum est quid reale. Ergo. RESPONDEO et Dico Successionem ipsam esse relationem rationis in motu, prout Relatio rationis à relatione simpliciter reali distinguit, non prout cum secunda intentione convertit.

THEOREMA DECIMUM.

Motus propriè acceptus non aliter differt à mutatione propriè sumpta, nisi quia haec terminat ad esse simpliciter seu Substantiale, ille verò ad esse secundum quid seu Accidentale.

Notandum Dictum 1mum: Theorema istud aliter potest sic clarius formari: Motus ut est passio corporis Naturalis, non ideò distinguitur à mutatione, quia habeat terminos positivos, mutatio verò unum privativum, alterum positivum, aut quia motus est successivus, mutatio verò instantanea, sed distinguitur ideò, quia motus habet pro termino AD QUEM aliquid Esse, secundum quid est id, accidentale, et pro termino A QUO privationem istius esse, subjectum verò potentiale ad ipsum, sive fiat in instanti, sive in tempore. At verò mutatio habet pro termino AD QUEM esse aliquid simpliciter seu Substantiale, pro termino A QUO privationem istius esse, et pro subjecto aliquid essentialiter incompletum, et potentiale ad istud esse. Dictum 2dum Certum est apud omnes quod motus in communi non sit passio corporis naturalis, quia ipsum excedit, cum possit etiam materia prima convenire quatenus communis est ad mutationem Substantialem et Accidentalem, unde solet dividi: in mutationem propriè dictam, et in motum propriè dictum, et hic scilic: propriè dictus pro principali passione corporis naturalis assignat, et essentialiter à mutatione propriè sumpta distinguit. Unde ut habeat ipsius cognitio prout est passio corporis naturalis, prodest propriam differentiam constitutivam ipsius cognoscere.

PROBATIO THEOREMATIS.

Pars 1ma (Quod scilic. aliter non differat) Probatur: Quia si aliter differret motus propriè accept. à mutatione propriè sumpta, tunc aut differret ideò, quia ipse est successivus: mutatio verò instantanea: Aut ideò, quia ipse habet terminos positivos, mutatio verò, unum privativum, alterum positivum: Sed neutrum horum potest dici. Ergo. Minor: Quo ad 1mam partem probat, quia si ideo differret, quod ipse est successivus, mutatio autem instantanea. Ergo Nulla species dabitur mutationis successiva, sed qualibet erit instantanea: Atqui hoc est falsum, nam nutritio et Generatio (ut inanimatorum docetur in Libris de Generatione) sunt successiva, et sunt species mutationis, quia mutatio solum est ad Substantiam ex 5 Physic. t. 9. motus verò ad Accidens: Sed Nutritio et Generatio sunt ad Substantiam. Ergo sunt species mutationis propriè dicta. Quo ad 2dam partem eadem minor probatur, quod scilic: non differat motus à mutatione, penes terminum positivum et privativum, quia alias nullus motus fieret nisi inter terminos positivos, quod est falsum, nam multi transitus à non subjecto in subjectum

Subjectum conveniunt corpori naturali, non solum neutri, ut illuminatio äeris, verum etiam naturales, ut sunt omnes sensationes et intellectiones. Et reditus Aquæ ad frigiditatem, si per virtutem Divinam privaretur omni frigiditate absque introductione caloris, omnino esset à non Subjecto in Subjectum, supposito, quod postmodum rediret ex se ad eandem. Ergo quia transitus isti verè sub passione corporis naturalis continentur, mutatio ut à motu, qui est passio distinguitur, non differt per hoc quod habeat terminum A QUO privativum. Deindè transitio materiæ primæ ab una Forma substantiali ad aliam, non est motus propriè dictus, sed est mutatio, atqui multæ ejusmodi transitiones sunt à Subjecto in Subjectum. Ergo Hæc non est differentia distinguens motum à mutatione. Minor Quia non est major ratio, cur scilicet inter albedinem et nigredinem reperiatur motus aliquis per se unus et non inter Formam ligni, et Formam ignis. Nec valet si dicas ideò dari motum in accidentibus, quia accidentia exigunt hoc, ut fiant ex determinato termino A QUO, non autem Substantiales Formæ v. g. calidum fit ex frigido, et major quantitas ex minore, et motus deorsum à ~~motu~~ Loco sursum, Forma verò substantialis, potest ex quavis alia generari. CONTRA. Etiam in aliquibus Formis Substantialibus iste ordo determinatus reperitur: Nam v. g. Acetum non ex qualibet Forma Substantiali solet fieri, sed tantum ex determinata. Similiter Forma corporis organici, non nisi ex semine, nec ex quovis, sed ex illo tantum, quod ab aliquo ejusdem speciei provenit. PARS 2DA Probatur Authoritate Philosophi 5 Physicor. t. 8. ubi volens investigare distinctionem mutationis à motu, non arguit, quia mutatio est in instanti, motus verò in tempore, vel quia mutatio est inter contradictoria, motus verò inter contraria; sed probat duplici ratione. 1ma est, quia quod generatur non est; quod movetur, est; id est, Subjectum Generationis non necessariò est in actu completo, sed debet esse aliquod in potentiale ad esse simpliciter, quod verò movetur, est Ens necessariò in Actu, nec ut sic aliquo esse simpliciter caret. Ratio 2da est: Quod movetur est in Loco, quod generatur non est in Loco. Ergo mutatio non est motus, id est, quod movetur necessariò, est in Loco, vel per Formam acquisitam in mobili prius, quod tali motu movetur, ut evenit in alteratione et Latione, quibus quantitas, quæ est ratio essendi in Loco occupativè et circumscriptivè præsupponitur, vel est in Loco per eandem Formam secundum quam movetur, ut in Auctione evenit: At quod generatur, id est, quod est Subjectum generationis, quatenus est tale subjectum, nec est in Loco per Formam prius acquisitam, quia quantitas non est Subjecto generationis ratio formalis recipiendi Formam Substantialem, nec est in Loco, per Formam secundum quam movetur, quia Substantialis Forma, non est ratio Formalis Locationis circumscriptivè, hinc potest cognosci quod motus et mutatio non distinguantur, nisi secundum Differentiam in Theoremate positam, aut differentias in Notando expressas. Et rectè quidem, nam cujuslibet respectus et relationis differentia, ex differentiis extremorum cognoscitur, cum igitur extrema motus in communi, qui ad quatuor tantum prædicamenta terminatur, primo dividatur in esse simpliciter, et in Esse secundum quid, id est Substantiale et Accidentale, quorum privationes et Subjecta sunt alia atque alia, et motus in communi, primo in motum

motum propriè dictum et mutationem propriè acceptam dividat, omnino per Differentias assignatas debitè dividi. Et præcipuè quià ex hac nostra positione et sententia claré patet quomodo quilibet motus sit passio corporis naturalis, quià nullum Ens, nisi compositum est Subjectum Accidentium.

THEOREMA UNDECIMUM.

Motus in communi accepti duæ sunt species scilic: mutatio propriè dicta et motus propriè acceptus. Deindè propriè dicti motus secundum Philosophum possunt duæ statui species. Scilic: motus successivus et motus instantaneus.

NOTANDUM 1mum DICTUM: Theorema istud per modum corrolarii ex præcedentibus potest colligi. Dictum 2dum: Successio et instantaneitas secundum Philosophum, aut sunt essentiales Differentiæ motus aut circumscribunt ipsas: At verò secundum Nos, nequaquam. Dictum 3tium. Ideò nos negamus successionem et instantaneitatem esse Differentias motus propriè dicti, quià agnoscentes absolutam DEI potentiam tenemus secundum veritatem quemlibet motum in tempore factum posse fieri in instanti supernaturaliter, excepto motu Locali, qui totam realitatem motus includit, atque idcircò dicimus successionem tantummodo Locali motui totam realitatem includenti esse essentialem, aliis verò motibus accidentaliter convenire scilic: propter agentis creati impotentiam, non potentis vincere resistentiam medii, cùm sit finitæ et limitatæ virtutis. Undè apud nos Formæ illæ, quæ nunc virtute naturæ successivè tantum acquiruntur, cujusmodi sunt Qualitates, Quantitates, et UBI Locale, quoad successionem et instantaneitatem eodem modo se habent, ac se habet naturaliter Lumen quod utroquè modo potest acquiri, vel etiam visio, quæ licet fiat in instanti, tamen potest etiam fieri successivè, nempè si objectum secundum partes et successivè aspectui præsentet. Dictum 4tum Idcircò in sententia Philosophi instantaneitas et successio sunt Differentiæ motus, quia ipse non agnoscens DEI ABSOLUTAM POTENTIAM tenet Formas illas, quæ naturaliter in tempore tantum acquiruntur, nullo modo posse haberi in instanti, et similiter eas, quæ solum in instanti habentur, tenet ille, nullo posse in tempore acquiri. Quod enim naturaliter evenit, putavit ille ab intrinseco et ex naturis rerum id fieri, et quidem ita, ut oppositum contingere implicet.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS 1MA patet Ex Theoremate 7. Nam si motus in communi dividitur in motum substantialem, qui propriè vocatur aliter mutatio, et in Accidentalem, qui propriè dicitur motus tanquam Genus in Species, omninò sequitur quod mutatio et motus propriè acceptus sint Species motus in communi. PARS 2DA Sivero patet ex notando, quià si instantaneitas et successio sunt in via Philosophi Differentiæ essentiales. Ergo constituunt aliquas Species, et per consequens in via ipsius duæ erunt Species motus propriè dicti. Porrò scias Philosophum præcipuè de motu successivo egisse, et ipsum explicasse. Nam de illis motibus specialiter loqui intendebat, qui in Actionibus rerum naturalium reperiuntur, et qui generationi et corruptioni deserviunt, cujusmodi quidem sunt motus successivi, et ipsum explicasse clarum est. Et quià successio non po-

non potest intelligi perfectè, quin etiam intelligatur terminus positivus A QUO, cum successio sit formaliter ordo inter utrumque, talis autem ut plurimum sit terminus contrarius, vel habens rationem contrarii, qualia sunt media, vel gradus remissiores Formæ hinc est quod talis motus circumscribitur à Philosopho per hoc, quod est esse à Subjecto in Subjectum, id est à contrario in contrarium, non quod terminus A QUO positivus specificet essentialiter motum successivum, sed potius quia est quid connotatum termini A QUO primarii, et ut terminus concomitans, terminum per se primarium, qui est privatio Formæ.

THEOREMA DUODECIMUM.

Motus in communi acceptus ad quatuor per se datur Prædicamenta. Primo ad substantiam, etiam quandò Forma est à Subjecto independens, et vocatur Generatio et corruptio. Secundo ad Quantitatem, et dicitur Augmentatio et diminutio. Tertio ad UBI et dicitur Latio seu motus Localis. Quarto ad Qualitatem et vocatur Alteratio, quæ si accipiatur strictè, solum erit ad Passionem vel passibilem Qualitatem. Si autem communiter, erit ad 1mam, 2dam et tertiam speciem, non autem ad ~~aliam~~ quartam. Porrò ad alia prædicamenta non datur motus.

Motus hic sumitur dupliciter.

NOTANDUM Dictum 1mum: Motus quo ad præcedens negotium potest sumi dupliciter. 1mo Latissimè quatenus dicit acquisitionem novam cujuslibet Entitatis realis in Subjecto, et in hoc sensu in omnibus reperitur prædicamentis, ut patet ex 3. Physicorum t. 3. et 12. Metaphysic. t. 19, ubi docet Philosophus in unoquoquè prædicamento reperiri unam primam contrarietatem. Hinc 1 Physic. t. 62. ad Relationem, dicit, esse do esse Generationem. 2do Propriè pro acquisitione per se alicujus termini, ad quem requiritur ut terminus propriâ actione acquiratur, et non ad acquisitionem alterius termini præcedentis, quod potest dupliciter evenire. Vel quod non præsupponat necessariò aliquam acquisitionem, ut evenit in motu Locali. Vel licet præsupponat, terminus tamen de novo adveniens est propriâ acquisitione acquisitus quià est per se intentus à natura, ut est in generatione Substantiali, quæ licet alterationem supponat, terminus tamen scilic: Forma Substantialis est per se à natura intentus, et propriâ fit Actione (et in hoc sensu accipitur in præsenti) Dictum 2dum. Alteratio sumitur dupliciter 1mo strictè pro Acquisitione qualitatis illius quæ ad generationem et corruptionem disponit, aut quæ concomitatur ista duo. 2do Sumitur Latè pro acquisitione cujuscunque Qualitatis per se à natura intentæ.

PROBATIO THEOREMATIS.

Alteratio sumitur dupliciter.

PARS 1MA (Quod motus sit ad Substantiam) Probatur: Quia Forma substantialis habet propriam acquisitionem, nec est Ens occasionatum, sed maximè à natura intentum cum sit perfectior omnibus aliis Formis accidentalibus acquisibilibus, non solum quandò à Subjecto dependet, sed etiam cum est ab illo independens, quià tota Definitio motus, potest huic receptioni novæ Formæ independentis à Subjecto adaptari, nam verè esset Actus Entis in potentia, prout in potentia, et verè Subjectum aliter se haberet nunc quam prius, nec respectus illi educti ad id, ex quo educitur est necessarius ad rationem Formalem motus. PARS 2DA (Quod motus sit ad Quantitatem, Qualitatem et UBI) Probatur: Quià Augmentatio est per se à natura

se à natura intenta, tanquam maximum bonum subjecti ad hoc ut possit proprias exercere operationes, similiter et motus Localis cum Alteratione, nam et istæ Formæ propriâ acquisitione acquiruntur, et sunt Entia per se intenta, non autem occasionata, id est per se, non verò ad alterius acquisitionem acquiruntur, et hoc quidem verum est de Alteratione, non modo quo ad intensionem Qualitatis, sed etiam quo ad extensionem, nam non solum intensio, sed etiam extensio per se à natura intenditur, et fit propriâ acquisitione, et licet Qualitas extendatur ad extensionem Quantitatis, non tamen sequitur quod Accidens illam omninò extendi, quia etiam ipsa habet partes extensas entitativas. PARS 3tia (Quo ad Species Qualitatis, quod scil: strictè sumendo Alterationem tantum ad Passionem, seu Passibilem Qualitatem detur motus) Probatur Authoritate Philosophi, qui 7 Phys. ita sumendo Alterationem probat ad alias Species Qualitatis non dari motum, licet rationes ipsius dicantur minus esse efficaces. Quod autem sumendo illam communiter et latè ad alias quoquè species qualitatis sit motus, probatur itidem Authoritate Philosophi Nam 2 de Anima. t. 57 et 58. docet dari Alterationem ad Qualitates et habitus Animæ distinctam, et alterius generis ab alteratione, quæ est ad corporeas et sensibiles Qualitates. Item 8 Phys. t. 20 et 26. admittit motum ad sensationes et imaginationes, qui motus non potest, nisi ad alterationem reduci. Ergo si Alteratio sumatur communiter, erit ad tres species qualitatis, scilic: ad Primam, Habitum et Dispositionem. Ad Secundam, Naturalem Potentiam et Impotentiam. Ad Tertiam, Passionem & passibilem qualitatem, non autem ad Quartam, quia Forma et Figura potius sunt relationes quædam, quæ dispositiones partium et colorum consequuntur. Porrò vocamus hoc Loco species quatuor Qualitatis absque ullo rigore, nam alias dubium est apud Nos an verè sint species istæ quatuor Qualitatis. PARS 4ta (Quod ad alia Prædicamenta non detur motus) Probatur Inductione eundo per omnia Prædicamenta, et quidem 1mo Non datur ad Relationem: Nam ad quod per se datur motus, illud propriâ acquisitione (acquiritur) et est à natura intentum, et non occasionatum seu occasionaliter ad positionem alterius productum. Atqui Relatio non acquiritur propriâ acquisitione, neque est Ens per se à natura intentum, sed occasionaliter provenit. Ergo ad eam non datur motus. Minor: Quia Relatio intrinsecus adveniens non insurgit, nisi prius aliquod absolutum acquiratur, et potius resultat, quàm producitur. Ergo. 2do Non Datur ad Quando quia hoc prædicamentum consistit potius in quadam extrinseca denominatione, aut in relatione mensuræ, quæ est rationis. 3tio Non Datur ad Habitum: Nam si habitus sumatur pro habere vestes et similia, tunc nihil est aliud nisi quidam respectus, non per se acquisitus, sed ex approximatione vestium aut aliorum ornamentorum vel Armorum ad corpus resultans: Si verò sumatur pro habere Formam aliquam, jam manifestò patet quod motus ad istum respectum, nihil erit aliud quàm motus primo et per se ad Formam directus et ordinatus, talis autem Forma, vel est Substantia, vel Quantitas vel Qualitas, vel ipsum Ubi, et sic non debet assignari motus ad Habitum distinctus ab illo qui ad Formam terminatur. 4to Non Datur ad Situm. Quia licet aliquandò corpus quodpiam mutet situm, tamen ille motus est secundum partes, et est quidam motus Localis et partialis. 5to Non Datur ad Actionem et Passionem, quia isti re-

respectus resultant ex inductione alicujus Formæ in Subjectum ab Agente, et consequenter nec propriè acquiruntur acquisitione, nec per se ab Agente intenduntur, solum enim Agens intendit, et introducerevat in subjectum Formam illam ad quam talis motus dicitur terminari. Præterea si Actio terminaret motum, vel etiam ipsa passio, tunc opus esset ipsas per aliam Actionem et passionem fieri, quod falsum, quia sic daretur processus in infinitum, à quo abhorret natura. Sequela: Quod per se acquiritur per se etiam in subjecto virtute Agentis recipitur, et consequenter per Actionem et Passionem. p.

OBJECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIONES.

OBJECTIO PRIMA (Quod ad UBI non detur motus) Probatur: Quia alias unius et ejusdem motus duo essent per se termini, quod est falsum. Sequela: Quia motus Localis est ad Locum, à quo specificatur et determinatur nominatur. Ergo si ad UBI datur motus Localis, sequitur quod daretur ad duos terminos scilicet ad ipsum UBI et ad ipsum Locum. RESPONDEO Disting. Falsitatem: Licet enim sit falsum unius motus duos esse terminos intrinsecos mobili, tamen non est falsum unius motus ejusdemque duos posse esse terminos, dùm unus est intrinsecus mobili, alter verò extrinsecus. Locus est extrinsecus Locato quia est respectus formaliter in superficie continente corpus Locatum fundatus. At verò UBI est terminus intrinsecus ipsi mobili, et licet denominetur iste motus Localis à Loco, tanquam à notiori, tamen propter hoc, non debet esse in alio Prædicamento, quia Locus pro Formali acceptus in Prædicamento ipsius UBI collocatur. OBJECTIO SECUNDA (Quod ad Habitum detur motus) Probatur: Ad illud datur per se motus, quod fit per se, et quod intenditur ab Agente: Sed Habitus ultimum prædicamentum fit per se et intenditur ab Agente. Ergo ad illum datur per se motus, et per consequens falsum est quod ad alia prædicamenta quatuor illis exceptis non possit dari motus. Minor: Nam unio seu respectus unionis, sive sit unio vestium cum vestito seu Formæ cum Subjecto per se ab Agente intenditur, quia Agens non intendit Formam aliquam separatam et à Subjecto abstractam. v. g. Non intendit calorem, qui sit in rerum natura à Subjecto separatus, sed potius intendit calorem in Subjecto, sic intendit inhærentiam calores, similiter non intendit ipsas præcisè vestes aut motum vestium, sed potius intendit unionem earum cum ipso vestito. RESPONDEO Neg. minorem, ad probationem Dico Negando illam unionem vestium propriè pertinere ad Prædicamentum Habitus, nisi secundum quendam modum explicandi per verbum Habere, et dico potius ipsam ad UBI referendam esse, quia est quædam contiguitas Localis estque terminus motus approximationis. Unionem autem Formæ absolutæ cum Subjecto concedo verè est in prædicamento Habitus, nam unio Formæ Relativa cum sit ipsi Formæ identificata, in eodem simul cum illa ponitur Prædicamento. Et licet aliquandò producatur denovo illa Unio Formæ absolutæ, ut dum Forma separata existit, et postea in Subjectum inducitur, tamen non potest dici quod per se acquiratur, quia Forma est quæ per se intenditur et à Subjecto acquiritur, neque unio per se intenditur, sed Forma unita, ipsa verò habet rationem Finis secundum propriam Entitatem, unio autem est quædam conditio Formæ intentæ, non verò ratio formalis, propter quam intenditur. p.

THEOREMA DECIMUMTERTIUM.

Motus acceptus materialiter pro Forma fluente est in Quatuor prædicamentis, scilic: in Substantia reductivè, in Quantitate, Qualitate, et Ubi directè: Acceptus verò pro receptione Formæ, seu informatione Passiva subjecti, est in Prædicamento habitus. Tandem acceptus Formaliter pro successione termini ad quem post terminum A Quo reducitur ad Prædicamentum sui termini.

PARS IMA Quod motus acceptus materialiter sit in prædicamento Substantiæ reductivè patet quia Forma Substantialis fluens est in Prædicamento Substantiæ reductivè (Quia Forma substantialis est Principium et pars substantiæ, non verò quid completum) Porrò in Prædicamento Substantiæ illa tantum directè collocantur quæ sunt completa, non verò partes. Sed motus materialiter acceptus, nihil est aliud, nisi Forma ~~Accidentalis ...~~ ipsa Substantialis fluens ad quam talis motus datur. Ergo. PARS: 2DA (Quod motus acceptus materialiter sit directè in Prædicamento Quantitatis, Qualitatis et UBI) Probatur: Qualibet Forma Accidentalis directè ponitur in Prædicamento. Sed motus materialiter acceptus, nihil est aliud, nisi Forma Accidentalis. Ergo. Major: Quia Formæ Accidentales, etiam ut fluunt, habent se, non ut partes, sed ut Entia completa in suo Genere. PARS 3TIA Quod motus acceptus pro receptione Formæ, seu informatione passiva subjecti sit in Prædicamento Habitus, probatur: Quia omnes informationes, omnes receptiones, inhærentiæ et habitiones in hoc prædicamento Habitus tanquam Species ipsius communiter accepti collocantur. Ergo. PARS 4TA Quod Formaliter acceptus motus scilicet pro successione reducatur ad prædicamentum sui termini. Probatur: quia aliàs oportet esset ipsum constitui in undecimo Prædicamento, quod non datur, neque enim à Philosopho assignatur, neque est ulla necessitas illius ponendi, nam prædicamenta potius sunt minuenda quàm multiplicanda. Præterea motus est respectus secundum quid, non verò simpliciter realis, estque via essentialiter ad terminum ordinata. Ergo ad prædicamentum sui termini debet reduci, veluti via ad terminum viæ, ut facit Philosophus 3 Physicorum. t. 4. OBIICIES: Motus dicit rationem univocam communem quæ ad sua inferiora per Differentias descendit, unde se habet ut species, motus verò in communi ut Genus. Ergo ex ipsis coordinatio generum et Specierum seu prædicamentum, quod in tali ordinatione consistit constituetur, et per consequens undecimum prædicamentum constituet. RESPONDEO Neg. Conseq. Quia licet motus suo modo possit dici Genus, et motus inferiores ipsius Species, et suo modo constituere propriam coordinationem, non tamen proprium Prædicamentum constituunt, quia communiter prædicamenta continent Entia perfecta et ~~...~~ simpliciter realia. Porrò motus non est hujusmodi, aliàs etiam Forma substantialis in communi ad alias comparatas, posset dici Genus, et inferiores formæ species, quod tamen retiendo vulgarem prædicamentorum numerum est falsum. Idem etiam dicendum

est

est de modis prioris, simul et aliorum Prædicamentorum, quia Divisio Entis in decem Genera Generalissima est potius divisio Artificialis quam secundum rerum Naturam, ut docet in Logica. **Objicies 2do** Si motus pertinet ad Prædicamentum sui termini. Ergo Ratio motus in communi ad nullum prædicamentum determinatum pertinebit, sicut nec datur Prædicamentum commune illis Prædicamentis, sed hoc est falsum, nam absurdum est species unius Generis esse in Prædicamento et Genus commune illis in nullo contineri Prædicamento, neque ut summum, neque ut Subalternum. **Respondeo Neg. Falsitatem et Absurditatem.** Sicut enim ratio termini in communi vagatur per plura Prædicamenta: ita ratio motus in communi, quod apparet in multis aliis, ut in conceptibus ad plura prædicamenta communibus, qui utque secundum veritatem sunt vera Genera, tamen quia supponitur Divisio illa immediata in Decem Genera Generalissima dicuntur per plura prædicamenta vagari, licet possint ad unum Genus reduci. &c.

THEOREMA DECIMUMQUARTUM.

Motus non solum Essentiales, sed etiam Accidentales habet species.

Probatur: Motus non solum Accidentales Essentiales sed etiam habet divisiones. Ergo et species. Conseq. Quia partes in qualibet Divisione alicuius communis habentis se per modum Generis, vocantur species. Ergo sicut ex divisione essentiali sequuntur species essentiales, ita ex divisione Accidentali sequuntur Species accidentales,+ sequitur quod etiam habeat Species accidentales. Ans: patet enumerando istas Divisiones. Prima Divisio motus in communi est (ut supra diximus) in Naturalem, Violentum, et Neutrum, quæ divisio, licet motui Accidentali potissimum conveniat, tamen potest in aliquo sensu, etiam Substantiali accommodari. Corruptio enim dicitur quasi violenta materiæ, et inclinatio ejus in formas aliquomodo neutra, unde potest postea motus naturalis subdividi, in motum ad Substantiam, Quantitatem, Qualitatem et UBI. Similiter motus Neuter et violentus suo modo et quilibet, etiam subdividi juxta diversitatem essentialem motus. Sed præcipuè motui violento solent assignari tanquam Species ista quatuor: Pulsio, Tractio, Vectio, Vertigo seu circumvolutio. Pulsio subdividitur in impulsionem et Expulsionem. Impulsio requirit ut movens non relinquat mobile quamdiu movet, sed ut illi conjungatur, vel immediatè, vel mediante aliquo instrumento. Expulsio est quando movens relinquit mobile dum movet, ut dum quis projicit Lapidem. Tractio est, quando movens trahit ad se mobile. Vectio est quando ad motum unius, movetur aliud illi adhærens. Vertigo est, quando aliquid circumagitur. **Secunda Divisio est, seu potest esse in Rectum et Reflexum.** Motus Rectus est transitus à termino A QUO ad terminum AD QUEM. Reflexus autem Regressio per candem viam ab eodem termino AD QUEM, qui in Reflexione habet rationem termini A QUO, ad terminum

+ Et per consequens si motus habet divisiones accidentales sequitur etc.

Quatuor sunt motus Divisiones prima in Naturalem, violentum et Neutrum.

Secunda divisio motus est in Rectum et Reflexum.

terminum A QUO priorem, qui erit terminus AD QUEM hujus prioris Reflexionis. Tertia Divisio est in velocem et Tardum. Velox est quo mobile brevi tempore multum spatium absolvit. Tardus verò est, quo multo tempore breve spatium conficit. Quæ quidem Differentiæ proveniunt ex majori vel minori virtute motiva, aut ex majore vel minore densitate et raritate medii, aut ex Figura mobilis magis vel minus ad scindendum medium apta, aut ex resistentia vel facilitate ipsius mobilis. Hinc velocitas et Tarditas in motu habent se sicut raritas et densitas in corpore. Raritas enim est, quâ corpus habet parum de materia, sub magna dimensione, densitas verò sub parva dimensione multum de materia, ut patet ex 4 Physic. t. 84. Ubi per dimensionem intelligit major vel minor extensio in ordine ad Locum, ut in Libris de Generatione docet. Sicut ergo raritas & densitas nihil aliud supra eandem Quantitatem addunt, nisi novos respectus ad majorem vel minorem Locum: ita velocitas et tarditas supra eundem motum, nihil aliud addunt, nisi respectum ad majus vel minus tempus. Porrò hæc Divisio, non solum motui Locali; sed etiam cuilibet Generationi, Augmentationi, et Alterationi successivæ convenit. Quarta Divisio est in motum Regularem et Irregularem, seu in motum Uniformem et Difformem, quæ quidem Divisio sequitur ex præcedenti. Motus Regularis est qui fit semper eadem velocitate et tarditate. Motus Irregularis verò est, qui fit modò velocius, modò etiam tardius, ut patet ex 5 Physic. t. 54.

Tertia Divisio motus est in velocem et Tardum.

Quarta Divisio motus est in motum Regularem et Irregularem. Seu in motum Uniformem et Difformem.

THEOREMA DECIMUM QUINTUM.

Motus nec Genericam, nec Specificam unitatem desumit à Tempore.

Notes Triplicem esse Unitatem, Genericam, Specificam et Numericam, quas unitates certum est desumendas esse ab intrinseco ex propria ratione formali ipsius motus; sed quia rationem istam formalem motus non cognoscimus nisi acquisitivè et per Extrinseca, ut fit in qualibet Relatione, ideò ad Extrinseca confugimus inquirendo undenam potissimum, et à quo extrinseco tales unitates desumantur, et quia quinque sunt quæ ad motum concurrunt, scilicet: Terminus A QUO, sive sit privatio, sive concomitans, ut Forma Positiva corrumpenda. Item Terminus AD QUEM. Item mobile, Agens et Tempus, ideò à quonam istorum desumant Unitates inquirunt Philosophi. Quod ergo Generica et Specifica Unitas non sumatur à Tempore, est verissimum, tum quia omnes Philosophi ita sentiunt, tum etiam, quia in eodem Tempore possunt fieri motus specie et Genere diversi, sicut et idem motus Genere vel Specie in diversis temporibus. Q.

Unitas est triplex, Generica, Specifica et Numerica.

THEOREMA DECIMUM SEXTUM.

Unitas Generica, quâ motus Physicus à Supernaturali distinguitur, debet sumi à Subjecto; unitas autem Generica, quâ motus propriè dictus differt à mutatione propriè dicta sumitur à Subjecto et à termino AD QUEM.

Ratio 1mæ partis est, quia motus in sua universalissima ratione dividitur in Successionem termini ad quem post terminum A quo immediatè præcedentem factam in Subjecto, et in Successionem termini ad quem post terminum A quo præscindendo à Subjecto. Ergo Subjectum erit quod facit motum Physicum differre à Creatione in ratione mutationis acceptæ ut scilic. dicit respectum ad non esse immediatè præcedens, et per consequens unitas Generica, quâ motus Physicus à Supernaturali distinguitur. Ratio pro secunda parte habetur Theoremate decimo istius controversiæ.

THEOREMATA SEX.

17 Unitas specifica motus non accipitur per se ab Agente, neque à termino A quo, vel à Subjecto, sed tantum à termino Ad quem. 18 Unitas Numerica Entitativa intrinseca seu Metaphysica motus, licet intrinsecè proveniat à propria hæcceitate, tamen extrinsecè dignoscitur et sumitur ab unitate numerica mobilis et termini Ad quem, non verò Temporis vel motoris. 19 Ad unitatem continuativam motus requiritur unitas continuativa mobilis termini Ad quem et Temporis, non autem motoris. 20 Licet Generatio Animatorum sit instantanea, Generatio tamen Inanimatorum, item Nutritio, Augmentatio, Alteratio inter contrarias Qualitates et motus Localis fiunt naturaliter successivè, potest etiam naturaliter aliqua Alteratio dari in instanti. 21 Omnes motus successivi possunt supernaturaliter fieri in Instanti, et includere totam realitatem, excepto motu Locali, qui eo casu tantum realitatem termini motus includeret, etiam spectata Dei potentia. 22 Motus Quieti privativè, immobilitati verò contradictoriè opponitur.

Horum ut et aliorum in hac Controversia positorum Theorematum veritas ex iis quæ in Libris de Generatione DEO dante sumus tradituri, lucem et Confirmationem est habitura competentem.

Controv.

CONTROVERSIA DUODECIMA.

DE CORPORE CŒLESTI.

Expedito hucusque: corpore Naturali, ad ejusdem species conside-
randas descendimus, ut nempe quæ hactenus quasi eminus spectaba-
bamus, cominus intueamur, incipimus autem à corpore
Cœlesti, quia hoc incorruptibilitate et virtute cau-
sandi longè cæteris speciebus corporis naturalis
antecellit. De quo quidem cum Astrologi et
Astronomi copiosius tractent, et hanc
materiam, quasi suo jure sibi ven-
dicent, nos pauca adferre de-
crevimus, sit itaque in
Nomine Domini:

THEOREMA PRIMUM.

Cœlum in Principiis Philosophi non est compositum ex
materia et Forma; imò hoc potius est asserendum se-
cundum Lumen Naturæ: At secundum Theologos
omninò constat ex materia & Forma.

PARS IMA Probatur: Id quod est æternum et incorruptibile, est expers compositionis ex materia
et Forma: Sed cœlum juxta principia Philosophi est æternum et incorruptibile. Ergo est expers
compositionis talis. Major: Quià materia est principium et radix corruptionis (est enim in
potentia contradictionis ad Formam et privationem Formæ ex 9 Metaphys. t. 17) Ergo quod ex
illa est compositum, est corruptibile, et per consequens id quod est æternum et incorruptibile etc.
Confirmatur: Ubi est materia, ibi et Generatio et Transmutatio Substantialis (quia Philosophus
9 Meta. t. 14. materiam solum admittit ibi, ubi est Generatio et Transmutatio substantialis)
Atqui in Cœlo non est Generatio, nec Transmutatio Substantialis (Quia cœlum est æternum &
incorruptibile) Ergo. DICES: Materiam in Cœlis non habere potentiam ad alias Formas, eo
quià materiæ appetitum Forma cœli satiat totum. CONTRA Nulla Forma potest satiare
appetitum materiæ primæ respectu alterius Formæ nisi det Actum oppositum privationi illius For-
mæ, modò Cœli Forma non potest tribuere materiæ Actum oppositum privationi cujuscunque For-
mæ. Ergo. Item Anima præcipuè rationalis est nobilior quàm Forma cœli, et tamen non potest
satiare appetitum materiæ totaliter. Ergo multo minus Forma cœli; quia quæ perfectio denegatur Enti
perfectiori et nobiliori, illa etiam debet denegari Enti minus perfecto. Vide controversiam 3tiam
Theor. 16. PARS 2DA (Quod probabilius sit, etiam secundum Lumen naturæ cœlum non
esse compositum ex materia) Probatur: Quià insistendo Lumini naturali veresimilius est dicere quod cor-
pora cœlestia sint incorruptibilia. Ergo. Consequ. Nam cum incorruptibilitate non potest stare com-
positio ex materiâ et Formâ. Præterea, quià non potest cognosci insistendo Lumini naturali materiam
esse

esse in cœlis. Ergo. Ans: Nam via inveniendi materiam est Generatio Substantialis tantum (nam si quid aliud esset, certè illud deberet esse Accidentalis mutatio sensibilis, quod tamen est falsum nam haec solum arguit materiam secundum Locum mobilem) Sed in cœlo nulla apparet Substantialis Generatio secundum naturae Lumen. Ergo. PARS TERTIA (Quod secundum Theologos potius cœlum ex materia et forma sit compositum) Probatur: Authorit. à Theologis ex π Genes. Nam illud chaos, quod à Theologis ponitur usquè ad Empireum Cœlum attigisse, erat materia omnium creabilium, et specialiter ibi dicitur de Cœlo quod ex materia aquae fuerit productum (Fiat firmamentum, in medio aquarum et dividat aquas ab aquis) non enim per Lÿ (Fiat) intelligi debere veram creationem docent ita, ut aqua totaliter fuerit destructa, tam secundum Formam, quam secundum materiam. Dicitur intelligitur vera generatio ex materia aquae praesupposita. Vera enim creatio significatur cum dicitur (In Principio creavit DEUS cœlum et terram) ubi per cœlum communiter intelligunt Doctores Cœlum Empireum, et Sapientiae 11. dicitur DEUS creâsse orbem terrarum ex invisa materia. OBIICIES: Implicat contradictionem, ut unum et idem sit materiale et immateriale. Sed si cœlum in via Philosophi non constaret ex materia, sequeretur quod esset materiale et immateriale. Ergo juxta ipsius principia constat ex materia. MINOR: Esset materiale, quia esset corporeum, et quantum; esset immateriale, quia caret materiâ. RESPONDEO: Dupliciter aliquid dicitur materiale. 1mo Quia constat ex materia partis. 2do Quia est corpus habens partes Entitativas. Cœlum ergo in via Philosophi est materiale secundo modo, non verò primo, et potest dici immateriale, ut opponitur materiali primo modo, non tamen est spirituale, quia illud solum immateriale cum Spirituali convertitur, quod nullo modo est materiale, scilicet nec primo, nec secundo; nam corpus à Spiritu differt per habere partes Entitativas et integrales. Sed INSTABIS: Non potest dari compositum ex materia et forma cui non conveniat Quantitas. Ergo è contra dari etiam non potest Substantia, cui conveniat Quantitas, et non sit ex materia et Forma composita: Sed juxta principia Philosophi Coelum est Substantia cui convenit Quantitas. Ergo etiam juxta ejusdem Principia coelum constabit ex materia. RESPONDEO Negando Consequentiam: Quia Quantitas non sequitur materiam tanquam propria passio ipsius, sed potius sequitur corpus ipsum in communi.

Dupliciter aliquid dicitur materiale.

† Adam non est creatus, sed factus, quia ex praeexistenti materia est, nempe ex Terra, Creatio autem est ex nihilo.

THEOREMA SECUNDUM.

Materia Coeli est ejusdem rationis cum Sublunari.

NOTES In Schola Doctoris Angelici oppositam partem istius Theorematis sustineri, vide controversiam 3tiam Theorem. 16. ubi hanc difficultatem tetigimus, hoc Loco sufficiat ista Ratio: Entia absque necessitate non debeant multiplicari. Sed si materia coeli esset diversae rationis à materia sublunari, multiplicarentur Entia absquè necessitate. Ergo materia coeli non est diversa à sublunari. Ergo est ejusdem rationis. MINOR: Quia nulla est necessitas, quae Nos cogat ita sentire, nam ratio ob quam talem materiam pars opposita statuit esse diversae rationis, est ista, ut scilicet salvetur cœlorum incorruptibilitas: unde non unam materiam, sed tot specie diversas multiplicant, quot sunt corpora coelestia distincta specie, atqui per hoc omnimoda, et intrinseca incorruptibilitas, non potest salvari. Ergo nulla est necessitas etc. MINOR: Quia sic adhuc daretur potentia contradictionis, posset enim DEUS ipsam mate-

immediatè istam materiam separare à Forma cœli. Ergo erit indifferens ad esse et non esse Formæ. Neq. est necessaria intrinseca incompossibilitas (~~a fortè incorruptibilitas~~) sed sufficit extrinseca. Ergo Nulla cogit necessitas ut inter has materias ponatur diversitas specifica. Porrò dum ita loquimur, non possibilitatem hujus materiæ specie diversæ, sed factum negamus, quia scilicet de facto non sunt diversæ materiæ, licet posset DEUS aliam distinctam specie ab has creare. __Sed contra INSTABIS__ Si ejusdem rationis est materia Cœli cum materia Sublunarium, sequeretur Cœlum esse tam intrinsecè quam extrinsecè corruptibile, quod est contra Authoritatem Sacræ Scripturæ in qua dicuntur Cœli esse firmissimi et solidi, et Ps. 18. dicitur (Statuit ea in æternum) __Sequela quoad 1mam partem patet__: quia materia prima Sublunarium est radix corruptibilitatis. Ergo intrinsecè esset corruptibile. __Quoad 2dam partem probatur.__ Quia si sunt ejusdem rationis. Ergo ignis v. g. poterit agere in cœlum introducendo in illud proprias dispositiones, et consequenter priv~~ta~~tam Formam substantialem. __Hæc Sequela probatur__: quia (quæ communicant in materia sunt adinvicem transmutabilia ex 2 de Generatione t. 35.) Sed autem Cœlum & ignis juxta hanc sententiam communicarent in materia. Nec virtus resistens Formæ cœlestis est infinita, quin possit ab aliquo Agente naturali superari, vel si nullum detur Agens naturale tantæ activitatis, saltem à DEO, tanquam Authore naturæ supplente vices causarum secundarum posset corrumpi, ut accidit in Generatione viventium, præcipuè hominis, quia enim nullum est Agens creatum quod possit producere Animam rationalem, ideò postquam materia est disposita ad receptionem Animæ, statim infundit DEUS illam, sic etiam in proposito eveniret, postquam scilicet ignis introduceret dispositiones propriæ Formæ in corpus cœleste, si non posset propriam producere Formam in materia Cœlorum propter resistentiam Formæ cœlestis, jam tunc spectabit ad Dei potentiam ut suppleat hanc ignis impotentiam, ut est Author naturæ, atque sic Cœli erunt naturaliter corruptibiles etiam ab extrinseco, non enim potest assignari ratio cur cœli non possint has qualitates recipere. __RESPONDEO Sequelam Concedo quoad primam partem__, et Neg. id esse contra Authoritates S. T. ~~Nam~~ istæ innuunt in cœlis incorruptibilitatem, non intrinsecam, sed tantum extrinsecam, quatenus scilicet nullum est Agens naturale quod illos valeat corrumpere. __Quoad 2dam verò partem Nego Sequelam.__ Ad Probationem dico negando ignem Agere posse in Cœlum, nec Aristoteles ait, quæ in eadem materia communicant esse adinvicem transmutabilia, sed facit propositionem negativam quæ non habent eandem materiam esse impassibilia, ex quo non licet inferre propositionem oppositam affirmativam, imò in his sublunaribus hoc ipsum experimur, nam Adamas et ipsum Aurum, nec ab igne possunt corrumpi, imò multa Animalia in igne nutriri scribunt Authores. Si ergo in istis mixtis ex Elementis constantibus dantur ~~aliqua~~ quæ Formæ ita tenaciter materiæ unitæ ut ab igne non possint destrui, multò magis de Forma cœlesti id erit dicendum, ut omninò impediat ~~ullam~~ omnem etiam peregrinam Qualitatem, quamvis materia sit de se capax, et præcipuè in via Subtilis Doctoris, qui sustinet Subjectum accidenti

accidentium potius totum esse compositum quàm materiam primam. Et licet haec resistentia sit finita, tamen non sequitur indè, quod possit superari ab Agente naturali, nam idem esset dicendum de Auro et de Adamantine, et si materia Coeli esset alterius rationis, tunc cuilibet Agenti naturali resisteret prohibens Formam à se expelli resistentiâ finitâ, et tamen nullum Agens creatum posset hanc ejus resistentiam superare, quia ad impediendum effectum aliquem non requiritur resistentia infinita, sed incapacitas quadam naturalis. Cùm igitur Agens creatum nequeat coelum disponere ad propriam Formam recipiendam, non sequitur Deum, ut Authorem naturae debere illam Formam introducere.

THEOREMA TERTIUM.

Forma Coeli non est de genere Animatorum, tam secundum veritatem, quàm secundum Aristotelem, sed est de genere inanimatorum.

Notes fuisse quosdam ex Antiquis, quorum alii Formam Coeli dicebant esse Animam intellectivam, alii Animam sensitivam, alii Animam vegetativam, contra quos ponitur istud Theorema.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS PRIMA Probatur Et quod in sententia Philosophi Forma Coeli non sit Anima est manifestum quia juxta Aristotelem coelum est corpus simplex, non compositum ex materia et Forma, et ideò non potest aliquam habere Animam quae informet coelestem materiam. Quod etiam secundum veritatem Forma coeli non sit Anima. Probatur. Nam si sic? Quaero. vel erit intelligentia, vel Anima rationalis, vel sensitiva, vel vegetativa? Sed nihil horum. Ergo. Non primum, id est non Intelligentia. Probatur: Illud non potest esse Forma materiae, quod est simpliciter, et quod per se subsistit, id est quod habet ultimam Actualitatem, et non est per se ordinabile ad aliud esse per se (nam qualibet Forma substantialis ordinatur ad esse totius compositi) Sed intelligentia est hujusmodi. Ergo intelligentia non est Forma materiae coelestis, et per consequens Forma Coeli etc. Minor: Intelligentia est Ens perfectum in specie perfecta; imò in specie perfectiori quàm sit aliqua species substantiae materialis. Ergo intelligentia est simpliciter, et per se subsistit, nec est ordinabilis per se ad aliud esse. Deindè datur aliqua materialis substantia, quae est ita in Actu ultimo, ut non sit ordinabilis ad aliud esse per se (alias daretur processus in infinitum, in substantiis materialibus, ut qualibet posset esse pars alterius, quod est falsum) Ergo multo magis intelligentia seu Angelus erit ita per se subsistens ut repugnet illi esse Formam alterius. Confirmatur: Quia alias talis intelligentia deberet considerari à Physico, quod est contra Philosophum, qui 6 Metaph. c. 1 docet intelligentias ad metaphysicam ~~pertinere~~ utpote entia à materia separata. Sequela: Quia Physici munus est omnes formas materiae immersas speculari ex 2 Phys. t. 22. non igitur intelligentia erit Forma informans coelum sed tantum assistens, sicut nauta navi. Non 2dum id est non Anima Rationalis 1mo ideò, quia vel illa esset ejusdem rationis cum Anima nostra vel diversa

Physici munus.

nostra vel diversæ? sed non potest esse ejusdem, quia Anima nostra est corporis mixti et caduci informativa, Coelum autem est corpus simplex et æternum. Deinde sequeretur, quod tantæ molis posset esse homo, quanta est ipsum coelum, quod tamen est manifestè falsum, quia viventia habent terminum magnitudinis determinatum. Sequela: Quia non esset ratio, cur hominis deberet esse minor quam Cæli quantitas ex quo ejusdem rationis est Forma utriusque. Non potest quoque esse diversæ rationis, tum quia hoc nulla convincit efficax ratio, tum etiam, quia vel exercet operationem et intellectionem independenter à corpore, et sic non erit Forma corporis: nam corpus est propter Animam, non è contra, atque dicisi exercet absque corpore suas operationes, non est causa, cur uniatur corpori. Vel independenter à corpore. Ergo præsupponit in illo sensus, qui absque primis Qualitatibus non possunt reperiri, quarum Qualitatum coelum est expers omninò. 2do ideò, quia sive esset ejusdem rationis cum Anima nostra, sive diversæ, certè cum sit intellectualis, deberet esse libera (omne enim intellectuale est liberum) et consequenter posset mereri, vel demereri. Item præmio affici vel pœnâ, quod est erroneum, quia 2da Synodo Constantinopolitana hic error damnatur: et in capitulo (Firmiter) non agnoscitur alia intellectualis natura creata, præter Angelicam et Humanam. Non Tertium, id est, non est Anima Sensitiva, quia aliàs deberet habere sensus tam internos quam externos, quod est falsum, nam sensus externi requirunt sensibiles qualitates et Elementares in organis, quæ inducunt corruptionem. Nec potest dari sensitivum sine sensu Tactus ex 2 de Anima t. 68. Sed in coelos non sunt tangibiles qualitates. Ergo nec sensus externi, et per consequens nec sensus interni, quia interni absque externis non possunt operari, nam illis mediantibus recipiunt species objectorum. Nec potest dici illa Forma esse Anima sentiens, ut Loco motiva quia virtus Animalis movitiva subordinatur virtuti cognitivæ, et appetitivæ ejusdem, moventur enim ex aliquo bono apprehenso et appetito: Sed in Cælo nulla est sensitiva cognitio. Ergo nec virtus Loco motiva. Non 4tum, id est non Anima vegetativa. Primo ideò, quia aliàs in Coelo esset generatio et nutritio (Nam Anima vegetativa vendicat sibi istas operationes scilicet Generationem et Nutritionem) Sed in Coelis nulla istarum reperitur (quia aliàs coelum esset corruptibile, neque enim potest Generatio aut nutritio esse, absque corruptione, quia unius Generatio est alterius corruptio) Ergo. 2do ideò, quia non posset assignari sufficiens alimentum, vapores enim aquei non transcendunt secundam aeris regionem; sed in pluviam, rorem, et pruinam conversi ad terram revertuntur, et licet transcenderent tamen non forent ad unius astri pabulum sufficienter. Ergo concludendum est hanc Formam, non esse de genere Animatorum, quia nulla vitalis operatio datur in coelis, nec organa in ipsis habent, cum sint corpora simplicia. Fingere autem aliud genus Animæ: Item novas operationes et nova instrumenta atque organa exigentis ab his

Axioma.

In coelis tres sunt operationes.

dis, quæ nobis sunt nota, certè non licet. Praeterea in coelis tres sunt operationes juxta communem sententiam, Scilic: motus, illuminatio et influentia, ad quas non requiritur necessariò Principium vitale. PARS 2DA Theorematis Quod Scil: Forma Coeli sit de Genere Inanimatorum, est manifesta quià si non est de genere Animatorum (ut modo fuit probatum) Ergo debet esse de Genere Inanimatorum.

† quam Sublunaria

INSTABIS: Nobilioris corporis, debet esse nobilior Forma: Sed coelum est nobilius corpus† Ergo ipsius Forma est nobilior. Subsumo: Sed Anima est nobilior omnibus aliis Formis. Ergo Anima est Forma corporis coelestis. MINOR: quià Coelum influit in hæc inferiora et est causa universalis concurrens ad omnia, etiam ad generationem hominis, nam Sol et Homo generant hominem. Item regit et gubernat inferiorem hunc mundum ex 1 meteor. c. 2. Item 2do: Qui dat Actum secundum Scilic. operari, ille dat etiam Actum primum Scilic. Esse: Sed intelligentia dat coelo operari, ergo etiam debet dare esse. Subsumo: Sed non dat in genere causæ Efficientis (ut patet) Ergo dat in Genere causæ Formalis, et per consequens Intelligentia est Forma Coeli. RESPONDEO Neg. minorem. Quià coelum est ignobilius quovis animato, nobilius autem quolibet inanimato, et ideò sufficit quod habeat Formam quàvis aliâ Entis inanimati perfectiorem. Porrò dicitur concurrere ad Generationem viventium, quatenus concurrit ad eductionem Formæ corporeitatis quæ est disposita ad Animam, neque est causa totalis, sed tantum partialis, nam non solum, sed cum Sublunaribus causis concurrit, neque regit inferiorem mundum tanquam Agens principale, & Suppositum dirigens; sed ut instrumentum intelligentiæ, quod aggregatum ex cœlo, et intelligentia, vocatur ab Aristotele mundus Superior. Ad Secundum Disting. majorem. Licet enim sit vera quandò Actus secundus ab intrinseco convenit rei, tamen falsa est quandò ab extrinseco advenit. Porrò motus coeli est ab extrinseco, et dicitur connaturalis, solum in ordine ad Principium passivum, quod est Coelo intrinsecum.

THEOREMA QUARTUM.

† numero

Secundum veritatem Coeli† inter se differunt, ab Astris verò Specie: Astra autem inter se, quædam specificè distinguuntur, quædam etiam possunt esse ejusdem speciei.

PARS 1MA (Quod Coeli numericè differant) Probatur: Non differunt specie. Ergo numericè. Ans: Quià non sunt Entia multiplicanda sine necessitate: Sed nulla est necessitas ponendi specificam distinctionem inter Coelos. Ergo. Non tamen hoc negamus potuisse DEUM plures coelos specie distinctos producere si ita placuisset illi: Sed nullum signum habemus istius Divinæ voluntatis. PARS 2DA (Quod coeli differant specie ab Astris) Probatur: Illa differunt specie, quæ diversas habent proprietates (nam diversitas proprietatum infert diversitatem specificam naturarum: Sed Coeli et Astra habent diversas proprietates. Ergo Specie differunt abinvicem. MINOR: Quia in Astris sunt quædam pro-

quædam proprietates, quæ non sunt in Coelis, nam Astris convenit influere in hæc inferiora et causare peculiares effectus, quod ipsis coelis convenit non, nam coeli semper sunt sub terram et ipsi incumbunt. Ergo semper influerent et eosdem effectus causarent, si talem virtutem haberent, et si illis conveniret ejusmodi influxus, et tamen videmus effectus certos, non nisi ex ortu, ex conjunctione et ex dominio Astrorum provenire. Præterea Astra differunt ab invicem specie. Ergo etiam differunt à Coelis. Consequentia: Quià non potest unum et idem cum pluribus essentialiter distinctis identificari. PARS 3tia Quod Astra inter se differant specie. Probatur 1mo de Astris errantibus seu Planetis: Illa differunt inter se specie, quæ habent diversa Accidentia specie, Proprietates et effectus (Nam diversitas accidentium specifica, Proprietatum et Effectuum, arguit diversas specie naturas) Sed Planetæ seu Astra errantia habent diversa Accidentia, diversas proprietates et diversos effectus. Ergo Differunt specie. Minor probatur inductivè.

Saturni proprietas.

Saturnus enim est Frigidus et siccus, et hoc idem Temperamentum causat in rebus productis: unde Homines Saturnini sunt Melancholici, cogitabundi, timidi, breviloqui, graves, Solitarii, Avari et Timidi laboriosi, nec jucundis delectantur.

Jovis proprietates.

Jovis Jupiter est calidus et humidus temperatè, unde optimum temperamentum causat in re producta: Hinc Joviales dicuntur ad Honesta et Justa propensi, Fraudes et Insidias detestantur, sunt Optimi Ingenii, magnarum rerum Studiosi, Liberales, Fortunati etc.

Martis qualitates.

Mars dicitur esse Calidus et siccus, et hoc idem in rebus productis relinquit. Hinc homines Martiales sunt Cholerici, Audaces, Contentiosi, rerum novarum studiosi, inconstantes etc. SOL est aliorum omnium Planetarum nobilissimus et quasi Primus Princeps, plurimarum virtutum plenissimus, adeò, ut quæ coeteri Planetæ per partes, ille quasi totum continet, suo accessu est causa Generationis rerum Sublunarium, recessu autem est causa corruptionis, et quandò dominium habet in homines, causat in eis temperamentum Calidum & Siccum, undè Homines Solares dicuntur esse Elati, Ambitiosi, Splendidi, Magnifici, Generosi etc.

Solis qualitates.

Cytherea causat Temperamentum Calidum et Humidum, undè suis subjectis rebus ingenerat simile Temperamentum, et propterea tales dicuntur esse quieti, Hilares, virtutibus dediti, comitatis et pulchritudinis studiosi, et facilè idaliis, violis delectant.

Veneris qualitates.

Mercurius facit homines intellectu Astutos, Memoriâ felices, Facundos, Artifices, et Alienorum raptores.

Mercurii qualitates.

Lunæ effectus.

LUNA Est Frigida et Humida, ad bonos mores disponit. Undè Lunares sunt Quieti, morigeri, mutabiles, Phlegmatici, timidi, debiles. Præterea Saturnus dicit habere dominium dum infans est in utero matris mense primo, Jupiter 2do, Mars tertio, Sol Quarto, Venus Quinto, Mercurius 6to, et Luna Septimo. Postmodum mense Octavo alio iterum Saturnus suscipit dominium, qua ratione puer natus Octavo mense dicit interire, non autem qui natus est mense 7timo, quiâ Saturnus est planet.

NB Quæ generantur sive educuntur 8tavo mense, ut docent Medici ex Hippocrate, nunquam vivunt. Vid. hic rationem sufficientem hujus rei.

est Planeta malignus, Luna autem benevolus. Ad haec iidem Planetae dicunt quoque habere diversa dominia supra metalla scilic: Saturnus supra stannum, Jupiter supra Plumbum, Mars supra ferrum, Sol supra aurum, Mercurius supra servum fugitivum, alias Argentum vivum, Luna supra Argentum solidum. Alios itidem varios et contrarios effectus dicunt causare, quo ad infirmitates, tempestates, temporum mutationes, quae Astrologi copiosius enarrare solent; ex quibus omnibus patet, impossibile esse ut haec omnia adeo diversa ab Agentibus ejusdem speciei et naturae proveniant. Ideo De Astris fixis hoc idem est dicendum, quod nimirum differant specie, quia illorum Differentia ex effectibus potest cognosci. Videmus enim planetas ex varia conjunctione cum stellis fixis varios et contrarios causare effectus.

Servus fugitivus id est argentum vivum.

PARS QUARTA Quod quaedam Astra possunt esse ejusdem speciei, est quoque satis probabile; quia quae producunt similes effectus, illa esse ejusdem speciei, est maximè probabile: Sed dantur astra fixa quae producunt similes effectus (videmus enim quasdam stellas pluviam, quasdam ventos, quasdam etiam siccitates generare) Ergo probabile est ejusmodi astra esse speciei ejusdem. OBIICIES Probabiliter coeli specie differant etiam secundum veritatem. Nam unum caelum est alio majus, diversum occupat Locum, diverso movetur motu, diversa etiam continet Astra. Ergo diversam quoque habebit naturam ab aliis, et per consequens diversae erit speciei. RESPONDEO Haec non convincere; nam duo circuli lignei possunt istis omnibus modis differre, quod unus sit major altero, quod existat in alio loco, et quod contineat aliud. Item unus potest esse aureus, alius verò ferreus, ex quibus omnibus, non nisi accidentalis differentia potest in talibus haberi: nihilominus tamen, si haec omnia ex natura sua exposcerent coeli, ita, ut determinatas haberent ad illa inclinationes, tunc certum est quod essent specie distincti, sed haec determinatio non potest facilè à nobis cognosci etc.

THEOREMA QUINTUM.

Supposita Substantiali compositione Coeli ex materia et Forma, Coelum extrinsecè non est corruptibile; At intrinsecè est corruptibile.

PARS 1ma Quod coelum sit extrinsecè incorruptibile ab Agente Naturali. Probatur 1mo: Quia extrinsecè naturaliter sunt incorruptibilia contrarias Qualitates ad corruptionem et Generationem disponentes debent habere: Sed Coeli non habent tales qualitates. Ergo non sunt corruptibiles extrinsecè. Minor patet experientiâ: Quia aliàs si haberent tales Qualitates, repererentur multo plures reperiri mutationes substantiales quotidiè in coelis, quam sit mutationes horum sublunarium, quod est falsum. Sequela: Si enim Sol ardentissimo suo calore, et suâ potenti virtute in his Sublunaribus ab ipso longè distantibus tot mutationes causat, ut tota haec sublunarium congeries in continua variatione reperiatur, quanto magis in illis corporibus, ubi maximè propter propinquitatem

propinquitatem dominatur varias et continuas perturbationes, corruptiones atq generationes debebit causare. Confirmatur eadem minor: motus coeli ita est velox, ut vix percipi possit, cum ergo motus causet calorem, et quanto erit velocior, tanto majorem deberet causare calorem, inde sic, si coeli haberent contrarias qualitates, propter intensissimum ac pene immensum calorem quem ab extrinseco recepissent, non solum ipsi, sed etiam ista Sublunaria adurerentur, imo consumpta fuissent. Probatur 2do: Coelum debet esse causa istorum Sublunarium conservativa, ut in tanta varietate rerum, servetur ordo invariabilis, et totius universi maneat pulchritudo. Item est mensura et regula horum inferiorum, (ut patet Gen. 1 cap. ut sint in signa, tempora, dies et annos) Ergo coelum naturaliter erit incorruptibile. Hæc consequentia patet: Quia natura rei debet esse proportionata fini. Sed si coelum esset naturaliter corruptibile, non posset invariabilem universi conservare ordinem, nam invariabile non potest provenire ab eo, quod est variabile. Item non esset perpetua et uniformis mensura. Probatur 3tio Possibile est produci à Deo coelum naturaliter incorruptibile, imo hoc de facto est jam productum, nam præter rationes adductas etiam ex Sacra scriptura potest confirmari, nam Ps 88 dicit: Thronus ejus sicut Sol in conspectu meo, et sicut Luna perfecta in æternum, ubi æternitas beatitudinis comparatur æternitati Solis, et S. Patres hoc idem ferunt. PARS 2DA Quod Coelum sit intrinsecè corruptibile. Probatur: Quia coelum est intrinsecè generabile. Ergo est etiam intrinsecè corruptibile. Conseq. Quia juxta Philosophum omne generabile, est quoq corruptibile. Antec: Illud propriè dicitur generabile intrinsecè, quod est producibile ex præexistente materia saltem naturâ, et præcipuè si ejus Forma de potentia materiæ educitur: Sed hæc omnia in productione coelorum fuerunt (nam materia præcessit naturâ, imo tempore, forma quoq fuit de potentia materiæ educta) Ergo coeli fuerunt geniti, et consequenter sunt intrinsecè generabiles. DICES: Ad veram generationem et eductionem requiri, ut fiat; non de quocunq subjecto, sed privato, et quia subjectum existens sub privatione unius Formæ generabilis, necessario est sub alia Forma, hinc illud subjectum propriè dicitur capax privationis, quod est plurium Formarum capax, modo materia coelestis, cum sit alterius rationis ab hac Sublunari juxta ipsam sententiam, est solum receptiva Formæ coeli, ideo non potest dici unquam tali Formâ privatâ, et per consequens nec Forma coeli poterit dici educi de potentia materiæ. CONTRA hanc responsionem dico quod falsum assumat, privatio enim est carentia Formæ in subjecto apto recipere illam, et de formali dicit negationem, de connotato autem dicit capacitatem subjecti respectu illius Formæ, non vero alterius, hoc enim est per accidens. Ergo materia coeli licet ad unam Formam sit determinata, tamen quia posset supernaturaliter ab illa separari (si enim materia Sublunarium potest à sua Forma separari, etiam et illa Coelestis poterit) jam tunc careret Formâ coelesti, et haberet potentiam illius receptivam. Ergo esset privata

privata, etiam tunc, licet aliam Formam non possit recipere. Nec valet si dicas non posse hoc fieri ab Agente naturali, non valet inquam, quia per hoc solummodo ostenditur, quod Coelum non sit ab isto Agente naturali generabile seu extrinsecè non verò simpliciter seu intrinsecè. Objicies probando Coelum extrinsecè esse corruptibile, quia coelum habet contraria. Ergo. Ans: Habet contrarias dispositiones. Ergo. Ans: Illud habet contrarias dispositiones, quod habet in se, et Formam incompossibilem cum aliis Formis et materiam capacem plurium Formarum: Sed coelum habet in se et Formam incompossibilem ⁋ cum aliis Formis et materiam capacem plurium Formarum (nam ipsa nos, est ejusdem rationis cum materia sublunarium, illa coelestis materia, jam verò sublunaris capax plurium Formarum) Ergo coelum habet contrarias dispositiones. Major: Quia omnium Formarum in eodem Subjecto incompossibilium dispositiones sunt contrariæ. Nam ex incompossibilitate Formarum consurgunt dispositiones contrariæ, propterea enim dispositiones ⁑ contrariæ dicuntur, quia Formæ Substantiales, quarum sunt dispositiones sunt in eadem materia incompossibiles, si enim essent compossibiles, certè qualitates earum non essent contrariæ, ut sunt dispositiones. Respondeo Neg. Ans: primum, Secundum verò Disting. Nam per (Habere contrarias dispositiones) vel intelligitur habere dispositiones incompossibiles, et in hoc sensu concedimus si Formam Coeli habere contrarias dispositiones ⊕, de quarum ratione est, mutuo se ab eodem Subjecto expellere, et in hoc sensu negamus habere contrarias dispositiones, quia Forma coeli, cum sit omninò alterius naturæ à Sublunaribus, non est peregrinarum qualitatum receptiva, et reddit materiam propriè incapacem harum dispositionum, quamvis remotè sit capax, quod nihil refert, cum proximum Subjectum accidentium non sit apud nos materia prima, sed totum compositum etc.

⁑ Formarum ut sint dispositiones dicuntur contrariæ quia etc.

⊕ vel intelligitur habere dispositiones verè contrarias de etc.

proximum subjectum accidentium apud nos non est materia prima sed totum compositum.

THEOREMA SEXTUM.

Coeli nec sunt formaliter calidi, nec frigidi, nec humidi, nec Sicci: Item nec sapidi, nec odoriferi: Item nec graves, nec leves. Item nec molles nec duri, Item nec fortè colorati.

Qualitates vel sunt primæ vel secundæ.

Notes Ex Libris de Generatione quasdam Qualitates dici PRIMAS, scilic: Calorem, Frigus, Humiditatem et Siccitatem, quasdam SECUNDAS à mixtione primarum provenientes, ut sunt Sapor, Odor, Color. et has omnes à Coelis per hoc Theorema removemus.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS 1ma Quod scilicet non sint calidi, frigidi, sicci, humidi. Probatur: Quia quæ sunt alterius naturæ ab Elementis, et quæ sunt perfectiora omnibus Elementis et Elementatis, ab illis removentur primæ Qualitates. Sed coeli sunt hujusmodi. Ergo ab illis removentur primæ qualitates. Si sic ergo nec sunt calidi, nec frigidi, nec sicci, nec humidi, has enim primas qualitates solummodo Elementa et Elementata sibi vendicant tanquam illa Accidentia, quæ propter contrarietatem maximè ad generationem et corruptionem sunt dispositiva, quibus quidem coeli cum sint incorruptibiles naturaliter omninò carent. Nec valet si dicas has qualitates in Sublunaribus istis rebus produci ab aliis

⁋ Formam incompossibilem (quia non solum sublunares Formæ inter se comparatæ, sed etiam Formæ coelestes cum Sublunaribus sunt incompossibiles) et habet etiam materiam cap. etc.

et

et ideò Astris formaliter convenire, non valet inquam, nam licet ab ipsis producantur, non tamen producuntur per Actione univocâ, sed Aequivocâ, ex quâ quidem Actione aequivoca solummodo possumus inferre istas qualitates in astris virtualiter, non autem formaliter contineri, eo modo, sicut vinum continet calorem non formaliter, quia potest esse frigidum, sed virtualiter, quia scilic. sumptum, producit in vivente calorem. PARS 2da (Quod scilic: non sint sapidi vel odoriferi) Probatur: A quibus removentur Qualitates primae, ab illis debent etiam removeri qualitates secundae quae à primis proveniunt. Sed à coelis, ut modo fuit probatum, removentur qualitates primae. Ergo. PARS 3tia (Quod non sint leves aut graves) probatur: quia levitas et gravitas sunt principia motus sursum et deorsum: Atqui coelis non competunt ista scilic: sursum et deorsum (quia uni corpori simplici, unus motus simplex convenit) Ergo Nec levitas vel gravitas potest ipsis competere, et per consequens, nec erunt leves, nec graves. Praeterea qualitates istas dedit natura rebus substantialibus ut ad propria Loca possint tendere: sed coelum non potest à propriâ sede extrahi. Ergo Etiam nec ad proprium Locum tendere, et ideò non eget talibus principiis ad tendendum necessariis, atque sic deberent esse levitas et Gravitas in corpore Coelesti frustra, quod est falsum. PARS 4ta (Quod non sint molles vel duri) Probatur: quia omnis tangibilis qualitas de illis negatur. Nam haec vel est prima, vel à primis dependens. Sed istae omnes negantur de Coelis. Ergo. Unde si quis sursum ascendendo veniret ad ipsum Coelum et corpus coeleste, verè impediretur à Coelo, nec ultra ascenderet, reperiret enim se non posse ulterius progredi propter resistentiam alicuius corporis, non tamen adesset verus tactus, nec coelum Actione intentionali immutaret sensum per qualitatem sensibilem à sensu tactus, nec cognosceret coelum esse calidum vel frigidum, durum vel molle etc. PARS 4ta (Quod coeli non sint fortè colorati) potest probari: Quia color verus provenit à primis qualitatibus: Sed istae removentur à Coelo. Ergo et color, et quamvis Astra videantur aliqualiter esse colorata v. g. Saturnus plumbeus, Jupiter flavus, Mars rubeus, SOL aureus, Luna Argentea, unde Astronomi ex coloribus deducunt alias stellas esse Saturnias, alias martiales, Joviales etc. Imò totum coelum caeruleum seu Saphirinum cernitur, isti tamen non sunt veri colores, sed potius apparentes. Porrò haec est Differentia inter verum et Apparentem Colorem, quod Verus color est extremitas perspicui in terminato corpore, seu opaco et ex mistione primarum Qualitatum consurgit: Apparens verò est qualitas per se immutativa visus, unde Lux et Lumen ex 2 de Anima t. 69. vocantur colores, qui quidem apparentes colores variis modis fiunt, vel miscendo colorem colori, ut conficiunt pictores colores medios per mixtionem albi et nigri: Vel miscendo res parvulas variè coloratas ex quibus distinctus insurgit color: Vel ex concursu radiorum Solis cum opaco, et sic ad diversitatem diversi opaci apparent quoque colores. In proposito quia color coeruleus est propter mixtionem Lucis cum opaco, non erit verus color sed apparens, qualis cernitur in Aqua, iride et collo columbae. Haec eadem diversitas colorum in stellis quoque habet ex varia Diaphaneitatis et opacitatis ipsarum dispositione. Addimus autem particulam dubitati

Colores planetarum.

Coloris definitio.

Color est duplex verus et Apparens.

Colores quot fiant modis nempe apparentes

particulam dubitativam (FORTÈ) quià si quis vellet sustinere colorem verum non distingui per hoc ab apparenti, quod ille à primis qualitatibus proveniat, non autem iste, sed ex hoc quod verus color ✠ habet causam intrinsecam, sed potius pendet ab extrinseco, et non eodem modo videtur ab omnibus in diversis Locis existentibus, ut est in collo columbæ, cuius colores ad variationem nostri aspectus variantur, quod erit evidens signum colores illos apparentes potius quàm veros esse, tunc hoc modo sustinens colores, posset dicere in Cœlis veros adesse colores, eo quià causa intrinseca datur in ipsis, quæ erit varia illa mixtio Diaphaneitatis et Opacitatis in stellis, undè ex omni parte mundi hoc modo coloratæ ab omnibus cernuntur, quamvis non adsint primæ Qualitates.

✠ Habet causam intrinsecam cur sit permanenter in Subiecto ab aspectu ad aspectum nostrum extrinsecum: undè ab omnibus eodem modo videtur. Apparens vero color est qui non habet causam intrinsecam, sed potius pendet ab extrinseco etc. vide signum.

THEOREMA SEPTIMUM.

Cœli sunt formaliter Quanti et Sphæricè perfectè figurati, item densi non rarari, Diaphani, non opaci: Astra quoque sunt Sphæricè figurata densa, sed nec perfectè Diaphana, nec opaca præter Lunam, quam totaliter esse opacam est probabilius.

Apparentis coloris Definitio.

Notes: Densum et Rarum esse sibi opposita, similiter opacum et diaphanum seu perspicuum. Porrò illud dicitur Densum, quod habet multum materiæ in parva Quantitate. Rarum autem illud vocatur, quod parum habet materiæ, in magna Quantitate. Similiter opacum illud dicitur, quod ex se non transmittit Lumen, nec radios visivos (visuales), cuiusmodi est paries vel saxum. At verò Diaphanum seu perspicuum, seu Pervium est, quod ex natura sua est transparens, Lumen et Radios visuales transmittens. Id quod est Opacum, est quoque densum, non tamen è contra, ut patet in crystallo, quod est densius quàm lignum, et tamen est perspicuum, ~~[illegible]~~, diaphanum, pervium et pellucidum. Iterum densum aliquando sumitur pro opaco. p.

Id quod est opacum est quoque densum sed non è contra.

PROBATIO THEOREMATIS.

Pars 1ma Quod sphærici sint figurati patet Cœli. Quià Cœlo tribuenda est perfectissima Figura, simplicissima et quæ est accommodatior ad continenda sublunaria corpora, Item ad motum circularem et ad influendum, quæ sunt munera cœlorum; Sed Figura sphærica est perfectissima, quià non potest ipsi fieri additio, estque prior omnibus aliis, est simplicissima, quià unica clauditur Linea, et est magis apta ad continendum, nam licet si consideretur quoad Loci occupationem et passivam continentiam sit omnium minima, tamen quo ad continentiam Activam est omnium capacissima, illa enim Figura est capacior, cuius ~~est~~ circumferentia, in pluribus partibus recedit à medio, sphærica verò secundum omnes partes æquè recedit. Item est aptior ad motum circularem, est quoquè aptior ad influendum, quià sphæricum fortius agit secundum omnes partes propter illarum propinquitatem mutuo se adjuvantium, pars enim Angularis cœteris partibus non ita fortiter influit cùm destituatur auxilio aliarum partium à quibus distat, undè facilius corrumpitur. Item (quod sint densi non rari) Probatur: Quià cœli sunt solidi et quasi ære fusi. Ergo Densi, non autem rari. Consequentia: Quià non videtur compossibilis raritas cum Soliditate. Item quod sint perfectè perspicui seu Diaphani est clarum. Quià illud est Diaphanum se ipso...

Quæ figura perfectior sit

seu perspicuum, quod est transparens Lumen, et radios visuales transmittentes, nec ullo modo impedit potentiam visivam, quominus suum percipiat objectum: Sed Coeli sunt hujusmodi. Ergo. PARS SECUNDA (Quod Astra sint Quanta et Sphærica Figura) Probatur: Nam Luna est phærica figura. Ergo similiter et alia Astra. Consequ. quià nec ratio, nec experientia suadet ut oppositum de aliis Astris teneamus. Ergo si Luna est sphærica Figura, etiam astra. Ans patet ex Augmento et decremento secundum portiones Arcuales, si enim esset plana Luna, statim ac à Sole paululum recederet, tota illuminaretur, et dum accidit ecclypsis Solis, circularis apparet propter sphæricitatem Lunæ. Item quod sint Densa patet, nam cœli ipsi sunt densi, ut fuit probatum. Ergo et Astra, nam penes densitatem nulla adest Differentia inter Astra et Cœlos, sed tantum penes diaphaneitatem, quià Coeli sunt perfectè perspicui, Astra verò non ita perfectè. Item quod non sint perfectè Diaphana aut Opaca probatur: Quià si essent perfectè perspicua, nullo modo visionem nostram terminarent, sicut nec Äer ipsam terminat quià est perfectè diaphanus. Similiter si essent perfectè opaca, tunc tantummodò in extimâ superficie essent Lucida, quod est falsum, quià etiam in profunditate sunt Lucida, nam etiam partes interiores nostro visui sese offerunt. Participant autem hanc diaphaneitatem et opacitatem secundum magis et minus, quià quædam magis, quædam minus Lucida propter hoc ipsum conspiciuntur. PARS TERTIA De Luna quod sit opaca. Probatur, quià alias si esset Diaphana et Perspicua, non posset suâ interpositione causare solis Ecclypsin, quod est falsum. Sequel: Nam diaphanum ~~et~~ et perspicuum medians inter visum et rem Lucidam seu Luminosam, non impedit radios rei Luminosæ aut lucidæ. An verò sit totaliter opaca, ut solum in superficie recipiat Lumen, vel aliqualiter Diaphana, ut etiam in profunditate aliquantum illuminetur et reflectat ad nos Lumen per radios absorptos, est incertum, cum non adsint urgentes rationes pro altera parte; tamen probabilius est primum asserere, quod scilic: sit totaliter opaca, præcipuè quià in Luna semiplena non ita perfectè separarentur partes Luminosæ à tenebrosis: ista ~~…~~ etiam aliqualiter illuminatæ apparerent, si Lumen attingeret profunditatem Lunæ, nisi velimus dicere non multum Lumen immergi in corpore Lunari, nec videri partes illuminatas propter fulgorem aliarum, ad præsentiam enim Luminis majoris, minus Lumen absconditur.

THEOREMA OCTAVUM.

Coeli ex se ipsis non sunt Lucidi, sed à Sole et coeteris Astris illuminantur, idem de Luna dici debet: At verò coetera Astra probabiliter non solum à Sole illuminantur, sed etiam propriam habet Lucem.

Lux à Lumine differt.

Notes Lucem differre à Lumine, licet aliquandò pro eodem sumantur: quià Lux est illa Forma, quæ recipit in corpore Lucido, quasi ex se et intrinsecè, et talis Forma est in Sole, et in Igne Lux: Lumen autem est illa Forma, seu radius ille, qui in aliquo medio Diaphano aut subjecto quopiam recipit, quod illam Formam non à se, sed ab alio recipit: et talis Forma in äere vel aqua recepta, causata à aliquo corpore Lucido vocat Lumen.

Lux est causa Lumen est quasi effectus.

Proba.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS PRIMA (Quod coeli non sint ex se Lucidi) Probatur: Quia esse Lucidum, est habere Lucem. Atqui Coeli non habent Lucem. Ergo Non sunt Lucidi. MINOR: Quia quod habet lucem, potest transmittere species, visibiles et illuminare. Sed coeli non transmittunt ad nos species visibiles, nec illuminant mundum. Ergo carent Luce. Nec valet si dicas, idcirco coelos non videri quia sunt rarissimi, sicut ignis in sphaera sua propter raritatem propriam non videtur à nobis, non valet inquam, quia apud nos non reperitur raritas in Coelis, omnes enim esse densissimos tenemus, sicut et ipsas stellas, et ideò si haberent aliquam Lucem, transmitterent ad nos ipsam, et possent conspici, sicut via lactea, et alia stella conspiciunt. Praeterea in S. Scriptura dicitur (Fecit DEUS duo Luminaria magna etc. et stellas, et posuit eas in firmamento Coeli ut lucerent super terram) ex quibus verbis colligitur Lucem solummodò stellis convenire, alias etiam Coeli super terram lucerent. PARS SECUNDA (Quod à sole et Astris illuminentur coeli) Patet, quia sunt Diaphani, et per consequens capaces Luminis etiam in tota profunditate, atque sic illuminantur ab extra. PARS TERTIA De Luna, quod scilicet Forma Accidentalis in Luna non sit Lux, sed Lumen, id est, quod Luna non sit ex se lucida, sed ab extrinseco illuminetur scilic: A SOLE. Probatur: Quia si ex se esset Lucida, certè nulla esset in ea variatio Luminis respectu nostri, quam habet juxta accessum vel recessum à Sole. Atqui maxima est variatio. Ergo Non est ex se lucida. MINOR: Quia quandò est prope Solem, totaliter pars illa versus nos eclypsatur: Cum incipit recedere, incipit quoque illuminari, et primo apparet corniculata habens cornua versus ortum, et post Solem oritur atque occidit, atque sic paulatim recedendo illuminatur, donec in oppositione cum Sole constiterit, et tunc tota ipsius facies illuminata cernitur, sed quia denuo ad Solem accedit, incipit decrescere, respiciens occasum cornibus et ante solis exortum oritur atque occidit. Ex quo colligi potest Lunare corpus non esse totum lucidum, quia solum medietas illuminata cernitur, quae scilic: est ad Solem conversa, neque illa medietas est ex se lucida, quia alias Luna nunquam Ecclypsaret; nam Ecclypsis Lunae provenit ex interpositione Terrae inter Solem et Lunam. PARS QUARTA (Quod astra illuminentur à Sole) patet ex observatione Astronomorum, juxta quorum Doctrinam superiores Planetae magis lucidi apparent, dum Sol est propinquior ipsis, quam dum est ab illis remotior, ex qua accretione et decremento Lucis in ipsis ad propinquitatem vel distantiam SOLIS facilè cognoscitur astra illuminari à Sole. PARS QUINTA Quod etiam Astra sint ex se lucida potest suaderi, quia omnia alia Astra distincta à Luna sunt Diaphana. Ergo si non essent lucida, non viderent à nobis, vel saltem non sic lucida conspicerent, sicut nec coeli cernunt propter diaphaneitatem. Praeterea Planetae, de quibus magis videt esse probabile quod accipiant Lumen à Sole, apparent quasi diversi coloris, quod indicat illos in Luce

Luna à lumenando dicit.

Luce differre, et tamen si à Sole tantum illuminarentur, deberet Lumen in omnibus esse ejusdē rationis. Ex his apparet quomodò Sol in genere lucidorum sit primum metrum et mensura cæterorū et Fons Lucis, nam cætera excedit, communicat omnibus Lucem, et potest dici quasi solus lucens, quia cō„ paratione ipsius cætera possunt æstimari tenebrosa. An verò hæc Lux sit in omnibus Astris æquè intensa? Negativè respondendum est, quia nulla apparet necessitas illius æqualitatis, maximè quia sunt Specie distincta. Quæres An Luna habeat ex se aliquam Lucem exiguam. Rtur potius Neg. quam affirmative. Ratio: quia si Luna esset ab intrinseco Lucida, tunc deberet habere majorem Lucem solito*, et secundū omnes partes æqualem, quod tamen est falsum. Item quia aliàs esset aliquomodo diafana et Lumini per„ via, atque sic non posset Solis ecclypsin causare, quod etiam est falsum. Nec valet si Obiicies ipsā non totaliter ecclypsari, sed aliqualem retinere ruborem et dum est cornuta, partem ejus, quæ à Sole non est illuminata apparere albicantem. Non valet, quia lumen illud, est quoddam Lumen Secun„ darium, à partibus cœli propinquioribus quas Sol et Astra proxima illuminant proveniens, cujus rei potest esse Signum, quod Luna magis illuminata apparet in extremitatibus, quam in medio, utpote, quia propinquius existunt partibus illis cœlestibus.

THEOREMA NONUM.

Omnes Stellæ, imò et Planetæ Lunâ exceptâ scintillare dicuntur. Et Stel„ las quidem scintillare est certum, quia omnes rutilant et quasi tremulæ appa„ rent. Porrò hæc Scintillatio, non tantum Astris fixis, sed etiam Planetis cō„ venit, licet enim Antiqui removerint eam à Planetis distinguendo Planetas à Stellis, quia illi non Scintillant, Sicut ista, tamen postea compertum fuit etiam Mercurium Scintillare, Similiter Solem instar ferventis metalli ebullire, et totum commoveri. Tandem Simon Marius quispiam fatetur se comperisse omnes Planetas præter Lunam Scintillare, quæ Scin„ tillatio et tremor non est æqualis in omnibus; nam etiam in Stel„ lis Fixis quædam minores plus Scintillare majoribus videntur, et è contra quædam majores valdè rutilant, ut est Stel„ la in ore caniculæ.

Quæres quæ causa istius Scintillationis? Respondeo: Aut scintillant ideò, quia medium agitatū quo variato, etiam Species variant‡/ transmittunt species rerum in fundo existentium tremulas. Aut ideò quia cœli rapidissimè moventur, ex quo motu fit, ut Species fractæ et tremulæ ad nos projici„ antur. Aut ideò, quia circulariter circa proprium Centrum singula stellæ movent, et quia non æquali motu circumagunt, hinc est, quod una magis, altera minus appareat scintillare. Luna autem quia tardissimè movet se in ipsa, ideò non Scintillat. Aristoteles 2 de Cœlo. t. 48. videtur asserere stellas in rei veritate non Scintillare, sed nobis ita videri ob imbecillitatem visivæ potentiæ, et distantiam specierū stellarum Fixarū. Species enim visibiles objecti quo longius protrahunt, eo magis elanguescunt, unde non possunt juvare potentiam, ut facilè eliciat perfectam visionem. etc.

‡ sicut patet in Aquis, quæ dum com„ moventur, transmittunt etc.

Theor.

THEOREMA DECIMUM

Accidentia communia corporibus Cœlestibus tam inter se, quam cum Sublunaribus comparatis, sunt ejusdem speciei.

Ratio: Quià nulla potest haberi causa distinctionis, imò potius identitatis maxima, idem enim effectus Formalis reperitur in quantitate cœlesti et Sublunari, nam sive effectus Formalis quantitatis sit extendere partes in ordine ad se, sive in ordine ad Locum impenetrabiliter, sive divisibilitas sive Ratio mensurae, certè eodem modo utrobique reperiuntur: Similiter qualibet Lux debet illuminare, qualibet densitas debet reddere corpus secundum partes valdè in se unitum et condensatum, item qualibet opacitas reddit corpus lumini impervium. Diaphaneitas verò reddit corpus perspicuum. Licet una magis quam alia, quæ quidem non variant speciem. Porrò quæ eundem effectum Formalem habent, illa esse ejusdem speciei, maxima est probabilitas. etc.

THEOREMA UNDECIMUM.

Planetæ, Astra, item Primum mobile influunt in hæc inferiora. At Cœli primo mobili inferiores et Cœlum Empireum nequaquam influit.

PARS PRIMA: De Planetis est certissima quià experimur multos et varios effectus ab ipsis generari. vide Theorema quartum. PARS SECUNDA: De Stellis fixis probatur: Canicula enim causat calorem, Arcturus producit frigus, Orion affert pluviam. Polus Arcticus influit in magnetem etc. TERTIA PARS: De primo mobili. Probatur: Quià continet alium Zodiacum ab illo qui existit in cœlo stellato, et secundum istas partes heterogeneas agit in Sublunaria, eo quià Sol diversos effectus causat quandò est sub Signo Tauri, ac quandò est sub Signo Leonis, et sic de aliis, ut observant Astronomi. QUARTA PARS De cœlis inferioribus, quod scilic. nullam habeant Actionem. Probatur: Quià cum sint Homogenei si haberent aliquam influentiam in hæc inferiora, tunc omnes mundi partes æqualiter influerent eosdemque effectus causarent, quod est falsum. PARS Quinta De cœlo Empireo Probatur: Scias interim quod S. Patres et Scholastici Theologi existentiam Cœli Empirei magis ex Sacra Scriptura deducant, quam aliquâ ratione naturali ostendant. Porrò istud Cœlum juxta ipsos est immobile omni Substantiali compositione ex materia et Forma carens, nam illud Chaos per quod materia prima intelligitur à plerisque ponitur in Sacra Scriptura attigisse usquè ad Cœlum exclusivè, et per Cœlum intelligitur Empireum. Præterea istud Cœlum dicitur ex tribus constare partibus, duabus extimis solidis, unâ autem mediâ liquidâ ad modum Aulæ cujusdam cœlestis. Infima pars dicitur esse Solida, cui beati insistunt, quæ etiam Analogicè Terra viventium appellatur. Suprema iterum solida, quæ coercet mediam fluidam, et hoc propterea quià in Cœlo debet esse sonus et cantus, ut neque mens, neque lingua in Sanctis vacent à Divina Laude, ad sonum

Cœli Empirei tres partes.

Cœlum Empireum analogicè terra viventium.

sonum autem necessaria est alicujus corporis refractio, atque sic illud Cœlum erit fluidum, et totum luce immensâ conspersum. Porrò et sensus dicuntur ibidem suam habere voluptatem ibidem, nam aures sono, oculi splendore et intuitu beatorum recreabuntur, nares quoquè suam habebunt voluptatem ex suavitate odoris, quem corpora beatorum, et ipse Locus diffundet, florebunt enim Sancti sicut Lilium, et sicut odor Balsami ante Dominum, ut tandem nihil sit in ipsis quod jucunditate et lætitiâ non abundet. Probatur ergo quod Cœlum Empireum non agat in hæc inferiora, quia scilic: non hoc fine, ut agat et influat, sed alio est à DEO conditum, scilicet ut sedes et domicilium beatorum, et si homines non ordinasset Deus ad vitam Æternam, illud non produxisset, quia nihil commune cum his rebus sublunaribus videtur habere, et totaliter ad alium statum pertinet. Præterea quià huc usque non est compertum, quod aliquam peculiarem habeat influentiam, nec aliqua ratio oppositum demonstrare potest. etc.

ad sonum requiritur corporis refractio.

THEOREMA DUODECIMUM

Motus cœlestis, nec Soli, nec Lunæ, nec ulli corpori est ratio Agendi, aut conditio sine quâ corpora Cœlestia vel Sublunaria non Agerent, sed tantum est conditio necessariò requisita, ut astra ordinatè producant Effectus.

NOTES Quià in præcedenti Theoremate tribuimus Astris influxum, ideò oportet determinare quibusnam instrumentis et virtutibus Activis utantur dum concurrunt ad productionem inferiorum saltem Accidentium et Alterationum, generationi Substantiali servientium, et quia tria possunt talia Instrumenta assignari, scilic: motus, Lumen et occulta qualitas, ideò quodnam sit istorum inquirunt Philosophi, nos tertium amplectimur, duobus primis rejectis, motu Autem in hoc Theoremate.

PROBATIO THEOREMATIS HUIUS BREVISSIMA.

PARS 1MA Probatur: Quod scilic: motus Cœlestis non sit ratio Agendi soli, Lunæ, nec cuipiam alteri corpori, ac imprimis non est ratio productiva Soli, Luminis, quià quantumcumque moveatur äer, nunquam Lux producetur nisi prius ignis producatur, et sic potius ignis illuminat quàm motus. Deindè äer noster movetur circulariter, et tamen non est Luminosus; Ergo motus non rest ratio productiva Luminis. Quod etiam non sit ratio causandi caloris Probatur: Quià illud corpus calefacit äerem per motum, quod movetur per äerem, vel saltem tangit ipsum. Sed Sol est valdè remotus ab äere, quià saltem, si non alii Planetæ intermediat Luna, undè potius Luna suo motu deberet dici causa caloris, non verò ipse Sol. Præterea quod Lunæ nec alteri corpori sit ratio productiva caloris ipse motus, probatur: Quià motus Localis ex sua ratione Formali non est aptus natus producere calorem, imò aliquandò est causa frigiditatis. Deindè nulla Forma respectiva potest esse Activa virtus respectu alicujus absoluti (nam respectus non est de Genere Activorum cum Ens sit imperfectissimum, nec possit aliud in

aliud in se virtualiter continere) Sed tam motus Localis quam terminus ejus scilic: ubi sunt Formæ respectivæ. Ergo non possunt producere quidquam absolutum. Subsumo: Sed calor est quid absolutum, quia est qualitas. Ergo calorem non possunt producere. Ad hoc motus nihil aliud facit, nisi quod adducat generans, id est, fit per ipsum Agentis ad passum approximatio, et præsentia Localis acquiritur. PARS 2DA Quod non sit conditio sine qua non. Nam imprimis Astra quiescentia possent agere quia perfectè haberent virtutem Activam producendi, passum quoque esset debitè approximatum, nec aliud ad Actionem requiritur, nam motus solum ad approximationem est necessarius. Item hæc inferiora dum quiescunt, et in esse quieto consistunt, adhuc possunt Agere. Ergo multo magis cœlestia. Conseq. Quia perfectiorem habent potentiam Activam, quam ista inferiora, ~~[illegible]~~ ~~[illegible]~~. Item 3tio Cœlis immotis adhuc possunt inferiora Agere, nam juxta D. Augustinum, stante cœlo, adhuc rota figuli moveretur. Item 4to Sublunaria non dependent à Cœlis in esse, neque in conservari, ita ut si cœli destruentur oporteat omnia corrumpi. Ergo Neque dependent in operari. Ans: Quia hæc essentialis dependentia non est, nisi tantum in ordine ad primam causam. Confirmatur: Si ignis contiguus esset rei combustibili extra mundum constitutæ. Quæro vel combureret rem illam combustibilem, vel non? Si primum. Ergo etiam potest comburere constitutæ hic in mundo etiam motu cœli cessante, quia eodem modo se haberet quo ad hoc utrobique. Si secundum? Tunc aut hoc esset, quia non haberet sufficientem virtutem, sed deberet compleri à Cœlo, aut quia aliquid aliud qui referret. Si hoc posterius. Ergo saltem non dependet à Cœli motu, si autem prius præterquam, quod est falsum, quia in igne adest sufficiens virtus, non est causa partialis, sed totalis. Admisso tamen hoc, adhuc urgeo: Vel deberet compleri à Cœlo mediante aliquâ influentiâ, vel mediante motu, non secundum qui ut probavimus, motus non est ratio Agendi Cœlis. Si primum? ergo cum cœlum quiescens adhuc influat, poterit hanc virtutem quiescens, igni communicare. Potest confirmari 2do ex Sacra Scriptura, dum jussu Ducis Josuæ Sol, Luna, et consequenter orbes Cœlestes cessarant à motu, cum tamen tunc nullus motus in his inferioribus desierit. PARS TERTIA Quod motus cœlestis requiratur ad hoc, ut Astra ordinatè agant. Probatur: Nam Agens Naturale manens idem in eodem Loco, et eodem modo applicatum natum est producere idem, ut ergo diversa agat, & in diversis Locis, illud est opus moveri, et diversimodè applicari, unde si Sol semper in uno hemisphærio quiesceret, non illuminaret omnem mundi partem, nec influeret, nisi in una parte, & eodem modo, et per consequens non daretur rerum vicissitudo, quod est falsum. Sequela ultima. Quia in una regione semper causaret æstatem, in altera hyemem, imò ordo universi perturbaretur, quia in his partibus totum Temperamentum mixtorum corrumperet. Si enim modo Sol quamvis moveat tam intensa

intensum producit calorem, quod fieret, si semper in eadem parte maneret, jam illæ regiones essent inhabitabiles, licet Regiones mediæ possent inhabitari quià redderentur temperatæ ex nimio calore ubi esset Sol, et ex nimio frigore partis oppositæ. OBIICIES: Motus Localis in Sublunaribus est causa caloris. Ergo et in cœlis. Conseq: Quià ille est perfectissimus et velocissimus. Ans patet experientia: Quià homo ambulando incalescit, molæ farinariæ motu ignem concipiunt. RESPONDETUR Motum in his inferioribus causam esse per accidens, non autem per se caloris, tum quià est Forma respectiva, tum etiam, quià si per se esset causa, sequeretur quod quilibet motus Localis calefaceret, quod est falsum, quià motus tardus non generat calorem, aër vento huc et illuc impulsus non incalescit, aqua calida agitatione frigescit. &c.

THEOREMA DECIMUMTERTIUM.

Licet probabile sit Lumen esse causam caloris; tamen probabilius est Astra aliâ virtute calefacere, et aliâ illuminare.

Ratio 1ma: Multa in his inferioribus dantur luminosa, quæ non calefaciunt, ut gemmæ; item Animalia quædam, imò et ipse ignis non per lucem calefacit, sed per calorem formalem. Ergo nec astra per Lucem calefaciunt. Conseq. Quià Lux est ejusdem speciei in omnibus luminosis, ut jam dictum fuit, neque dicas modicum calorem ab istis generari, quià tantum abest quod aliquis calor gignatur, ut potius frigus intensum sentiatur, ut patet in gemmis.
Ratio 2da: Si stellæ per Lucem calefaciunt, Ergo in quibus est æqualis Lux, ab illis æqualis producetur calor, quod est falsum, nam canicula ingentem causat calorem, et tamen Luce suâ alias non superat stellas. Ratio 3tia: Majus Lumen reperitur in montibus et in secunda äeris Regione quam in planitie terræ, et tamen major calor est hic quam ibi. Ergo Lumen non causat calorem, neque recurras ad reflexionem radiorum, licet enim ibi non sit reflexio, tamen ex propinquitate majori ad luminosum compensatur cujus est agere uniformiter difformiter, id est intensius in partes propinquas, remissius autem in remotas. Neque Lumen hic causatum propter radios directos et reflexos excedit Lumen secundæ regionis eadem proportione quâ calor infimæ excedit calorem mediæ Regionis, aliàs parum aut nihil luminis adesset ibi, cum nihil caloris ibi reperiatur, quod tamen est falsum.

THEOREMA DECIMUMQUARTUM

Præter motum et Lumen, debent in cœlis admitti influentiæ, quibus cœli agant in hæc inferiora, non quidem per motum et Lumen tanquam Instrumenta, sed per proprias et distinctas Actiones.

NOTES Dari in Cœlis Qualitates quasdam et virtutes quæ vulgo appellantur influentiæ occultæ

occultæ, quatenus in se ipsis et à priori sunt nobis incognitæ, licet à posteriori sint notissimæ, sunt autem istæ qualitates dimensionatæ et per medium extensæ: Caeterum Spiritualiores Elementaribus Qualitatibus, quià nonita impediuntur per grossitiem obstaculi, sicut elementares, imò ut ipsum Lumen, nam penetrant profunda terræ, et ad specificam astrorum distinctionem specie quoque multiplicantur, possunt autem definiri quod sint Qualitates insensibiles in coelis existentes, per quas effectus proveniunt, quorum non potest reddi ratio ex causis per sensum notis, has ergo influentias dari. Probatur 1mo: Qui enim Coelo negant influentias, concedunt illas postea motui et Lumini, quià tribuunt Lumini et motui virtutes Activas scilic: alterandi et generandi, quæ nec sunt motus, nec Lumen, ergo æquè facilè dici poterat dari has influentias distinctas, jam enim conceditur sic, quod motus et Lumen contineat eminenter plures effectus. Probatur 2do: Astra ex præcedenti Theoremate, aliâ virtute calefaciunt, et aliâ illuminant. Ergo datur ista virtus, et hanc nos vocamus influentiam. Probatur 3tio Experientiis: Acus attritu magnetis confricata trahitur à coeli partibus polo vicinis, quæ attractio fit etiam in Loco tenebroso. Ergo Hoc non provenit à Lumine. Item Lapis (Selenites) continet in se imaginem Lunæ ejusque incrementa et decrementa quotidiana repræsentat, licet à Luce lunari non attingatur. Item Corpora sub tecto existentes in Locis obscuris, sub Tempus hyberni Solstitii germinant. Item Diebus canicularibus majores calores sentiunt, quàm in Solstitio æstivali, quo Tempore dies sunt Longiores, et Lux Solis diutius tangit superficiem terræ. Item: Luna in novi Lunio licet Terram non illuminet, tamen majores fluxus et refluxus causat in mari, cum tamen motus et Lumen ferè semper eodem modo se habeant. Tandem metalla ab Astris in visceribus terræ generantur, et licet Substantia metallorum immediatè à Formis Substantialibus astrorum producatur, dispositiones tamen et præviæ Alterationes ab aliqua accidentali virtute proveniunt, quæ est à Luce distincta: Nam Lux per Lumen tanquam per instrumentum solum extimas terræ partes attingit. etc.

Astrorum Occultæ qualitatis definitio.

NB.

THEOREMA DECIMUMQUINTUM.

Decimum Sextum, Septimum, Octavum et Decimum Nonum.

Ecclypses non tam Soli aut Lunæ; sed etiam Astris dicitur convenire, si scilic. Luna inter stellam et visum nostrum interponatur.) 6. Ex Syderum observatione perfectè habita certo possunt præcognosci, etiam in particulari effectus ad Statum Coeli pertinentes, qui scilic: à solo motu coelesti dependent, ut sunt Ortus, occasus, aspectus, conjunctiones Syderum, ecclypses etc. At Effectus Naturales ab aliis concausis provenientes, ut sunt: Morbi, Tempestates, Pluviæ, Siccitates, Sterilitates etc. non nisi omnibus causis prævisis certò præcognoscunt. etc.

17 Ex syderum et aliarum cor causarum praecognitione, possunt certò praecognosci inclinationes Hominis Temperamentum, complexio, et naturalis ad benè vel malè operandum circa determinata rerum genera aptitudo, non solum ut in principio est indita homini, sed etiam pro quodam certo et determinato vitae tempore, et ideò certitudine quadam morali ex hac cognitione poterit inferri hominem fore felicem, vel infelicem (profecta) ratione quadam universali. 18 Ex praecognitione syderum quantumcunque perfecta, nullo modo possunt praecognosci certitudinaliter, vel probabiliter effectus omninò ab humanâ voluntate dependentes, et in particulari, neque Effectus fortuiti, aut casuales etiam necessarii. 19: Ex Syderum observatione quam pro statu isto possumus habere, solum effectus isti possunt praecognosci aliqualiter et imperfectè, quorum praecognitio potest ex Astrologia in se haberi, non tamen certò, sed tantummodò probabiliter.

Haec et alia similia Theoremata Astrologis & Astronomis, ut declaranda, ita probanda et defendenda relinquimus.

THEOREMA VIGESIMUM.

Astra causant per se in his inferioribus ista Accidentia: Lumen, Calorem, Siccitatem motum Localem. Item Frigiditatem et Humiditatem.

NOTES Ad quatuor Genera omnes Effectus producibiles à Caelis posse produci. 1mum Genus è Accidentium. 2dum Corporum quorundam inanimatorum, ut sunt Elementa et mixta imperfecta. 3tium Animatorum Animâ Vegetativâ et sensitivâ. 4tum Animatorum Animâ Rationali. PARS 1MA Quod causent Lumen, Calorem et Siccitatem patet experientiâ, videmus enim Lumen, Calorem et siccitatem in äere et his rebus Sublunaribus causari ab Astris. PARS 2DA De motu Locali probatur: Caeli enim propter maximam motus velocitatem, non tantum Ignem secum rapiunt, sed etiam aeris supremam Regionem, nam cometa et alia ejusmodi impressiones in äere genita circulariter moventur ad motum Astrorum à quibus fuerunt productae, Luna quoquè in aqua causat motum Localem, qui fluxus et refluxus vocatur. PARS TERTIA Quod Frigiditatem et Humiditatem causent, probatur 1mo Ex Sacra Scriptura, ubi dicitur (Ab interioribus oriet tempestas, et ab Arcturo Frigus) Probatur 2do Experientiâ: Nam docent Astronomi dominante Saturno, sive per annum, sive per mensem ingens frigus in his sublunaribus generari. Similiter regnante Lunâ maximam Humiditatem, undè dormiens expositus radiis Lunaribus paraliticus efficit. HOC BNOTABIS.

efficitur, quià infrigidantur et humectantur membra. Nec valet si dicas hoc per Accidens evenire propter absentiam et recessum planetæ, sicut nauta suâ præsentia est causa conservationis navis, absentiâ verò naufragii; vel quià hæc sydera modicum habent calorem, idcirco videri quod refrigerent atque humectent, non valet inquam, quià tale frigus vel humiditas non generatur absente Saturno aut Lunâ, sed potius præsente, et dominium in hæc inferiora habente, atque in nostro Horizonte existente. Sæpius enim contigit ex concursu Saturni maximum frigus de novo evenisse, cùm antea dies maximè fuerit calidus, ex quo impugnatur, quod additur. Nam modicus ille calor potius debebat augere quàm minuere illius diei calorem. Præterea Astra se mutuo impediunt in Actionibus, nam contrariis agunt Actionibus, aliàs nullum esset impedimentum. Ergo positivè et per se causant frigus, non verò per Accidens, ut sic enim potius adinvicem se adjuvarent, quàm obstarent.

THEOREMA VIGESIMUM PRIMUM. Secundum, Tertium et Vigesimum Quartum.

21: Sicut falsum est Astra omnes Formas substantiales posse producere; ita quoque falsum est nullas posse producere: Nam mixta imperfecta à corporibus Cœlestibus causantur totaliter. 22: Imperfectorum viventium Forma corporis potest totaliter ab Astris produci: At perfectorum viventium non potest totaliter, sed tantum coadjuvando semen et debiliorem Sexum in Actionibus. 23: Nulla Anima, nec Vegetativa, nec sensitiva, nec rationalis, sive perfectorum sive imperfectorum, neque principaliter, neque instrumentaliter potest produci ab Astris. 24: Astra in Intellectum et Voluntatem Humanam directè et per se nequaquam possunt influere, quamvis indirectè et per Accidens possint.

Hæc Theoremata quæ hoc Loco consulto prætermittimus, in Libris de Anima, si Domino DEO TER OPT. MAXIMO fuerit visum confirmare statuimus. Quià verò Ecclesia mater tristem et mœstam ex Acerbissima et crudelissima Salvatoris nostri passione induit faciem, nos quoque ad Luctum animos nostros componendo, jam hic, et ipsi huic commutationi hyemali, et etiam secundæ cursus nostri ~~Physici~~ Philosophici parti felicem atquè exoptamus, in nomine DEI, imponimus Finem.

Naturæ Authori, Coelorum Domino ac Sapientissimo rerum omnium tam Naturalium quàm Supernaturalium Dispensatori, sit LAUS, HONOR et GLORIA in omnium Seculorum æternitates,

A M E N.

SECUNDÆ CURSUS PARTIS NEMPE PHYSICÆ

FINIS.

CURSUS
PHILOSOPHICI ARISTOTELICO-SCOTISTICI
In celeberrima Cracoviensi Academia, ad ve=
ram germanamq Aristotelis et Subtilis Docto=
ris mentem traditi.
PARS TERTIA.
LIBRIS DE GENERATIONE, ET LIBRIS DE ANI-
MA RESPONDENS.

Christophorus Schwabe.

In nomine Altissimi.

In Libros de Generatione et Corruptione Subtilis Doctoris Scoti Dris

Præfatio

Libris de Anima, quibus hanc tertiam Commutationem consecravimus, prout in secundo primæ partis prælidio polliciti sumus Difficultates nonnullas ex Libris de Ortu et interitu in Dei nomine præmittere aggredimur. Tu interim Auditor Benevole Labori nostro et tuis commodis favendo, utrumque istud difficultatum genus interrupto controversiarum ordine pro tua virtute et tua solita diligentia constanter annotare, et laboriosè trutinare memento.

Controversia prima. De Generatione et Corruptione.

In Libris de Generatione et Corruptione plerumque solet tractari de ipsa Generatione et corruptione in communi, item de Alteratione, Reactione, Primis qualitatibus, Rarefactione et Condensatione. Item de Elementorum et Mixtorum Generatione, tum de Generatione, Nutritione, Augmentatione et Diminutione ac morte viventium, et propterea plures ex his Libris posse haberi controversias minimè dubitamus. Cæterum quia plurima istorum possunt commodè alibi absolvi, prodierit nos à multiplicatione controversiarum consulto abstinere, et præcipuarum tum difficultates per Theoremata promiscuo ordine sufficit expedire, unde sit Auxilio Divino:

Theorema Primum.

Elementa non Formaliter, sed Virtualiter remanent in mixto.

Notandum Dictum primum: Circa hanc materiam duplex est opinio. Extrema una Averroistarum, qui tenent Elementa Formaliter manere in mixto. Altera Thomistarum, Scotistarum et Nominalium, qui tenent virtualiter ipsa remanere in mixto. Cæterum quid sit Elementa virtualiter manere in mixto Thomistæ à Scotistis differunt. Nam Scotistæ sustinent virtualitatem Substantialem, et docent ideò Elementa manere virtualiter in mixto, quia Forma Substantialis mixti, includit virtualiter Formas Elementorum. At verò Thomistæ accidentalem solum virtualitatem admittunt, et docent ideo Elementa virtualiter esse in mixto, quia in eo reperiuntur primæ qualitates, quæ dicunt virtutes Elementorum. Dictum 2dum Per Elementa, intelligitur: Aër, Aqua, Terra, Ignis. Per Mixtum verò intelligitur omne illud corpus, quod ex

Quid sit elementa virtualiter manere in mixto.

ex his constat Elementis, ut Lapis, Metallum, Arbor, Animal etc. Dictum 3tium: Sicut Elementa ex mixtorum perfusione sunt impura, ita quoque et mixta ex Elementorum admixtione existunt impura. Hoc autem provenit inde, quia in quolibet mixto sunt perfusa realiter quaedam Elementa intra poros mixti, ut: Ignis, Aër, aqua, Terra, quae certe non est vere mixtio, cum sint discontinua corpora, et solum juxta posita. Deinde in mixto est maxima partium diversitas, quarum aliquae sunt plus terreae, aliquae Aqueae, aliquae Aëreae, aliquae Igneae, sive eorum naturis valde similes et virtutibus ac proprietatibus diversae, artificiose à mixto separabiles, qua ratione dicimus Elementa à mixto separari id est partes illorum naturis magis similes, quae tamen partes sunt vere mixta quaedam corpora, quod totum patet in quatuor humani corporis humoribus.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS PRIMA (Quod non maneant Formaliter Elementa) Quia si sic, Quaero vel manent in Esse Summo, vel in esse refracto et remisso, non priori modo, quia propter contrarietatem Accidentium, quae pugnant adinvicem, non se compatiuntur simul. Nec etiam secundo modo, quia quaero quomodo Formae Elementares remanent in esse refracto, aut quo ad Substantiam, aut quo ad gradus qualitatum, aut quo ad vires. Sed nihil horum. Ergo. Minoris pars Quod scilic: non remaneant Formae Elementares in Esse refracto quo ad Substantiam. Probatur 1mo: Quia quod prius erat in esse summo, et postea est in esse refracto suscipit magis et minus ‡ (quia Substantia secundum Philosophum in Praedicamentis non dicitur suscipere magis et minus, de quo alias) Ergo etc. Probatur 2do: Quia sic deberent dari gradus substantiales aliqui, in Formis Elementaribus, quod falsum esse, Probo: Nam vel illi gradus essent aliquid Physicum aut Metaphysicum? Sed neutrum. Ergo. Non Metaphysicum, quia alias eadem omnino Realitates metaphysicae essent ante et post corruptionem Substantialem, quod est falsum, quia realitates metaphysicae omnino corrumpuntur corrupto Individuo. Praeterea illi gradus non essent nisi quaedam realitates mixtis atque Elementis communes, à quibus communia sumuntur praedicata, propria enim esse non possunt, quia ista sunt Differentiae specificae, Elementa in sua propria specie constituentes, neque est ulla alia realitas Metaphysica constitutiva speciei praeter Genus et Differentiam, atque sic unum Elementum posseneque dicere remanere in alio, propterea quia adesset in illo communis realitas, quod non potest dici. Non est quid Physicum quia alias deberet esse quid singulare, et per consequens deberet ad aliquam speciem pertinere, aut ergo pertinebit ad Speciem Elementi, et sic erit eadem cum forma Elementi, aut ad aliquam aliam Speciem, et sic erunt plures Formae Substantiales specificae

‡ Sed Forma Substantialis Elementaris non suscipit magis et minus quia etc.

specificæ in Elementis, quod est manifestum inconveniens, nam sic Elementa nequaquam essent corpora simplicia. Item Quæro: Aut illi grad9 amittunt esse Specificum suæ Formæ Elementaris, aut non? Si amittunt, ergo non remanent, quod est contra te. Si non amittunt? Ergo manent secundum suum esse specificum, et sic, licet sint refracti et remissi, tamen habebunt esse Specificum, et tunc in mixto erunt quatuor Formæ Specificæ remissæ, quarum una non est nata perfici ab aliâ, quod est quoque inconveniens. Præterea vel isti gradus et realitates gerunt officium materiæ et Formæ, vel intereunt? Si intereunt, habeo intentum, si funguntur officio Formæ. Ergo dant esse, quià Formæ officium est dare esse, & sic qualibet harum realitatum dabit esse per se subsistens, cùm sit realitas Substantialis, vel si fungātur officio materiæ, erunt materia Formæ mixti, et sic Forma mixti erit ex realitatibus Elementorum, tanquam ex materia, et per consequēs Forma mixti erit quoddam compositum, non simplex essentia, qualis est omnis Forma. Minoris 2da pars Quod scilic: non maneant Formæ Substantiales refractæ secundum grad9 qualitatum, perfectè autem secundum substantias. Probatur: Nam Quæro: aut istæ Formæ Elementares sunt inter se compenetratæ, ita, ut qualibet informet quamlibet partem materiæ, aut Elementa solum mixta ponunt secundum minutissimas particulas. Neutrum potest dici. Ergo. Non primum: Quià sic in eodem supposito plura essent supposita distincta et disparata, quod non est possibile. Sequela: Quià Forma qualibet Elementaris nata est constituere proprium suppositum, cum illi omninò repugnet ut alteri Formæ Elementari sit Subordinata, vel communicabilis. Præterea darentur plures Qualitates quæ solent consequi Formas Elementares simul compenetratæ naturaliter, quod est falsum. Neque jam Elementorum Formæ excluderent se mutò ab eadem materia; sed essent compossibiles, quo admisso sequeretur iam ex uno Elemento, nequaquam posse aliud generari. Non 2dum? quià sic non qualibet pars mixti, esset mixta, vel enim isti grad9 et realitates formæ manent distincti? et sic non fit mixtio, vel miscerentur perfectè, ita ut in qualibet minima portione mixti sit realitas Formæ aquæ, ignis Terræ et Aëris; Sed simul confusè. Ergo Eadem particula materiæ mixti simul informabitur à realitate Formæ ignis, Aquæ, Aeris et terræ. Et sic eadem numero particula materiæ informabitur simul ab oppositis realitatib9, quod est impossibile, quià nullum subjectum simul et semel potest naturaliter manere sub contrariis. Deindè si manent istæ realitates Actu, et sunt sic commistæ, tunc Realitas Formæ Aquæ erit commixta realitati Formæ Ignis, et sic medium non erit Forma mixti simplex, sed quædam juxta positio Realitatum minutissima, quas Realitates, si non homo, saltem Angel9 à parte rei juxta

Mixti generatio est Elementū. juxta positas agnosceret. Item mixtum generatur ex Elemento, vel ex Elementis, et corrumpitur in illa. Ergo Talis incō[m]possibilitas est inter Formam mixti, et inter Formas Elementorum, qualis est inter terminum generationis A QUO, et inter terminum Generationis AD QUEM. Sed terminus A QUO et AD QUEM non se compatiunt in eodem Subjecto. Ergo Nec Forma Elementorum cum Forma mixti erit compossibilis in eodē Subjecto mixti. Undè sicut implicat, quod quandò ex aqua fit ignis, materia simul perficiatur, Forma Aquæ et Forma Ignis, ita in proposito implicat, quod materia mixti perficiatur simul Formis Elementorum, et Forma mixti. Item: Omne Subjectum corporeum consequitur Quantitas, velut propria Passio corporeæ Substantiæ: Sed Forma Elementi quantumcunq̀ remissa, constituit substantiam compositam corpoream. Ergo ipsam consequitur propria Quantitas seu passio: Sed eadem propria passio non est plurium Subjectorum. Ergo in uno Subjecto erunt plures Quantitates, scilic. quantitas mixti, quantitas ignis, Terræ etc. et ita vel duo corpora erunt simul, et dabitur penetratio corporum naturaliter, vel mixtio erit tantum juxta positio, quæ omnia sunt falsa. Minoris pars 2da Quod scilic: non remaneant Formæ Elementares in esse refracto quo ad vires. Probatur: Quia philosophus 2 de Generatione. t. 48 dicit (Quæ miscentur secundum excellentias se corrumpunt, et tunc neque illorum contrarium alterutrum simpliciter erit, sed mediū etc:, et quidem primo Elementa ita transmutantur, ex his autem carnes et ossa, et quæ talia calido q[uæ]dem facto frigido, et frigido calido, quandò ad medium veniunt) Item 2 de Generatione t. 88 dicitur (Miscibilia debere esse Activa et Passiva) ex quo deinde deducitur mixtionem esse miscibilium alteratorum unionem. Hinc patet miscibilia in mixtione debere alterari ad invicem et Agere atque pati Actione Alterativā, quod est infendi et remitti secundum Qualitates. Ergo Elementorum Qualitates non erunt in mixtis in summo esse, et per consequens falsum est manere ipsa in esse refracto quod vires tantum. DICES

Mixtionis Definitio.

Elementa Alterari, non quo ad remissionem qualitatum, sed quo ad virium suspensionem sicut si duo æqualis virtutis certent secum, inter utrumq̀ dabitur Actio et Passio, non quoad remissionem graduū fortitudinis et virium, sed quo ad inhibitionem ne unq alterum dejiciat. CONTRA: Alteratio tantum circa Qualitates contingit (nam Alteratio tendit ad Qualitatem si est intensio, et ad deperditionem Qualitatis, si est remissio) Sed in Elementis non dantur aliæ qualitates Activæ præter primas. Ergo Circa illas contingit Alteratio; et per consequens Elementa alterantur quo ad remissionem Qualitatum, non verò quo ad virium suspensionem. præterea

Alteratio tantū circa qualitates contingit.

præterea illâ Alteratione oportet alterari Elementa, quâ calidum postea denominatur frigidum, et è contra: Sed ex sola inhibitione virium nunquam calidum potest dici frigidum, sed potius non calidum quatenus caret Actione caloris. Ergo Elementa non alterantur quo ad virium suspensionem. PARS SECUNDA Theorematis (Quod Elementa maneant virtualiter et in potentia in mixtis) Patet 1º à sufficienti enumeratione. Si enim formaliter nullo modo manent. Ergo Debent manere virtualiter. 2 Ab Auctoritate Philosophi, qui 2 de Generat. t. ~~48~~ 84. et 85 apertè asserit Elementa potentialiter et secundum virtutes manere in mixto.

OBIECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIONES.

OBIECTIO 1ma (Quod Elementa maneant Formaliter) Quià aliàs sequeretur quod materia 1ma posset quamlibet Formam sine ordine recipere, quod est falsum, nam mixtum semper præsupponit Formas Elementares. Sequela: quià hæc præsuppositio non potest ex alio provenire capite quàm ex continentia Formali Elementorum in mixtis. 2do In quo reperiuntur passiones Elementorum, in eo sunt et ipsa Elementa (quià passio absquè suo proprio Subjecto esse non potest) Sed in mixto reperiuntur passiones Elementorum scil: primæ Qualitates. Ergo et ipsa Elementa reperiuntur in eodem. Item 3tio: In quæ resolvitur mixtum, ex illis constat (quià unumquodque dicitur in ea resolvi, ex quibus componitur) Sed mixtum resolvitur in Elementa. Ergo Ex ipsis componitur, et per consequens Formaliter sunt in ipso. Minor patet inductione. Nam in combustione Ligni accenditur Flamma quæ est Ignis, segregantur cineres, qui sunt terra, erumpit fumus, qui est vapor äereus, et tandem humor aqueus ex extremitatibus Ligni effluit. Eadem videmus segregari à cadavere quandò putrescit. Item ex herbis, floribus et gemmis educitur Aqua seu oleum, quod dinde in Aërem seu ignem resolvitur. Item Calx ante infusionem Aquæ continet ignem qui ad suum Locum tendit post infusionem aquæ in calcem. Item per collisionem duorum corporum silicis et chalybis excitatur Ignis qui non fit de novo, nam nulla causa datur ipsius productiva, nec potest dici quod à Cœlo propter äeris raritatem à motu causatam producatur, quià ignis excussus est rarus et densus quam crassitiem ex ignis descensu colligimus. Deinde ignis rarior äere in tam exigua Quantitate non comburerent fomitem. Præterea aliàs qualibet duorum corporum collisione excitaretur ignis quià semper äer incalescit, quod tamen est falsum. Debemus ergo dicere excuti ignem, quià partes durioris corporis momento comminuuntur, atquè ita fit ut ignis, qui latitabat ibi, soluto vinculo erumpat subitò. RESPONDEO Ad 1mum Neg. Sequelam et ejus probationem. Quamvis enim quo ad rationem perficiendi materiam una Forma non perficiat mediante aliâ, tamen quo ad ordinem transmutationis una Forma præsupponit aliam. Sic semen præsupponitur sanguini, sanguis carni, caro homini,

vinum

vinum aceto, etc. Sic Forma mixti præsupponit Formam Elementi, ita ut nunquam Forma mixti in materiā queat induci, nisi prius Forma Elementi præcesserit. Ad 2dum Distingvo majorem. Licet enim sit vera de proprietatibus rigorosè sumptis scilic: in quarto modo, non tamen est vera de proprietatibus largè acceptis: Qualitates autem primæ non sunt proprietates rigorosæ Elementorum, nam sunt ab ipsis separabiles, aliar dum Aqua incalesceret, deberet in se cum calore recipere ignem vel äerem, et sic oporteret duas Formas esse in eodem subjecto, sed tantum dicuntur proprietates appropriatæ quatenus illis primo et in excessu conveniunt. Ad 3tium, ex Dicto Tertio nego minorem. Nam nunquam mixta resolvuntur immediatè in Elementa, tanquam in partes formaliter componentes, sed in alia mixta Elementis similia, vel si resolvuntur in Elementa, hoc erit non per veram mixtionem, sed per quandam additionem in poris mixtorum, unde quando Lignum comburitur, flamma illa advenit de novo ab Agente extrinseco, cujus virtute plures ligni partes in flammam convertuntur, nec cineres sunt Terra, nec fumus äer sed quid mixtum, diversorum enim mixtorum cineres et fumus, diversas habent virtutes, quod patet in quatuor humoribus corporis Humani. Nec potest quis dicere flavam bilem esse ignem, Atram bilem terram, sanguinem Aerem, et flegma Aquam. Similiter oleum ex herbis ductum non est essentialiter Ignis vel äer. Humor autem ille Aqueus, vel non est essentialiter Aqua, aliar liceret eo uti in baptizando homine, vel si est aqua, erit permixta in poris. Similiter in Calce, vel reperitur aliquid ignis inclusum post combustionem ipsius Lapidis, qui ignis propter parvitatem non potest sentiri, vel potius dicendum est, quod cum Lapis adustus habeat maximam siccitatem et caliditatem, accedente Aquā resolvitur, non quidem in Ignem sed in fumum propter contrarietatem illarum qualitatum. Ultimo per collisionem duorum duriorum corporum generatur ignis de novo à Coelo invenienter äerem rarefactum percussu, et ad Formam ignis dispositum: At si tantum excitaret, et non generaret verè, jam in qualibet divisione mixti, deberet ignis evolare et fomentum accendere, si esset juxta positum. Porrò ideò descendit quandò excitatur, quia adhæret quibusdam calidis ramentis quæ facilè concipiunt ignem cùm sint metallica & sulphurea, et licet äer rarefactus et accensus sit in parva quantitate, tamen potens est illam materiam ignire propter dispositiones sulphureas in ipsa repertas, cur autem non in quolibet conflictu existet ignis, causa est, quia non semper äer nimium rarefit et incalescit. OBJECTIO 2DA (Quod Elementa non maneant virtualiter in mixto) Quia aliàs coelum esset mixtum, quandoquidem virtualiter continet Elementa, Homo quoque non esset formaliter terra, sic falsa esset illa propositio (Pulvis es et in pulverem reverteris) RESPONDEO Negando sequelam, et licet contineat Elementa virtualiter Effectivè, id est in genere causæ Efficientis, tamen non continent illa virtualiter in genere causæ

causâ ~~efficientis, non tamen continet illa virtualiter in genere causæ~~ quasi formalis. De [homine] dico, quod non sit formaliter terra, sicut nec est ignis formaliter aut aër, dicitur tamen pulvis, quatenus primus fuit ex terra productus, et quatenus in terram ultimatâ corruptione tandem resolvetur.

THEOREMA SECUNDUM.

Mixtum continet Elementa virtualiter, non tantum Accidentali, sed etiam Substantiali virtualitate.

PARS 1MA: Quod mixtum virtualiter contineat Elementa patet ex 1mo Theoremate, quia si manent virtualiter in mixto Elementa. Ergo sequitur quod mixtum contineat illa etiam virtualiter, non quidem in gradu summo et excellenti, sed in medio eo modo, quo rubedo continet albedinem et nigredinem. Et sicut rubedo est medium inter ista extrema participatque illa, non participatione formali, ita ut entitas Albedinis et Entitas nigredinis sint verè Actualiter in rubedine, quia rubedo est ita simplex Qualitas, ut Albedo et Nigredo; sed participatione virtuali, prout scilic: est medium inter illa per participationem propter naturalem quandam convenientiam quam habet cum extremis, quâ convenientiâ ipsa extrema carent inter se. Ita mixtum est quoque inter Elementa medium quoddam, et dicitur illa participare quia habet naturalem quandam convenientiam cum qualibet Forma cujuslibet Elementi, quatenus scilic: ex natura sua et radicaliter exposcit pro dispositione illam qualitatem quam postulat Forma illius Elementi, quæ convenientia non est inter Elementa. PARS 2DA (Quod scilic: non contineant virtualitate Accidentali) Probatur: Quia aliàs primæ Qualitates non essent in mixto formaliter, sed tantum virtualiter in aliqua includerentur Qualitate, quod falsum esse probo: Nam nulla datur Qualitas in mixto quæ virtualiter contineat primas qualitates ✝ in quolibet mixto, modo permaneat mixtum in suo statu naturali, sic Animal est intus calidum, metalla autem frigida, qualitates autem virtuales non sunt in seipsis sensibiles, et sicut solus color formalis visum, et auditum sonus formalis, non aliquid virtualiter continens colorem aut sonum: ita quoque tactum solus calor formalis et frigus formale possunt movere, non aliquid virtualiter calidum, aliàs vinum, piper et alia similia semper sentiremus esse calida formaliter, quod est contra experientiam. Præterea hanc qualitatem virtualem esse superfluam inde cognoscimus, quia potest mixtum per primas formales qualitates se defendere à contrariis, & si spolietur mixtum aliquâ primâ qualitate, adhuc illam potest per suam Formam Substantialem recuperare, sicut ferrum calefactum, vel aqua calefacta per suam Formam Substantialem reducit se ad pristinam frigiditatem. Scias: interim hoc Loco nos non negare in mixto omnes penitus qualitates virtuales, sed tantum illas, quæ deberent in se continere virtualiter primas immanenter

✝ primas Qualitates, quia in natura nihil datur superfluum, ista autem Qualitas omninò esset superflua. Nam mixtum habet qualitates primas formaliter absque hac qualitate virtuali, quod patet apertè, siquidem ipse tactus percipit istas primas qualitates in quolibet [quibus].

quibus scilic: mediantibus deberent mixta in seipsis Actione immanenti producere Qualitates pri-
mas formales, has certè negamus, at alias minimè, nam benè fatemur quod mixta quædam per suam
Qualitatem virtualem transeunter, id est Actione transeunte, non in se ipsis; sed in alieno subjecto
sint productiva caloris formalis vel frigoris. PARS TERTIA (Quod mixtum contineat Elementa Substã-
tiali virtualitate) Probatur: Quià Forma mixti virtualiter continet Formas Elementares virtute Sub-
stantiali. Ergo et ipsum mixtum Elementa. Notes hic duplicem esse continentiam virtualem. Una est

Duplex est Virtualis continentia.

in genere causæ efficientis, per quam una Forma aliam dicitur continere, quià scilic: potest illam cau-

Subdivisio continentiæ.

sare, sic Sol et vinum continent virtualiter calorem. Alia in genere quasi causæ Formalis, et hæc
iterum est duplex. Prima, quâ una Forma cùm sit perfectior, perficit materiam perfectiori gradu
quam Forma imperfectior, et consequenter perficit in gradu Formæ imperfectioris, sed eminentiori mo-
do. Secunda, quâ Forma continens potest operationes et effectus Formales alterius Formæ causare
sicut Anima rationalis dicitur continere sensitivam, quandò ergo dicimus quod Forma mixti conti-
neat virtualiter Formas Elementorum virtualitate Substantiali, non loquimur de continentiâ pri-
mo modo, nam virtuali continentiâ effectivâ, nequaquam Forma mixti, continet Formas Ele-
mentorum, siquidem ipsas non potest producere; sed loquimur de continentia secundo modo, quià est
illis perfectior, et aliqualiter tertio modo, quià potest causare in aliquo gradu effectus scilic: qua-
litates Elementorum et motum. Hanc ergo continentiam dicimus esse Substantialem, non ve-
rò tantum Accidentalem, quià continet Principium causativum (et exigitivum) primarum qualitatum, quod prin-
cipium non est aliud, nisi Forma Substantialis Elementi, aliàs possemus dicere, quod Anima rationa-
lis continentiâ et virtualitate solum Accidentali contineat sensitivam, quià potest producere effe-
ctus sensitivæ scilic: operationes quæ sunt Accidentia. Porrò scias hanc Substantialem continentiam
explicari à nobis à posteriori per accidentalem continentiam, ex his collige, quomodo sit verum unũ
Elementum prævalere alteri in mixto et prædominari, quià scilic: Forma mixti magis assimilatur For-
mæ unius Elementi, et magis cum illa convenit, quàm cum Forma alterius in qualitate, & consequenter
etiam in Entitate, quatenus est principium radicale illius qualitatis. Similiter in corpore Hetero-
geneo secundum diversas partes potest dici hoc, et illud Elementum prædominari, sic in corpore a-

NB.

nimato propter 4 Humores quatuor Elementis correspondentes (nam in flava bile prævalet i-
gnis, quià ex se petit excedere in siccitate et calore: In Sanguine prævalet äer propter excessum
caloris et Humiditatis: In phlegmate Aqua propter excessum frigiditatis et humiditatis: In Atra
bile Terra propter excessum frigiditatis et siccitatis) membra diversimodè dicunt temperata, et in
uno, unum Elementum debet habere dominium, in alio aliud, juxta excessum humorum vel qualitatum.

objectio

OBIECTIONES ET SOLUTIONES.

OBIECTIO 1MA. (Quod primæ Qualitates non sint in mixto) formaliter puta: Quia contraria non possunt naturaliter esse simul in eodem subjecto: Sed primæ Qualitates sunt contrariæ. Ergo. RESPONDETUR Distinguendo. Licet contraria non possunt simul in eodem subjecto naturaliter in gradibus intensis, tamen possunt in gradibus remissis. OBIECTIO 2DA: Quod detur qualitas quinta primas quatuor virtualiter continens: quia alias quodlibet mixtum facilè corrumperetur, siquidem proportio primarum Qualitatum est maximè debilis, et facilè à contrariis extrinsecis corrumpitur. Ergo danda est alia qualitas quæ virtute suâ omnes alias 4 contineat, et quæ possit illas corroborare atque intendere, si ab aliquo contrario extrinseco fuerint remissæ. Præterea absque ista quinta qualitate confortante, facilè posset proportio qualitatum primarum dissolvi per augmentum etiam minimum unius Qualitatis. Sequela: quia hæc proportio consistit in indivisibili. Falsitas, quia tunc mixtum non esset in statu naturali, et consequenter Animal ægrotaret, quod manifestè falsum est, siquidem homo, dum labore aut cursu veloci incalescit, non dicitur amisisse sanitatem. Rx. Neg. Sequelam et Probationis consequentiam: Quia sufficit Forma Substantialis, quæ obstet corruptioni absquè ista quinta Qualitate. Ad 2dum dicimus dispositiones connaturales quas Forma Substantialis sibi determinat, non consistere in indivisibili, sed in latitudine determinata, quâ latitudine violatâ, tunc demum Animal dicitur ægrotare, et tunc deindè potest concedi Animal ægrotare tunc temporis, sed non morbo medico aut Practico, sed tantum Philosophico et Speculativo. Medicus enim morbum illè tantum esse censet, qui notabiliter lædit corpus vel potentias, et impedit, ne suas exerceant Actiones. OBIECTIO TERTIA (Quod Forma mixti non contineat virtualiter Formas Elementorum. Probat: Quia aliàs sequeretur quod posset tribuere ipsi materiæ primæ denominationem Aëris, ignis etc. quod est falsum. Item 2do sequeretur quod Forma mixti perfectiori modo efficeret operationes Elementorum, quam ipsa Elementa, quod tamen est falsum. RESPONDEO Neg. Sequelam: Ratio, quia ut aliquid tribuat denominationem äeris, debet continere Formam äeris quoad gradus formales; at verò Forma mixti non continet Formas Elementorum quoad gradus formales, nec ita continet, ut rationalis Anima sensitivam. Ad 2dum Neg. Sequelam, quia nec rationalis Anima perfectius exercet operationes Animæ Sensitivæ, et tamen continet illam secundum gradum formalem; sufficit ut mixta exerceant aliquomodo operationes Elementorum, quia continent illa virtualiter, non secundum excellentias, sed in esse quasi remisso. r.

Theorem.

contraria possunt se compati in uno subjecto non in gradibus intensis sed remisso.

Morbus duplex Philosophicus et medicus seu practicus.

THEOREMA TERTIUM.

Dantur de Facto octo Temperamenta difformia, nec repugnat naturaliter Temperamentum æquale ad pondus.

NOTES Certum esse quamlibet Formam mixti non exposcere primas qualitates in quocunque
gradu, sed indeterminato, nec omnes Formas mixtorum postulare qualitates istas in eadem in-
tensione, sed unam in tali, alteram in alio gradu, quæ proportio qualitatum in in tali intensi-
one et remissione determinata vocatur Temperamentum, seu Dispositio et complexio con-
grua Formæ mixti. Porrò scias per Temperamentum istud seu complexionem nihil aliud intelli-
gi nisi primarum qualitatum symetriam et concordiam, quæ symetria non est qualitas ali-
qua à primis distincta, sed est formaliter ordo et Relatio illarum qualitatum ad invicem. Hoc

Temperamentum duplex Uniforme et Difforme.

Temperamentum solet dividi, in Uniforme et Difforme. Primum vocatur Temperamentum
Æquale ad pondus, et est tunc, quando omnes qualitates sunt æquales, in gradu et intensione
puta, quia omnes sunt ut 4uor. Alterum vocatur Temperamentum secundum justitiam, seu

secundum debitum

seu secundum exigentiam subjecti, quia tale est, quale exigit subjecti proportio, et est tunc
quando est aliqua qualitas quæ excedit alias in gradu. Notes 2do: Istud Temperamentum se-

Temperamentum secundum justitiam est duplex.

cundum justitiam esse duplex. Aliud Simplex, aliud Compositum, sicut dupliciter potest continge-
re talis excessus. Vel enim una sola Qualitas excedit oppositam, et sic insurgit Temperamentum
Difforme simplex, et quia quatuor sunt qualitates primæ, hinc Temperamentum istud erit qua-
druplex. Unum in quo Calor excedit Frigiditatem, humiditas autem et Siccitas sunt æquales in
gradu. 2dum In quo Frigus excedit. 3tium in quo sola humiditas. 4tum In quo sola Siccitas. At si
duæ qualitates excedunt oppositas, dicitur temperamentum Difforme compositum, estque etiam
quadruplex, sicut naturaliter quadrupliciter possunt primæ Qualitates combinari. Primum, in
quo dominatur Calor et Siccitas, et vocatur Igneum, quia assimilatur Igni. Secundum,
In quo abundat Calor et Humidum, et vocatur Aëreum. Tertium In quo superat Frigi-

Complexiones in hominem 4tuor dantur.

dum et Humidum, et dicitur Aqueum. Quartum in quo excedit Siccum et Frigidum et
vocatur Terreum. Istis quatuor Temperamentis conjungitur in viventibus quadruplex com-
plexio à Humoribus denominata quatuor. Cholerica consequitur Temperamentum igneum. Sanguinea
Aëreum. Phlegmatica Aqueum. Melancholica terreum. Et licet Temperamentum atque complexio idem
omninò significent, tamen usus loquendi obtinuit, ut complexionem ipsis Animantibus cum respectu
ad 4 humores tribuamus. Et juxta quosdam eo differt Temperamentum à complexione, quia Tem-

NB Temperamentum quomodò differat à Complexione.

peramentum deducitur à Naturali Elementorum proportione; Complexio verò potest derivari etiam
ab humi-

Temperamenti æqualis ad pondus Definitio.

[h]umore adventitio. NOTES 3tio Temperamentum æquale ad pondus esse Speciem Atomam, quia [c]um illa proportio æqualitatis consistat in indivisibili, non possunt plures species inferiores re[pe]riri, sed solum plura individua. At verò Temperamentum ad justitiam est Species subalterna, [h]abens sub se alias plures Species, quia excessus ille, potest esse modò major, modò minor, ita ut [u]na Forma determinatum requirat excessum in Subjecto, non quemlibet, hac tamen determina[t]io non dicit unum indivisibile sicut primum Temperamentum ad pondus, sed habet quandam la[ti]tudinem inclusam tamen propriis terminis intrinsecis, undè individua illius Speciei mixta possūt [d]ifferre in Excessu intra illam tamen latitudinem, atquè sic novem sunt species Temperamenti, [n]empe Temperamentum uniforme seu ad pondus, et octo difformia, scilic: 4 simplicia et 4uor com[po]sita, et de his omnibus nostrum procedit Theorema.

PROBATIO THEOREMATIS.

[PR]IMA PARS (Quod dentur de facto Octo Temperamenta Difformia) Probatur: Quià in Ani[ma]libus, præcipuè autem perfectis dominatur calor, ut ipsa docet experientia, videmus enim Leones, Lupos, Anates etc. plurimum intus habere caloris, ita ut viscera eorum fumigare co[n]spiciantur, ex quo facilè potest colligi, quod calor in ipsis superet frigiditatem, imò et in fumo [e]t calaris patet in quo ignis valdè prævalet, et est quoddam mixtum igneum. Ergo De facto datur Temperamentum Difforme per excessum caloris. Conseq. Quià difforme temperamentum est tunc, quandò una qualitas in gradu majore excedit: Sed in propositis exemplis excedit. Ergo. Quod etiam detur per excessum frigoris patet in metallis et Venenis, idem de Humiditatis et Siccitatis excessu est dicendum. PARS SECUNDA (Quod non repugnet Temperamentum Uniforme) Probatur 1mo: Quià possunt miscibilia alterari ad æqualitatem. Ergo. Consequētia: Quià nulla apparet repugnan[t]ia quod possit dari aliqua substantialis Forma postulans pro sui dispositione et Temperamento qua[l]itates in gradu æquali si qualitates istæ possunt taliter attemperari. Ans: Potest calidum ut sex, sed frigidum ut duo: et frigidum ut sex, sed calidum ut duo adinvicem misceri, et alterari ut amboe[e]vadant calida, frigida et calida ut quatuor, nam antequam calidum ut sex assimilet sibi frigidū ut 6 introducendo quatuor gradus caloris, necessariò prius introducet duos gradus caloris, quo tempore, [q]uod erat frigidum ut 6, fit frigidum et calidum ut 4, et quià frigidum etiam reagit in calidum, [t]um in eodem tempore introducet in illud duos gradus frigiditatis, et sic ambo miscibilia erunt alterata [a]d æqualitatem, idem dicendum de humiditate et siccitate. DICES Neg. Ans: huius rationis ideò, quià Actio semper provenit ex proportione majoris inæqualitatis, et consequenter semp una Qualitas debet prædominari, quare naturaliter repugnat qualitates refrangi ad æqualitatem. CONTRA: Si

hac Re[...]

hæc responsio valeret, sequeretur nullam dari reactionem, atqui hoc est falsum, ut postea patebit. Ergo. Sequela: Si enim ad hoc, ut una Qualitas agat in aliam opus est aliquo dominio et excessu secundum gradus certè nunquam calidum ut tria, posset reagere in frigidum ut quinq, quod patebit falsum esse. Probatur 2do: Eadem pars ex sensu tactus qui de Qualitatibus sensibilibus judicat, non secundum quamlibet intensionem sed tantum secundum excellentias quibus una qualitas excedit aliam. Ergo perfectissimus sensus tactus postulat in se ex sua ratione formali Temperamentum Uniforme. Conseq: Quià si una qualitas in sensu excederet aliam, si scili: manus esset calida ut 5, non posset istum excessum caloris ut quinque in re sensibili existentem sentire, quià non sentit qualitates ejusdem intensionis cum propriis. Nec valet si dicas ad tactum sufficere quandam æqualitatem Physicam, id est parum excedentem quatuor gradus, non verò requiri necessariò æqualitatem Mathematicam et rigorosam: Non valet inquam. Nam licet de facto ita se res habeat, quià sensus tactus modo in nobis ab extrinseco ferè semper est alteratus, tamen cum de sua ratione formali sit veluti judex institutus à natura ad judicandos excessus qualitatum, et natura sit in suis Actionibus perfecta, ex aliaq parte nulla appareat implicantia hujus rigorosæ æqualitatis in primis qualitatibus, non est cur negare debeamus hanc æqualitatem statui perfectissimi Tactus, eo vel maximè quod rationes partis adversæ nihil concludunt, nec debemus impossibilitatem alicujus rei sine solida ratione asserere.

OBIECTIONES ET SOLUTIONES EARUNDEM.

OBIECTIO 1ma (Quod non dentur octo Temperamenta Difformia) Probatur: Temperamentum Difforme ex frigoris excessu non datur. Ergo. Ans: quià omnia mixta sunt absolutè calida. Ergo. Ans: Omne mixtum fit per aliquam digestionem (Quià fit per mixtionem humidi et sicci, quæ est quoddam Digestionis opus) Sed omnis digestio fit à calore. Ergo omne mixtum fit à calido, et per consequens omne mixtum erit absolutè calidum. RESPONDEO Neg. Ans: 1mum et 2dum, ad Probationem dico, quod ad hoc ut digestio fiat, non est opus ut calor excedat frigiditatem quo ad intensionem sed satis est, ut adsit, licet non in tanta intensione. OBIECTIO 2da (Quod non detur Temperamentum uniforme) Probatur: Quià non potest dari. Ergo. Ans: Nam qualitates primæ, vel quo ad gradū, vel quo ad Activitatem æquarent: Sed sive hoc, sive illo modo æquent, semper Temperamentum est Difforme. Ergo. MINOR: Quià si in gradū æquali applicarent Qualitates, adhuc Temperamentum non potest esse æquale ad pondus, quià adhuc eo Tempore una qualitas esset Activior quam alia scilic:

via scilic. calor frigiditate, et per consequens erit Temperamentum Disforme in Activitate. Similiter, si æquentur quoad Activitatem, tunc illa, quæ est minus Activa, deberet esse intensior in gradu, atque sic semper erit Temperamentum Disforme, neq̃ sufficit compensatio, quod scilicet minus Activa sit in majori mole vel densitate, nam major moles vel densitas non auget intensivè virtutem Activam Agentis, et ideò semper erit Disformitas in Activitate. RESPONDETUR Neg. Ans: Probationem verò distinguo, quià licet non possit dari Temperamentum uniforme simul in gradu et Activitate, tamen potest dari in alterutro istorum et hoc sufficit, et quamvis moles ac densitas non intendant Activitatem, tamen valdè sunt proficua ad Actionem.

THEOREMA QUARTUM

Elementa sunt Generabilia et Corruptibilia non solum secundum partes; sed etiam secundum totum, tamen Actuali corruptione solum secundum partes corrumpuntur.

PARS PRIMA (Quod sint Generabilia et Corruptibilia) Probatur exemplo. Imum exemplum sit Ignis, quià videmus quotidiè ignem corrumpi et in äerem transire. Ergo. Ans: Quià flamma candela, et aliarum rerum similium ad aliquod tempus luceat, postea extinguit in aerem quo convertitur, nec amplius apparet. Ergo. DICES: Non ideò ignem non apparere, quià scilic: sit conversus in äerem, sed potius ideò, quià paulatim ad eam raritatem venit, ut visivam potentiam subterfugiat, licet in äere existat, quod patet experientiâ. Si quis enim supra candelam, etiam ubi ignis seu flamma non est, papyrum extendat, vel quid simile, illa papÿrus concipiet flammam, vel sursum volitabit, quæ duo signa monstrant quidpiam aliud ab äere distinctum ibi existere. CONTRA Probo hoc effugium nihil valere, accipio ignem qui concipitur in cucurbitulis, et dico, si hic ignis non convertitur in Äerem densiorem, sequerentur duo contra ipsam experientiam. Imum quòd caro non fumesceret ad replendum vacuum. Sequela: Nam per te ideò ille ignis non apparet, quià fit rarior, et consequenter debet occupare majorem Locum, atq̃ sic non poterit intumescere caro: Atqui intumescit. Ergo. 2dum: Quià alias carò illa si diutiùs maneat cucurbitula applicata, deberet comburi. Sequela: Nam præsente igne et approximato, sequitur combustio vel adustio: Sed in casu nostro adesset ignis. Ergo. MINOR proxima: Quià non evaporabit, sed maneret inclusus in cucurbitula, et licet fieret rarior, raritas autem minuat aliqualiter activitatem Agentis, tamen hoc compensat ex propinquitate et approximationis diuturnitate. Si enim ignis in

in sua raritate existens nullatenus agere posset, certè nunquam posset concurrere ad mixtioñe
refrangendo qualitates Elementorum contrarias. Nec illa instantia de papyro valet, nam cõ,
cedimus papyrum vicinam flammæ comburi, quià non implicat Agens agere indistans, vel
quià igni adsunt vera exhalationes igneæ, sed indè non licet inferre nunquam flammam
corrumpi. 2dum Exemplum sit istud: Si in vase aquâ repleto ferrum candens immergatur
vel titio, tunc statim ignis extinguitur, neque enim amplius est in illo ferro seu ligno, neque
permanet in aqua, hanc enim naturaliter refugit nec evaporat ex aquâ, supposito si vas illud
sit benè desuper occlusum, nec jam amplius ferrum ignitum apparebit. Et præterea si e-
vaporaret, tunc charta ad orificium illius posita, vel alia esca similis, posset accendi, quod
est falsum. 3tium Exemplum potest sumi ab oleo, sulphure, et pulvere tormentario, quæ fe-
re tota videmus transire in ignem; aut ergo transeunt in ignem de novo genitum, aut in
præexistentem. Secundum dici non potest. Ergo primum, et sic habeo intentum. Minor:
Quod secundum dici nequeat. Probatur: Quià certè non est probabile ignem adeò vehementem
in istis corporibus præexistere, nam alias non posset detineri ab aliis Elementis, quominus
sursum evolaret et mixtionem dissolveret, quià ignis ille adeò vehemens, siquidem tota
hæc mixta in eum resolvuntur, absque comparatione excederet alia Elementa, atque sic
traheret secum eadem omnia. Nec licet dicere à Forma mixti illum detineri, quià hæc non potest
cohibere ignem, quin agat, si excedat maximè alia Elementa, alias nunquam illud mixtum posset
corrumpi: Nec valet quòd ibi Elementa sint in esse refracto, quo ad Qualitates, nam aliquando
ista mixta maximè calefiunt, ita ut ferè intendatur calor eorum usquè ad 7timum gradum,
hujusmodi est oleum fervens, quo tempore, si ibi ignis lateret, deberet ad agendum excita-
ri, et per consequens ad dissolvendam mixtionem, et certè major est calor in oleo fervente,
quàm calor in carne putrescente à calore ambientis corporis productus; Sed iste est causa pu-
trefactionis carnis et dissolutionis in Elementa, eo, quià intendendo calorem, in carne destru-
it proportionem et Symetriam primarum Qualitatum, ex quo deindè sequitur corruptio mi-
xti et putrefactio, ergo multo magis calor in oleo fervido, deberet proportionem Elemento-
rum destruere et ignem, qui latens ponitur in oleo excitare ad pugnam et victoriam ad-
versus alia Elementa iam ab excessu illo caloris valdè debilitata. Si itaque iste ignis non præfuit
in illis mixtis. Ergo de novo generatur. Ergo etiam alia Elementa ~~non~~ possunt generari et ~~in illis~~ corrumpi

rrumpi, non enim major est ratio de uno quam de alio. PARS 2DA (Quod actualiter solum
secundum partes corrumpantur) Probatur, quia alias destrueretur ordo universi ab Agente su-
premo præfixus, quod naturaliter fieri non potest, siquidem talis ordo præfixus, unicuique Agenti
inferiori est necessarius. Præterea si Elementum esset rarius, quod in se ipsum converteret densius,
sequeretur quod ambo non possent capi ab isto spatio sublunari. Item si densius converteret in se
omnes partes Elementi rarioris, jam daretur vacuum viribus naturæ, quia minorem occuparent locum.
Objicies: Elementa nec secundum totum, nec secundum partes actualiter corrumpuntur. Ergo
non sunt corruptibilia aut generabilia, sed potius incorruptibilia. Conseq. Quia talem poten-
tiam opus esset aliquando reduci ad Actum. Ans: probatur 1mo: Ignis non potest in se converte-
re äerem, quia vel illum converteret per suam siccitatem, vel per calorem? neutro modo. Ergo.
Non per siccitatem, quia hæc propter minimam Activitatem, non potest äeris humiditatem
corrumpere. Non per calorem, quia calor non opponitur humiditati, imo est cum illa composs-
ibilis, ut videre licet in aqua fervida. Item 2do: Si vas vitreum bene occlusum contineat äe-
rem, et conjiciatur in aquas, tunc licet mille annis existeret ibidem et in excellenti gradu fri-
gesceret, nunquam tamen in aquam converteretur, etiam secundum minimam partem. Item
3tio Cineres qui sunt essentialiter Terra, non possunt ab igne corrumpi, unde licet stipula vel
herba comburatur, videmus semper aliquid terreum vel aqueum remanere. Ergo si ab Agente
adeo Activo et potente, scilicet ab igne non possunt corrumpi, certe nec ab ullo alio corrumpentur, atque
sic erunt incorruptibilia. RESPONDETUR Neg. 2dam partem Ans: quod scilicet Elementa non
corrumpantur Actualiter secundum partem. Ad 1mam probationem Neg. minorem, et dico quod
ignis possit per siccitatem corrumpere Äerem, licet enim siccitas minimæ sit Activitatis,
tamen Humiditas est minoris adhuc resistentiæ. Calor quoque potest saltem indirecte et per Acci-
dens agere in Humiditatem. Et præterea calor intensissimus, atque igneus non videtur esse compos-
sibilis cum humiditate. Ad 2dam probationem concedo in hoc casu id esse verum, sed dico hoc fieri
propterea ne scilicet vacuum detur, quod omnino deberet dari ibi, si convertatur äer in aquam, quia
sic deberet ille äer condensari ✝/in Aquam. Ad 3tiam probationem nego cineres esse substantialiter
Terram, siquidem diversorum mixtorum cineres, diversas habent virtutes, et proprietates imo
fere easdem cum illis mixtis ex quibus fiunt, neque hinc, quod ab igne non corrumpantur, inferre licet
ipsos omnino esse incorruptibiles quamvis enim non possint immediate in ignem converti, tamen pos-
sunt adhuc corrumpi; nam si ipsis alia atque alia applicentur agentia mixta, poterunt illa alte-
rari et disponi, ut eos postmodum corrumpi oporteat, alias si cineres essent incorruptibiles etiam
adamas

✝ Atque ex isto casu non li-
cet inferri simpliciter,
esset impossibile ut äer
convertatur etc.

Adamas et linum quoddam, quo veteres in comburendis cadaveribus utebantur, quia igne non consumuntur, deberent dici incorruptibilia, quod est falsum, imò idem posset dici de lapide Amiantho et Asbesto atq alijs rebq, quæ ignem conceptum diutissimè retinent, &c.

THEOREMA QUINTUM.

Potest ex quolibet Elemento aliud quodcunq generari immediatè sive sint symbola, sive dissymbola.

Elementa Symbola quæ et Dissimbola.

NOTES: Elementa Symbola illa vocari quæ sunt sibi similia, et quæ conveniunt secum in aliqua Qualitate prima. v.g. Aqua et Aër sunt symbola, quia in Humiditate conveniunt. Dissymbola verò ea appellari quæ per utramq differunt ad invicem Qualitatem, et quæ sibi opponuntur v.g. ignis et Aqua sunt dissymbola.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS PRIMA De Symbolis Elementis probatur: Nam quotidiè experimur Aërem in ignem, et è contra mutari, ut patet cum ex reflexione radiorum, aut ex silicis et chalybis attritu accenditur Ignis, quo etiam äer convertatur in Aquam, et vice versa Aqua in Aerem. Item Terra in Aquam, et Aqua in Terram patet in subterraneis Locis, et præcipuè in fluminibq: Tandem, quod Terra in ignem possit converti probatur ~~[illegible]~~ Nam Exhalationes, quæ juxta communem sententiam non differunt essentialiter à Terra facillimè accenduntur, ut constat de impressionibq ignitis in Sublimi apparentibq, similiter in montibq qui flammas eructant, probabile est debere admitti aliquam conversionem Terræ in Ignem, quamvis illiq ignis principale pabulum sit quæpiam sulphurea vena vel quid simile. Quod autem ignis convertatur quoquè in Terram potest ostendi eo casu, si modicus ignis Terrâ operiat, nam tunc extinguitur, et materia illa, non potest esse sine Forma Substantiali, ergo debet alia Forma supervenire, aut ergo illa Forma erit Aëris, aut Aquæ, aut Ignis. Non Aëris neq etiam Aquæ, quia Terra non habet in ~~illam~~ suam virtutes illas Formas, ergo est Forma Terræ, præcipuè autem, quia Agens corrumpens ignem scilic: ipsa Terra, inducendo proprias dispositiones, non potest postmodum introducere aliam Formam, nisi quæ postulat illas Dispositiones, talis autem est Forma terræ. Ergo. PARS SECUNDA (De Elementis Dissymbolis) Probatur Imo: Ex Aqua generatur Ignis immediatè: Sed hæc sunt Elementa Dissymbola. Ergo Unum Elementum Dissymbolum ex alio generatur Dissymbolo. Major patet per Experientiam. Si Aquæ gutta in fornacem injiciatur, quæro in quid convertatur, vel in Aërem, vel in aliquod mixtum, scilicet in fumum, vel in ignem immediatè. Non Imum, nec 2dum: Quia Ignis ut Ignis est Agens univocum, et non potest producere nisi ignem. Ergo non causat Formam Aëris, vel mixti. DICES: Eam produci ab Agente universali. CONTRA: Dispositiones introductæ ab igne, non sunt Dispositiones alicuiq mixti vel Aëris, sed ipsiq ignis. Ergo Agens Universale potius ad Formam Ignis coägit, quàm ad aliam Formam. Nec valet si dicas in tali casu per Accidens introduci ab Igne Dispositiones pro Forma mixti, non valet, quia tanta est Activitas ij

ctivitas ignis in tali casu circa illam Aquæ guttam ut fortiorem imprimat Qualitatem, quæ qui requiritur ad Temperamentum mixti. Probatur 2do: Omnia et singula Elementa sunt sibi contraria et Activa ratione suarum Qualitatum. Ergo Unumquodquè potest Agere in aliud, et in eo tur qualitates producere, et per consequens etiam suam propriam Formam, ad quam introducendam disponunt materiam illæ qualitates præviæ, quâ adveniente, postmodum opus est immediatè expelli à materia Formam alterius Elementi.

OBIECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIONES.

OBIECTIO PRIMA (Quod symbola Elementa non generent ex se invicem immediatè) Probatur: quià alias sequeretur quod ignis posset converti in Äerem, et Äer in ignem ~~vel Aqua~~ item Terra in ignem vel Aquã atqui hoc est falsum. Ergo Elementa symbola non generantur ex se invicem. minoris 1ma PARS Quod sic: Ignis non possit converti in äerem. Probatur: Quià oporteret caliditatem ignis remitti ad caliditatem Äeris, cum Äer non sit in eo gradu calidus ex natura sua, in quo est ignis calidus. Atqui hoc non est possibile, nam vel remitteret à caliditate, vel ab humiditate Äeris. Neutrum potest dici. Ergo. Non à caliditate, quià hæc non contrariatur caliditati ignis, una autem Qualitas non potest remitti nisi à contraria Qualitate. Non etiam ab humiditate, quià caliditas et humiditas non contrariantur sibi quoque. Præterea flamma quandò evanescit, non tam in Äerem quam potius in fumum desinit. minoris 2da pars (Quod äer non possit in Ignem converti) Probatur: Quià alias ignis in äere semel accensus nunquam extingueretur, quod est falsum. minoris 3tia (Quod neque Terra possit in Ignem immediatè converti) Probatur: Quià Terra non est combustibilis ut apparet in cinere, qui, quià est pars terrea, à mixto relicta non potest ignescere. Minoris 4ta pars Quod nec terra possit in Aquam converti immediatè. Probatur: Quià si ponatur exigua pars terræ in amphora Aquæ, cadet ad fundum, et perpetuò ibi manebit, nec in Aquam convertetur.

RESPONDEO Neg. minorem. Ad Probationem primæ partis dico, quod licet caliditas Ignis, non remittatur ab Äere, tamen propter humiditatem äeris inductam, nonnihil hebetatur ejus Activitas, siccitas enim acuit potentiam Activam, et hoc sufficit pro introductione Formæ Äeris, nã hac introducta, mox destruitur prior caliditas, et alia proportionata generatur, neq est opus ut flamma semper in fumum vertatur, sed potest aliquandò pro varietate casuum in äerem verti seu in Elementum aliud. Ad Probationem 2dæ partis Neg. Sequel. Ratio, quià licet äer possit esse pabulum ipsius ignis, tamen habet quoq vim et potentiam resistendi. Ad 3tiæ partis probationem, Nego Cineres non posse ignescere, licet cum difficultate majore; et proptereà non valet Consequentia: Quià cinis est mixtum potius, quam Terræ Elementum, nos autem loquimur hic de Elemento

Elemento, non verò de mixto. Ad 4tã partis probationem Neg. quod particula illa Terræ in Amphora injecta non convertatur in Aquam, longiore Temporis successu. OBIECTIO 2DA (Quod Elementa dissymbola non sint ad invicem immediatè transmutabilia) Probatur: quià non potest transiri de extremo ad extremum nisi per medium. Sed Elementa dissymbola sunt extrema. Ergo. Major patet: Quià Semen non statim transit in Formam corporis, sed prius in Formam embrionis, postea in formam Sanguinis, et tandem carnis. RESPONDEO Distinguendo majorem. Licet enim sit vera, dum inter extrema et medium est ordo essentialis et per se, qualis est inter Formas in objectione ista adductas, tamen falsa est, dum ordo est tantum Accidentalis, ut est in proposito.

THEOREMA SEXTUM

Singulis Elementis propriæ conveniunt Qualitates, ita ut Ignis sit calidus et Siccus, Aër calidus et humidus, Aqua Humida et Frigida, Terra Sicca et Frigida.

PARS 1MA De Igne probatur: Et calidum quidem esse, ipsa docet experientia, ita ut nemo possit hanc veritatem negare, nisi qui sit dignus igne: Siccum quoque esse colligitur, quià Ignis et Aqua sunt Elementa valdè opposita, et dissymbola. Ergo Non in una tantum, sed in utraque opponuntur Qualitate. Cùm ergo Aqua sit Humida et Frigida, Ignis erit calidus et Siccus. Item 2do Ignis potest extingui, imò de facto sæpissimè extinguitur aquâ calidâ. Ergo Non solum in frigiditate; sed etiam in humiditate illi contrariatur, et per consequens opus est ignem esse calidum et Siccum. Item 3tio Siccitas est Igni connaturalis qualitas. Ergo est siccus. Ans: Quià quo magis corpus est Siccum, eo facilius concipit ignem, ut patet de arido ligno. Ergo Forma Ignis postulat Siccitatem, tanquam dispositionem sibi connaturalem, et per Consequens Siccitas etc. Quod idem potest colligi ex effectu ejusdem, nam Ignis exsiccat vestes madidas etc. Ergo est Siccus. PARS 2DA De Aëre Quod sit Humidus et Calidus Probatur: Illud est calidum, quod maximam causat dispositionem in rebus ad putredinem et corruptionem (Quià calor et Humiditas, sunt causæ putredinis, sicut è contra, Frigus et Siccitas præservant à putredine, ut patet per experientiam. Nam Hyeme res diutius conservantur quàm æstate, et facilius Austro flante, qui est calidus et humidus in putredinem abeunt, quàm Spirante Aquilone, qui est frigidus et Siccus) Sed Aër causat maximam dispositionem in rebus ad putredinem et corruptionem. Ergo Aër Suapte naturâ erit calidus et humidus, non autem frigidus et Siccus. Item 2do videmus Tempore Hyberno calorem Aëri innatum, Loca petere Subterranea, dum à frigore superveniente corripitur, et propterea ibidem Aquas concurrentibus exhalationibus calidas fieri con

NB.
Causa putredinis quæ.

fieri et conservari, ut patet in puteis. Ergo. Item 3 Illa Qualitas intrinsecè convenit äeri cujus beneficio generatur Äer, illa verò repugnat, cujus beneficio seu Actione corrumpitur Äer: Sed Actione caloris generatur Äer, Actione verò frigoris corrumpitur. Ergo Calor, non autem frigus convenit Äeri. et per consequens Äer est calidus potius quam frigidus ex natura sua. Minor quoad utramque partem patet per experientiam. Quia Aqua Actione caloris solvitur in vaporem, et postmodum in Äerem, atquè sic beneficio caloris generatur Äer. Similiter Actione frigoris Äer vertitur in Aquam, ut accidit, quandò in cavernis generantur Aquæ, imò hoc idem in fenestris vitreis tempore hyberno rorantibus licet videre, dum Äer extrinsecus adhærens vitro, transit in Aquam, idem contingit etiam tempore Æstivo, dum Aqua gelida in phialam vitream infunditur, tunc enim in extima vasis superficie cernitur aspersio quædam causata ab äere extrinsecus adhærente, qui frigoris virtute intus existentis paulatim in guttulas Aquæ resolvitur. Ergo Actione frigoris corrumpitur äer. Item 4to Äer non est Siccus. Ergo est Humidus. Ans: Quià aliàs cùm sit quoque calidus, non distingueretur ab igne, si autem ponatur frigus, jam non distingueretur à Terra, quod est falsum. Sequela: Diversa enim qualitatum combinatio arguit diversitatem Formarum Substantialium in Elementis saltem à posteriori. Et præterea illud est humidum, quod facilè alieno termino figuratur, nec ullum proprium conservat (nam Humiditati convenit, ut Subjectum reddat fluidum atque liquidum, undè res humidæ ita è manibus elabuntur, ut non possint retineri) Sed Äer est talis. Ergo est Humidus. PARS TERTIA De Aqua Quod sit Humida et Frigida. Probatur. Et quidem Humidam esse omnes fatentur, undè et in Sacra Scriptura dicitur (Si continuerit Aquas, omnia siccabunt Job. 12) Frigiditatem etiam illi convenire naturaliter, ipse indicat sensus, nam in fluminibus, Fontibus et Puteis, experimur Aquam Frigidam, imò in Æstate, propter ambiens calidum Aqua in puteis atque cisternis invenitur frigida, nec istam frigiditatem, licet Agenti extrinseco tribuere, vel ab ipsa Terra causatam esse sentire, quià adhuc sensibilius frigiditas Aquæ, quam terra sensu percipitur, undè et pisces in hoc Elemento degentes sunt frigidioris naturæ cæteris Animalibus. Et vel maximè frigiditatem Aquæ esse connaturalem colligimus ex eo, quià dùm ab aliquo Agente extrinseco v.g. ab igne recipit Aqua violenter calorem, statim postquam ab eo fuerit remota, absque ullo extrinseco infrigidante sponte suâ paulatim impressum, illum calorem excutit, et ad pristinam frigiditatem sese reducit, quod indicat nobis hanc Qualitatem non esse Aquæ extraneam. PARS 4ta De Terra quod sit Sicca et frigida; Et Siccam quidem esse patet ex Sacra Scriptura, ubi terra appellatur

Humidum quid.

Sicci Definitio.

Appellatur Arida. Præterea convenit illi Definitio Siccitatis. Nam Siccum est id, quod facilè proprio termino coercet, nec indiget alieno. Atqui Terra est talis, nam in se consistit, et propriis terminis sponte suâ se continet, et tandem, cum perfunditur Aquâ, virtute suæ siccitatis humorem absumit, et paulatim ad nativam siccitatem redit. Probatur quod etiam sit frigida: Quia licet partes ejus superiores et extimæ, quas radii Solares attingunt, fiant calidæ, tamen in visceribus ejus, ex subterraneis cavernis, quo calor Solis non pervenit, ingens dominatur frigus. Ex Lapidibus quoque et metallis, in quibus prævalet terra, quia sunt mixta valdè terrestria frigiditatem Terræ convenire, facilè colligitur. Item ex ipsius gravitate et Densitate, quod enim est densum et grave, illud quoque ut sit frigidum oportet (Quia densitas et gravitas causantur à frigiditate, sicut raritas et levitas à calore) Sed terra est gravior omnibus aliis Elementis.+ Ergo est quoque frigida.

+ levitatis

Causa Densitatis & gravitatis est frigiditas: Raritatis et ~~[struck]~~ calor.

+ et densior.

OBIECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIONES.

OBIECTIO 1ma Quod ignis non sit siccus, sed Humidus. Probatur: Quia convenit illi Definitio Humidi. Ergo est Humidus. Ans: quia facilè alieno termino figuratur. Item 2do: Medici docent carnes assas humidiores esse quam elixatas, et hoc accidit modo virtute humectativâ ignis. Ergo est humidus. Item 3tio Qui manum extendunt super flammam, postquam eam retraxerint, non solum calefactam, sed etiam humectatam experiuntur. Ergo Ignis est Humidus. Item 4to: Illud est Humidum, quod mixta liquefacit (Nam omne Agens in Agendo Passum sibi assimilare conatur) Sed ignis liquefacit mixta v.g. Aurum, plumbum et alia metalla. Ergo est humidus. RESPONDEO Neg. Ans: et probationem Disting. Licet enim figuretur alieno termino violenter, et quasi ab extrinseco, tamen non figuratur facilè suâ sponte et ab intrinseco, atque ideò non convenit illi Definitio Humidi. Ad 2dum Dico: Medicos per hanc suam Doctrinam docere, quod plus de Substantia et Succo carnis remaneat in carne assa, quam in carne elixatâ, ex hac enim facilè per aquam diffluit ejus substantia et virtus. Ad 3tium Dico: Flammam deficere ab omnimodâ puritate, quæ illi debetur Igni, quia semper trahit secum aliquid humiditatis ex lignis, quæ facilè ipsi admiscetur. Ad 4tum Dico mixta v.g. metalla liquari ab igne, non ideò, quia sit Humidus, alias multo magis adhuc liquarentur ab aëre, qui humiditate excedit Ignem; sed ab ejus calore solvuntur, materia enim metallorum est humidum Aqueum viscosum,+ eo ipso, quod frigus connectens illa scil. (Humidum aqueum et subtile terreum superatur à calore ignis, statim liquefiunt, et Humida evadunt, quia defectu frigoris non potest siccum terreum

Materia metallorum quænam.

+ Virtute Frigoris perfectè mixtum atque cum subtili terreo condensatum, unde eo etc.

terreum amplius cohibere fluxibilitatem humidi aquei. OBIECTIO SECUNDA Quod Aër sit fri-
gidus. Probatur: Talis est Aër ex naturâ suâ, qualis est ibi, ubi maximè recedit à suis con-
trariis: Sed ibi est frigidus ut constat in media Aëris Regione, ubi propterea generantur pluviæ,
nives et grandines. Ergo. Item 2do Aer est institutus à natura ad refrigerationem Animalium
per respirationem. Ergo Non potest esse ex sua Natura calidus, aliàs ineptus esset ad tale officium.
Item 3tio Aër motus flabello refrigerat faciem. Ergo suâ naturâ est frigidus. Consequentia:
Quia motus in rebus calidis calorem, et in frigidis frigiditatem excitare solet. Item 4to:
Citius Aër frigescit, quàm Aqua calida. Ergo Apparet non magis Aquæ frigiditatem esse in-
natam, quàm äëri, et per consequens, si aqua est frigida naturaliter, etiam et äer. R̸deo
Ad 1mum Disting. minorem. Licet enim äer in media Regione sit frigidus ab extrinseco,
tamen non est frigidus ab Intrinseco; nam frigus illud äëris in mediâ Regione provenit ab
extrinseco, Scil: à vaporibus Aqueis, quibus exhalationes terreæ admiscentur, quæ in ea Regio-
ne præbent materiam nubibus et pluviis, et cum ad connaturalem statum frigoris sese re-
ducunt, totam illam äëris Regionem infrigidant. Ad 2dum Dico Aerem comparatione cordis
longè esse frigidiorem, nam cor Animantis adeò fervet, ut Philosophus appellet illud Ignem seu
cor ignitum, et propterea est aptus ad tale officium et ad respirationem: imò ut adhuc sit
aptior providit natura caliditatem ipsius remittendo atque raritatem condensando, unde
in montibus altissimis, quià est nimium rarus, dicitur minus esse ad respirandum idoneus. Ad
3tium Neg. Conseq. et probationem, quià falsa est illa propositio (Calida per motum ca-
lescunt, et frigida frigescunt) nam aqua agitata, si fuerit calida, per motum frigescit, &
lapides frigidi attriti motu incalescunt. Porrò Cur Aër flabello motus refrigeret vultum
hominis, causa est, quià scilicet äer est frigidior corpore hominis sudantis, ideò autem
oportet alium atque alium assiduè afflare, et flabello ciere, quià facies per tenuissimos halitus
à se prodeuntes äërem sibi afflatum citò calefacit. Sed Instabis: Si propter afflatum
et successum novi äëris refrigeratur vultus. Ergo Hoc idem contingeret, quandò homo sudans
de uno ad alium movetur Locum (quià tunc novus et alius atque alius succedit äer) Atqui hoc non accidit. Ergo
solutio nulla. RESPONDEO Neg. Sequelam. Ratio: Quià flabello non solum äer externus
circumdans faciem, expellitur à facie, sed etiam et äer internus, qui est in poris faciei in-
clusus, à quo potissimum causatur homini molestia, neque expellitur motu deambulationis æquè
commodè sicuti flabello, nisi ille sit concitatus absque defatigatione tamen, quià aliàs augeretur

augeretur calor in corpore, juxta illud (motus causat calorem) Ad 4tum Neg. Consequentiam: Ideò autem faciliùs äer amittit calorem quàm aqua, quià äer est magis rarus, Aqua verò est magis densa, et ideò diutius Aqua externum calorem conservat, quàm Äer. OBJECTIO TERTIA: Quod Äer non sit Humidus. Probatur 1mo: Quod ex natura sua est siccum, non est humidum. Sed äer ex natura sua est siccus. Ergo. Minor: Quià quandò äer est purus, omnia per ipsum exsiccantur, ut contingit tempore æstivo et summo gelu. Quòd si autem aliquandò videtur äer esse Humidus, id ei contingit ab extrinseco scilicet: à vaporibus et pluviis, quæ facilè se äeri immiscent, ob ejus limpiditatem et tenuitatem. Probatur 2do: Si äer esset Humidus ex naturâ suâ, sequeretur, quod se solo humectaret mixta, prout facit Aqua. Atqui non humectat. Ergo Non est Humidus. RESPONDETUR Neg. minorem, ad probationem dicitur, quod nunquam äer exsiccet vestes, aut res alias propriâ qualitate, sed tantum extraneâ et peregrinâ, aliundè acceptâ, potissimum autem ab influentiâ Cœli desiccativâ. Ad 2dum concedo: Quod Äer non humectet ita ut aqua, causa autem istius est hæc, quià Äer ob suam subtilitatem et raritatem, nimis diffluit atque dilabitur, ut autem posset humectare, deberet ad instar Aquæ corporibus adhærere. Cæterum ob hoc non debemus negare ipsum esse humidum, imò cùm diffluat magis quàm Aqua, debemus affirmare esse Humidiorem ipsâ Aquâ. OBJECTIO 4ta Quod Aqua non sit ex natura sua frigida. Probatur: Quod conservat Animalia, est calidum (quià Animalia calido conservantur) Sed Aqua conservat Animalia (quià multa in aquis vivunt, ut sunt pisces etc.) Ergo est calida, et per consequens non est frigida. Item 2do: Qualitas conveniens alicui naturaliter instar passionis, non corrumpit rem cui convenit. Atqui frigus nimium corrumpit Aquam (quià aqua nimio frigore vertitur in crystallum) Ergo. Item 3tio. Aqua hyeme instar fumi è puteis evaporat. Ergo est calida. RESPONDEO Aquam in qua conservantur Animalia esse permixtam contrariis, et præcipuè calore Solis calefieri, eo modo, sicut natura piscium est proficuum. Ad 2dum Dico Conversionem illam, non tam ipsius frigori Aquæ esse tribuendam, quàm potius sicco terreo, quod maximè contrariatur humiditati aquæ et superat eam, quandò in summo frigiditas ipsius intenditur. Ad Tertium: Evaporatio illa ex puteis tempore hyberno fit, non à calore nativo, sed à calore violenter ipsi Aquæ inhærente, quam causant, aut exhalationes calidæ in Locis Subterraneis reclusæ, quas frigus ambiens in apertum prodire prohibet, aut äer, qui ibidem eo tempore suum nativum tutatur calorem. OBJECTIO 5ta Quod Terra non sit frigida, quià est potius calida.

Nam

Nam
Respondetur Neg. Consequ. Quia licet terra sit Frigida, tamen Natura providit, ut partes extimae superiores tantum incalescant solis calore et virtute corporum Coelestium quantum sufficit ad culturam et generationem rerum. Et certè si hoc Argumentum valeret, etiam opus esset dicere, quod Terra sit naturaliter ex se humida, quia humor magis inservit generationi rerum quam siccitas, sicut ergo natura providit ut terra hominibus habitantibus et rebus generandis inserviens sit humida per aquas, huc illuc discurrentes intra viscera sua atque per pluvias desuper cadentes, ita ad eundem finem providit, ut sit quoque calida ex trinsecus quantum est opus.

Nam ad generationem plantarum, herbarum est à Natura ordinata, jam verò generationi rerum aptior est calor quam Frigus. Ergo est potius calida. Resp. etc.

THEOREMA SEPTIMUM.

Singulis Elementis conveniunt in summo Qualitates aliquae, Scilic: igni calor, Aëri Humiditas, Aquae Frigiditas et Terrae Siccitas.

Notum Dictum 1mum: Calor et Frigus sunt Qualitates adeò Activae, ut sua Activitas nunquam omninò extinguatur, quamvis materia eorum et Subjectum sit rarum atque expers densitatis. At verò Humiditas et Siccitas sunt Qualitates in Agendo adeò debiles, ut nisi adjuventur densitate materiae parum vel nihil Agere queant. Dictum 2dum: Humiditas dupliciter accipitur. 1mo Vulgariter ad sensum vulgi, hoc enim vocat illud humidum quod irrigat et madefacit corpora atque adhaerendo ipsis ratione humidi aquei et vaporosi, quod crassum est, ad aliquid viscositatis habens ob facilem adhaerentiam. 2do Philosophicè ad sensum philosophorum, qui illud vocant humidum, quod est de se fluidum, nec propriis terminis potest contineri, facilè tamen alienis terminatur. Dictum 3tium Effectus Humiditatis propriè et Philosophicè accepta, est Subjectum suum reddere fluxile et labile. Vulgariter autem et impropriè acceptae effectus Humiditatis est irrigare et madefacere corpora circa quae funditur res humida, quia talis humiditas est vaporosa. Dictum 4tum: Quoties medici vel alii Authores dicunt Aquam esse humidiorem äere, Sciunt eos loqui de Humiditate vaporosa, et madefactiva, quam solam vulgus pro humiditate agnoscit, licet revera illa vaporositas et adhaerescentia non sit de ratione Humiditatis, ut sic; metalla enim liquefacta et fusa sunt humida, nec tamen humectant corpus quod tangunt, nec illi adhaerescunt. Dictum 5tum: Haec Distinctio allatae humiditatis valet

Humiditatis duplex acceptio.

humiditatis valet ad plurima Argumenta solvenda, quæ in hac materia fiunt. v. g. quod corpora humore pinguescunt, quod Luna humidissimus Planeta Aquis, non verò Aëri prædominetur etc. Hæc enim omnia de Humore vaporoso et Humiditate vulgariter, non verò propriè et Philosophicè accepta concludunt.

THEOREMATIS PROBATIO.

PARS 1ma Quod singulis Elementis conveniat Qualitas aliqua in summo. Probatur per experientiam, quia singula Elementa remotis à se contrariis redeunt ad Qualitatem aliquam in summo. Ergo illa Qualitas convenit ipsis, alias, nisi conveniret non reducerent se ad illas sponte suâ. Item 2do Cuilibet primarum Qualitatum debetur aliquod subjectum in quo secundum totam suam perfectionem, et secundum omnes gradus perfectionis reperiatur, tunc Quæro, quodnam sit tale subjectum, vel Elementum, vel mixtum? Non potest esse mixtum, quia in mixto Qualitates primæ sunt contemperatæ, et in esse refracto. Ergo Debet esse Elementum. PARS 2da Quod igni conveniat calor in summo patet per experientiam: quia nullum datur corpus sublunare adeò calidum et Activum, ut est ipse Ignis. Ergo. PARS 3tia Quod aëri conveniat Humiditas in summo. Probatur: De- finitione Humidi, quia illud summè est humidum, quod est alieno termino facilimè omnium terminabile, nec potest aliquem terminum proprium retinere: Sed Aër est hujusmodi. Ergo est humidus in summo. Probatur 2do: Quod est omnibus aliis rebus magis fluidum et labile illud est in summo Humidum (quia proprius effectus Humidi est, subjectum reddere fluidum et labile) Sed Aër est magis omnibus aliis rebus, nedum corporibus mixtis, sed etiam Elementis fluidus et labilis (quia undequaque labitur, et sese in tenuissimos etiam poros corporum insinuat, in quos Aqua penetrare non potest) Ergo est humidus in summo. PARS 4ta Quod Aquæ conveniat frigiditas in summo gradu experientiâ, Comprobatur: Nam nullum Elementum adeò Frigidum sensus judicat quam ipsam Aquam, et si aliud esset frigidius, tunc potissimum esset Terra: Atqui hæc non est ita frigida sicut Aqua quia per infusionem istius ipsamet terra infrigidatur. Ergo PARS 5ta Quod Terræ siccitas conveniat in summo. Colligitur 1mo ex Definitione siccitatis. Siccitas enim est Qualitas reddens corpus facilè terminabile termino proprio et difficile alieno, ut videre licet in Saxis, Lignis, metallis et ipsamet Terra: Sed hæc Definitio Siccitatis inter alia Elementa maximè convenit ipsimet Terræ. Ergo. 2do Ex Sacra Scriptura, quæ Terram vocat aridam. 3tio Ex Effectu, quia Terra per Defectum Aquæ aperit rimas et in pulverem dissolvitur. Ergo est in summo gradu sicca.

Siccitatis Definitio.

OBIECTIO

OBIECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIONES.

Quod Aër non sit Humidus in Summo sed potius Aqua OBIECTIO 1ma. Probatur: Illud est magis Humidum, quod magis humectat corpora, quam illud, quod minus (quia hic est effectus humiditatis scilic: humectare) sed Aqua magis humectat quam Aër (Quia Aqua etiam ipsum Aërem humectat, ut patet tempore pluviae, et papyrus citius atque magis in Aqua quam in Aëre humectatur) Ergo Aqua est magis Humida Aëre, et per Conseq. Aër etc. RESPONDEO ad Argumentum Distinguo. Aqua est humidior Aëre vulgariter accipiendo Humiditatem, Concedo. Est Humidior Aëre Philosophicè accipiendo Humiditatem, Nego. Nam in hoc sensu humidior est Aër quam Aqua. Et dum dicis quod Aqua humectet aërem, dico verum id esse de Humiditate sumpta pro madefactione, quatenus huic aqueos vapores admiscet, quibus imbutus aër apparet esse madidus et udus, falsum tamen est loquendo de humectatione propriè Dicta, quia quo ad hanc Humiditatem, nequaquam Aqua reddit Aërem habilem ad alienum terminum accipiendum, imò minus aptum facit, nam aër vaporibus aquae condensatur et crassus efficitur. INSTABIS: Aër nimium Humidus convertitur in Aquam, ut constat experientiâ. Ergo Humiditas in summo non est propria Aëri sed Aquae, Cons: quia res non corrumpitur per id, quod ei convenit in gradu Supremo. RESPONDETUR Dicendo: Quod verum sit de Humiditate vulgariter accepta: Aër enim dum multum de vaporoso Humido imbibit, quod est proprium humiditatis aqueae, convertitur in Aquam, at falsum est de Humiditate propriè accepta. INSTABIS: Humiditas Aquae est conjuncta cum frigiditate, Humiditas verò aëris cum caliditate. Sed Frigiditas est aptior dispositio ad Humiditatem quam Caliditas (Quia frigiditas juvat ut tenacius subjecto inhaereat Humiditas) è contra verò caliditas facit Humiditatem ex Subjecto evaporare. RESPONDEO Conced. Frigiditatem esse aptiorem dispositionem ad Humiditatem communiter dictam scilic. vaporosam, qualis est Aquae quia aliquomodo constringit illum Humorem ne ita diffluat, & ipsius adhaerescentiam juvat, quod non facit calor. Similiter dicitur calor evaporare humiditatem non quamlibet sed vaporosam qualis est aquea, atque ideo existens in aëre, nihil de ejus humiditate evaporat, quia non est vaporosa. INSTABIS Aquatilibus major convenit Humiditas, quam volatilibus, sed his praedominatur Aër, illis Aqua. Ergo Item. A QUO difficilius removetur Humiditas, illud est magis humidum, sed ab Aqua

difficilius

difficilius quàm ab Aëre removetur (quià humor Aquæ difficilius remittitur quàm Aëris) Ergo. Respon-
deo Per eandem Distinctionem. Concedo quod Aquatilibus major quàm volatilibus conveniat humiditas
vulgariter accepta, non autem propriè. Ad Alteram Distinguo majorem. Licet enim illud magis
sit humidum à quo Difficilius removetur Humiditas difficultate separationis proveniente ab in-
tra, tamen illud non est magis humidum à quo difficilius removetur humiditas difficultate se-
parationis proveniente ab extra. Porrò Difficilius remittitur humiditas Aquæ, quàm Aëris ob Dif-
ficultatem ab extra provenientem scilicet ob densitatem materiæ, in quâ veluti magis unita
fortius se tuetur et validius contrario resistit. OBJECTIO 2DA Quod Aquæ frigiditas non
conveniat in summo. Probatur: Quià aliàs sequeretur quod Aqua ex sua natura in glaciem
concresceret. Atqui non concrescit. Ergo. Sequela: Quià nix et alia meteora nimio frigo-
re concrescunt in glaciem. Ergo. Nec valet si dicas Aquam concrescere propter exhala-
tiones terreas quæ ad generandam glaciem concurrunt, nam glacies est levior, quàm alte-
ra Aqua, undè supernatat. Ergo est purior quàm fluida Aqua, et per Consequens nullæ sunt
in ea exhalationes terreæ, atque sic solum frigus est causa congelationis. RESPONDEO Nego
Sequelam. Quià causa congelationis non est adæquata Frigus, experimur enim Aquam in
vitro inclusam et à circumfusa nive maximè infrigidatam nunquam in glaciem concres-
cere, oportet ergo ~~ergo~~ ut ad congelationem concurrat aliqua alia exsiccatio, nam siccitas
juvat ad reddendum corpus solidum et durum, undè nix ex aspersione salis congelascit. Ergo
terrea concurrunt terrestres exhalationes quæ in quendam humorem et succum conver-
sæ sunt veluti coagulum ad eam condensandam, ideò verò supernatat glacies aquæ, quia
habet vaporem äereum permixtum, quo in Aqua attollitur et sustentatur. INSTABIS: Humi-
ditas difficilius removetur ab Aqua, quàm frigiditas. Ergo videtur magis esse Humida quàm
Frigida. Item. Si esset ~~e~~ Humida jam non potest esse frigida in summo, quià Humiditas obtun-
dit vim frigoris et caloris, sicut è contra siccitas acuit vires utriusque, undè cum in Ter-
ra reperitur Frigus cum siccitate conjunctum, intensius erit in Terra quàm in Aqua. RESPON-
DEO Facilius removeri ab Aqua frigus quàm Humiditatem, non quià in ipsa sit remissius, sed
quià est minoris resistentiæ quàm sit humiditas, licet majoris sit Activitatis. Ad aliud Nego
Consequentiam. Neque enim humiditate vis caloris et frigoris secundum propriam Entitatem
ac intensio non obtunditur, sed solum in ordine ad Actum secundum calefaciendi vel infrigidandi, et
ideò potest esse intensum frigus tam cum Humiditate, quàm cum siccitate.

Theore-

Nb
probatum.

THEOREMA OCTAVUM.

Nec Aër est in summo calidus, nec Aqua in summo Humida. Notes hoc Theorema per modum corrolarii sequi ex praecedenti.

NOTES Imam Partem ita probari de Aere Imo: Quià experientia docet Aërem non esse ita calidum, ut est Ignis. 2do Quià aliàs difficilius reciperetur in eo frigus, quàm in igne, quod tamen est falsum. Sequela. Quià major densitas, sicut juvat ad Agendum, ita et ad resistendum. Ergo Facilius posset Aër resistere frigori quàm Ignis cum sit crassior & densior Igne. Item 3tio Quià totius Universi bonum requirit hoc, ut Aër non sit summè calidus, aliàs enim ad respirationem Animalium nequaquam posset inservire. PARS SECUNDA De Aqua probatur: Quià magis est fluidus Aër quàm Aqua. Ergo Est magis Humidus. Consequens. Quià ex fluiditate, non autem ex irrigatione colligi debet Humiditas, ut in praecedenti Theoremate diximus. Ans: Nam aër etiam tenuissimos poros ~~[illegible]~~ penetrat. Praeterea Aqua aliquandò propriis terminis figuratur, ut videmus quandò in terram pulvere aspersam effunditur, tunc enim gibbosam ac sphaericam acquirit figuram, quod non accidit äeri, et dum frigore concrescit, retinet figuram quàm Aër non solet habere. OBIICIES: Si duae Qualitates non convenirent cuilibet Elemento in summo, sequeretur quod Philosophus malè collegisset ex combinatione, Qualitatem, Numerum et Distinctionem Elementorum, atqui hoc non est dicendum. Ergo. Sequela. Quià accipiendo alteram Qualitatem in remisso gradu, et alteram in summo, possunt esse combinationes qualitatum penè innumerabiles, nam possumus accipere v.g. calorem ut octo primo cum siccitate ut 7, deinde cum siccitate ut 6. ut 5. ut 4 etc. Atque sic infinita statuenda essent Elementa. RESPONDEO Neg. Sequelam. Ratio: Quia Philosophus colligens numerum et distinctionem Elementorum ex combinatione qualitatum partitus est illas per gradus intensos et excellentes non autem per remissos, et nos dum dicimus Aërem hic non esse in summo calidum nec Aquam humidam, non propterea ipsis attribuimus istas Qualitates in gradu remisso, sed in excellenti et propè summum. Deindè ratio ista et collectio Philosophi est tantum probabilis non verò convincens. OBIICIES 2DO: Si Qualitas aliqua convenit alicui Elemento in gradu remisso, Quaero vel convenit illi sine admixtione contrarii, vel cum admixtione: neutrum. Ergo. Non 2dum Quià aliàs singula Elementa haberent duas Qualitates contrarias invicem contemperatas, quod propriè convenit mixtis, et directè pugnat cum constitutione simplicis Elementi, quod in quantum tale, nullam prorsus admittit

admittit in se ex contrariis mixtionem. Non 1mum. Quia Qualitas remissa habens contrarium non aliter admittitur quam per admixtionem contrarii, neq enim alig remissionis et intensionis invenitur modg præter admixtionem contrarii. Tum quia alias posset illa Qualitas remissa intendi usque ad summum in instanti, nam nulla erit resistentia ex parte passi, cum hac præsertim ex contrario attendatur. Respondetur Neg. 1mam partem minoris, id est, Dico quod convenit sine admixtione contrarii. Ratio: Quia sicut Lumen ming potest produci a Luminoso minori sine admixtione contrarii, ita potest ab aliqua Forma Elementari profluere calor ming intensg quam ab alia, qui ideo sit remissg præcise, quia habet pauciores gradg caloris, nec potest produci secundum plures, non autem quia habet admixtos alios frigoris. Et Concedo quod in instanti posset fieri Alteratio et intensio, neq sine ulla sequeretg illig alterati corruptio, et alterig in instanti generatio, quia præter illam Qualitatem habet aliam in summo successive expellendam. Quæres Hoc Loco, num possit probabiliter sustineri, Ignem summe esse siccum, et Terram summe Frigidam, ac etiam oppositum scilic. Ignem esse tantum proprie Summe siccum, et Terram eodem modo frigidam? Respondeo Quod posset, quia pro neutra parte videtur esse ratio convincens, quando enim datur aliqua contradictio, cuius neutra pars habet pro se convincentes rationes, tunc potest sustineri quæ ad utramq partem probabiliter.

THEOREMA NONUM.

Calor, Frigus, Humiditas, Siccitas sunt Formæ positivæ, ab ipsis rebus Calidis, Humidis, Frigidis et Siccis realiter distinctæ.

Notes: Iuxta Cardanum et quosdam Veteres solum Calorem et Humiditatem esse Formas positivas; Frigus vero et siccitatem tantum esse privationes et defectg, illud quidam caloris, hanc vero humiditatis. Ex recentioribg quoque aliqui negant Siccitatem esse Formam positivam, de Humiditate etiam idem asserit quispiam, quod licet quid sit positivum in corporibg, tamen non est quid distinctum ab illis, contra hos ergo præsens ponitg Theorema.

Probatio Theorematis.

Pars 1ma Iuxta Philosophum 2 de Anima. t. 107. omnes istæ Qualitates sunt tangibiles. Ergo sunt positivæ. Conseq. Quia privationes non cadunt sub sensum. Item illæ Qualitates sunt positivæ, quæ successive introducuntg: Sed istæ 4 omnes successive introducuntg, ut patet. Ergo sunt positivæ. Major: Quia successio in motu provenit ex contrarietate positiva terminorum, unde

undè quià Lux non habet Formam positivam contrariam, sed tantum privationem, ideò in Subjecto extenso, qualis est Aër supra Terram introducit in instanti. Item 3tio: Non tantum Calor, sed etiam Frigus sentitur et sensus nostros immutat Doloremque in illis causat. Ergo est Forma Positiva Frigus. Similiter Humiditatis et Siccitatis propriam faciunt sensationem, nam tactu benè dignoscitur, sitne sicca, vel humida vestis. Item 4to Nullum Agens suae corruptionem intendit Agendo. Ergo Frigidum agendo in calidum, non solum intendit corruptionem caloris sed etiam productionem frigoris. Tandem illae qualitates sunt Formae Positivae, per quas Agentia agunt et ab invicem patiuntur (quià reactio non provenit à privatione sed ab aliquo positivo) Sed istae Qualitates quatuor sunt Formae, per quas juxta Philosophum Agentia agunt et ab invicem patiuntur. Ergo istae qualitates sunt Formae positivae. Minor quo ad caliditatem et Frigiditatem est clara, quià earum Actio est obvia et sensibilis cuique, nam sunt maximè immutativae sensuum. Quo ad Humiditatem et Siccitatem probatur, quià et istae duae Qualitates sunt invicem Formae Activae. Nam 2 de Generat. t. 25 docet, quod ex Igne immediatè fiat äër, et non nisi Actione Humiditatis in siccitatem, cùm ignis et Aër non habeant contrarietatem intensam, nisi in illis duabus qualitatibus. Praeterea quià aliàs ex duobus Elementis dissymbolis, non posset fieri Tertium, quod est contra Philosophum, quandoquidem in productione Ignis ex äëre et terra oportet, ut caliditas Aëris superet frigiditatem Terrae, et siccitas Terrae superet Humiditatem Aëris, et per consequens fiet inter illas Actio et Passio. Idem docent experimenta: nam sal exsiccat carnes et corpora, siccitas cöagulat, quod Actionem indicat: Et è contra, Sal liquescit et humectatur ab Aëre, glacies ab Aqua, et carnes in Locis valdè Humidis putrescunt, et hoc fit Actione humiditatis corrumpentis. Denique Medici humidis morbis applicant sicca, et siccis Humida. Ergo Humiditas et Siccitas sunt ad invicem Activae. Pars 2da Quod istae Qualitates sint à rebus distinctae, patet ex mysterio SS. Eucharistiae, quià in Divinissimo Eucharistiae Sacramento remanet humor vini, non autem substantia vini. Ergo Humiditas est distincta ab ipsa re humida. Idem de caliditate, Frigiditate, et siccitate in alterâ specie dicatur.

Objectiones et Solutiones earundem.

Objectio 1ma (Quod Frigus et Siccitas non sint Formae positivae) Probatur: Nulla Privatio potest

privatio potest esse Forma Positiva: Sed Frigus et Siccitas sunt privationes (quia per solum recessum Agentis calidi v. g. Solis alia frigescunt et per solum recessum Humidi exsiccantur) Ergo. Confirmatur: Quia si ex re humida auferatur totus humor, nulla addita alia qualitate, eo tempore manebit res illa sicca, et talem esse quisque sentiet: Ergo Siccitas est solum privatio humiditatis. Idem dicatur de frigiditate, quia caliditate ablata, debebit res esse Frigida, licet nulla ponatur in ea re frigiditas. RESPONDEO Neg. minorem et ejus probationem. Neque enim frigus oritur ex absentia caloris, sicut caecitas ex absentia visivae virtutis, sed potius calor deficit ob praesentiam frigoris. Similiter Humiditas deficit per introductionem siccitatis, non autem per solum defectum et absentiam humiditatis. Ad Confirmationem Neg. Ans: Res autem illa si ab ea auferatur tota Humiditas et Nulla alia ponatur qualitas contraria humiditati, neutro modo se habebit, id est, neque erit humida, neque sicca, et sicut ablato calore subjectum non tali modo afficeret sensum sicut afficit dum est in ipso frigus, quia talis affectio frigoris est vera Actio, ita ablato humore subjectum non ita afficeret sensum, sicut afficit introducta siccitate, licet verum sit sensibilius deprehendi frigus in corporibus quam siccitatem. INSTABIS: Tempore Hyberno sola distantia Solis facit corpora frigore nimio rigere, quae omnia per propinquitatem Solis antea erant calida. Ergo Frigus est privatio caloris. Item Frigus, quo homo in febri corripitur, aliunde provenit, quam ex Spirituum absentia, qui prius sua absentia membris calorem subministrabant. Ergo. Idem Aristoteles sentit dum 2 de Generatione t. 13. Frigus appellat Privationem caloris. RESPONDEO N. Ans: Quia illius frigoris Tempore hyberno, causa positiva est Terra, Aqua et Astra quaedam, quorum Actionem in aestate Sol propinquus corporibus impediebat. Absentia vero Solis non nisi causa per Accidens potest dici illius frigoris, quatenus scilicet: desinit conservare calorem. Similiter Frigoris in febri causa positiva sunt Humores frigidi, qui propriam Actionem in partibus corporis exterioribus exerunt et exercent, dum Spiritus calidi ad inferiora recedunt, qui sua praesentia illorum humorum frigidorum Actionem prohibebant, aut remittebant, cui frigori est auxilio Forma mixti terrea, quae est frigefactiva naturaliter praedominium agnoscens. A Philosopho autem ideo frigus interdum vocatur privatio caloris, quia ex duabus Formis contrariis, una solet esse perfectior et excellentior quam altera; quae proinde ob suam imperfectionem imbuit privationis sibi ad illam conferatur: Et quia in proposito calor est Qualitas frigore excellentior, propterea frigus interdum appellatur caloris privatio cum

privatio cum tamen absolutè in se sit Forma positiva sicut ipse calor. OBIECTIO SECUN-
DA Quod Humiditas et siccitas non sint Formæ distinctæ à corporibus Humidis et Siccis. Pro-
batur, quia nulla est ratio, cur debeant poni à corporibus distinctæ. Ergo. Ans: Quia istæ
Qualitates non sunt operativæ, nec percipiuntur in se, nec aliunde. Ergo. Ant: 2da pars,
Quod non percipiantur sensu. Probatur: Quia Aqua sentitur quatenus est frigida vel ca-
lida, de humore autem illius nihil prorsus sentitur. Ergo. 1ma pars Ans: Quod non
sint operativæ probatur. Quia corpora humida non aliter humectant, nisi seipsa appli-
cando alteri corpori, efficienter autem nunquam, nam quamvis totius Vistulæ aut ma-
ris Aqua, ponatur, tamen sit modo inter illam Aquam et manum hominis vitrum in-
termedium, nulla sequetur in manu humectatio. Nec valet si dicas, siccitatem vi-
tri valdè resistere, quia QUÆRO vel hæc resistentia vincitur aliquandò, vel nunquam?
Si nunquam. Ergo Frustra ponitur Humiditas esse operativa, quandoquidem nunquam
operatur in res siccas. Si autem aliquandò vincitur ista resistentia? QUÆRO Quan-
dò et à Quo debeat vinci? cum ab humore totius maris pugnantis contra unum leve
vitrum non possit vinci. Idem de Siccitate probatur: Quod nunquam efficienter sit
operativa: Quia non alio modo corpus exsiccatur, nisi quandò ab eo expellunt corpora
humida, iis enim expulsis eo ipso res exsiccata dicitur, quia humoris substantia
exivit ab illa. Sic Ignis exsiccat suo calore vapores extrahendo, nec poterit ulla as-
signari exsiccatio in genere causæ Efficientis. RESPONDETUR Neg. Ans 1mum
et 2dum et Probationem secundæ partis. Quia falsum est, quod Aquæ humidita-
tem non sentiamus, sed solam caliditatem et frigiditatem ipsius. Quia dum quispiam
immergit Aquæ digitum, non solum frigus Aquæ sentit, sed ipsam quoque Aquæ humidi-
tatem, namque sentit eam sibi comprimenti cedere et circa digitum circumfundi,
et si Aqua atque cinis eundem caloris gradum in se habere ponantur et homini appli-
centur, tunc si quispiam clausis oculis dexterâ Aquam, et sinistrâ cinerem tangat,
certè solius tactus ductu discernet, hâc cinerem, illâ vero Aquam. Ad Probationem
1mæ partis. Nego Quod humiditas et siccitas propriam Actionem et Sensationem
non habeant, licet certum sit, quod Actio earum debilis sit, unde ob hanc exiguita-
tem virtutis Activæ in comparatione ad Frigus et calorem dici solent Qualitates
Passivæ, et eadem de causa indigent proximâ ac intimâ applicatione ad passum,

ut

ut agant in illud, ut licet videre dum panis vino humectatur, vel carnes sale exsiccantur, et licet Substantia vini humida et salis sicca in partes panis et carnis porosas sese insinuent, tamen alias partes solidiores proximas efficienter humectant et exsiccant. undè ad illum casum de Aqua totius Vistulæ seu maris manui approximatâ Solo vitro interjecto, quod nulla debeat sequi humectatio, dico id evenire propter debilem humiditatis Actionem, et nimiam siccitatis in vitro resistentiam. Deindè Nego Absolute nunquam posse fieri humectationem interjecto vitro, nam si vitrum impletum sale undiq circumdet Aqua, consequenter ibidem Sal humectabitur. Ad Instantiam illam de siccitate dico negando exsiccationem fieri per solam humorum à corpore extractionem, etiam etiam per inductionem siccitatis in eo, et dum probas, quod in hunc modum Ignis exsiccat vestes, lutum etc. scilic: extrahendo humores R(espon)deo per Distinctionem, duplex enim est exsiccatio. Una Substantialis seu impropriè dicta. Alia Qualitativa seu propriè dicta. 1ma est quæ fit per resolutionem partium subtilium humidarum manentibus terrestribus, et in hoc sensu calor Solis vel ignis exsiccat, quod est exsiccare per Accidens, quià tunc Actione caloris, non producitur ulla nova siccitas sed tantum rarescit corpus in quod agit calor, undè evaporat substantia Humida, et remanet sola sicca, quæ propter separationem à Contrario magis sensu percipitur. 2da verò Exsiccatio scilic: Qualitativa est illa quæ fit per Realem et novam productionem siccitatis, & ista non fit à caliditate, sed est propria ipsius siccitatis positivæ. Quæres An primus modus exsiccandi scilic: per exsiccationem Substantialem possit exerceri sine secundo. Respondeo Probabiliter, quod non possit, quià veresimile est, quod, dum Sol aut Ignis agit in lutum seu madidas vestes, non solum extrahantur humores ab illis vestibus, sed etiam aliqua de novo in eis producatur siccitas, non quidem Actione caloris, sed actione Siccitatis, quæ reperitur in Igne, quæ etiam valdè juvat in genere causæ Formalis ad expellendos humores ex Subjecto, in quod introducit ipsa

Exsiccatio est duplex.

THEOREMA DECIMUM

Qualitates primæ Quatuor rectè à Philosopho definiunt et in omnibus corporibus, etiam in Elementis sunt Formæ Accidentales.

Notandum

Notandum Dictum 1mum. Circa secundam partem hujus Theorematis duæ sunt opiniones. Una est Græcorum, quos sequitur ex Latinis Cremoninus, qui tenent istas Qualitates 4tuor esse Formas Elementorum Substantiales ac substantialiter eorundem constitutivas. Altera est Latinorum, qui tenent has Qualitates tam in corporibus mixtis, quod idem etiam Græci concedunt, quam in ipsis Elementis esse Formas Accidentales, quod quidem Græci negant. Dictum 2dum Circa Primam partem quoque Theorematis non est inter Authores concordia. Nam alii Definitiones à Philosopho datas recipiunt, alii rejiciunt, & suas alias assignant, alii tandem, ut plurium, non autem semper ipsas esse veras sustinent. Dictum 3tium: Qualitates istas Philosophus secundo de Generatione definit in concreto hoc modo: Calidum est, quod congregat Homogenea, et segregat Heterogenea. Frigidum est, quod tam Heterogenea quam Homogenea congregat simul. Humidum est quod facilè alieno, non verò proprio figuratur termino. Siccum est, quod facilè proprio, non autem alieno terminatur termino.

Calidi Definitio. Frigidi, Humidi et Sicci Definitio.

PROBATIO THEOREMATIS.

Pars 1ma Quod primæ Qualitates rectè definiantur patet, quia singularum Definitionem rectè esse assignatam cognoscimus ex declaratione ipsâ, sunt enim hoc modo intelligendæ: Caliditas est Qualitas, cujus virtute Homogenea, id est, ea, quæ sunt ejusdem rationis aduna[n]tur, quæ verò sunt alterius rationis, dissolvuntur, quod licet videre in liquefactione metallorum, ceræ etc. Nam aurum purgatur igne, quia omnes partes ejusdem rationis simul uniuntur et dissimiles separantur, ut ~~[illegible]~~ scoria. Item si cera habeat in se lapides, ligna, item paleas simul concreta, sub Tempus liquefactionis, lapides petunt fundum, ligna autem cum paleis supernatant, ipsa autem cera remanet pura in medio. Ratio autem istius est, quia calor calefaciendo habet virtutem relaxandi et rarefaciendi, undè ejus Actione, quæ sunt ejusdem rationis et conditionis ~~congulant~~ coadunantur, dissimilia verò separantur, unumquodque petens locum proprium, si verò illæ res sunt diversarum naturarum, tunc dissimilia, et diversa petunt Loca, et cum per liquefactionem omne tollatur impedimentum quod secum ferebat concretio, naturaliter quodlibet ad suum tendit Locum. Frigus è contra est Qualitas promiscuè congregans Homogenea ac Hetero

Heterogenea simul, quod patet in congelatione Aquæ, videmus enim, quod omnia in ea reperta cujuscunque sint generis et conditionis, simul uniuntur, propterea quià frigus frigefaciendo vim habet condensandi et constringendi, et consequenter, quæ reperit, simul constringit et condensat.

Quid sit Humiditas.

Humiditas est qualitas reddens corpus difficilè terminabile proprio termino et facillimè alieno, quià humiditas adfert quandam fluxibilitatem corporis, quæ est in causa ut corpus difficulter proprios retineat terminos et figuram, sed faciliter figuræ corporis continentis accommodatur ut patet in Aqua et Aëre ratione vasis.

Siccitas Quid.

Siccitas tandem est qualitas reddens corpus cum facilitate terminabile termino proprio, et cum difficultate termino alieno, ut patet in lapidibus qui non facilè alienam recipiunt Figuram, quam solet recipere Aqua, id autem provenit ex eo, quià Siccitas confert quandam duritiem et consistentiam corpori per quam resistit quominus alienæ Figuræ accommodetur, et facilè propriam retineat.

PARS 2DA Theorematis. Quod istæ Qualitates quatuor sint Formæ Accidentales in Elementis. Probatur 1mo: Quod uni est Accidens, illud non potest alteri esse Substantia: Sed istæ quatuor Qualitates primæ, quæ univocè conveniunt omnibus corporibus, tàm mixtis quàm simplicibus, sunt accidentia in corporibus mixtis (quià videmus mixta calefieri et frigefieri absque alia Substantiali mutatione, et in Sacratissima Eucharistia remanent recedente substantiâ panis et vini) Ergo et in Elementis erunt Accidentia. Major: Quià Substantia et Accidens non judicantur tali ex solâ comparatione ad alia, sed quià in se talis sunt conditionis et naturæ. Ergo idem ad diversa comparatum, non potest esse modo Substantia, modo Accidens, quià quod est de se tale, ubicunque ponatur, semper est tale, v. g. Aurum ubicunque positum fuerit semper est Aurum. Item Albedo, ubique est albedo. Probatur 2do: Si 4 primæ qualitates essent Formæ Substantiales Elementorum, sequeretur, quod Substantia esset per se sensibilis. Atqui hoc consequens est contra Philosophum 2 de Anima t. 63 et ubi asserit quod Substantia sit per Accidens sensibilis, et t. 63. dicit quod unusquisque sensus versatur circa proprium objectum sensibile, et non decipitur, ut visus circa colorem, et Auditus circa sonum, potest tamen decipi in judicando, quid sit illud quod est coloratum, et quid sit sonorum. Et t. 65. dicit sensibile secundum Accidens est id, quod non sentitur per se, sed per aliud, ut si Album sit Diari filius, tunc filius Diari

Observat: Nulla Substantia per se cadit sub sensum.

filius Darii est substantia, album verò est Accidens, dum ergo dicit, quod Darii filius, qui est substantia est sensibile, per Accidens denotat, quod Substantia per se non est cognoscibilis à sensu, sed solum mediante Accidente. Conseq. autem est evidens, quià primæ Qualitates sunt per se sensibiles, ut patet ad ipsum sensum. Ergo si illæ essent Formæ substantiales Elementorum, sequeretur substantiam esse per se sensibilem, non autem per Accidens, esse enim sensibile per se, et per Accidens, repugnat. Probatur 3tio: Substantiæ nihil est contrarium (ut dicitur in Prædicamento Substantiæ) At si primæ Qualitates sunt Formæ Elementorum substantiales, hoc falsum esset, quià primæ Qualitates sunt contrariæ, et ipsæ sunt juxta Te Formæ Substantiales Elementorum. Ergo Substantia esset alteri contraria. Probatur 4to: Sequeretur quod Substantia susciperet magis et minus. Conseq. est falsum. Ergo et Ans: Falsitas patet ex Prædicamento Substantiæ, ubi dicitur proprietatem hanc esse Substantiæ ut non suscipiat magis et minus. Sequela patet, quià primæ Qualitates suscipiunt magis et minus. Probatur 5to: Videmus Aquā calefactam, postquam ab ea Ignis removetur pristinam resumere frigiditatem. Ergo signum est quod in ea sit aliud Principium præcedens frigiditatem, cui principio opus est attribuere istam operationem resumendæ pristinæ Frigiditatis, neque enim potest attribui ipsi frigiditati remissæ, nam universaliter verum est, quod nulla Qualitas potest seipsam in suo Subjecto intendere, vide instantiam secundam objectionis secundæ in hoc Theoremate.

OBIECTIONES ET SOLUTIONES EARUNDEM.

OBIECTIO 1ma Quod calorem non rectè definiverit Philosophus; quià falsum est, quod calor segreget Heterogenea. Ergo. Ans: quià potius congregat ista. Erg. Ans: Nam Actione Ignis calefacientis pix et cera, stannum et plumbum, si liquefiant simul, ita miscentur, ut nequeant amplius separari, quod clarissimè patet in Pharmaco, ubi plures ac diversi liquores virtute caloris commiscentur. Sed Stannum et plumbum sunt heterogenea. Ergo calor non segregat Heterogenea. RESPONDEO N. Ans. 1 et 2. 3. minorem. Quià sicut per Homogenea, non intelligit Philosophus ea quæ sunt unius naturæ substantialis præcisè, sed tantum illa, quæ in liquabilitate, gravitate, levitate aliave simili complexione conveniunt, licet sint diversæ naturæ: ita per Heterogenea non intelligit quæ sunt diversæ natura et Substantia præcisè specificè, sed tantum illa, quæ in his prædictis proprietatibus non conveniunt

conveniunt. Cùm ergo Stannum et Plumbum conveniant in liquabilitate, gravitate etc. possent dici Homogenea saltem quo ad istas proprietates, licet quo ad naturam suam præcisè sint Heterogenea. OBIECTIO 2DA (Quod primæ Qualitates non sint Formæ Accidentales in Elementis) Probatur: Nulla Substantia constituitur in suo esse Substantiali per Formas Accidentales: Sed Elementa constituuntur in suo esse Substantiali per primas Qualitates. Ergo primæ Qualitates non sunt Formæ Accidentales. Minor: In Elementis præter primas Qualitates nulla est alia Forma. Ergo. Ans: Ubi est alia Forma præter primas Qualitates, ibidem etiam debent esse Actiones propriæ aliæ ab Actionibus primarum Qualitatum (Quià Forma non cognoscitur, nisi ex propriis Actionibus) Sed in Elementis præter Actiones proprias primarum Qualitatum, quæ sunt calefactio, frigefactio etc. Nulla alia deprehenditur Actio. Ergo Nulla est ibi Forma alia. RESPONDETUR Neg. 1. minorem. 2 Ans. 3. minorem. Quià Actio reducendi se ad pristinum statum, cùm ab eo dejecta fuerint, similiter Actio generandi alias Substantias Elementares et mixtas, satis indicat aliam Formam istis primis 4 qualitatibus priorem, nulla enim istarum Actionum potest ipsis adscribi. Non 1ma, quià nulla Qualitas potest se ipsam intendere, neque 2da, quià calor v. g. in Igne non potest nisi calefacere, non autem ignire, hæc enim est propria Actio Formæ ignem constituentis. INSTABIS 1MO: Nullum Accidens est de Essentia Elementi (quià Elementa sunt Substantiæ, jam verò Accidens non est de Essentia Substantiæ) Sed Primæ Qualitates sunt de Essentia Elementorum ✝ quo sublato, tolluntur Elementa (quià ex 2 de Anima t. 9 id est de essentia rei, quo sublato, res aufertur) Sed sublatis primis qualitatibus tolluntur Elementa. Ergo primæ Qualitates sunt de essentia eorum. RESPONDEO Neg. minorem, deindè distinguo majorem, licet illud sit de Essentia Elementorum, quo sublato, Elementa per se primo formaliter et immediatè tolluntur, tamen illud non est de essentia Elementorum, quo sublato, non nisi consequenter tolluntur ipsa Elementa. Porrò sublatis primis Qualitatibus tolluntur Elementa consequenter, non autem per se primo formaliter et immediatè, atque sic primæ Qualitates erunt tantum proprietates Elementorum, non verò Formæ substantiales. INSTABIS 2DO: [illegible] est Forma Substantialis alicujus rei, per quam potest sibi simile producere. Sed Qualitates Elementa Activas producunt sibi similia. Ergo. RESPONDEO Disting. minorem, quià Elementa per Qualitates agunt et generant sibi similia, non tanquam per Principia Principalia, tantum tanquam per Principia Secundaria et instrumentalia. 3mò ista instantia valet [illegible]

✝ Ergo non sunt Accidentia. Minor: Quià illud est de essentia Elementorum quo etc.

...ubis et potest contra adversam partem retorqueri sic: Propria et principalis operatio substanti-
alis Formæ, est generatio Substantiæ sibi similis, et corruptio contrariæ dissimilis. At hæc opera-
tio non competit Qualitatibus primis, sed soli Formæ Substantiali Elementorum. Ergo Primæ qua-
litates non sunt Formæ Substantiales Elementorum. Minor quo ad 1mam partem Probatur: Quià
primæ Qualitates sunt sibi contrariæ positivè, et omnes reperiuntur in quocunque composito na-
turali quocunque modo cum suâ contrarietate. Ergo ex vi suâ et nativâ Actione non possunt
generare aliquid simile alteri, quià semper pugnant. Ergo Oportet ut in corpore naturali sit
aliquod aliud Principium Principale, quod sit assimilativum, et sic primarium generationis
principium in unitate specifica rerum. Confirmatur: Quià corruptio quæ est prima Elemen-
torum pugnantium Actio, non est intenta propter se à natura, sed solum per Accidens, qua-
tenus res corrumpitur, quià Agens in illam materiam vult inducere aliam Formam, quæ priori
est incompossibilis. Quæres Hoc loco, An debeant admitti in Elementis Qualitates aliquæ
virtuales, à quibus ista quatuor primæ nobis notæ proximè oriantur ejusdem appellationis ac denominationis?
Respondeo Negativè, et dico quod nequaquam debeant admitti. Ratio: Quià plurali-
tas sine evidendi necessitate non est ponenda: At nulla apparet necessitas harum Qualita-
tum virtualium in Elementis præter Actuales. Ergo istæ Qualitates virtuales non sunt po-
nendæ in Elementis. Minor: Nam aut ponuntur propterea, quià Substantia non potest imme-
diatè Agere, sed mediante instrumento tantum, aut quià cùm qualitates formales sint varia-
biles, dandæ sunt aliæ invariabiles in Elementis quarum Actione reparentur aliæ, cùm à con-
trario valdè fuerint debilitatæ atque remissæ. Sed neutrum istorum valet. Ergo. Non 1mum:
Quià falsum est substantiam non esse immediatè Activam, et præterea licet concederetur istud de
Actione transeunte in Subjectum externum, tamen non est opus idem admittere de Actione imma-
nenti, quià sic adhuc restaret dubium, à quonam istæ Qualitates virtuales producantur, scilic.
vel à Substantia immediatè, vel mediante alio Accidente. Si immediatè, jam admittitur
Actio immediata in Substantia, unde idem præstabit dicere de qualitatibus Formalibus, quod im-
mediatè proveniat à Forma Substantiali absque alio medio. Si autem mediante alio accidente,
tunc deberet dari processus in infinitum, quem non admittunt Philosophi. Non 2dum: Quià cum
Forma Substantialis sit magis invariabilis, quam ista virtus, seu qualitas virtualis ipsi Formæ Sub-
stantiali super addita, satis erit ut variabilitas Qualitatum Formalium reducatur in Formæ Sub-
stantialis invariabilitatem. Sed Obiicies contra hanc responsionem, non potest quicquam assig-
nari præter frigiditatem virtualem, à quo calefacta Aqua reducatur ad pristinam frigiditatem.
Ergo.

Ergo virtualis Qualitas admittenda est in Aqua, quæ est causativa frigiditatis pristinæ in ipsa. Ans: Nam ab humiditate Aquæ quià non contrariatur calori. Non à Forma Substantiali Aquæ, quià nulla Forma Substantialis agit sine instrumento, nec quidpiam aliud potest dari. Præterea aliàs caliditas illa Aquæ violenter impressa corrumperet, et nullum daret Agens, quod esset ipsius corruptivum. Neq enim potest dici quod corrumpatur à Forma Substantiali Aquæ, quia hæc non contrariatur illi, dicitur enim in Prædicamento Substantiæ, quod nihil sit contrarium Substantiæ (supple) per se, licet per Accidens sit contrarium. Ergo à nullo corrumpi[tur] nisi ponatur virtualis frigiditas. RESPONDETUR Neg. Ans, et dico illam reductionem fieri à Forma Substantiali, quæ ad Actionem saltem immanentem nullo indiget instrumento. Ad[...] Neg. Sequelam et Dico quod illa caliditas corrumpitur Formaliter quidem à frigiditate, [...] de novo producta à Forma Substantiali ipsius Aquæ, effectivè verò ab ipsamet Forma Substantiali, quæ frigus illud in se excitat, vide Theorema sequens. &c.

Qualitates materiales et corporeæ sunt duplices.

THEOREMA UNDECIMUM.

Qualitates virtuales sunt in mixtis admittendæ, licet in Elementis non admittantur.

NOTES Qualitates materiales et corporeas esse duplices, quædam enim sunt per se seu in se ipsis sensibiles, et ideo vocantur formales seu Actuales, ut sunt: Calor, Frigus, Color, Sapor, odor, sonus etc. in pomo vel alia re, quædam verò solum sunt sensibiles in suis effectibus, et illæ dicuntur virtuales, ut est virtus in succino trahendi paleas, et in magnete trahendi ferrum. Item virtutes, quas habent Lapides, gemmæ, herbæ et plura medicamenta ad producendos varios effectus.

THEOREMATIS PROBATIO.

PARS 1ma Quod Qualitates virtuales sint admittendæ in mixtis. Probatur: Quia dantur res aliquæ in quibus reperitur virtus diversorum effectuum productiva, v. g. vinum [...] per causant in homine calorem, magnes trahit ad se ferrum, herbæ quædam refrigerant. QUÆRO igitur à quonam proveniant isti effectus, vel à Qualitate virtuali, vel à Qualitate aliqua sensibili, vel à Forma substantiali ipsorum mixtorum. Sed non potest dici, quod à Forma Substantiali mixtorum immediatè proveniant, neque à Qualitate sensibili. Ergo debent provenire à qualitate virtuali, et per consequens datur talis Qualitas in mixtis. Minoris 1ma pars Quod non à Forma Substantiali immediatè proveniant, Probatur: Quia ad Actionem Transeuntem juxta communem opinionem Forma substantialis non concurrit nisi mediante instrumento, sed isti effectus producuntur Actione transeunte. Nam piper [...]

hominem, non verò seipsum calefacit. Ergo Non provenit à Forma Substantiali immediatè ista caliditas. Praeterea Forma Substantialis non solet remitti, quià Substantia non solet recipere magis et minus, sed virtutes à quibus proveniunt tales effectus, sunt remissibiles, ut patet in vino vapido seu marcido et in pipere antiquato. Ergo. Item: Docet experientia, quod magnes non trahat ferrum si ungatur allio, quià est Qualitas alii contraria, qualitati ~~[illegible]~~ attractivae magnetis, et ideò impedit Actionem trahendi. At si talis Actio proveniret immediatè à Forma Substantiali, certè nullum fieret impedimentum, quià formae Substantiali nihil est contrarium. 2da pars minoris: Quod scilic: (non) à qualitate sensibili, nam aliàs in omni corpore, in quo talis esset Qualitas, ejusmodi effectus operaretur, quod est falsum. PARS 2DA Quod virtuales Qualitates non dentur in Elementis. patet ex praecedenti Theoremate, et hic adhuc probatur: Quià nullus apparet effectus, qui nobis tales qualitates Virtuales esse in Elementis ostendat, nisi reductio eorum ad suas Qualitates Actuales, ut pars adversa tenet: Sed hoc minimè est verum, quià omnes tales reductiones possunt salvari in Elementis per immediatam Actionem Formarum Substantialium. Ergo. Item: Si in Elementis darentur ista virtuales Qualitates, sequeretur quod Elementa non possent redire ad suum statum connaturalem, quod est falsum. Sequela: Quià tales Qualitates si darentur, deberent esse remissibiles, eo modo quo et Formales qualitates remittunt, nam sicut Qualitates virtuales in mixtis sunt capaces remissionis (u. g. in pipere Antiquato) ita et istae in Elementis.

OBIECTIONES ET SOLUTIONES EARUNDEM.

OBIECTIO 1MA Quod non dentur in mixtis Qualitates virtuales. Probatur: Quià sunt superfluae. Ergo Non dantur. Ans: Quià quicquid ab ipsis dicitur causari, potest haberi per ipsas Formas Substantiales, nam sicut dicimus ab Aqua Substantia produci immediatè frigiditatem, sic possumus dicere à Forma Substantiali piperis vel vini prodire immediatè calorem. RESPONDEO Neg. Ans: et ejus Probationem, nec valet paritas de frigore proveniente ab Aqua, et calore proveniente à pipere, quià frigus producitur ab Aqua Actione immanente, dum ad pristinam redit frigiditatem: At calor à pipere et vino producitur per Actionem transeuntem in homine, non autem in se ipsis. INSTABIS 1MO: Ista virtualis Qualitas si daretur, deberet habere aliquam Formalem entitatem

Entitatem, quia per esse virtuale, non constituitur aliquid Actu in suo Genere. Atqui [illegible]
non potest dici, quia, quidnam esset ista formalis Entitas, fingi non potest. RESPONDEO Has
qualitates dici virtuales, non ideò quia careant esse Formali et actuali extra suas causas
sed quia in seipsis non sentiunt ad differentiam aliarum Qualitatum, quæ, quia etiam in
seipsis sentiuntur, et non tantum in suis effectibus, ideò dicuntur Actuales et Formales.
Nec quia tales suum esse Formale et Actuale habent, idcirco oportet ut aliam sibi formaliter
consimilem producant qualitatem, quandoquidem est Agens æquivocum, non verò univocum
sicut et gravitas non producit aliam gravitatem, sed motum ac impetum impressum. Ob-
stabis 2do: Quandò vinum vel piper sumuntur, et causant calorem in homine, certè i-
ste calor non provenit ab ipso vino vel pipere, sed à calore stomachi, tanquam excitato,
adjuvante calorem formalem vini. Ergo Falsò qualitates virtuales astruunt in vino. [illegible]
Quia alias si vinum vel piper causarent calorem, non verò ipse stomachus, sequeretur quod in om-
nibus aliis mixtis, præter stomachum vinum et piper applicata, producerent eundem calorem.
Atqui hoc est falsum. Ergo. Sequela: Quia omnia mixta sunt capacia primarum Qualita-
tum, v.g. caliditatis non tantum hominis stomachus sed etiam lignum et ferrum est capax.
Ergo si caliditas provenit à vino vel pipere, sequitur quod in omnibus mixtis produceret. Con-
sequentia ista patet: quia causa ex se productiva alicujus Qualitatis * si applicetur alicui pas-
so, quod est capax talis qualitatis, imprimit eam tali passo. Ergo si omnia mixta sunt capacia
sequitur etc. RESPONDEO Neg. Ans: deindè sequelam. Quia ut caliditas (idem de aliis qua-
litatibus dicatur) in aliquo passo producatur, non sufficit ut illud sit capax, sed etiam ut sit
proportionatum tali Agenti, ut ab ipso recipiat eam, non enim quodlibet potest agere in
quodlibet, sed præcipuè in istis virtualibus qualitatibus unum Agens habet ~~vim~~ virtutem causandi aliquem
effectum in uno passo quam non potest causare in alio etiamsi eundem effectum posset recipe-
re; sic videmus aliqua Animalia ex aliquo veneno sumpto interire, quod aliis animalibus minimè nocet, et ta-
men omnia Animalia frigoris, quod venenum causare solet sunt capacia. Palea est capax at-
tractionis, non tamen à magnete, sed à succino, aliqua etiam Agentia sunt, quæ licet sint cau-
sativa alicujus Effectus, non tamen possunt illum producere, nisi cum tali et tali determinato cor-
re conjungantur, vel tali modo disponantur. Et hinc provenit quod non in omnibus potest piper aut vinum causare

* sive univocè, si-
ve æquivocè si etc.

curare calorem propter improportionem Agentis ad passum. Concedi tamen debet quod calor stomachi juvet et veluti excitet virtualem calorem vini et Piperis licet talis excitatio non in omnibus mixtis semper sit necessaria. OBJECTIO 2DA Quod in Elementis sint virtuales qualitates. Probatur: Quia Ens naturale cum majoribus qualitatibus disconvenientibus et suæ naturæ repugnantibus quam convenientibus repugnat manere: At si non darentur virtuales Qualitates in Elementis hoc fieret; id est, deberent Elementa manere sustentando accidentia suæ naturæ contraria, ut patet in aqua fervida, quæ majorem habet caliditatem Actualem quam frigiditatem. Ergo ut hoc possit evitari inconveniens, debent admitti in Elementis virtuales Qualitates, ita ut in Aqua fervida simul sit frigiditas virtualis, ex quo non est in ea frigiditas formalis et Actualis. RESPONDEO Neg. ~~minorem~~ majorem quia nullum est inconveniens Aquam stare cum majore caliditate quam frigiditate, dummodo ejus humiditas sit intensa, nempe supra medium elevata. Concedi etiam potest aquam stare posse cum Qualitatibus, quæ magis nituntur ad ejus corruptionem quam conservationem, imò sic est in omni corruptione Aquæ, priusquam ipsa corrumpatur, et hac ratione tunc dicitur esse in statu violento et ad corruptionem tendere. QUÆRES An in vino detur frigiditas virtualis, sicut datur caliditas, videtur enim quod detur, quia Accidentia variabilia, etiam interna videntur produci mediantibus aliis fixis et invariabilibus, et hoc colligitur maximè ex mysterio Sacratissimæ Eucharistiæ, ubi remota naturali Substantiâ adhuc apparet eadem virtus reparandi connaturalem frigiditatem quando calor indebitus ab aliquo externo Agente fuerit inductus. RESPONDEO Non dari virtualem frigiditatem: Porrò reductio Specierum vini ad pristinam frigiditatem in Eucharistia fit immediatè à DEO qui in eo mysterio supplet quascunque Substantiæ vices ad occultandum miraculum, neque est necesse, ut quicquid circa istud mysterium contigit consecratione peractâ naturæ viribus contingat, multa namque fiunt à DEO ex vi antecedentis miraculi.

THEOREMA DUODECIMUM.

Inter Qualitates corporum sublunarium, scilicet materiales ista prædicta sunt omnium prima quatuor.

Qualitates aliæ sunt Spirituales, aliæ materiales.

Notes: Qualitates alias esse spirituales, ut sunt virtutes et scientiæ: Alias materiales et corporeas, ut sunt: Calor, Lux, sonus etc. Item corporeas: Alias esse Cælestes, ut sunt influentiæ cœli. Alias Sublunares quæ sunt corruptibiles et generabiles; et has deinde, alias formales seu Actuales, ~~[illegible]~~ Alias Virtuales. Hoc Theorema procedit de solis materialibus, dicimus

dicimus enim quod istæ materiales quatuor sint primæ omnium, ita ut omnes, tam formales quam virtuales ab his dependeant. At verò non asserimus eas esse primas respectu spiritualium, quia cum illis nullam habent connexionem, neque respectu cœlestium, quia Cœlestes, sunt priores, nedum dignitate, sed etiam causalitate, nam ab influentiis Cœlestibus etiam istæ quatuor dependent. Præterea hoc Theorema procedit de primitate causalitatis et originis, non verò perfectionis.

PROBATIO THEOREMATIS.

Illæ Qualitates sunt primæ quæ habent proportionem ad Analogiam cum primis Principiis. Sed istæ quatuor: Humiditas, Siccitas, Caliditas, Frigiditas habent Analogiam seu proportionem. Ergo sunt primæ. Minor Quia habent easdem conditiones quæ tribuuntur primis principiis rerum naturalium scilic. quia nec fiunt ex aliis, nec ex alterutris, sed ex ipsis alia. Ergo. Ans: prima pars patet: Quia universaliter et ex toto genere istæ quatuor qualitates præcedunt alias. 2da pars: Quod non fiant ex alterutris, est manifesta, quia quo ad hoc, sunt omnes et singulæ æquè primæ, non quia per Accidens una ex alia non fiat interdum, sed quia non habent adinvicem eam necessariam dependentiam, qualem ab ipsis habent qualitates 2dæ quæ semper supponunt primas, nulla namque istarum necessariò supponit alteram, quia et siccitas potest esse sine calore vel frigore, et quælibet alia potest esse absque unaquaque istarum. 3tia pars, quod scilic: ex ipsis omnes fiant aliæ. Probatur: Quia omnes aliæ qualitates in corporibus generabilibus et caducis ab eis quoquo modo dependent, scilic: vel proximè vel remotè ac dispositivè, ut patet per inductionem. Quia Qualitates sensibiles secundæ, aut pertinent ad sensum tactus, ut sunt grave, leve, durum, molle, lubricum, asperum, crassum, tenue, calidum frigidum etc. Aut pertinent ad sensum gustus, ut sunt sapores, aut ad olfactum, ut sunt odores, aut ad Auditum, ut est sonus, aut ad visum, ut sunt Lux et colores. Sed istæ omnes à primis Qualitatibus dependent. Ergo Qualitates primæ sunt illæ, ex quibus omnes aliæ secundæ fiunt. Minor quo ad omnes partes patet. Imprimis, quod qualitates pertinentes ad Tactum ab his quatuor primis dependeant, est manifestum. Quia omnes ab istis quatuor proveniunt, quatenus nimirum una est prædominans v. g. molle, lubricum, leve et tenue ex humido prædominante. Durum, Aridum, Asperum et Crassum ex sicco prædominante, grave ex frigido prædominante. Leve ex calido. Porrò Densum et Rarum his non addimus, quia Raritas et Densitas non sunt veræ Qualitates. Item Ad sensum Gustus qualitates pertinentes fieri ex primis patet. Quia Philosophus cap. 2. de sensu. dulcedinem refert ad Calorem prædominantem et aciditatem ad Frig. Item Qualitates ad olfactum, aut Auditum, aut visum pertinentes

pertinentes ab his primis dependent saltem mediatè, ut Sonus à Duritie, Albedo à Frigore, nigredo à calore. Qualitates item virtuales mixtorum, licet proximè à Forma dimanent, tamen quia Forma substantialis istas Qualitates prærequirit, ideò ad illas aliquam dependentiam habent, et quidē has qualitates esse primas maximè ex eo licet cognoscere, quia ex notabili istarum Qualitatum variatione omnes aliæ variant. Scias interim hanc dependentiam cæterarum qualitatum à primis non adeò esse essentialem in omnibus ut non etiam dependeant ab aliis rebus nec possint produci absque ipsis, siquidem plurimæ istarum possunt causari à Cœlo, et multa sunt, in quibus primæ Qualitates eodem modo manent attemperatæ, et tamen contrarias habent Qualitates secundas, multa enim sunt ~~nigra~~ frigida, quæ non sunt ~~calida~~ alba, et multa calida quæ non sunt nigra, ex quo colligimus quod non semper ex solâ commixtione et attemperatione primarum qualitatum oriantur 2dæ, aliàs levi artificio possemus producere quemlibet colorem et saporem. Dicimus itaque ipsam quoque substantialem Formam ejusque diversas virtutes ad harum productionem concurrere, illud verum est saltem quod in Sublunaribus, ista quatuor concurrunt, vel aliqua illarum ad productionem cæterarum, vel proximè, vel remotè, vel dispositivè, quia Qualitates primæ sunt veluti dispositiones ad 2das recipiendas.

THEOREMA DECIMUMTERTIUM.

Singulis Qualitatibus Primis convenit Activitas et resistentia Formalis: Sed in Activitate primum Locum habet calor, 2dum Frigus, 3tiū Humiditas, 4tum Siccitas. In resistentia verò è contra, 1mū Siccitas, 2dum Humiditas, 3tium Frigiditas 4tum Caliditas.

Activitas quid sit.

Resistentia Quid.

Notandum 1mum Dictum 1mum. Activitas nihil est aliud, nisi ipsa virtus agentis quâ producit effectivè aliquem effectum. Dictum 2dum: Resistentia est, quâ impeditur, vel retardatur Actio contrarii, ne fiat, vel totaliter, vel non tam citò aut tantâ perfectione seu intensione, estque ista resistentia duplex. Una Activa, altera Formalis, quæ ab aliis vocatur passiva. Dictum 3tium Resistentia Activa, licet minus propriè vocetur resistentia, est ipsamet Agentis Actio, sicut potentia resistiva Activa, est ipsamet Activa potentia Agentis, in quantū impedit contrarium debilitando Activam ipsius virtutem, ne in idem Agens reagat, vel non tantâ intensione et velocitate, ut ignis calore tanquam potentia, et calefactione tanquam Actione, non solum calefacit Aquam, sed etiam debilitat virtutem ejus, ne in ipsū Ignem reagat, aut ne tam citò et intensè agat, unde solum Activis convenit Qualitatibus. Dictum 4tum Resistentia Formalis, quæ propriè vocatur resistentia, non est quædam Actio cum etiam rebus non Activis conveniat, ut duri- lapis dur

Aliud est Reagere, aliud Resistere.

lapis duritie resistit ne dividatur, et gravitate ne moveatur. Item Quia aliud est Reagere, et aliud resistere, nam hoc potest fieri sine illo, et est quasi quædam pura defensio et conservatio à suo contrario. Neque ista resistentia Formalis est passio propria, imò est potius negatio passionis, impassibilitas enim non est, nisi negatio posse pati, et resistentia. et illud dicitur resistere Agenti, quod non patitur ab ipso.

Resistentiæ Actualis Formalis duplex acceptio.

NOTANDUM 2dum Dictum I: Resistentia Actualis Formalis dupliciter potest explicari. Primo Per negationem, ut scilicet sit negatio Actionis ab Agente, et passionis in Subjecto, vel totalis, vel tam intensæ et velocis, unde connotat applicationem Agentis obsidentis et oppugnantis. 2do per affirmationem, ut sit quædam permanentia, seu persistentia et duratio in statu proprio. Dictum 2: Tunc res Actu resistit quando quærit durare et (ex)sistere ad præsentiam contrarii oppugnantis in eodem statu, quæ duratio propriè dicit rei existentiam, sic frigus Aquæ resistit igni, ne subitò calorem inducat in eam, et hoc suâ præsentiâ et existentiâ in Aqua. At Aër nullo modo resistit luminoso, quia statim luminosum inducit Formam in äerem, et cùm ista resistentia Formalis non sit aliud, quam duratio rei in suo statu, nec ab Agente oppugnante deturbetur, cuilibet Forma, sive sit, sive non sit Activa conveniet. Dictum 3: Potentia resistiva Formalis est ipsamet entitas rei resistentis, nam Philosophus in prædicamento Qualitatis dicit durum significare potentiam, quia obstat quominus facilè possit secari, non videtur autem necessaria aliqua alia distincta potentia ad resistendum, præscindendo enim à quacunque virtute, adhuc frigus existendo in Aqua impediret Actionem caloris, quia ex se propriam appetit conservationem et existentiam, potest nihilominus dici etiam hanc potentiam esse distinctam ab entitate rei. Dictum 4tum: Ex his 4 Qualitatibus, quælibet est Activa per se in suam contrariam, at verò in non contrariam, non agit per se et directè, quia pugna inter contraria versatur, sed tantum indirectè et per Accidens.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS PRIMA: Quod Activitas conveniat omnibus istis quatuor Qualitatibus patet ex Theor. pro. PARS SECUNDA: Quod resistentia Formalis conveniat quoque omnibus est clara. Quia quælibet Forma dum est in Subjecto suâ existentiâ et informatione, impedit ne alia Forma incompossibilis introducatur. Ergo multo magis Formæ contrariæ, ut sunt calor et frigus, Humiditas et Siccitas impedient sese, et à Subjecto una aliam prohibebit. PARS TERTIA Quod ad ordinem Activitatis, scilicet quod ignis magis sit Activus quam alia, deinde frigus: postmodum Humiditas, tandem Siccitas. Probatur: Quia illud Agens est Activius, quod in majori distantiâ suam exercet Actionem et citius: Atqui calor in majori distantia, et citius exercet suam Actionem quam frigus, et humidum quam siccum. Ergo Minor patet per experientiam. Quia minus detineri potest manus in corpore calido quam frigido, deinde minus in

frigido quam humido. Item citius humidum humectat quam siccum exsiccat, unde in locis humidis habitantes faciliùs et citiùs contrahunt humiditatem quam degentes in locis siccis siccitatem. Ergo. PARS QUARTA. Quoad ordinem resistentiæ. Quod siccitas quæ est ultima in Activitate, sit prima in resistentia. Probatur: Quia utiquè datur magis et minus in potentia resistitiva, ut colligitur ex philosopho in prædicamento Qualitatis, et 4 Physic. t. 72. ubi adducit exemplum de molli et duro respectu secationis, et de medio raro et denso in ordine ad motum, hæc autem potentia non potest activiori convenire, quia si Activior, esset quoquè magis resistitiva, nunquam posset à contraria vinci, imò Activior totaliter, destrueret alias, quod est contra ordinem universi. Ergo quia omnia in pondere et mensura fecit DOMINUS, debet aliquid esse in minus Activum, per quod possit Activiori resistere, et compensare excessum Activitatis. Cæterum hunc ordinem inter istas Qualitates servari in resistendo experientia docet, nam gutta super mappam benè siccam effusa, diù stat conglobata ob resistentiam siccitatis in mappa, de Humiditate ad Frigiditatem comparata idem patet. Quia Aqua faciliùs calefit quam exsiccatur, non alia ratione, nisi, quia Actioni ignis resistit magis humiditas quam frigiditas. De Frigiditate ad caliditatem idem constat, citiùs enim et faciliùs aqua calefacta frigescit, quam frigida incalescat, ob majorem resistentiam frigiditatis et minorem caliditatis. Cæterum SCIAS Quod licet istæ Qualitates secundum se habeant assignatum ordinem Agendi et Resistendi, ex varia tamen ipsarum combinatione potest iste ordo variari et immutari. Nam calor cum sicco est maximè Activus, siccum tamen cum calido, non est maximè resistitivum, sed potiùs cum frigido. Calor cum Humido magis resistit quam Agat, Frigus è contra cum Humido magis agit, et minus resistit, cum sicco verò contrario se habet modo.

OBIECTIONES ET SOLUTIONES EARUNDEM.

OBIECTIO Quod siccitas et Humiditas non sint Activæ sed Passivæ. Probatur Authoritate Philosophi qui 2 de Generatione t. 8. et 4 metaphys. c. 1 solum calorem et Frigus vocat qualitates Activas, Humiditatem et Siccitatem passivas. RESPONDEO Caliditatem et Frigiditatem, dici Activas, aliàs autem duas Passivas, non quia singula non sint Activæ et similium productiva suo modo, sed triplici ratione. 1mo quidem, quia illæ fortiùs velociùs et sensibiliùs agunt, istæ autem minus, et ideò illæ per excellentiam vocantur Activæ, istæ verò passivæ, quia parum sunt Activæ. 2do Quia istæ duæ plus resistunt quam caliditas et Frigiditas quæ est conditio Passi. 3tio Quia Subjecta harum duarum in quantum talia dicunt passiva magis vel minus, prout humidum benè

benè dicitur terminabile termino alieno, et malè termino proprio. Siccum autem è contra dicitur benè terminabile termino proprio, et malè alieno. Terminari autem est pati, sicut è diverso congregare et disgregare, quod convenit calori et frigori est quoddam Agere. Ob-

Terminari quid sit.

iectio 2da Quod Siccitas et Humiditas sint Activiores aliis duabus. Probatur: Quia videmus statim ut lignum vel pannus Aquæ immergitur fit humidus, quod non contingit in calore etiamsi in fornacem lignum mittatur. Item 2do. Densitas materiæ magis juvat ad Agendum: Sed Siccitas reperitur plerumque in materia densa, quâ ratione frigidum erit quoquè Activius calore. Respondeo Ad 1mum Quod lignum Aquæ immersum initio madefactionis, non verè dicitur Humidum, ita ut verè Humiditas aquæ produxerit Actione univoca aliam Humiditatem in ligno, sed dicitur udum, vel irrigatum, quià potius fit quædam adhæsio partium Aquæ circa lignum et pannum, undè si Aqua solum in Superficie est recepta ligni, dicitur udum, si adhuc profunditatem permeavit, dicitur irrigatum, postmodum progressu temporis, fit tandem illud corpus verè Humidum per veram productionem Humiditatis in eo. Ad 2dum dico: Quod densitas non juvet magis ad producendum intensiorem effectum, sed ad citius, et in magis distans agendum, undè solum juvat Actionem, non autem reddit materiam intensivè Activiorem; sed ipsam relinquit in eodem gradu activitatis innatæ.

Theorema Decimumquartum
Per Antiperistasin et Reflexionem verè et realiter intenditur Qualitas.

Notes 1° Αντιπερίστασιν Græcam esse vocem, et Latinè nihil aliud significare, nisi circumobsistentiam debilioris contrarii à fortiori, per quam obsistentiam contrarium obsidens impedit, ne obsessum contrarium ulterius diffundat propriam Actionem, propter quod vires suas velut in se colligit, et aliundè magis roborat suas vires, et consequenter magis intenditur. Sic tempore hyberno aër in cavernis obsessus, à frigidiore aëre calidior est, quàm fuit tempore æstivo in iisdem cavernis. Idem experimur in aquis puteanis, quæ in æstate solent esse frigidiores, dum obsidentur ab aëre calido, et hanc majorem intensionem vocant Filosofi Antiperisticam Actionem. Notes 2 Reflexionem hoc modo definiri: Reflectio est retrocessio Actionis Agentis in eadem parte medii, in qua Agens Actione directâ prius egit propter adveniens obstaculum intra sphæram Agentis, ut calore ex.

Reflexionis Definitio.

Retrocessio Actionis agentis dupliciter potest fieri.

nare explicatur per exemplum motus pilæ ad parietem et specierum visibilium in Speculo. Hujus Definitionis particulæ sic declarantur, imprimis dicitur (Retrocessio Actionis Agentis) quæ dupliciter potest fieri scilic. <u>Rectè et Obliquè</u>. <u>Rectè fit</u> tunc, quando Linea incidentiæ est perpendicularis, ita, ut causet duos angulos rectos cum obstaculo, atq; sic per eandem Lineam erit reflexio. <u>Obliquè</u> autem fit tunc, quando Linea est obliqua, dum scilicet Linea incidentium causat angulum Acutum ex parte Agentis cum obstaculo, nã tunc fiet reflexio per lineam obliquam ex parte opposita faciendo alium angulum Acutum ex parte alia. Sicut experimur in pila ad parietem vel ad Terram projecta, et hoc magis accidit in projectione Specierum visibilium in speculo: Nam qui stat directè oppositus Speculo, conspicit se in Speculo, quia fit reflexio directa, at si stet ex una parte speculi, jam suam speciem non videbit, sed videbitur ab alio, qui scilic: stat in parte opposita, quia fit ibi reflexio obliqua. <u>2do dicitur (In eadem parte me</u>dii, in qua Agens Actione directa prius egit) Non quod sit sensus quamlibet reflexionem esse directam, quia rectitudo et obliquitas reflexionis debet sumi ex rectitudine vel obliquitate lineæ incidentiæ in obstaculum, sed quia ubicunq; fiat reflexio et quomodocunque semper Agens prius egit in illam partem medii Actione directa, nam Agens in diffundendo suam Actionem agit sphæricè, vel si ex una parte impeditur agit hemisphæricè, ita se habent instar puncti in sphæra, à puncto autem ad circumferentiam ex qualibet parte protrahuntur Lineæ rectæ. <u>3tio dicitur (Propter Adveniens Obstaculum) quod non debet intelligi de quolibet obstaculo</u>, nam Species visibilis non reflectitur à pariete, sed à Speculo, nec lumen ita reflectitur à corpore nigro, sicut ab albo; et hoc ideò, quia requirit quædam dispositio, vel tersitas, vel ut obstaculum sit receptivum illius Qualitatis, & quo magis est receptivum, eo fortior fit reflexio. <u>4to dicitur (Intra sphæram Agentis)</u> Quia si obstaculum esset extra illam, jam virtus Agentis esset exhausta, et consequenter non posset amplius agere. Hinc quia Actio, quam exercet Agens in reflexione æquivalet Actioni quam ultra protenderet si non adesset obstaculum, et hæc Actio esset uniformiter difformis quo ad intensionem, eodem intensionis gradu procedit in reflexione. Quod igitur accidit in motu pilæ et Reflexione Specierum, hoc idem evenire in aliis Qualitatibus dicimus, ut v.g. cum ignis vel luminosum non potest diffundere Actionem per totam suam sphæram propter impedimentum, reflectit

Intensio duplex potest fieri p. Antiperistasin!

reflectit circa eandem partem producendo novam Qualitatem et intendendo priorem. Notes 3 ista Quatuor dicta: Dictum 1mum Duplex potest fieri intensio per Antiperistasin. 1ma est intensio Qualitatis naturalis seu Subjecto convenientis, ut cum Aqua frigescit, vel Aër calescit. 2da est intensio Qualitatis [illegible] innaturalis et subjecto disconvenientis, ut cum Aqua calescit vel äer frigescit. Dictum 2dum. Omnia corpora calida vel frigida sunt plena exhalationibus, illa ex natura sua calidis, hæc vero frigidis, quæ exhalationes in propria Qualitate sunt intensiores quam reliquæ partes, sunt enim quasi quinta Essentia illorum corporum. Dictum 3tium: Omnibus contrariis proprium est ut unum fugiat aliud ex natura sua et naturali propensione quâ res appetit conservari, unde quando lignum ex una parte aduritur, ex alia emittit aqueum humorem, ad quod maximè facit societas similium juxta illud vulgare (similia facillimè congregantur) quam veritatem experientia confirmat: Nam vapores tempore hyberno qui ex rebus calidis exeunt, fiunt nobis visibiles, non aliam ob causam, nisi quia sese congregant ut magis frigido äeri resistant. Dictum 4tum Quandò circumdatæ aliquo corpore à suo contrario subtiliores exhalationes exire seu transpirare non possunt, ut prius solebant propter periculum, ne in contrarium obsistens impingant, tunc si aliquantulum processerint, iterum reprocedunt, et non potentes exire, agunt in partes alias, quæ naturâ suâ minus sunt aptæ ad Qualitatem tantâ celeritate et intensione concipiendam, ac proindè intendunt Qualitatem in iisdem usq ad eum gradum quem ipsæ habent, hinc verè in plerisque corporis obsessi partibus intenditur Qualitas, et dicitur totum corpus in ea Qualitate fieri intensius.

PROBATIO THEOREMATIS.

Pars 1ma (Quod per Antiperistasin intendatur Qualitas) Probatur per experientias. Quia in Aquis putealibus et äere insubterraneis Locis incluso datur ejusmodi intensio, ut dictum est in primo notando. Ergo. Item Ventriculus Animalium ex Hippocrat. Aphorism. 15. In æstate est frigidior, hyeme autem est calidior propter eandem causam. Item Aqua tempore æstivo noctu infrigidata, si manè Soli exponatur, propter ambientem calorem, magis infrigidabitur, et hoc idem contingit, dum in cisternam, aut vasculum aliquod, Aquâ frigidâ plenum, nonnihil Aqua calida infunditur. Similiter modica aqua super ignem injecta, est causa ut ignis magis accendatur, quod fabris ferrariis est quotidianum. Nec valet si dicas, hic decipi Sensum, quasi scil: manus calida, applicata Aquæ fontis, videat frigidior, non quia est frigida aqua, sed quia manus est calida, non valet inquam

...um, nam eadem manq, tangens aliam Aquam communem et illam subterraneam, sentit differentiam inter hanc et illam. Ergo Hoc non potest reduci ad solam dispositionem manq, quæ tantum unica, sed ad diversam dispositionem Aquæ, imò si manq infrigidet eo modo, quo solet infrigidare hyeme, et tangat illam Aquam Fontis, et aliam calidam, discernet differentiam frigiditatis in illa, non autem in ista. Ergo ibi non decipitur sensq. Similiter quod ventriculq sit calidior hyeme quàm æstate verè et non aparenter, colligi potest ex meliore concoctione ciborum quæ fit hyeme. Item Ex eo, quod plus cibi sumimq hyeme quàm æstate, et plus iis, qui in regionibq habitant frigidioribq quàm qui vivunt in calidioribus. PARS 2DA (Quod per Reflexionem qualitates intendant, præcipuè Lumen) Probatur: Agens naturale, cujq virtus non est exhausta agit quantum potest in passum, potest recipere suum effectum, at quando intra sphæram Agentis occurrit obstaculum, non exhauritur totaliter virtq Agentis, et ex alia parte reperit medium potens recipere intensiorem Qualitatem. Ergo Agens illud in aget Actionem reflexam. Non enim hoc, quod habeat in se prig aliam Qualitatem quicquam obstat, si quidem et medium est receptivum intensioris Qualitatis, et qualitas ipsa est intensibilis. Item probatur experientiâ. Quia perfectiq Lumen est in reflexione Speculi, quàm in aliâ parte ...is, Species visibilis reflectitur quandò invenit obstaculum. Idem patet de calore, nam quo magis fit radiorum reflexio, eo intensiq sentitur calor, ut apparet in æstate, et cum intra sphæram ignis ponitur lamina ferrea.

OBJECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIONES.

OBJECTIO 1ma (Quod per Antiperistasin non intendatur Qualitas) Probatur: Quia contrarium obsidens non potest esse causa illiq majoris intensionis obsessi. Ergo. Ans: Vel enim esset causa per se, vel per Accidens? Neutrum. Ergo. Non causa per se, quia unum contrarium producit sibi simile per destructionem alteriq contrarii. Ergo Non potest producere alterum contrarium, quia esset causa propria destructionis et causa productiva, ac destructiva ejusdem, quod implicat. Non potest etiam esse causa per accidens, quia si sic, tunc deberet dari etiam aliqua causa per se, atqui non datur. Ergo. Nam dato hoc, QUÆRO, quænam sit causa per se hujq majoris intensionis? RESPONDEO Neg. Ans. Deinde secundâ partem minoris, et dico, quod sit causa per Accidens. Ad probationem Neg. minorem. Falsum enim est, quod non detur causa per se majoris intensionis in Antiperistasi. Et dum QUÆRIS quænam sit ista causa? RESPONDEO ex Notando Tertio, et Dico 1mo Quod intensio propriæ connaturalis Qualitatis sit per Accidens ex discessu contrariarum exhalationum, quæ propter viciníta-

vicinitatem sui similis scilic: contrarii obsidentis ad illud transpirant. Per se verò fit tum pere-
manationem propriæ et naturalis Qualitatis Actione æquivocâ à Forma substantiali, tum per
Actionem exhalationum, quæ intensiori Qualitate sunt affectæ et exspirare non possunt. Dic
2do Quod intensio innaturalis qualitatis ob antiperistasin fit per accidens propter discessum
propriarum exhalationum, per se verò ab exhalationibus illi subjecto contrariis et in eo detentis.
Hæc responsio explicari et confirmari potest hoc modo: Circumdet calor tempore æstivo ingen-
tem puteum, tunc eo ipso causabit duo. 1mo Præbebit aditum exhalationibus calidis permixtis
in aquâ ut foras ad illum prodeant et faciliùs se conservent. 2do Impediet frigidas Aquæ
exhalationes ne egrediantur, propterea, quià contrariorum natura est, se invicem refu-
gere; Jam verò exhalationes Aquæ frigidæ, cùm sint intensiores in propria qualitate na-
turali, quàm sunt reliquæ partes Aquæ, intendent eas, et quoniam ipsa Forma Aquæ est pro-
ductiva frigiditatis si nihil obstet, etiam ipsâ frigiditate producet ibi, ubi prius impediebatur
per exhalationes calidas præsentes. E Contra circumdet eundem puteum tempore hyberno
frigus intensum Aëris ambientis, jam tunc exhalationes propriæ Aquæ, quià sunt frigidæ
facilè evocabuntur ad frigiditatem in äere subjectatam, quià simile appetit suum simile
et sese illi vicino adjungit. Calidæ verò exhalationes, quæ in illa eadem Aqua erunt ob metum
contrarii frigoris obsidentis remanebunt in aquâ eamque efficient calidiorem, atque hinc col-
ligitur causa, cur Aqua sit calidior hyeme in puteo quàm Æstate. Ex hac doctrina ad
alias quoquè respondebis difficultates 1mo v.g. Cur Aqua in exortu Solis, soleat esse fri-
gidior, quàm fuit ante exortum? quià scilic: Sole exoriente et ~~aquam~~ äerem calefaciente, partes
calidiores Aquam deserunt, et à calore sursum evocantur, frigidiores verò ima petunt, et
sic frigidiorem Aquam efficiunt. Item 2do: Cur fœnum, fimus columbarum et alia similia,
suâ sponte aliquandò concipiant flammam, nam hoc ideò fit, quià partes subtiliores ca-
lidiores, cùm nequeant transpirare, ita calefaciunt alias, ut dispositionem Formæ Ignis
attingant. Item 3tio Cur poma nonnulla vel pyra hyeme maturescant, cùm tamen ma-
turatio sit quædam concoctionis species, quæ indiget calore. Hoc enim fit ideò, quia ex
frigore obsidente, calor insitus intenditur, et ita plus agit ad maturitatem, quanquam
etiam siccitas multum adjuvet impediendo putrefactionem concoctioni contrariam. Item
4to: Cur contrectatâ nive aut glacie, ab initio frigeant manus acriter, postmodum ve-
rò caleant intensiùs: Quia scilic: frigus coarctat poros, et continet spiritus calidos qui post-
[illegible]

quodammodum calefaciunt corpus succurrentibus ab aliis partibus abundantioribus Spiritibus ut contrario frigori fortius resistatur. Item 2do: Cur Septemptrionales plus cibi sumant quàm meridionales, aut cur hyeme plus quàm Æstate homo comedat. Quandò enim ventriculus hominis magis est calidus plus concoquit, quàm dum est magis frigidus, tunc autem est magis calidus, quandò ab aliquo corpore obsidetur frigido, et tunc magis frigidus, quandò obsidetur à corpore calidiore. Porrò ideò ventriculus in hyeme propter aërem frigidum circumstantem calidior efficitur, quia pori in corpore humano condensantur, et Spiritus vitales ad interna fugiunt, et consequenter causant majorem calorem, in æstate autem, efficitur frigidior propterea, quia pori aperiuntur et spiritus facilè evaporant, atque sic ventriculum relinquunt frigidiorem. OBIECTIO SECUNDA Quod per Reflexionem non posset intendi qualitas. Probatur: Quia in lumine non apparet quomodo possit fieri Reflexio. Nam luminosum totum, quod potest producere, in instanti producit. Ergo Non potest in eadem parte medii agere directè et reflexè, hoc enim dicit successionem temporis. RESPONDEO Sicut si luminosum illuminaret per totam suam sphæram in instanti ageret, sed in priori natura ageret in propinquis, quàm in remotis, sic cùm agit Actione reflexa, in eodem instanti temporis agit, sed prius natura Directè quàm Reflexè. INSTABIS Dato hoc, sequeretur Agens fortius agere in distans Actione univocâ, quàm in propinquum, quod est falsum, nam agit uniformiter difformiter. Sequela: quia intensior esset Qualitas propè punctum Reflexionis, quàm in medio, sicut magis propinquo Agenti. RESPONDEO Concedendo Qualitatem in puncto reflexionis esse intensiorem per Actionem Reflexam causatam, nam Qualitas ista correspondet illi, quæ longius procederet, si non foret obstaculum. Hæc autem esset intensior in parte propinquiori, quàm in remotiori. Cùm igitur eodem ordine retrocedat agens reflexâ Actione, quo ulterius progrederetur, intensior erit Qualitas in puncto reflexionis quàm in fine. Ad Argumentum ergo dico, quod vel Sermo est de tota Qualitate Directè et reflexè causatâ, vel de Qualitate Reflexè tantum producta. Si 1mo modo, tunc nego quod Agens ageret fortius in distans quàm in propinquum. Quià licet qualitas reflexè producta esset ibi intensior, et in propinquo remissior, tamen ex alio capite qualitas directè producta, est intensior in propinquiori, et remissior in remotiori, ideoque esset compensatio. Si autem secundo modo, tunc concedo totum, neque enim hoc implicat, quia verè hâc Actione Agens agit uniformiter difformiter, cùm sit continuatio Actionis directæ et pars propinquior puncto Reflexionis habet se ut propinquior Agenti, quia correspondet parti propinquiori in quàm ageret Actione directâ, si impedimentum non

non impediret seu obstaret. Quæres 1mo Quæ nam sit causa per se et immediatè inten-
dens Qualitatem Reflexè? RESPONDEO Ipsum Principale Agens quod Actione directa pro-
duxit Qualitatem in medio et in obstaculo, tum quia nihil aliud potest statui præter ipsum
primum Agens quod ita intendat Qualitatem, tum quia id exemplo pilæ patet, cujus reflexio
non fit ab obstaculo, sed à projiciente, quandò enim pila projicitur ad parietem, et resilit,
tunc motus ille resilientiæ seu retrocessionis non causatur à pariete, sed tantum ab ipso pro-
jiciente mediante impulsu projicientis, et ratio istius habetur in probatione 2da partis in-
jus Theorematis. Virtus enim Activa dum non potest in directum Agere, agit in obliquũ
et reflectitur modo impulsus à projiciente impressus potens erat deferre pilam longiore
motu nisi fuisset à pariete impedita, propter quod impedimentum non cessat. Ergo suum ad-
huc habebit effectum cum sit causa naturalis, et alius motus non datur ibi, nisi secunda reflexus. Quæ-
res 2do: An Qualitas in medio Actione rectâ ab Agente Principali producta sit cau-
sa intensionis in Reflexione? RESPONDEO Nequaquam id posse dici, quia Qualitas non
potest seipsam in medio intendere: Tum quia idem non potest in se ipsum Agere Actione u-
nivocâ. Tum quia si talem haberet virtutem se intendendi, semper se intenderet, licet nõ
adesset obstaculum, hoc enim Accidentaliter se habet ad hujusmodi Actionem. Quæres 3tio
An obstaculum sit causa in Reflexione intensionis? Rdeo Neg. et dico, quod ob-
staculum non sit per se causa, neque totalis, neque partialis. Ratio: Quia ex se
per suam densitatem et opacitatem non est productivum Qualitatis reflexè, alias si
esset productivum, sequeretur quod semper ageret, licet nullam Qualitatem ab Agente
principali reciperet. Nec valet si dicas: Qualitatem esse conditionem requisitam ad cau-
sandam Reflexionem, non valet inquam, quia alias admittenda est in quovis obstaculo virtus Acti-
va qualitatis illius productiva, et sic quia marmor potest esse obstaculum reflexionis fri-
goris, caloris et luminis, jam ex se esset harum Qualitatum productivum, quod est fal-
sum. Quæres 4to: Si non est causa Reflexionis Obstaculum, quomodo se ha-
beat respectu illius? RESPONDEO Quod sit conditio necessariò requisita ad ipsam
causandam, et est quasi causa instrumentalis, nisi enim adesset obstaculum, Agens ultè-
rius suam Actionem protenderet. Præterea quo est densius et tersius obstaculum, eo major fit
reflexio. Ergo obstaculum est conditio et causa instrumentalis Reflexionis. Sed OBIICIES
contra

contra probando Quod Obstaculum sit causa Reflexionionis, quia Luna immediatè illuminat Terram, et tamen hæc illuminatio est reflexio Luminis Solaris. Ergo per Reflexionem agit Obstaculum, non verò Principale Agens, alias deberemus dicere, quod nostri Sol potius illuminaret Terram, non verò Luna. RESPONDEO Illuminationem Lunæ non esse propriè reflexionem radii Solaris, neque enim conspicitur Sol in Luna, ut fit in Speculo, sed impropriè assimilatur enim productioni Luminis secundarii à primario recepto in pariete, vel alio opaco corpore, non per se, ita ut Lumen in Luna, sit lumen primarium Solis in illa causatum, sicut lumen est in pariete à Sole inspecto, Lumen à Luna in Terra productum sit secundarium, sicut est Lumen, ubi est umbra in die.

THEOREMA DECIMUMQUINTUM.

In Alterationis motu fit Reactio secundum eandem partem et contrarietatem, quandoquidem etiam in motu Locali in aliquo sensu. Sed in motu Generationis et Augmentationis nequaquam.

Notandum Dictum 1mum. Reactio est retributa Actio dum Agens enim agit in passum, hoc vertitur in illud reagendo, sicut et Repassio est quadam reciproca passio. Dictum 2dum: Ad Reactionem requiruntur ista. 1mo Ut Agens et Patiens communicent in materia, ita ut habeant commune Subjectum utriusque Formæ receptivum, nam Spirituale non potest pati à corporali. 2do Ut Agens sit ultimum et proximum, et ideò Medicus non patitur à morbo, sed ipsum medicamentum. 3tio Ut quodlibet sit infra Sphæram Activitatis alterius, quia nullum Agens agendo excedit propriam Sphæram. 4to et ultimo, ut Agant per Qualitates Activas et contrarias, et ambo habeant potentias Activas agendi. Dictum 3tium In Reactione illud vocatur Agens, quod est fortius, Patiens autem illud quod est debilius, ita tamen ut aliquo modo possit agere in fortius, quâ ratione patiens vocatur reagens, et ipsius Actio vocatur Reactio. Agens verò dicitur repatiens, et passio ipsius vocatur Repassio. Dictum 4tum Ista Reactio potest Accidere multipliciter. Nam 1. potest esse quod passum agat in Agens secundum eandem partem secundum quam Agens agit, vel secundum diversam v. g. Ferrum ignitum agit in Aquam frigidam, et Aqua in ferrum, tunc si ponamus partes solidas ferri agere in Aquam, poros autem, sive exhalationes ibi contentas tantum ab Aqua pati, habebimus Agens quod secundum unam partem repatiatur ab Aqua, et secundum aliam agit. Si verò

Reactio quid sit. et Repassio.

Reactionis Requisita sunt quatuor.

Reactio potest accidere multipliciter.

agit. Si verò ponamus easdem partes solidas frigefieri, dabitur reactio secundum eandem partem. 2. Potest fieri Reactio vel secundum eandem contrarietatem, quâ Agens agit, vel secundum diversam v. g. Si ponamus Aquam pati à ferro ignito per calorem, quia ferrum inducit calorem in aquam, hanc autem agere in ferrum solum per humiditatem, non autem per frigus, erit Reactio secundum diversam contrarietatem. At si ponamus Aquam in ferrum reagere per frigus, erit reactio secundum eandem contrarietatem.

PROBATIO THEOREMATIS.

Pars 1ma (Quod in Alterationis motu fiat Reactio) Probatur: Quia nisi daretur Reactio, non posset fieri mixtio. Atqui datur mixtio. Ergo Et Reactio debet dari. Major. Quia in mixtione debent Elementa inter se attemperari secundum Qualitates, hoc autem non potest fieri nisi agant ab invicem et patiantur. Ergo nisi daretur Reactio, non posset fieri mixtio. Praeterea Agens naturale quandò est debitè approximatum, neque est impeditum, agit. Sed dum calidum et Frigidum approximantur sibi invicem, quodlibet respectu alterius est Agens non impeditum (quia quodlibet habet Activitatem, quae excedit resistentiam Formalem alterius) Ergo Unum agit in aliud, et per consequens datur Reactio. Confirmatur 1. Authorit. Philosophi qui 1. de Generat. t. 53. et alibi docet. Omne Agens à Passo repati, ut quod secat, hebetatur ab eo, quod secatur; quod pellit, etiam pellitur, et quod calefacit, etiam refrigeratur. Confirmatur 2. Experientiis v. g. Aqua Frigida superinfusa calidae, refrigerat calidam, et calefit ab eadem, unde postmodum tota solet esse tepida. Item Ferrum ignitum injectum Aquae frigidae frigescit ab aqua etiam secundum partes solidas et Aqua ab eodem calefit. Item: Manus calida tangens rem frigidam calefacit illam et simul quoque ab illa refrigerat. Item: Glacies apprehensa manu calidâ tota liquescit, sed interim ipsa quoque manum frigefacit. In his experientiis apparet Reactionem fieri secundum eandem contrarietatem, et eandem partem, non per Accidens, sed per se, nam praecipuè Aqua calida et frigida in Humiditate conveniunt, et tamen mutuo reagit una in aliam. Pars 2da (Quod in motu Locali aliquandò fiat Reactio impropria) Probatur: Quia si duo vitra, aut duae ollae argillaceae, aut duo ova collidantur ad invicem, ambo franguntur. Similiter si culter aut gladius tangat alium, tunc hebetabit eundem et hebetabitur ab eodem. Porrò isti sunt motus Locales. Ergo In motu Locali etc. Dicitur autem Reactio impropria

impropria in tali motu fieri propterea, quià motus Localis, non est ita vigorosa Actio, sicut est Alteratio, neque enim hic interveniunt contrariæ Qualitates, quæ mutuò in se agere solent. Deindè dicitur quod (aliquandò fiat) Quià non in omni motu Locali, ejusmodi reactio, qualis„cunque sit illa necessariò reperitur. Nam Coelum rapit secum Ignem, non tamen rapitur ab illo scilic: Igne. Similiter si saxum vel quidpiam simile descenderet deorsum et pelleret aliquam plumam sibi obviam secumque deorsum traheret, non diceretur repati ab illa. PARS 3tia (Quod in motu Generationis non detur Reactio patet) Quià si agens agit in passum Actione generativâ, non potest passum reagere in Agens, nam tunc non ă„plius est passum sed destruitur, quià generatio unius est corruptio alterius. PARS 4ta (Quod in Augmentatione, non fiat etiam Reactio, est manifesta) Quià Augmentatio non est propriè inter Activa contraria, quià solummodò accidit in quantitate, à quâ removetur omnis Activitas; jam verò Reactio debet esse inter talia, quæ contrariè agant. INSTABIS 1mo Si daretur Reactio, sequeretur quod idem respectu ejusdem esset simul in Actu et simul in potentia, nobilius et ignobilius, quod implicat. Se„quela: Esset nobilius respectu passi et in Actu, quià agit in ipsum. Esset deindè in potentiâ et ignobilius respectu ejusdem, quià repatitur ab illo. RESPONDEO Neg. Minorem: Ratio Quià licet esset in Actu et Potentia nobilius et ignobilius respectu ejusdem, non tamen esset secundum idem, nam esset in Actu et nobilius per virtutem Activam, esset verò in potentia et ignobilius per potentiam receptivam. SED CONTRA argues, quod etiam esset in potentia per virtutem Activam, quià secundum illam virtutem est in potentia secundum quam patitur. Sed secundum virtutem Acti„vam patitur, quatenus scilic: illa per Actionem contrarii debilitat. Ergo Per virtutē Activam est in Potentia. RESPONDEO ideò aliquid propriè esse in Potentia, quià recipit Formam, quod si autem postea ex hoc sequitur corruptio alicujus, hoc certè erit per Accidens, non tamen propterea erit in Actu secundum illam virtutis partem quâ amittit. INSTABIS 2do: Omne Agens magis appetit propriam conservationē quàm destructionem contrarii. E. si nō posset istud destruere, nisi ab ipso pateretur, certè abstineret se ab Agēdo in ipsum, ne postmodū reactione ipsius destrueretr. Adeo Neg. Conseq. Ratio quià ista Agentia naturaliter agunt, quandò sūt applicata, et ideò nō possūt suspēdere propriā Actionem ne in Agendo repatiantur. &c.

Theorema

Theorema Decimum sextum.

Per Rarefactionem nec Substantia ulla, nec Quantitas acquiritur, similiter neque per condensationem deperditur.

Notandum Dictum 1mum: Corpora Rarescere et Condensari est certissimum, videmus enim Aquam rarefieri, dum fervens in olla majorem et ampliorem occupat locum, quam prius occupabat. Item vapores cernimus condensari dum in nubem concrescentes coarctantur et contrahunt. At verò dubium est, quomodo ista fiat rarefactio et condensatio. Num scilic. fiat per acquisitionem et deperditionem alicujus rei, necne? Deinde si ita fit, adhuc dubium est, an illa res acquisita, aut deperdita sit Substantia, an Quantitas, an Qualitas, an potius respectus quidam in ordine ad Locum. Dictum 2dum: Rarum sumitur multipliciter. 1mo Pro corpore Laxo et Fluido ac veluti inconstanti. 2do Pro corpore poroso. 3tio Pro corpore non spissè composito seu contexto, quo sensu pannus dici solet rarus. 4to Pro corpore rimoso, sic v.g. Ædificium ablato caemento per antiquitatem dicitur rarum. 5to Propriè et Philosophicè ~~nempe Physice~~, pro eo quod parum habet materiae sub magna dimensione. E contra densum est illud, quod multum habet materiae sub parva dimensione, et haec est propria acceptio hujus termini, non verò quandò accipitur pro poroso, non enim porosum dicitur habere parum materiae sub magna dimensione, sed multum materiae, quia ultra propriam, habet quoque extraneam et peregrinam, quae simul cum ea conjuncta Locum majorem occupat. Quod si autem consideretur sua propria, quae est distracta et interposita corpuscula, sanè non occupabit majorem Locum quam antea cum erat condensata.

Rarum sumitur multipliciter.

Dictum 3tium: Licet Rarefactio et Condensatio Rigorosè et Philosophicè loquendo nequaquam fiat per acquisitionem aut deperditionem Substantiae extraneae, tamen impropriè et vulgariter loquendo de Rarefactione et Condensatione potest dici quod ita fiat, vocando in corporibus porosis restrictionem ac dilatationem et egressum vel ingressum corpusculorum tenuiorum factum nomine Rarefactionis et Condensationis, cujus rei exemplum potest esse Spongia modò compressa, modò etiam laxata etc. Probatio

PROBATIO THEOREMATIS.

Pars 1ma Quod per Rarefactionem nulla Substantia acquiratur, nec per condensationem de-
perdatur. Probatur: Totum corpus rarefactum/ in ollā ad ignem applicata eundem habet colorem
et saporem. Item Tota flamma eandem Lucem colorem et calorem, et per factum ubiq sen-
titur calor et per colorem color. Ergo ibi non est alia permixta substantia, et q consequēs per Rare-
factionem nulla Substantia acquiritur. Sequela. Quia alias opq esset illiq Substantiæ de novo
acquisitæ assignari aliqua Accidentia et eadem sentiri, quod tamen est falsum. Præterea non
est facile assignare quænam sit ista Substantia extranea acquisita, et quænam sint ista cor-
puscula quæ inter corpora rara intromittuntur. Cum enim hæc debeant esse illis subtiliora, opq
esset admittere quandam Substantiam adhuc Subtiliorem et tenuiorem äere et igne quod est falsū.
Confirmatur Experientiā 1mo Si Phiala vitrea ad ignem calefacta supponatur q suum o-
rificium Aquæ frigidæ, tunc ascendet Aqua aliquantulum intra phialam conclusa, ne äer vitri
poris condensatus relinquat vacuum in phiala. Et hoc clariq patet in cucurbitulis, quæ eadem
de causa attrahunt ad se carnem Hominis, quandò ignis intra illas accensq extinguitur & in
äerem vertitur, qui tanquam densior igne, minorem Locum requirit Ne ergo fiat vacuum, elevatur
caro intra cucurbitulam. At si äer haberet poros hujusmodi corpusculis repletos, non esset opus
in his casibq aquam ascendere intra phialam, et carnem intra cucurbitulam elevari, nam talia
corpora ab eq egressa per condensationem possent illam vasis concavitatem replere. Ergo Mani-
festum est quod condensatio non fiat per expulsionem corpusculorum. Confirmatur 2do Experientiā.
Accipiatur cannula seu fistula, seu tubus/ ex vitro crassior ex superiore parte habens foramen, per
quod alia fistula subtilior transeat, sed reliquum foraminis cerā perfectissimè occludatur, in par-
te autem infimā fistulæ majoris habeatur Aqua eamque fistula subtilior possit etiam attingere,
tunc si quis manu calidā complectatur fistulam crassiorem, videbit per aliam minorem paulatim
Aquam ascendere, quod clariq videre poterit, si aquam quopiam colore infecerit. Porrò istiq asse-
rtq non possumq aliam assignare causam, nisi hanc, quia scilic: calore manq äer illiq fistulæ rarefit,
et sic Locum majorem occupat, et ideò Aqua, ut illi cedat Locum, per subtiliorem cannulā
ascendit, Supponimq enim in hoc casu, nec aliam viam Aquæ patere, et fistulam illam subtilio-
rem esse ex parte superiori apertā ut Aquæ ascendenti possit cedere äer. Certè in tali casu non po-
test dici quod äer in fistula crassiori inclusq rarescat per ingressum corpusculorū, quia ex superio-
ri parti orificium ejq supponimq perfectè esse occlusum, ex inferiore quoq parte desinit in pilam A-
quæ

[margin note:] et extensum eadem habet accidentia v. g. totum vinum rarefactum in olla ad etc.

aquâ repletam. Nec valet si dicas in tali casu corpuscula et vapores ex Aqua educi, et in äerem rarescentem immisceri, non valet inquam, quia si ita esset, jam tunc minimè oporteret Aquam per subtiliorem cannulam ascendere, ut locum relinquat äeri rarescenti in cannula crassiori sed in pila quiesceret sub minori mole ob egressum corpusculorum à poris ipsis. Præterea si ista corpuscula ex aqua egrederentur, tunc sicut per ista äer rarescit, ita aqua condensaretur, quod tamen est falsum, nam tunc licet äer rarescat, Aqua tamen non condensatur, sed foras per subtiliorem cannulam ascendit. <u>PARS SECUNDA (Quod per Rarefactionem Quantitas non acquiratur nec per condensationem deperdatur) Probatur 1mo</u>: Quia si sic? tunc Quæro de illa parte Quantitatis, quæ de novo juxta te acquiritur (Suppono autem quod in Rarefactione, nulla est aggregatio substantialis, eo modo quo solet fieri in Augmentatione: nam in veritate totum quod fuit prius est rarius secundum easdem partes quas habuit, ideoque si esset nova pars substantialis, non posset rarius formaliter dici secundum omnes partes) <u>Quæro</u> inquam de illa parte Quantitatis de novo acquisita, vel producitur in tota materia jam præcedente, vel in parte materiæ; Neutrum potest dici. Ergo simpliciter nulla Quantitas ibi acquiritur. <u>Minor</u>: Non in tota materia, quia alias eadem materia afficeretur duplici Quantitate, et deinde illæ duæ Quantitates ambæ non facerent materiam extensiorem, quia una penetraret aliam. Non etiam in parte sola, quia <u>Quæro</u> vel pars illa materiæ habuit prius Quantitatem, vel non? Si habuit, et adhuc illam retinet cum posteriori, sequitur idem absurdum, quod scilicet eadem materia informabitur duplici Quantitate. Si non habuit? sequitur dari aliquam materiam sine Quantitate, quod est inconveniens. Nec valet si dicas quod aliqua pars prioris Quantitatis retrahat se in alias partes materiæ, quia inde idem sequeretur absurdum de duplici Quantitate in eadem materia, et deinde accidens migraret de subjecto in subjectum. <u>Notes 1mo</u> Hac ratione posse probari, non quod producatur totaliter nova Quantitas in rarefactione, hæc enim non potest subjectari in materia præcedente adæquate cum illam excedat secundum aliquam partem, unde secundum partem excedentem non manebit sine subjecto aut compenetrabitur cum aliqua alia parte Quantitatis, et sic eadem inconvenientia sequerentur, quæ prius. <u>Notes 2do</u> Eadem ratione posse ostendi quod per condensationem nulla Quantitas deperdatur, nam si aliqua pars Quantitatis deperderetur per condensationem, tunc illa particula materiæ, quæ illi substabat, deberet aut sic

aut sine quantitate remanere, aut à reliqua Quantitate remanente informari, quod utrumq̀ est inconveniens, quià sic deberet idem numero Accidens esse in pluribus Subjectis, vel migrare ab una parte materiæ ad aliam relinquendo illam priorem nudam. Probatur 2do: Supposito in primis quod Quantitas sit immediatum subjectum aliorum Accidentium. In toto corpore rarefacto et extenso ac magis dilatato eadem sunt Accidentia quæ ante rarefactionem erant (Totum enim vinum rarefactum, eundem habet colorem et saporem etc) Quæro itaq̀ de istis Accidentibus: vel enim hæc accidentia sunt prorsus eadem numero in illa Quantitate de novo genitâ, sive illa sit totalis, sive partialis Quantitas, non curo, quià de utraq̀ procedit Argumentum. Vel eadem secundum speciem duntaxat de novo producta ad productionem novæ quantitatis. Neutrum potest dici. Ergo illa Quantitas, nec totalis, nec partialis producitur de novo in Rarefactione. Minor: Non 1mum: Quià aliàs accidens migraret de Subjecto in Subjectum, et si Quantitas statuitur immediatum subjectum Accidentium, ad interitum ejus omnia interirent. Non 2dum quoq̀ quiâ impossibile est, ut Agens Rarefaciens possit inducere omnes illas Qualitates quas virtualiter in se non continet, nec potest continere. Atq̀ ignis dum rarefacit vinum, non continet virtualiter Qualitates vini. Similiter dum rarefacit Aquam, non continet virtualiter humiditatē ejus. Similiter dum rarefacit alias res similes etc. Et si hoc vinum dulce, aliud verò austerum esset, certè idem ignis vel Sol rarefaciens utrumq̀, non potest in uno producere dulcedinem, in alio autem austeritatem, et colorem diversum.

OBJECTIONES ET EARUNDEM SOLUTIONES.

OBJECTIO 1ma (Quod per rarefactionem Substantia acquiratur) Probatur exemplo: Nam quandò Aqua fervet, habet quasdam bullas äere plenas, et quanto magis ebullit, tanto sunt illæ majores. Ergo illa Rarefactio fit per intromissionem äeris in Aquā; et per consequens acquiritur Substantia per rarefactionem. RESPONDEO Neg. illam Raritatem Aquæ ebullientis esse propriè Rarefactionem, vera enim et propria rarefactio contingit tunc, quandò eadem Substantia corporea, modo majorem, modo minorem occupat Locum, aliàs non posset reddi ratio, cur ignis sub eadem particula materiæ occupat majorem Locum quàm terra. Quod si autem inquiris undè nam ea extensio major in aquâ bulliente accidat? Dico provenire aut indè, quià ignis partes Aquæ subtiliores vertit in äerem, seu in transitum ignis per Aquam. Ignis enim divisus in minimas partes, undiq̀ Aquam permeat, et dum sursum egredi conatur, Aquām sursum pellit, atq̀ sic bullas illas efficit. Aut indè, quià Aqua ipsa in se agitatur, motum resultans à suo contrario. OBJECTIO 2DA

2da Quod per Rarefactionem acquiratur Quantitas. Probatur: Rarum juxta Definitionem, quam omnes assignant, id est, quod habet parum de materia sub magna Quantitate; et densum est id, quod habet multum de materia sub parva Quantitate. Ergo non potest in Rarefactione et condensatione eadem permanere invariata Quantitas, alias eadem materia utrobique esset sub eadem Quantitate. RESPONDEO In his Definitionibus per Quantitatem non esse intelligendam dimensionem Quantitativam, sed potius majorem ac minorem extensionem ac dimensionem Localem. INSTABIS 1MO Ubicunque variatur Æqualitas et inæqualitas, ibi etiam variatur Quantitas (quia æqualitas et inæqualitas sunt propriæ passiones Quantitatis, iam vero ad variationem Passionis, variatur etiam Subjectum) sed in Rarefactione et condensatione variatur æqualitas et inæqualitas. Ergo etiam variatur Quantitas, et per consequens per rarefactionem aquiritur Quantitas. RESPONDEO Æqualitas et Inæqualitas est duplex. Alia SECUNDUM partes Quantitativas et magnitudinem molis, et istæ sunt passiones Quantitatis, nec variantur in Rarefactione, et condensatione. Alia est Æqualitas et Inæqualitas SECUNDUM extensionem Localem, et istæ non sunt Passiones Quantitatis, sed potius sunt effectus positionis de Prædicamento situs et istas variari certum est. INSTABIS 2DO: Corpus quod rarescit dilatatur in Longum, Latum et profundum. Atqui istæ sunt dimensiones Quantitatis. Ergo in Rarefactione acquiritur nova Quantitas. RESPONDEO Quod corpus Rarescens augescat et dilatetur in longum, latum et profundum, non per additionem novæ Quantitatis, alias et Substantia nova deberet addi. Sed per extensionem et dilatationem majorem ejusdem Quantitatis, quæ dilatatio ad prædicamentum Situs debet referri. etc.

Æqualitas et Inæqualitas est duplex.

THEOREMA DECIMUM SEPTIMUM.

Terminus qui in Rarefactione et Condensatione per se acquiritur, non est Qualitas, sed nova extensio Localis major vel minor partium Locati ad Prædicamentum situs pertinens.

Notandum Dictum 1mum: Cuilibet substantiæ materiali convenit, ut si habens separetur Actualiter Quantitas, adhuc retineat partes extensas, et unam extra aliam etiam in ordine ad Locum, sed penetrabiliter, unde et partium suarum compenetrationem posset tunc absque miraculo ad punctum Loci contrahi. Dictum 2dum: munus Quantitatis circa substantiam

Munus Quantitatis circa Substantiam, quodnam sit.

substantiam est istud, ut scilicet reddat Substantiam extensam occupative in Loco et impenetrabiliter, ita, ut Ratio Formalis Quantitatis consistat in Radice et Principio exigitivo impenetrabilitatis, quæ impenetrabilitas est veluti effectus ejus primarius Formalis, cujus beneficio Substantia Quanta habet positionem ex Prædicamento Quantitatis. <u>Dictum 3tium</u>. Positio de Prædicamento Quantitatis, nihil est aliud, nisi ordo quidam partium in toto præscindens ab Actuali ordine ad Locum, ut quod caput sit immediatè unitum collo, collum autem pectori cum repugnantia ad penetrationem, ratione cujus distinguitur à consimili ordine partium, quem adhuc substantia retineret si Quantitate spoliaretur, tunc enim talem haberet ordinem sed sine repugnantia ad penetrationem. <u>Dictum 4tum</u>: Quantitatem consequitur naturaliter tanquam Effectus secundarius positio de Prædicamento SITUS, quæ positio ex Prædicamento SITUS, nihil est aliud, nisi ordo partium Locati ad partes Loci, id est Actualis extensio partium Locati ad partes Loci, diciturque impenetratio Actualis partium, nam quandocunque partes Locati correspondent diversis partibus Loci, stante hoc respectu et Relatione Situs, implicat corpus in puncto locari. <u>Dictum 5tum</u>: Istam Impenetrationem seu positionem de Prædicamento Situs, consequitur postea veluti ejus effectus secundarius negativus, expulsio alterius corporis ab eodem Loco, qui effectus potest à DEO suspendi. Nam si duo corpora essent circumscriptivè in eodem Loco, partes utriusque corporis essent coextensa partibus ejusdem Loci. At neutrum expelleret aliud. <u>Dictum 6tum</u> Extensio corporis Locati ad partes Loci constituens positionem de Prædicamento SITUS vulgò vocatur modus Quantitatis. <u>Dictum 7timum</u> <u>Situs sumitur dupliciter</u>. 1mo Pro qualicunque extensione partium rei materialis in Loco, et hoc modo acceptus SITUS, non est modus soli Quantitati conveniens sed universaliter cujuscunque rei corporeæ, nam etiam seclusa Quantitate, adhuc res corporea remaneret sic extensa divisibiliter per Locum. 2do <u>Sumitur SITUS pro extensione partium in Loco, cum repugnantia ad hoc, ut se invicem possint penetrare, et in hac acceptione secunda Situs est modus soli Quantitati conveniens</u>, talis autem extensio impenetrabilis in Loco rebus materialibus et corporeis nullius alterius Formæ, nisi solius Quantitatis beneficio convenit.

Positio de Prædicamento Quantitatis.

Positio de Prædicamento Situs quid sit.

Situs sumitur dupliciter.

Notan.

Differentia motus Localis ad ubi à Rarefactione.

Notum 2dum Dictum 1mum: Sicut in communi Sententia motus dicitur Velox vel tardus fieriq; in longiore vel breviore Tempore, per hoc solum, quod secundum eandem suam Entitatem et secundum easdem partes extenditur aut contrahitur magis in sua successione et duratione: ita pariter dicendum est de corporum raritate et densitate, quod scilicet idem corpus possit nunc majori, nunc minori coëxistere Loco per extensionem vel contractionem ejusdem substantiæ mediante rarefactione et condensatione. Dictum 2dum: Naturaliter loquendo præfixus est terminus corporibus in Rarefactione et Condensatione, juxta eorum Temperamentum, non enim possibile videtur saltem viribus Naturæ granum milii posse ad tantam molem rarefieri ut totum spatium universi occupet absque ulla additione substantiæ. Neque è contra Universum ita contrahi per condensationem ut sine partium penetratione possit contineri in Loco grani milii, licet hoc fieri posset supernaturaliter. Dictum 3tium: motus Localis ad UBI differt à Rarefactione et condensatione, qui sunt quidam motus Locales, propterea, quià in motu Locali primus et per se terminus est præsentia totalis seu ubicatio totius corporis. Præsentia verò partium est terminus tantum secundarius et concomitans. È contra verò in condensatione et Rarefactione primus et per se terminus est partialis præsentia partium ac earum situatio in Loco. Secundarius verò et concomitans est præsentia totalis corporis, et quià motus specificatur à primo et per se termino, ideò motus Localis absolutè, per quem solet intelligi motus totius dicitur esse ad UBI, Rarefactio autem et condensatio ad SITUM.

PROBATIO THEOREMATIS.

Pars 1ma Quod Qualitas non acquiratur in Rarefactione. Probatur: Raritas et Densitas non sunt Qualitates. Ergo. Consequent. Quià per Rarefactionem acquiritur raritas et Densitas. Ergo si ista non sint Qualitates, sequitur quod per Rarefactionem non acquiratur Qualitas. Ans: Probatur 1mo: Si Raritas et Densitas essent Qualitates, sequeretur quod possent intendi et remitti, prout et aliæ Qualitates intenduntur et remittuntur. Sed Intensio potest esse absque extensione. Ergo eadem pars Qualitatis posset dici magis rara absque eo, quod sit extensior. Atqui hoc est falsum. Ergo. Sequela: Quià intensio quantum

...antum est de se, præscindit ab extensione, et cum motus intensionis possit fieri in indivisibi-
... extensionis tanquam in subjecto, sequitur punctum posse fieri rarius, quod est impossibile. Pro-
...atur 2do idem Ans: ex Definitione Rari et Densi. Rarum est, quod habet parum de materia sub
magnis dimensionibus. Densum verò, quod habet multum de materia sub parvis dimensionibus.
Atqui hic nulla fit mentio Qualitatis, sed solum Dimensionis, Dimensio autem, sive in ordine ad totum, sive in ordine ad
locum pertinet ad Quantitatem vel ad Situm, nequaquam ad Qualitatem, quià non perti-
...et ad Qualitatem ordinare et extendere partes Quantitatis in Loco. Confirmatur: Nul-
...am rem possumus dicere esse raram vel densam propter qualitatem aliquam, sed tantum propter
...ea, quià partes ejus sunt propinquiores vel remotiores abinvicem. Omne enim habens partes
magis propinquas, est magis densum, vel è contra, quantò magis habet ipsas distantes, tantò
magis est Rarum. Sed nulla res habens partes, habet illas propinquas vel distantes mediante
aliqua Qualitate. Ergo. Pars 2da (Quod extensio Localis sit terminus Rarefactio-
nis et condensationis) Probatur: Tunc corpora dicuntur Formaliter rarescere vel condensa-
ri, quandò partes eorum non amplius eundem servant inter se ordinem respectu Loci; sed am-
plius comprimuntur, vel amplius dilatantur. Ergo primus et per se terminus Rarefactionis et
condensationis est talis partium compressio vel dilatatio. Atqui hæc non important nisi va-
riam extensionem et positionem partium in Loco, quæ spectat ad Prædicamentum Situs. Er-
go positio est Terminus per se Rarefactionis et condensationis. Non obstat Quod in Ra-
refactione et Condensatione mutetur quoque præsentia Localis totius corporis, quæ dicitur
Ubi, namque id solet fieri consequenter ad mutationem partium, unde talis Ubicatio ~~ipsius~~ totius
non est primus et per se Terminus Rarefactionis et Condensationis; sed tantum secundarius
et concomitans. Confirmatur: Per Raritatem corpora extenduntur in Loco, per Densita-
tem verò comprimuntur et coarctantur. Atqui hoc non debet intelligi in Genere causæ Ef-
ficientis quasi Raritas extensionem efficiat, nam pro causa scilic. extrinseca sufficiens e-
rit Agens extrinsecum, quod dicitur rarefacere Subjectum, et pro causa dispositiva sufficiet
erit calor vel humiditas, adeò, ut Raritas ipsa aut densitas non præstent hunc effectum, nisi
in genere causæ Formalis. Ergo Raritas, quæ est terminus Rarefactionis, aliud Formaliter non
erit, nisi extensio ejusdem corporis ad ampliorem Locum quam antea habebat, et densitas con-
tractio ad minorem, et proindè non bene dicetur raritas illam præcedere veluti causa, nec illam
consequi ve

consequi veluti Effectus, quià tunc altera superflueret, nam habitâ raritate superfluâ, erit alia extensio quæ ipsam consequatur, ut effectus secundarius, et pariter habitâ extensione majori ad Locum, superflua erit Raritas quià per illam et extensionem corpus intelligitur sufficienter rarum. Confirmatur 2do Authoritate Philosophi qui in Prædicamento Qualitatis hæc habet verba (Rarum verò et Spissum, Asperum et Leve putabuntur quidem Quale quid significare, sed aliena hujusmodi censent esse à divisione, quæ circa Quale est, quandam enim positionem magis videntur partium utrumquè significare: Spissum enim seu densum dicitur eo, quod partes sibi ipsis sint propinquæ: Rarum autem eo quod distent à se invicem, et Leve quidem, quod in rectitudinem aliquomodo partes ipsius jaceant. Asperum verò quod hæc quidem pars sit superior, illa autem inferior.

OBIECTIONES ET SOLUTIONES EARUNDEM.

OBIECTIO 1ma (Quod Rarefactionis terminus sit Qualitas) Probatur: Cum Æquali Quantitate et Extensione Locali stat unum corpus esse magis densum vel Rarum quàm aliud. Ergo Nec in quantitate, nec in aliquo ejusmodo potest constitui Formalitas Rari et Densi, sed tantùm in aliqua Qualitate. Ans: Sint duo vasa ejusdem mensuræ, quorum unum impleatur Aquâ totum alterum verò tantum ad medietatem, sed illa Aqua admota igni, ità rarescat ut totum vas repleat, istæ duæ Aquæ æqualem habent extensionem in ordine ad Locum, et tamen una est densior quàm alia. Ergo cum æquali Quantitate etc. RESPONDEO Dist. Ans: Cum æquali extensione Locali et æquali materia, stat major vel minor densitas aut raritas Nego. Cum æquali extensione Locali seu inæquali materia, ut est in casu proposito Concedo. Sed tunc stante Ans: Nego. Consq. Ratio: Quià Raritas et Densitas, non consistit in extensione Locali simpliciter, sed Raritas in Extensione Locali paucior/um densitas verò plurium et in majori copia, undè eadem extensio Localis potest dici major et minor, non prout solum terminatur ad Locum, sed prout etiam respicit majorem vel minorem copiam materiæ situatæ sub æqualibus dimensionibus. Undè si minor est materia/ra major extensio dicetur. Si major est copia materiæ, minor extensio vocabitur. OBIECTIO 2DA (Quod Terminus Rarefactionis et Condensationis non sit extensio Localis) Probatur: Quia aliàs sequeretur in Rarefactione et Condensatione, rarum et densum Localiter moveri. Consequens falsum. Ergo et Ans: Sequela: Quià omnes partes ipsius moventur Localiter, iam verò ad motum partium omnium, etiam totum moveri oportet. Falsitas: Quià sic rarefactio et condensatio essent motus Locales et ad ipsum Ubi, non verò ad Situm, quod est contra doctrinam in 2do Notando datam de motus

le dictum situm. RESPONDEO Distinguendo. Licet enim Rarum et Densum moveant Locali-
ter secundum partes primario, tamen non moventur secundum totum, nisi consequenter et secun-
dario, quia tunc aliquid proprie dicitur moveri secundum totum, quando totaliter deserit prio-
rem Locum, et alium de novo acquirit, quod non contingit in rarefactione et condensatio-
ne, unde istimo scilicet Rarefactio et condensatio proprie et stricte loquendo sunt ad Si-
tum, non vero ad ipsum ubi, quia Rarefactio est motus partium ad alium Locum, et sublato
ubi alio, concepto autem motu Locali tantum partium ad majorem distantiam inter se,
ita tamen, ut nulla fiat discontinuatio inter illas partes, omnino oportebit ibi fieri Ra-
refactionem. Sed CONTRA si sic ergo motus proprie dictus ad plura dabitur Prædicamenta
quam ad tria scilicet Ad Quantitatem, Qualitatem et UBI, quod est falsum. RESPON-
DEO et Dico quod motus ad Situm reducatur ad motum qui dicitur dari ad ipsum UBI, ideo
quia est quidam motus Localis imperfectus, quod eo vel maxime oportet dicere, si teneamus
SITUM non esse diversum Prædicamentum ab ipso UBI. INSTABIS 1mo Dato hoc QUÆRO
an dum corpus Rarefit et Magis extenditur conservetur prior extensio cui alia nova adjici-
tur, an vero tota pereat præcedens, et alia totalis nova generetur? Quod quidem utrumque
haud potest statui, quia alias redirent omnes difficultates quæ sunt allatæ contra eo-
rum opinionem qui statuunt per rarefactionem generari Quantitatem. RESPONDEO Neg.
quod non possit statui, et dico quod tam in Rarefactione quam condensatione semper partes mu-
tent priorem extensionem Localem, et novam acquirant majorem vel minorem, quia in con-
densatione una cedit alteri Locum, quem ipsa obtinebat, et in Rarefactione, una pellit aliam
de Loco quem occupabat, alias non qualibet pars Rari esset Rara, nec densi densa. Ad Pro-
bationem dico Negando quod contra hunc modum dicendi valeant rationes allatæ contra Quan-
titatem, quod in rarefactione non generetur, nec in condensatione deperdatur. Ratio: Quia
extensio Localis non supponitur ita cæteris Accidentibus, tanquam eorum proximum subjectum,
sicut Quantitas et prorsus diversa sunt munera hujus et illius. Dices: Si omnes et singulæ par-
tes mutant Locum totaliter. Ergo etiam totum mutabit eundem, quod est contra experien-
tiam quia Aqua rarefacta et condensata semper retinet Locum præcedentem. RESPON-
DEO Neg. Conseq. Nam licet in Rarefactione retineat corpus totum Locum precedentem, ta-
men adhuc stat cum hoc, quod nulla ejus pars retineat Locum, quem antea habebat, quia potest
mutari Situs partium sine mutatione UBI totius. Sic quando Cœlum movetur, totum Cœlum
est in

est in eodem Loco, et nulla tamen pars illius retinet praecedentem. Instabis 2do: Si totum ratio Rarefactionis et Condensationis consistit in majore vel minore extensione Locali ejusdem rei, sequeretur 1mo Quod etiam Angelus diceretur rarescere et condensari, quando modo majus modo minus occupat spatium. Item 2do Eadem ratione si corpus extensum reducatur virtute Divinâ in punctum diceretur condensari, et si postea extendatur ad Locum, diceretur rarefieri, quod est falsum. RESPONDEO Neg. Sequelam. Ratio: Quia major et minor extensio Localis ~~Localis~~ Angeli non ponitur in praedicamento SITUS, cum non fiat secundum partes, rarefactionem et condensatio non dicit majorem aut minorem occupationem Loci utcunque, sed per majorem unionem partium in Loco aut dilatationem. Ad 2dum Neg. quoque Sequelam. Ratio: Quia tunc aliquid dicitur rarefieri dum à minori extensione transit ad majorem, et contra tunc condensari dum à majori ad minorem. In casu autem proposito, non esset ita, quia punctum non est aliqua extensio Localis. Instabis 3tio Dum res transit de uno Loco ad alium, mutat realiter praesentiam, et totius ad totum Locum, et partium Locatis ad partes Loci, et tamen non mutat Raritatem aut condensationem. Ergo Non consistit in tali respectu de praedicamento SITUS, quia mutato UBI mutatur quoque SITUS, sed non mutatur raritas. Respondeo Dico Raritatem et Densitatem non consistere in qualicunque respectu partium Locati ad partes Loci, sed in majore aut minore distantia quam servant ad invicem in Loco, adeo ut non tam consistant in ordine partium ad Locum quam in ordine quam servant adinvicem vage et confusè sumpto. Quia verò hunc eundem ordinem suarum partium servat corpus rarum et densum quocunque transferatur, ideò dicitur retinere ubicunque eandem Raritatem et densitatem. Instabis 4to: Partes non possunt fieri immediatiores quàm quod continuentur per indivisibile, nisi penetrentur: nec possunt magis adinvicem distare quam per indivisibile, nisi discontinuentur. Ergo non possunt in condensatione magis constringi, neque in rarefactione magis dilatari, nisi addita, vel dempta aliqua parte. RESPONDEO Disting. Ans: Licet enim verum sit loquendo de immediatione, atque distantia partium in ordine ad se, non tamen in ordine ad Locum, et ideò Neg. Consequent. propterea, quia Lac inferventi ollâ aliquandò obtinet triplo plus Loci quam antea habuit, et tamen omnes dicunt eandem esse Lactis Quantitatem antequam applicetur ad ignem, quae etiam est dum fervet, quod provenit indè, quia positio de Praedicamento Situs differt à positione

illa quæ est de Prædicamento Quantitatis, neque enim una istarum debet confundi cum alia. Sed DICES Licet sint Realiter distinctæ, tamen extensio in ordine ad Locum sequitur extensionem in ordine ad se. Ergo Non potest in illa fieri mutatio absque prævia aliâ mutatione extensionis in ordine ad se. RESPONDEO Neg. Conseq. Quia quando homo stat vel sedet, vel inclinat, utique mutatur extensio partium in ordine ad Locum, non tamen in ordine ad se, propterea quia non est necesse ut prius varietur ad variationem posterioris.

THEOREMA ULTIMUM.

Generatio Substantialis sub ratione productionis datur, et rectè definitur, quod sit Actio productiva compositi substantialis dependenter à Subjecto.

NOTES Generationem dupliciter accipi. 1mo Sub ratione productionis. 2do Sub Ratione mutationis, quarum acceptionum una est distincta ab alia realiter et est separabilis. Nam Generatio sub ratione productionis est formaliter in Divinis, sub ratione verò mutationis, nequaquam. Item sub Ratione Productionis est in Prædicamento Relationis quia est respectus intrinsecus adveniens. At verò sumpta sub ratione mutationis in nullo est prædicamento directè, cùm sit respectus secundum quid realis. Item In ratione Productionis sumpta habet pro extremis causam efficientem et productum. In Ratione verò mutationis sumpta, habet Subjectum, Formam et Privationem.

Generatio dupliciter accipitur.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS 1MA (Quod detur, patet.) Nam propè quotidiè experimur Substantias de novo produci in rerum natura (neque enim omnis ista mutatio quam in Sublunaribus fieri continuò videmus est Accidentalis) vel itaque producitur ex aliquo Subjecto, vel ex nullo. Hoc secundum dici non potest, quia naturaliter ex nihilo nihil fit. Ergo primum debet dici, et per consequens dabitur Generatio Substantialis in rerum naturâ. Conseq. ista ultima, quia per generationem nihil aliud intelligimus, nisi productionem rei ex aliquo, quod distinguitur à creatione, quæ est productio rei ex nihilo. Ans: 1ma pars. Quod Substantia de novo producatur, constat; videmus enim homines et Animalia nasci et interire, fructus produci, granum tritici corrumpi, et ex eo spicam generari, aliasque similes mutationes. Atque istæ productiones sunt Substantiales, quia non solum Accidentia hic acquiruntur aut corrumpuntur, sed eti

sed etiam Formæ Substantiales, per quas ipsæ res naturales Substantialiter incipiunt et
desinunt. Ergo. PARS SECUNDA (Quod generatio rectè definiatur) Probatur: Quià con-
stat Genere et Differentiâ. Ergo. Ans: patet ex declaratione particularum. 1ma particula
(Actio productiva) ponitur Loco Generis, quià generatio Substantialis, in hâc commu-
ni ratione Actionis productivæ, non solum convenit cum generatione Accidentali, sed etiam
cum ipsâ creatione, nam omnes sub hac ratione important respectum intrinsecè adveni-
entem causæ Efficientis ad effectum productum, et quià Genus sicut convenire facit sin-
gula sua inferiora, ita quoquè eam facit differre ab aliis quæ sub diverso Genere contine-
tur, ideò hac Actio productiva discernit generationem istam sub ratione productio-
nis acceptam 1mo A Generatione sub Ratione mutationis sumpta, nam mutatio respi-
cit terminum A QUO et AD QUEM, et propriè importat transitum Subjecti communis
ab uno in aliud præscindendo à causa efficiente et ab Effectu producto, undè Subjectum
Forma et Privatio dicuntur ejus esse Principia essentialia. 2do A conversione, quià con-
versio intrinsecè et Formaliter respicit solam rem desinentem ut terminum A QUO et suc-
cedentem ex vi desitionis illius, ut terminum AD QUEM, non autem Agens, undè dicimus Aquam
converti in Aërem, et lignum in ignem præscindendo ab Agente. 3tio Ab Actione unitiva
partium, quæ vulgò vocatur unitio, quià per unitionem Agens nullam Substantiam Formaliter
producit, sed solum unit partes ad invicem, ex quarum unione postea ab eodem Agente gene-
ratur compositum, undè proprius terminus Unitionis est unio quæ dicit respectum extrin-
secè advenientem, ~~[illegible]~~ et
ideò unitio non debet dici Actio substantialis productiva, sicut est generatio, sed tantum
unitiva. PArticula 2da (COmpositi substantialis) distinguit Generationem 1mo Ab omni
Accidentali Actione et Productione. 2do Ab eductione, quæ est quoque productio Substantialis
At non attingit ipsum compositum, sed solam Formam Substantialem, quæ propriè dicitur e-
duci de potentia materiæ, generatio verò est solius compositi. 3tia particula (Dependenter à
Subjecto) distinguit Generationem à Creatione: Nam Creatio est Actio independens à Sub-
jecto, per quam res totaliter extrahitur ex nihilo, et ideò dicitur propria ipsius Dei; generatio verò
fit dependenter à Subjecto. SCIAS Etiam Generationem differre à Creatione ex parte ter-
mini

termini A QUO. Nam Terminus Generationis A QUO est negatio in Genere et in Subjecto. Terminus vero Creationis A QUO est negatio extra Genus, quia quod creatur, prorsus fit ex nihilo.

Differentia Generationis à Creatione.

OBJECTIONES ET SOLUTIONES EARUNDEM.

OBJECTIO 1ma (Quod Generatio non detur) Probatur: Si Substantialis generatio daretur ita, ut aliquid remaneat in genito, quod erat in corrupto, sequeretur quod res specie diversæ non distinguerentur inter se. Conseq. falsum. Ergo. Sequel. Quia convenirent in materia. Item sequeretur, quod eadem materia Entitas transiret de una in aliam Speciem. RESPONDEO Neg. falsitatem utramque. Ratio: Quia sicut nullum est inconveniens, ut res specie diversæ habeant idem Genus Logicum, ita etiam non repugnat ut habeant idem Genus Physicum, et cum hoc adhuc differant inter se substantialiter per suas formas specificas. Similiter non repugnat materiam, quæ est commune Formarum Subjectum migrare ab una Forma ad aliam successivè, neque enim sic mutat suam Speciem intrinsecam & essentialem, sed tantum extrinsecam et adventitiam, quemadmodum homo dum de albo fit niger. INSTABIS: Totum vel generatur secundum Essentiam, vel secundum existentiam. Neutrum potest dici. Ergo Non datur generatio. Non secundum essentiam, quia essentiæ rerum non generantur neque corrumpuntur (constat enim eas esse æternas) Non secundum Existentiam, quia cum existentia sit Accidens essentiæ, non esset generatio productio Substantialis sed tantum accidentalis. RESPONDEO Neg. minorem, et dico quod generetur utroque modo ita, ut terminus generationis sit essentia realis, sed inquantum existens et singularis, unde essentia totius est terminus producti. Existentia verò est modus sub quo fit, vel ratione cujus extra causas producitur: unde falsum est etiam essentias rerum esse æternas, quasi ab æterno fuerint, dicuntur enim solum æternæ secundum connexionem prædicatorum essentialium, et quia non immediatè ac proximè subjiciuntur generationi & corruptioni, sed tantum remotè. Similiter falsum est existentiam purum esse Accidens Essentiæ. OBJECTIO SECUNDA (Quod non rectè definiatur Generatio) Probatur: Definitio rectè assignata, convenit omni illi, cui etiam convenit suum definitum. Atqui ista Definitio non est ejusmodi. Ergo. MINOR: Quia generatio sub ratione productionis sumpta convenit etiam personis Divinis, Definitio autem superius assignata, nequaquam (nam erroneum est dicere quod ibi sit productio compositi Substantialis dependenter à Subjecto, siquidem ibi neque est

est compositio, neque etiam subjectum. RESPONDEO Neg. minorem: quia Definitio Generationis hic assignatur prout in rebus creatis invenitur, non autem prout se extendit ad Divina et creata, quia sic certum est Generationem in Divinis, ut dicit productionem compositi substantialis dependenter à Subjecto non reperiri. QUÆRES 1mo: Quænam sit Definitio Generationis sub ratione mutationis accepta? Rdeo Hanc esse, nimirum. Est mutatio à Substantia in potentia ad Substantiam in Actu. Ubi per substantiam in Potentia intelligitur Materia, per Substantiam verò in Actu, intelligitur Forma. Porrò in hac Definitione mutatio ponitur Locò Generis, reliqua autem pro Differentia, unde Sensus istius Definitionis est, quod generatio sub ratione mutationis sit successio Formæ Substantialis in Subjecto ipsius potentiali post privationem ejusdem immediatè præcedentem. QUÆRES 2do: Num illa Definitio Generationis sit recipienda? Generatio est mutatio totius in totum nullo sensibili remanente, ut subjecto eodem. RESPONDEO Hanc Definitionem esse accipiendam, quatenus Generatio idem significat quod conversio, non verò quatenus idem est quod mutatio, quia mutatio et conversio differunt inter se: nam mutatio habet pro termino A QUO privationem, Conversio autem habet pro termino Aliquid positivum. Non enim dici solet privatio converti in Formam, sed dicitur Aqua converti in äerem, lignum in ignem etc. unde de ratione formali conversionis est, ut sit inter terminos positivos, quorum unus desinat esse, alter verò illi succedat in esse ex vi desitionis illius. Ratio: Quia si terminus A QUO non desineret esse, sed in suo esse maneret, non diceretur in aliud conversi. Similiter si terminus AD QUEM non acciperet esse, vel saltem novum modum essendi ex vi desitionis illius, non benè illud diceretur converti in istud, nec istud succedere illi, aliàs posset dici SOL succedere vermi, quia habet esse suum post esse vermis corrupti, licet non ex vi desitionis vermis. NOTES Autem hic primum duplicem esse conversionem. Aliam Accidentalem, in qua fit transitus de uno in aliud ~~[illegible]~~ Accidens, ut quandò frigidum fit calidum. Aliam Substantialem, dum ex una Substantia transitur in aliam, ut cùm ex Aquâ fit Aër. Hæc Substantialis rursum est duplex. Alia partialis, quandò aliquo Subjecto manente de una Forma Substantiali transitur ad aliam. Alia totalis, quandò tota Entitas sive Substantia nullo

Definitio Generationis sub ratione mutationis.

mutationis et conversionis Differentia.

Coversio è duplex

nullo subjecto communi manente transit in aliam, ut credimus in Eucharistiæ Sacramento contingere. Conversio enim ut sic, dicit solam habitudinem termini abstrahendo à subjecto. Unde collige Generationem non solum esse mutationem substantialem, sed etiam substantialem conversionem, quia Privatio antecedens quæ est ipse terminus à quo Generationis in ratione mutationis naturali modo semper conjuncta reperitur cum Forma positiva, ratione cujus, generatio unius est corruptio alterius, et Forma corrumpenda, non dicitur absolutè desinere, sed in aliam desinere, et per consequens in eam converti, et huic illi succedere ex vi actionis illius. Quia autem in ista conversione manet commune subjectum, neque enim aliter potest Agens Naturale unum in aliud convertere, idcircò Generatio est conversio partialis, non verò totalis. NOTES Hanc Definitionem nihil obesse illi Doctrinæ quæ traditur de pluralitate Formarum in eodem composito. Nam verba ista (nullo sensibili remanente ut subjecto) non debent absolutè intelligi, dum enim moritur Homo, remanet cadaver, scilicet Corpus pro altera parte compositi, quod est sensibile, sed debent ita intelligi, quod scilicet in mutatione substantiali non manet idem subjectum sensibile in Actu specifico et completo: nam non dicit Philosophus quod non maneat aliquod sensibile, ut subjectum, sed dicit, quod non maneat subjectum sensibile sub gradu specifico et completo, quia hoc tollit rationem generationis, cujus subjectum debet esse in potentia essentiali ad Formam aliquam specificam, et ideò dicit Philosophus cum appositione (nullo manente sensibili ut subjecto eodem) et non absolutè (ut subjecto) quatenus per hoc significetur, non debere manere subjectum sensibile idem, id est sub eodem gradu specifico, sub utroque termino mutationis, sicut manet in alteratione. Quæres 3tio: Quæ sit Definitio corruptionis, et quomodo differat ab annihilatione? Respondeo Corruptio sub ratione mutationis accepta est transitus materiæ ab esse Formæ ad non esse Formæ in ipsa materia, seu: Est successio non esse Formæ in materia post esse ipsius immediatè præcedens, id est, est mutatio subjecti de esse Formæ ad non esse Formæ. Ab Annihilatione autem differt 1mo quia in corruptione manet aliquid ipsius corrupti scilicet: materia. Quamvis enim v.g. tota Aqua convertatur in Aerem, et sic corrumpatur per separationem suæ Formæ à materia, tamen materia prima, quæ erat pars ipsius, manet sub Forma Aeris: At verò in annihilatione, non solum totum cathegorematicè destruitur, sed etiam syncathegorematicè: id est desinit secundum se totum, et secundum quamlibet sui partem. 2do Differt, quia negatio terminans corruptionem est in

Corruptio quomodo differat ab annihilatione.

in subjecto apto nato, (scilicet: in materia) estque vere privatio v. g. Cum Aqua corrumpitur in Aërem, ista corruptio terminatur ad non esse Aquæ, quæ quidem negatio, non est extra omne genus Entis, sed in subjecto apto nato, scilicet: in materia, et propterea desitio Formæ non est annihilatio, licet nihil ipsius maneat, quia negatio ejus manet in subjecto apto nato, quæ est privatio, et non negatio extra genus. At vero annihilatio est omnino negatio, extra genus. Nam sicut in Creatione Nihil, quod est terminus à QUO negat partem et subjectum rei creandæ: ita in annihilatione Nihil, quod est terminus AD QUEM utrumque debet negare.

CONTROVERSIA SECUNDA.

DE SCIENTIA AGENS.

Hypothesin ad Thesin, seu materiam singularem ad Universalem (neque enim hoc Demostheni, aut Tullio, ita ut Jovi tonare est proprium) hoc Loco revocare statuimus, et pro quæsitis proœmialibus, cujusmodi sunt, an de Anima detur Scientia, et an illa sit naturalis, utilis, difficilis, necessaria, et an pro subjecto Animam, an vero corpus animatum habeant difficultates, quæ de Scientia in communi à Philosophis agitantur, examinare decrevimus, eo vel maxime consilio, ut hac materia hic semel absoluta non exiguo Labore in Libris de Anima alleviati, possimus, quare sit in NOMINE S.S. Trinitatis:

THEOREMA PRIMUM.

Datur in nobis certa et Scientifica de re aliqua de novo cognitio.

Notes: Hoc Theorema poni contra Sophistas, qui omnem Scientiam negant, et contra Platonem, qui licet admittat Scientiam dari, non tamen de novo, nam juxta ipsius opinionem Anima nostra in primis ab initio suæ creationis omnibus Scientiis ornata corpori infundebatur: deinde earundem omnium ex consortio adeo crassi socii obliviscebatur, tandem paulatim per occasionem ab externis excitabatur, et sic eorum, quæ antea sciebat, reminiscebatur, unde inferebat Plato, nostrum scire, nihil aliud esse, nisi quoddam reminisci.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS PRIMA (Quod detur Scientia) Probatur: Illud esse in rerum Natura oportet cujus desiderio omnes naturaliter tenemur: Sed desiderio Scientiæ omnes naturaliter flagramus (quia ex 1. Met. omnis homo naturaliter scire desiderat, et rerum cognitionem perversar habere conatur) Ergo. Major clara, quia aliter naturalis appetitus esset frustra, quod est falsum, siquidem natura nihil frustra facit, nec quidquam gratis tribuit. Sequela: Quia talis appetitus

appetitus esset respectu illius, quod est prorsus impossibile et nihil. Item 2do Quaero. Aut hoc, ~~[illegible]~~ omnia certo sciunt Sophistae, aut non? Si Secundum. Ergo Non debet negari totaliter Scientia, siquidem istud est incertum ~~nempe quod non nesciunt omnia~~. Si Primum. Ergo jam in nobis datur certa et evidens notitia nostrae ignorantiae, et per consequens etiam Scientia, quia illa notitia esset alicujus per causam. Item 3tio Patet per experientiam. Multa enim sunt quae per causas scimus v. g. Res sublunares esse corruptibiles, quia constant ex materia &c.

Pars secunda (Quod de novo generetur Scientia) Probatur; quia Anima non obliviscitur Scientiarum, neque ipsis ornata infunditur corpori. Ergo de novo generatur Scientia. Ant: Quia alias Anima praecederet corpus, quod est contra concilium Lateranense, quod docet Animam in eo instanti, in quo creatur, corpori uniri. Item 2 Si nostrum scire esset reminisci, sequeretur, quod etiam nos modo per recordationem cognosceremus in nobis fuisse aliquando notitiam Logicae, Physicae, Arithmeticae. Atqui hoc est falsum. Ergo. Sequela. Nam quandocunque reminiscimur rerum aliquarum, tunc non solum de illis rebus, sed etiam saepissime de ipso actu cognitionis recordamur, v. g. qui ante viginti annos studuit Alphabeto, non solum Alphabeti recordatur, sed etiam actum cognoscendi illius. Falsitas patet. Nam in acquisitione primaria notitia rerum, nunquam recordamur nos aliquando de ipsis habuisse cognitionem. Item 3tio: Quia alias nullus contingeret error in nostro intellectu. Atqui intellectus noster saepe errat. Ergo. Major: Quia Phantasma solummodo excitaret species ab initio intellectui infusas, quae non possunt aliam, nisi veram generare ~~[illegible]~~ scientiam. Ex his collige intellectum nostrum ab initio esse tanquam tabulam rasam in qua nihil est depictum, sed in potentia ad omne intelligibile, sicut est tabula ad recipiendam quamlibet picturam, et posse ipsum vel totaliter ab intrinsece propriis viribus alicujus rei cognitionem sibi comparare, ut dum ipse absque magistro per suam inventionem aliqua cognoscit; vel partialiter ab extrinseco, quando scilicet non est bene dispositus, et indiget Doctore tanquam excitante et applicante principia ad inferendam conclusionem.

OBIECTIONES ET SOLUTIONES EARUNDEM.

Obiectio prima (Quod non detur verum Scientia) Probatur: Scientia est de rebus certis & aeternis. Atqui res non sunt ejusmodi (quia omnes sunt corruptibiles) Ergo. Respondeo Neg. minorem et ejus probationem universaliter sumptam, neque enim omnes res sunt corruptibiles cum plurimae etiam sint aeternae. Praeterea licet res sint corruptibiles quoad existentiam, tamen sunt incorruptibiles quoad essentiam et quoad connexionem praedicatorum essentialium cum subjecto, ita vero non requiritur ad Scientiam rerum aeternitas in existendo, sed tantum in essendo, hoc est, ut propositiones

propositiones de ipsis formatæ sint æternæ veritatis, ut connexio prædicati cum subjecto sit æterna et invariabilis, licet ipsum subjectum per se consideratum sit corruptibile, v. g. licet homo corrumpatur, tamen hæc propositio homo est Animal est incorruptibilis. Instabis 1mo Alias intellectus posset esse semper absque errore. Atqui nunquam est. Ergo. minor: Quia intellectus movetur à sensu, jam verò sensus facilè decipitur. Respondeo Neg. minorem, ad probationem dico, quod necessarius circa proprium objectum semper decipiatur, quando est benè dispositum, nec intellectus necessariò sequitur apprehensionem sensus, sed proprio lumine et aliorum sensuum auxilio potest errorem corrigere. Instabis 2do: Si haberemus Scientiam rerum, deberemus earum naturas attingere: Sed nos non attingimus rerum naturas, sed per quasdam potius similitudines illas percipimus. Ergo Non habemus veram de illis notitiam. Respondeo Neg. minorem. Nam species intelligibiles sunt rerum similitudines repræsentativæ naturaliter ipsarum, et ideò per ipsas verè naturas rerum attingimus, et licet de omnibus rebus possit dubitari, tamen ob imperitiam et petulantiam non nullorum, non debemus omnium notitiam certam et evidentem negare. Obiectio 2da (Quod non generetur scientia de novo) Probatur: Quandò aliquid inquirimus, Quæro: Vel illud scimus? et sic nihil de novo cognoscimus. Vel ignoramus? et sic nunquam poterimus cognoscere. Sicut, si servus aufugerit si dominus eum antea noverat illum obvium sibi factum, inveniet: At si non noverat illum, certè etiam occurrentem sibi, non cognoscet. Respondeo Quod illud sciamus confusè et imperfectè, ignoremus autem distinctè et perfectè, et sic nihil valet argumentum. Nam Conclusio, quam prius ante Demonstrationem novimus confusè & imperfectè in suis principiis * fit nobis perfectè et distinctè nota virtute luminis intellectus. Sicut enim res quæ non est modo, virtute alicujus causæ producitur in esse, ita distincta cognitio conclusionis virtute intellectus causatur in nobis.

* in quibus virtualiter continetur fit nobis etc.

Theorema Secundum.

Definitio ista Scientiæ rectè assignatur: Scientia est cognitio rei per causam, propter quam res est, quod illius est causa, et non contingit aliter se habere.

Probatur: Quià hæc Definitio constat genere et Differentiâ. Ergo Rectè assignatur. Antecedens declarando particulas patet. 1ma particula (cognitio) ponitur loco Generis, nam cognitio extendit sese etiam ad sensitivam notitiam. 2da particula (per causam) et per hanc differt Scientia ab omni illa cognitione, quam habemus de re aliqua, sed non per causam, scilic. à cognitione Principiorum. Item à cognitione per effectum et à posteriori acquisita. 3tia particula ge-

ponitur (propter quam res est) indicat, quod cum multa sint causæ ad Scientiam, illa sola causa debebat concurrere, quæ est propria illius rei & proxima, quâ scilic: positâ, ponitur effectus, et quâ remotâ, removetur. 4ta particula (quod illius est causa) quia non solum oportet, ut illa causa sit proxima, sed requiritur ut intellectus sciat effectum à tali causa pendere. NOTESIS Scientiam 4drm [quadrupliciter] sumi. 1mo Communissime prout idem significat, quod cognitio & notitia qualiscunque et cujuscunque potentiæ. 2do minus communiter pro evidenti comprehensione veritatis, et sic extendit se ad contingentiam, hâc Scientiâ scimus, Paulum modo sedere. 3tio Propriè pro evidenti comprehensione veræ propositionis, quæ non potest esse falsa, et hâc scimus solummodò necessaria, v.g. Quod homo sit Animal, quod albedo sit color etc. 4to Propriissimè pro evidenti cognitione alicujus veritatis necessariæ, sed per causam, et Definitio hujus hic traditur. NOTES 2 Scientiam propriissimè sumptam esse duplicem. Aliam Actualem, cujus Definitio modò est assignata: Aliam Habitualem, cujus hæc potest esse Descriptio (Quod scilicet sit Habitus quidam de prima Specie Qualitatis, permanens, intellectualis, disponens intellectum non simpliciter ad operandum; sed ad promptè, faciliter & expeditè operandum, ex frequentatis Actibus scientificis acquisitus). Quæ Definitio colligitur ex Definitione Habitus in communi assignata. Sicut enim quilibet Habitus est quædam Qualitas disponens subjectum, non quidem ad simpliciter Agendum: Nam absque Habitû etiam elicit potentia aliquos Actus; sed ad Agendum faciliter et promptè acquisita ex usû et frequentatione illorum Actuum, ad quorum productionem Habitus inclinat: ita Scientia habitualis disponit intellectum ad facilius et expeditius eliciendos Actus Scientificos, qui Actualis Scientiæ nomen sibi vendicant ex quibus Actibus fuit generata. Sic habilitas demonstrandi mobilitatem de corpore naturali, ex frequenti cognitione per Demonstrationem acquisita dicitur Scientia Philosophica Habitualis, Actus verò cognitionis dicitur Philosophia Actualis. INSTABIS 1MO: Falsum est, quod Scientia sit per causam. Ergo Definitio non est rectè assignata. Ans: Quia [quod est falsum] Alias daretur processus in infinitum. Sequela. Nam aut hæc causa scitur? aut non? Si scitur? Ergo per aliam causam debet sciri, et illa rursus per aliam, et sic dabitur processus in infinitum. Si non scitur? Ergo per illam non potest aliud sciri [*] Neg. Ans: deindè Sequelam, ad probationem dico. Causam sciri non per aliam Scientiam, sed per apprehensionem terminorum, et per habitum qui propriè appellatur intellectus, seu intelligentia. INSTABIS 2DO contra particulam (quoniam illius est causa) nam si ad cognitionem conclusionis requiritur cognitio propria causæ, quatenus est causa sequeretur, quod omnis

Scientia 4drm [quadrupliciter] sumitur:
1 Communissimè
2 minus communiter.
3 Pro evidenti comprehensione veræ propositionis.
4 Propriissimè.

Scientia propriissimè sumpta ē duplex: Actualis et Habitualis.

[*] quia per ignotum non potest aliquid sciri.

omnis conclusio sciretur sub ratione relativâ, ut scilic. est causata et effectus causæ. RESPON: Neg. Sequelam: Quià conclusio cognoscit sub ratione propria dependenter, ~~dependenter~~ tamen à præmissis, quod est cognoscere absolutum, cum Relatione effectus virtualiter saltem et implicitè, quod non implicat. Instabis 3tio: Contra particulam (quod non contingat se aliter habere) Quià de corruptibilibus, ut sunt corruptibilia datur Scientia (nam de rebus Physicis quæ sunt corruptibiles tractat Physica) Similiter Ecclypsis ô semper. ~~non semper convenit~~ convenit Luna, et tamen de Luna demonstrat. Item de effectibus per Accidens & Fortuitis disserit Philosophia. Ergo Solum est quod non contingat se aliter habere, quià isti effectus omninò aliter et aliter se habent. Rdeo Quod ad Scientiam non incorruptibilitas simpliciter, quæ aliter vocat incorruptibilitas incomplexa: sed tantum complexa requiritur, et sic de corruptibilibus, ~~qui~~ ut sunt corruptibilia dat Scientia, quia ut sic, sunt incorruptibilia incorruptibilitate complexâ propter necessariam habitudinem repertam inter hoc prædicatum corruptibile et res Physicas. De Luna non demonstrat Ecclypsis simpliciter, nam ibi non habet propositio necessaria, et æternæ veritatis, sed vel demonstrat Ecclypsis quo ad aptitudinem, vel ecclypsis Actualis de Luna in tali situ et ordine disposita, quomodo conficiunt propositiones necessaria, non tamen causantes Scientiam ~~perfectam~~ ipsam. Effectus quoque per Accidens habent sua prædicata essentialia, et passiones de se demonstrabiles, et ut sic possunt dici Entia necessaria, et à Scientia considerant.

THEOREMA TERTIUM.

Scientia differt à cognotione sensitivâ, ab opinione, Arte, Prudentiâ, Intelligentiâ et Sapientia, habetquè oppositum privativè ignorantiam puræ negationis, contrariè verò ignorantiam pravæ dispositionis.

Hoc Theorema solâ eget declaratione. Quo ad primam itaquè partem, differt Scientia à cognitione sensitiva, quià sicut sensus est singularium, ita et cognitio sensitiva. At verò Scientia est universalium, quæ non cadunt sub sensum. Item differt ab opinione, quià Scientia est de necessario, quod non potest se aliter habere, estquè assensus conclusionis sine formidinè oppositi. Oppinio verò est de contingenti, quod potest se aliter habere, et dicitur assensus conclusionis cum formidine de opposito. Item differt

differt ab aliis habitibus intellectualibg, quià Ars et Prudentia versantur circa cō-
tingentia, Ars circa factibilia et externa opera. Prudentia autem circa Agibilia
in eodem Principio recepta. Intellectg seū intelligentia versatur circa Principia De-
monstrationis, Sapientia etiam versatur circa Principia ~~[illegible]~~ Entium,
cum Sapientia convenit non solum principia complexa communissima contemplari,
sed etiam causas altissimas considerare. Quo ad 2dam partem. Scientiæ opponitur
Ignorantia, et quià ignorantia est duplex. Alia puræ negationis. Alia pravæ dispo-
sitionis, idcò aliter hæc, et aliter illa oppónit Scientiæ. Nam Ignorantia puræ Nega-
tionis opponitur privativè, quià hæc ignorantia est privatio et carentia Scientificæ
cognitionis. Ignorantia verò pravæ dispositionis opponit Scientiæ contrariè, quià ig-
norantia pravæ dispositionis est positiva, et prava mentis affectio, quā opinatur oppo-
situm veritati. Hæc ignorantia pravæ dispositionis, aliter vocatur error. Scias autē
hanc ignorantiam causari dupliciter. 1mo. Per Erroneam apprehensionem, ut si quis plū-
bum teneat esse argentum, vel pro ære existimet aurum. 2do Per syllogismū sophisti-
cum, ut quandò quispiam falsæ conclusioni assentit. Similiter ignorantia puræ nega-
tionis causatur, aut per negligentiam, aut p defectum Praeceptoris, aut per Defectū
alicuius sensg à nativitate. Nam cæcg à nativitate, licet possit habere aliquam
notitiam imperfectam et confusam colorum, nunquam tamen pfectam ac distinctam.
Ratio: Quià Scientiam non habemg nisi p inductionem vel demonstrationem, &
utraq̀ dependet à sensu, nam inductio procedit ex singularibg quæ sensu cognoscunt.
Demonstratio ex universalibg quæ p sua singularia intelliguntr. Ergo Deficiente ali-
quo sensū, deficit Scientia perfecta objecti illig sensg. Hinc deducit illud Axioma
(Nihil est in intellectu, quòd non prig fuerit aliquomodo in sensu) et dicit (aliquo-
modo) quià non requirit, ut res in seipsa sensū pcipiat, sed sufficit, si vel p suos ef-
fectg cognoscat, quomodo cognoscit DEUS p creaturas, vel p similitudinem, sicut Pe-
trg absens, per Paulum præsentem suū ~~fratrem~~ patrem: vel per partes, quas intellectg po-
test componere, ut qui vidit montem & aurum, potest effingere montem aureū,
vel aliquo alio modo. &.

Theorem.

Marginal notes:

Scientiæ opponitū et Ignorantia, quæ duplex est: Alia puræ Negationis: Alia pravæ dispositionis.

Ignorantia pravæ dispositionis causat dupliciter.

Ignorantia puræ Negationis itidem dupliciter causat.

Axioma.

THEOREMA QUARTUM.

Conditiones Scientiæ sunt, ut sit vera, certa, Evidens, Necessaria, de objecto universali, et per discursum syllogisticum causata.

Notes Conditiones istas colligi ex Definitione Scientiæ superius assignata, prout Scientia sumitur propriissimè, quatenus est à priori et per causam, non solum in cognoscendo, sed etiam in essendo.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS 1ma (Quod debeat esse vera) Nam alias non Scientia, sed error deberet vocari, falsitas enim non stat cum Scientia. PARS 2da (Quod debeat esse certa) Nam remota certitudine à Scientia, potius illa cognitio nomen opinionis, quam scientia deberet habere. NOTES hic Dicta ista: Dictum 1mum Certitudo est firma intellectus adhæsio alteri determinatæ parti contradictionis absque formidine oppositi. Nam si adesset aliqua formido, non esset in intellectu certitudo, sed dubietas, nec Scientia, sed opinio. Dictum 2dum Certitudo ista et Determinatio intellectus duplex statuitur. Una Intrinseca seu objectiva, seu Metaphysica, quæ provenit ex ipsomet objecto, quatenus ita se habet, ut simpliciter, et de potentia Dei non possit se aliter habere, quales sunt veritates propositionum necessariarum. Altera Extrinseca, quæ non ab objecto, sed aliundè provenit, et potest esse triplex. Erronea, Moralis et Physica. Erronea est, quandò voluntas imperat intellectui, ut ita, et non aliter judicet, eò quià movetur ex aliquo affectu, vel apparenti, sed vanâ ratione, ut videre licet in Turcis et Hæreticis qui pertinaciter suis adhærentes erroribus, sunt certi de sua opinione. Moralis est per quam sumus certi de eo, quod viri maximæ Authoritatis asserunt, quomodo certitudinaliter creditur Vilnam, Varsaviam, Romam etc. esse, et tunc, quo majoris Authoritatis sunt viri illud credituri asserentes, eò firmius adhæret Intellectus. Et quià DEUS est Suprema Authoritatis et irrefragabilis veritatis, idcircò res fidei sunt maximæ certitudinis cùm Divino Testimonio innitantur. PHYSICA est, quandò intellectus movetur ad judicandum certitudinaliter ita esse, quià naturaliter non potest aliter evenire, quamvis simpliciter possit aliter fieri, ut si videret Accidens, statim judicaret illud

substare Subjectum, et si videret ignem applicatum passo, inferret ibi calefactio-
nem adesse, eo, qui natura rerum sic postulat, cum tamen DEUS posset & calefactio-
nem impedire, et Accidens à Subjecto separare. <u>Dictum 3tium</u>: Ad Scientiam
perfectissimam intrinseca, non verò extrinseca requiritur certitudo: Nam sub cer-
titudine morali potest subesse falsum, et similiter sub certitudine Physica, ad Sci-
entiam tamen minus perfectam sufficit Physica certitudo. <u>PARS 3tia (Quod debe-
at esse evidens)</u> Nam Scientia differt à Fide, iam verò si à Scientia separetur e-
videntia, et ponatur certitudo, tunc Scientia non differret à Fide, quia & Fides
est cognitio vera & certa, sed non evidens. <u>NOTES</u> hic Dicta ista: <u>Dictum
1mum</u>: Evidentia est claritas cognitionis, quâ intellectus clarè videt objecti ve-
ritatem, et connexionem prædicati cum Subjecto. Dicitur autem Evidentia, qua-
si clara objecti videntia, et comparatur Luci materiali, quâ illustratum objectum cla-
rè et distinctè percipitur ab oculo. <u>Dictum 2dum</u>: Evidentia ista habet ortum ab
objecti necessitate, quâ intellectâ, statim percipit intellectus connexionem prædicati
cum Subjecto. Rationem talis connexionis & oppositum judicat ut falsum, distingui-
turque ac separata manere potest à certitudine. Nam in Articulis Fidei est certi-
tudo, non tamen est evidentia, quia in hoc statu non potest intellectus noster percipere ra-
tionem connexionis prædicati cum Subjecto in hac propositione (DEUS est unus et Tri-
nus) sed solum assentitur ex Testimonio revelantis Dei, unde Fides non est cogni-
tio evidens sed obscura. <u>Dictum 3tium</u>: Hæc Evidentia est duplex. Alia ex
parte potentiæ. Alia ex parte objecti. <u>Prior</u> est claritas illa potentiæ intimè
percipientis rationem connexionis terminorum. <u>Posterior</u> verò est aptitudo
illa in objecto manifestandi se clarè & distinctè intellectui, ut statim ac
objicitur ipsi moveat illum ad cognitionem sui. <u>Dictum 4tum</u>: Hæc Evidentia
ex parte objecti, iterum est duplex. <u>Una Immediata</u>, altera <u>Mediata</u>. Im-
mediata est, quandò intellectus ex simplici terminorum apprehensione statim assentitur
illi propositioni, nec aliquo alio distincto indiget. Et hæc evidentia est principiorum
quæ

Ad Scientiam perfectissimam intrinseca non extrinseca requiritur certitudo.

<u>Quid sit Evidentia.</u>

<u>Evidentia est duplex.</u>

<u>Hæc ex parte objecti iterum duplex.</u>

quæ dicuntur immediata. Mediata verò est, quandò non ex simplici apprehensione
terminorum movetur intellectus, sed propter aliud Principium distinctum, quod est
causa cognitionis illius, et hæc pertinet ad conclusionem, quæ evidenter scitur propter
missas, à quibus accipit propriam evidentiam, ita ut ideò evidens dicatur, quia princi-
pia ex quibus educitur sunt evidentia. Dictum 5tum: Scientia non convenit e-
videntia immediata, quia Scientia est conclusionis, non verò Principiorum.
At verò mediata competit, nam qualibet conclusio est ex suis principiis eviden-
tibus deducibilis, atque sic erit evidens mediatè. PARS 4ta (Quod debeat esse
necessaria) Nam si est certa, ut patet ex secunda conditione erit etiam
et necessaria, quia hæc quarta conditio includitur in illa secunda, cum dicitur, quod debe-
at esse certa certitudine metaphysicâ, ita, ut non contingat se aliter habere.

Necessitas est duplex.

NOTES DICTUM 1MUM. Duplex est necessitas. Alia necessitas simpliciter seu
incomplexa, quâ res ita existit, ut non possit non aliter existere. Alia est necessitas secun-
dum quid seu complexa quâ res talem habent habitudinem inter se, ut necessariò unam in-
cludat alteram, quâ ratione intellectus concipiens terminos illarum, necessariò compo-
nit unum de altero affirmando, et propter hanc necessariam habitudinem terminorum
propositio de illis enunciata, semper erit necessariò conformis, et consequenter necessariò
vera, ita, ut nequeat falsificari pro quacunque Temporis differentia, eo, quia propositi-
ones necessariæ abstrahunt à tempore, in quibus copula non existentiam, sed ipsam et con-
nexionem et complexionem prædicati cum subjecto denotare solet juxta ampliationem. Dictum

Ad Scientiam non requiritur necessitas incomplexa simpliciter.

2dum. Ad Scientiam perfectissimam non requiritur necessitas incomplexa sim-
pliciter: Nam ista soli DEO convenit, alia enim omnia Entia præter Deum
contingenter existunt, etiam ipsa scientia est corruptibilis. At verò secunda ne-
cessitas scil: complexa est de ratione Scientiæ, prout Propositio talem habet ne-
cessitatem, ut nunquam eveniat eam ex verâ mutari in falsam, spectatâ quâ-
cunque potentiâ et temporis differentiâ, unde in tali sensu benè est scientia de cor-
ruptibilibus, quatenus habent quædam prædicata ita sibi convenientia, ut implicet

ubique ipsis esse. Pars 5ta (ut sit de objecto universali, non verò singula-
ri) De singularibus enim non est Scientia, quia Scientia tunc habetur, quandò propria
passio de proprio & adaequato demonstrat objecto; Atqui tale objectum non est singu-
lare, nam si hoc esset adaequatum passionis subjectum, jam illa passio non posset aliis
individuis convenire. Ergo. Tale objectum adaequatum debet esse universale, undè vi-
sibilitas homini adaequatè, non verò Paulo convenit. Notes interim hanc conditio-
nem non convenire Scientiae ut sic; sed tantum illi, quae est de objecto creato, propte-
rea quià naturae creatae dividuntur per singularia. At verò si esset aliqua natura, qua-
lis modi est essentia Divina de se haec, et singularis, cui primariò conveniret pas-
siones, vel quasi passiones, tunc optimè posset esse de tali singulari, Scientia. PARS
SEXTA (Ut sit per discursum syllogisticum causata) Nam Scientia non est quaelibet rei
cognitio sed est cognitio per causam discursiva et illativa, et quià in illatione intellectus
potest errare, ideò requiritur ut sit per Demonstrationem disposita & ordinata in modo et Figura, ut
per eam Scientia habeat evidentiam consequentiae & illationis. Notes hanc sextam
conditionem etiam non esse de ratione Scientiae ut sic, quia dicit imperfectionem,
tam in se ipsa, cum causatio arguat dependentiam, quam in intellectu, quia sic praesup-
ponit esse potens ad recipiendam de novo Scientiam, & unum post aliud scire. Hinc
Divinae Scientiae non convenit, intellectus enim Divinus unico Actu simul omnia
clarè & distinctè attingit. Instabis* Theologia dicitur à S. Patribus Scientia (ne-
que enim potest reduci ad aliquem alium intellectualem habitum, praeterquam ad ipsam
Scientiam) Atqui Theologia non est evidens, sed obscura (quia Principia ejus, scili-
cet Articuli Fidei non sunt evidentes) Ergo ad Scientiam non requiritur evidentia. Respondeo
Theologiam nostram non propriè sed impropriè et largo modo dici Scientiam, neque est ne-
cesse, ut ad aliquem ex illis quinque habitibus intellectualibus reducatur, quia ad alium
superioris ordinis spectat, nisi quis eam reducere velit ad Sapientiam, quatenus est
de summo et perfectissimo Ente. Instabis 2do: Contra conditionem 4tam.
Entia creata non possunt causare Scientiam necessariam & perpetuam. Ergo
ad Scientiam non requiritur necessitas. Ans: Quià quod est mutabile et contingens,
non potest causare aliquod immutabile et necessarium. Sed Entia creata sunt con-
tingentia et mutabilia. Ergo. Respondeo Neg. Ans: Ad probationem dico quod Entia cre-
ata

* contra tertiam Conditionem.

creata non sub hac ratione, quatenus scilicet sunt immutabilia generent cognitionem & scientiam sui immutabilem, sed potius sub hac ratione, quatenus scilicet natura quaedam, et quia natura cujusque objecti mutabilis habet immutabilem habitudinem ad aliud, ideò poterit causare sui ipsius notitiam immutabilem. Sed CONTRA Si ista notitia esset immutabilis. Ergo et intellectus noster deberet esse immutabilis (nam non est conveniens ut immutabile subjectetur in aliquo mutabili) atqui noster intellectus est mutabilis, nam modò habet, modo caret cognitione, modò affirmat, modò negat, modò intelligit, modò non. Ergo. Rdeo. Disting. Duplex est in intellectu mutabilitas. Una ab affirmatione in Negatione, seu ab intellectione ad non intellectionem, et è contra. Alia quasi à contrario in contrarium scilicet à rectitudine in errorem, à veritate ad falsitatem. Prima semper in intellectu reperitur, nec impedit scientiam, quia opponitur immutabilitati simpliciter quae soli DEO convenit, jam verò parum interest, quod scientia destruatur quoad entitatem. Secunda convenit intellectui circa complexa, quae non habent evidentiam ex terminis, sed quae habent, eam possunt gignere notitiam immutabilem in intellectu, ita, ut non possit à scientia mutari ad errorem.

Duplex est in intellectu mutabilitas.

THEOREMA QUINTUM

Licet Scientiarum saltem Speculativarum unitas de omnibus rebus non sit irrationabilis, tamen sapienter plures Scientiae totales sunt distinctae, quae de quibusdam rebus pertractent, haec autem Divisio non totaliter ex Doctorum placito, sed ex fundamento in ipsis rebus scibilibus reperto, est facta.

Pars 1ma (Quod poterat dari una totalis Scientia) Probatur: Poterat dari unum objectum scibile v. g. Ens. Ergo et una Scientia totalis. Conseq. quià unitas Scientiae sumitur ab unitate objecti scibilis. Ans: Quià omnia scibilia in Ente conveniunt, et unum objectum totale ac adaequatum integrare possent sub quo omnia tanquam partialia objecta continentur, et tali objecto correspondebit una totalis Scientia quae plures alias in se includeret, quarum quaelibet partem determinatam Entis speculetur. Praeterea. Scientia in communi est genus ad omnes alias Scientias. Ergo unam Scientiam dari totalem genericam, non est irrationabile. Pars 2da (Quod sapienter plures sunt constitutae Scientiae

et omnes ad certum numerum redacta) patet: Nam sicut unam Scientiam statuere, ita et multiplicare eandem, atquè tot, quot sunt species rerum constituere, erat inconveniens (quià unitas confusionem, multiplicitas verò processum in infinitum attulisset) Ergo sapienter non una, sed plures totales sunt assignatæ Scientiæ. Vocamq autem eas totales, non simpliciter; sed secundum quid, quomodo et prædicamenta dicunt summa Genera secundum quid, stante illâ formosâ Divisione, in decem series rerum claritatis causâ adinventa. Pars 3tia (Quod hæc Divisio Scientiarum non sit purè arbitrariè facta, sed cum fundamento) patet. Nam non est ita facta, ut verificetur de illa vulgare illud (Stat pro ratione voluntas) sed habuit fundamentum in ipsis rebq, quià sicut prædicamentorum distributio ex convenientia & differentia rerum inter se pullulavit: ita et hæc Scientiarum facta est propter convenientiam rerum Scibilium in Principiis & modo considerandi, undè nulla Scientia est, quæ simul agat de Angelo, et bove, & equo, siquidem nulla proportio, nulla convenientia inter Angelum & bovem reperitur: Benè autem est aliqua Scientia de omnibq corruptibilibq: Aliqua de immobilibq: Aliqua de immaterialibq.

THEOREMA SEXTUM.

Specificatio seu unitas ac distinctio Scientiarum, sumitur non ex unitate, aut diversitate Abstractionis à materia; sed ab unitate vel diversitate objectorum adæquatorum et totalium formalium.

Notes 1 Gravem hic esse inter Thomistas et Scotistas controversiam. Thomistæ asserunt diversitatem Scientiarum sumi ex diversitate abstractionis à materia quam quidem abstractionem non omnes eodem modo intelligũt, vide Complutenses & Olisipponenses in Logica. Scotistæ verò hanc specificationem desumũt à diversitate objectorũ adæquatorũ & totalium, ita, ut illæ Scientiæ sint distinctæ, quæ diversa habent objecta & nullo modo inter se connexa, quæ verò respiciũt objecta aliquo naturali vinculo, quo ad considerationẽ copulata, tunc illæ unã totalem integrant Scientiã. Notes 2: Duplicem in Scientia, sicut et in quolibet alio Habitu posse assignari unitatẽ. Una est Intrinseca, quæ propriam consequitur Entitatem, tanquam Passio. Altera est Extrinseca seu Objectiva quam ex objecto

Duplex in Scientia et alio omni Habitu assignari potest Unio.

objecto desumit à quo specificatur et essentialiter dependet. Ex his unitatibus prima innotescit nobis per 2dam, et de ista secunda hoc loco est sermo, à quo scilicet Scientia formalis habet quod sit una à cæteris distincta, eo vel maxime, quod idem objectum plures diversæ Scientiæ speculantur, imò eandem conclusionem, ut v. g. quod Terra sit rotunda, non solum Physicus, sed etiam Geometra solet demonstrare.

PROBATIO THEOREMATIS.

Pars 1ma (Quod nec unitas, nec distinctio Scientiarum sumatur ab unitate aut diversitate Abstractionis à materia) Probatur: Quia ista abstractio, quocunque modo explicetur non est sufficiens ratio, ut ab ea sumatur specificatio Scientiarum. Ergo. Ans: patet computando omnes acceptiones. 1mo falsum est, quod Scientiæ specificentur ex eo, quià quædam Entia sunt sensibilia, quædam imaginabilia, et quædam verè intelligibilia; nam objecta Scientiarum non cadunt sub sensum, cum sint universalia. Ergo omnia sunt intelligibilia. Item: Imaginabilia sunt etiam sensibilia per sensus externos à quibus derivantur. Ergo sicut sensibilia non sunt objecta Scientiæ, ita et imaginabilia. Item Distinctio Scientiæ & unitas ab eodem debet sumi, quod per se pertinet ad Scientiam. Atqui hoc quod objectum sit per sensus cognoscibile, per accidens se habet (nam si intellectus non dependeret à sensibus, adhuc in ipso Scientiæ essent distinctæ, ut est in intellectu separato) Ergo ab objecto per sensus cognoscibili non sumitur unitas Scientiæ. 2do si dicatur Scientiam specificari per abstractionem à materia prout dicit præcisionem, hoc etiam falsum esse patet ex eo, quià ista præcisio seu abstractio, vel dicit Actum intellectus abstrahentem, et ab hoc non potest sumi unitas Scientiæ, cum Scientia non attingat illum. Solummodo enim habet se ut approximatio objecti ad Scientiam. Vel dicit Denominationem provenientem in objectum ab Actu abstrahente, et hæc cum sit pura denominatio extrinseca, et ens rationis materiale, non potest realiter specificare Scientias. Vel dicit Abstrahibilitatem objectivam, quatenus objectum est conceptibile, non concepta hac vel illa ratione in ipso contenta, et neque hæc potest specificare Scientiam, quià ut sic, formaliter solum dicit conceptum quendam negativum scilicet associationis alterius rei vel realitatis in intellectione. Præscindere enim nihil est aliud, nisi, non intelligere præcisum, cum eo à quo fit præcisio: hæc autem Negatio non est specificativa Scientiæ. Præterea illud est ratio

Præscindere quid.

ratio/cur objectum sit scibile et cognoscibile à Scientia. Sed talis non est ista præcisio, quia illud est ratio scibilitatis in objecto, quod est ratio scibilitatis eur de objecto demonstretur passio in Demonstratione. Atqui talis ratio non est præcisio à materia, neq enim homo ideò est risibilis, quia est ab individuis abstractus v. g. à Petro, Paulo, &c, sed potius ideò quia est rationalis. Dices per istam Abstractionem intelligi rationem formalem positivam objecti, quatenus ex sua natura includit principia, quæ rationem inhærentiæ & connexionis inter passionem & subjectum exprimunt. CONTRA. Si sic. Ergo hoc modo explicando Abstractionem, coincidet ista sententia cum nostrâ, neq tamen rem istam adhuc præsentem benè explicabit, quod probo. Nam abstractio hujusmodi à materia non potest dicere rationem formalem objecti, eò, quod Abstractio formaliter non id, quod res habet, sed potius id quo caret significare videtur. Præterea nec rectè, nec sufficienter per has abstractiones dividuntur Scientiæ speculativæ totales, quod patet inductione enumerando scientias. Nam v. g. Logica abstrahit ab omni materia, ita, ut et ipsa metaphysica, et tamen Logica distincta est à metaphysica. Item Arithmetica tractat de numero ut est communis rebus materialibus et spiritualibus, quæ Abstractio est metaphysica, & tamen Arithmetica sub ~~metaphysica~~ mathematica collocatur, non sub metaphysica, licet eandem habeat Abstractionem. Astrologia, Musica, & Perspectiva, quia sunt Scientiæ mathematicæ, pertinent ad secundam abstractionem quæ abstrahit à materia singulari & sensibili, et tamen Astrologia est de corporibus coelestibus eorumq motibus, aspectibus, influxibus: Musica de numero ut sonoro: Perspectiva de Linea ut visibili, quod est materiam sensibilem concernere à quâ juxta hanc sententiam abstrahit Mathematicus. Moralis quoquè Philosophia abstrahit à materia singulari, quia res in universali speculatur, non tamen à materia sensibili, considerat enim Actiones humanas ut dirigibiles, & per consequens in ordine ad circumstantias corporales & materiales, & tamen moralis Philosophia distincta est à Physica. Insuper Physica ut in se spectatur, non autem ut conscripta est ab Aristotele, cum habeat pro objecto adæquato substantiam finitam, etiam Angelis communem, jam tractabit de rebus quæ ab omni materia abstrahunt, atq sic non erit distincta à metaphysica, quod est falsum. Ergo ista Abstractio non sufficienter hanc declarat materiam, & divisionem seu distinctionem Scientiarum. ~~Tamen~~ Pro clariori notitia oppositæ sententiæ habenda Notes Doctrinam Thomistarum istam: Docent illi imprimis Scientiam specificari ab objecto, non quidem materialiter et in ESSE rei, sed formaliter & in esse scibili, considerato

* formalis specificativa Scientiæ quod est ratio cur etc.

consideratio quae Ratio Scibilitatis vocatur (Ratio sub qua) nam sub ipsa conveniunt res à Scientia consideratae, et consistit in hac de illa abstractione à materia. Deinde dicunt

Abstractio secundum Thomistas est duplex Totalis et Formalis.

abstractionem esse duplicem. Aliam Totalem; Aliam Formalem. Totalis est dum superius abstrahit ab inferiori, et abstractum hac Abstractione fit potentialius et minus intelligibile, quia abstrahit ab Actualitatibus specificis scilicet à Differentiis, Actus enim est magis notior quam potentia, et haec abstractio non servit proposito. Formalis verò est, quâ forma abstrahit à materia, seu quod est Actum ab eo, quod est potentiale, nam Forma est Actus, materia potentia, et consequenter sic abstractum, est magis intelligibile, quia expuratur à materialibus & potentialibus quae impediunt intelligibilitatem. Et quia triplex est

Materia est Triplex.

materia, 1ma est Singularis, id est quicquid pertinet ad Singularitatem rerum sensibilium, ut haec caro, hic calor, hoc os etc. 2da Sensibilis, et sunt omnes sensibiles qualitates, ut calor, frigus, color, sonus. 3tia Intelligibilis, quae est substantia corporea vel

Triplex genus Scientiae ex triplicitate materiae proficiscitur.

materia prima. Hinc triplex genus Scientiae datur, loquendo de Speculativis. 1ma Scientia abstrahit à materia singulari, et est quae considerat res sensibiles ut sunt sensibiles, non in particulari sed in universali, et talis est Physica. 2da quae abstrahit à materia singulari et sensibili ut mathematica quae considerat Quantitatem, non ut albam vel nigram, calidam vel frigidam, non tamen abstrahit à materia intelligibili, quia non considerat Quantitatem sine substantia materiali cui inest, et à qua dependet in esse et in cognosci, 3tia Abstrahit à materia intelligibili, quae talis dicitur, quia eam solus intellectus percipere potest, et est metaphysica quae res à materia abstractas contemplatur, quae aut non sunt in materia ut substantiae separatae, aut possunt esse absque materia ut ratio substantiae, qualitatis actus, potentiae etc. Haec itaque immaterialitas est radix et origo intelligibilitatis, et consequenter diversa immaterialitas erit radix diversae intelligibilitatis. Et quia triplex est immaterialitas, ideò quoque triplex erit intelligibilitas et 3plex Scientia Speculativa. Insuper addunt per hanc abstractionem non intelligi denominationem extrinsecam ab Actu intellectus abstrahentis provenientem, sed immaterialitatem illam [struck] & radicalem, quâ objectum sic vel sic est natum intelligi.

2 objectivam

PARS 2da

(Quod Specificatio Scientiarum sumatur ex Distinctione vel Unitate objecti Formalis) Probatur 1mo Ratio distinctiva & Specificativa Scientiarum, nihil est aliud, nisi diversitas, aut Abstractionis, aut objecti Formalis. Sed non potest esse diversitas abstractionis

abstractionis ~~aut objecti Formalis, sed non potest esse diversitas abstractionis~~ à materia. Ergo erit diversitas objecti. Minor patet ex prima parte hujus Theorematis. Nam quilibet Scientia habet suam Rationem Formalem certam, sub quâ considerat suũ objectũ materiale v. g. Physica considerat Entia naturalia, ut in hac communi ratione naturalitatis et habendi principia motus ac quietis conveniũt, sub quâ deindè ratione descendit ad inferiora contemplando illa, ut proximã naturalitatem sub communi naturalitate habent contentam. Musica considerat numerũ ut sonorũ, et in gratiam ipsius varias proportiones & Affectiones perpendit. Mathematica in communi considerat Quantitatem sub ratione mensurabilis. Metaphysica speculat omnia Entia secundum quasdam rationes generales. At verò has diversas rationes formales à diversa abstractione originari falsũ est, quià præter hoc, quod hæc abstractio non satisfacit præsenti difficultati, cùm multa unius abstractionis considerent ab aliis Scientiis, adhuc hæc propositio causalis est falsa (ideò corpus naturale est considerabile ut naturale, quià abstrahit à materiâ singulari). Similiter ista (ideò quantitas est mensurabilis quià abstrahit à materia singulari & sensibili) Quocirca abstractio ista non erit radix scibilitatis objecti, sed radix erit propria natura cujus objecti. Probatur 2do: Ab illo Scientia specificat, suamque unitatem ac distinctionem desumit, quod ipsius causat Entitatem et producit ipsam (quià à quo res accipit Entitatem, ab eo sumit unitatem et specificationem) sed Scientia Entitatem causat objectum, nam ab objecto pendet Scientia in sua Entitate. Ergo Scientia specificat ab objecto, atquè sic illa erit Scientia una, quæ unicũ habebit objectum Formale, id est quæ rem aliquam considerat sub proprio modo contemplandi, in quo modo aliæ Scientiæ illam rem non attingũt, quamvis eam considerent sub diverso modo considerandi, qui modus, cùm sit medium concludendi passiones de subjecto, erit principale ingrediens principia Demonstrationis, et consequenter diversæ omninò & disparatæ Scientiæ habebũt diversa principia ad modos procedendi ad demonstrandas passiones. Et hinc est, quod quidem assignant diversitatem Scientiæ ex diversitate principiorum, vel modi procedendi ad probandas conclusiones, quæ distinctio non est prima & radicalis, nam ideò principia sunt diversa, quià diversa est ratio formalis objectorum, ideoque omnis distinctio vel unitas Scientiæ trahit originẽ ab unitate vel distinctione objecti. Quæres interim An quælibet formalis ratio objecti debeat totales Scientias multiplicare? Rideo Quod non quælibet, nimis enim confunderet intellectus, quià tot

tot essent Scientiæ, quot naturæ rerum de quibus possent passiones demonstrari. Ut igitur certo numero et ordine procedat in Scientiis, rationes illæ Formales aliquâ naturali proportione & vinculo colligatæ in unaque communi ratione convenientes, in unum collectæ, ad eandem spectabunt Scientiam totalem: Quæ verò sunt inter se dissitæ, nec aliquam habent affinitatem et proportionem, dissitas & diversas constituent Scientias. Sic quia Entia materialia, utpote motui subjicibilia, ejusque principium in se ipsis includunt habent magnam connexionem & naturale vinculum inter se; ideò Doctores de his omnibus unam totalem Scientiam construxerunt, idem de rebus practicis dicendum, de rebus Mathematicis & Metaphysicis.

OBJECTIONES ET SOLUTIONES EARUNDEM.

OBJECTIO 1ma (Quod Abstractio et immaterialitas distinguant Scientias) Probatur: 1mo Authoritate Philosophi, qui 6. met. capite 1. Scientiam Speculativam per triplicem abstractionem in Tres Scientias distribuit. Probatur 2do In tantum res est intelligibilis, in quantum est à materia separabilis, eo quod intelligibile idem est ac Spirituale, et Spiritualitatis principium est à materia denudatio. Ergo In tantum res est Scibilis hoc vel illo modo, in quantum est diversimodè à materia abstrahibilis, radix itaque Scibilitatis rei hoc vel illo modo erit diversa immaterialitas et abstractio à materia, et sic quandò diversæ definitiones sub eadem abstractione procedunt, licet diversas Quidditates definiant in esse rei, dicuntur tamen ejusdem Speciei ut definitiones Physicæ, quia omnes eodem modo procedunt includendo materiam sensibilem motui subjectam, omnes erunt ejusdem Speciei in esse Scibilis propter consimilem definiendi modum. Rdeo ad Authoritatem, quod in eo loco Philosophus circumloquatur diversos modos Definiendi per Abstractionem à materia, et rationes formales objectivum per abstractiones à materia. Ad 2dum Neg. Ans. Siquidem et ipsa individua materialia sunt intelligibilia, imò per se ipsa intelligimus Spiritualia, undè res materiales adjuvant intellectum nostrum pro hoc statu in comparanda Scientia, et licet in Scientiis debeat fieri abstractio ab individuis, hoc non est propterea, quia individua sint prorsus non intelligibilia, nam Actus ille intelligendi, quo intellectus abstrahit, non præsupponit objectum prius abstractum: Sed tantum propterea, quia Scientia est solummodo universalium. Undè hæc Abstractio etiam in Spiritualibus fieri debet, et propriè est Abstractio superioris ab inferiori. Præterea falsum est etiam, quod intelligibile idem sit ac Spirituale, nam

Nam Entia materialia, cùm sint essentialiter talia, hoc est materialia, non possunt ut spi-ritualia concipi. Falsum quoquè est Definitiones diversarum quidditatum in ESSE Scibili ejus-dem esse speciei. Pro quo quidem sciás, quod dum dicitur rem materialem non cadere sub Sci-entiam, sed requiri ut sit immaterialis, haec immaterialitas requisita potest se tenere, aut ex parte objecti, aut ex parte potentiae. Si ex parte objecti, tunc dicet conditionem et Praedicatum objecti, et sic falsum est ipsam requiri ad cognitionem rei materialis, quia res materialis non potest ut immaterialis apprehendi, neq materialitas objecti est ratio contingentiae ipsius quo ad Scibilitatem, quia etiam in spiritualibus dantur propositiones con-tingentes v. g. Angelus movetur, intelligit, vult etc. Si autem tenet se ex parte potentiae, sic dicit modum & medium cognoscendi, eò, quia intellectus non percipit materialia ma-teriali modo, id est per species materiales, sicut solet percipere sensus, sed immaterialiter, id est per species immateriales, et in hoc sensu verae sunt illae propositiones (Res materi-ales non cadunt sub Scientiam, materialitas impedit intelligibilitatem). OBJECTIO 2da (Quod Scientiae non specificentur ab objecto) Probatur: Quia si unio in uno communi objecto sufficeret ad unitatem Scientiae, sequeretur quod una omnium daretur Scientia, nec esset ratio cur omnes Mathematicae Scientiae non sint una ge-nere, Atqui hoc est inconveniens. Ergo. Resp. Neg. minorem. Ratio quia nullum est incon-veniens dari unam Scientiam totalem simpliciter, quae postea divisa est à Philosophis propter majorem claritatem & commoditatem in plures Scientias, quae non jam simpliciter, sed secundum Quid debent dici Scientiae totales.

THEOREMA SEPTIMUM

Scientia totalis v. g. Physica aut Metaphysica, aut Mathemati-ca non est una specie et simplex Habitus, sed plures, nempè tot specie distincti, quot sunt conclusiones Demonstratae.

Triplex opinio circa hanc difficultatem.

Notes triplicem esse circa hanc difficultatem opinionem. Una est Thomistarum quae do-cet Scientiam esse unum simplicem habitum qui per primam demonstrationem illius Sci-entiae acquiritur et facilitat intellectum, non solum circa illam Demonstrationem, sed etiam circa omnes alias, quibus efficitur per quandam extensionem. 2da Est Sco-tistarum, quae multiplicat habitus ad multiplicationem conclusionum & Demonstrationum in Scientia, ita, ut quot sunt conclusiones Demonstratae, tot habitus specie di-stincti

distincti producantur. 3tia Opinio docet Conclusiones in Scientia demonstratas esse duplicis Generis. Vel enim demonstrant diversas passiones ‡ de Subjecto eodem, et hoc dupliciter. 1mo Successivè, et distinctis demonstrationibus, et de his dantur Habitus specie distincti partiales. 2do Simul et eodem Actu demonstrandi, si scilic. de omnibus passionibus fiat una propositio de Prædicato copulato, v. g. (Omnis homo est visibilis, admirativus, disciplinabilis etc.) et tunc de istis unus datur Habitus Specie specialissima.

‡ de diversis partialibus Subjectis et harum dantur habitus specie distincti, vel demonstrant diversas passiones de Subjecto etc.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS PRIMA (Quod Scientia non sit unus Habitus) Probatur 1mo: Circa quas conclusiones distinguuntur specificè Actus, circa illas etiam distinguuntur et Habitus Δ per illum Actum produci, unde Actus ab objectis, et Habitus ab Actibus specificantur. Item. Si Actus specie distincti possent generare eundem Habitum specie, iam non esset ratio cur debeamus negare in intellectu unum tantum esse omnium verum habitum. Item Habitus est quasi quoddam semen ipsius Actus, in quem inclinat potentiam; fiant verò semina certum est specie differre, quandò fructus eorum distinguuntur specificè. Sed Actus circa plures conclusiones specie distinctas distinguuntur specificè. Ergo et habitus qui inclinant in illas conclusiones, et qui ab illis Actibus specie distinctis producuntur, specificè quoque distinguerentur. Minor: Quia illi Actus habent objecta specie diversa ex quibus generantur etiam Habitus specie distincti. Sed Actus ex quibus generantur tales habitus, et qui nomine Scientiæ Actualis partialis appellantur habent diversa specie objecta. Ergo tales Actus specie distinguuntur. Minor: Actus Scientifici vel sunt de passionibus diversorum Subjectorum, vel de passionibus ejusdem subjecti. Sed utroque dato, habent propositum. Ergo simpliciter Actus illi habent diversa objecta. Minor: Nam si sunt de passionibus diversorum Subjectorum, jam differrent quo ad passiones, subjecta, media & Principia, ut cum de Coelo demonstratur incorruptibilitas propter carentiam contrariorum, et de Sublunaribus corruptibilitas † compositione ex materia & contrariis; non enim apparet quomodò in ipsis Actibus possit cadere unitas specifica, si objecta differunt genere. Similiter principia, quibus demonstrantur illæ passiones. Si verò sunt de passionibus ejusdem Subjecti, tunc si demonstrantur illas passiones eodem medio scilic: Definitione Subjecti, adhuc objecta proxima differunt specie. Nam principia quæ integrant ex medio et passione, et consequenter si passio est diversa, principia quoquè complexa erunt diversa, quià speciales habent veritates, evidentias & complexiones

Δ idem enim est objectum actus et habitus, fillum etc.

complexiones, idem de conclusionibus dicendum, et multo magis, si et medium fuerit diversum. Sed dices per distinctionem, quod nimirum illi Actus sint distincti specie in esse rei, et quoad rationem Formalem Subjecti (QUA) non verò in esse Scibilis, et quoad rationem (SUB QUA) quæ est vel Abstractio à materia, vel ratio Formalis objecti, vel connexio et dependentia principiorum ejusdem Scientiæ adinvicem. Nam licet in Scientia totali sint diversa, tamen supponunt se invicem, et unum dependet ab alio, et propter hanc dependentiam, quamvis in esse rei sint diversa, non tamen in esse Scibilis. CONTRA Quod etiam in esse Scibili illi Actus specificè distinguantur. Probo: Objecta talium Actuum sunt specie distincta in esse Scibili. Ergo et Actus quoque erunt distincti in esse Scibili. Ans: Illa objecta sunt diversa speciè (sic), in esse Scibili, quæ sunt diversa, ut in Demonstratione sumuntur (Demonstratio enim generat Scientiam, et, ideo quæ sunt distincta in Demonstratione, necesse est illa differre in esse Scibili, quia esse Scibile nihil aliud dicit, nisi cognoscibilitatem objecti, non quamcunque, sed modo illativo, seu ut per Demonstrationem est Scibile) Atqui objecta, ut in demonstratione accipiuntur, sunt diversa speciè (sic) (aliàs quàm unum pareret Scientiam, etiam & aliud posset generare) Ergo ista objecta sunt diversa in esse Scibili. Si verò per rationem SUB QUA intelligat Ratio Formalis objecti & modus considerandi ipsius, adhuc urget argumentum, quia hæc Ratio Formalis est tantum [struck] una genere in Scientia totali, ut patet in naturalitate, quæ est genus ad naturam Cæli, Elementi & Mixti. Tandem connexio illa Principiorum non infert identitatem specificam. Aliàs Scientiæ Subalternans & Subalternata essent una speciè (sic) scientiæ, quia sunt connexæ quoad Principia. Probat 2do Potest aliquis habere primam conclusionem Scientiæ, et consequenter Habitum, qui facilitet potentiam erga illam conclusionem [struck], non tamen erga alias, qualis est in eo, qui perfectè acquisivit totalem Scientiam, imò successu temporis potest Habitus haberi circa centesimam & millesimam conclusionem, et amitti Habitus circa primam. Ergo Non est idem Habitus facilitans potentiam ad omnes conclusiones, et per consequens Scientia non est unus Habitus. Præterea si unus esset Habitus omnium conclusionum, sequeretur quod idem habitus esset simul Scientia et error

quod

quod repugnat. Sequela: Quià potest aliquis post quartam vel 5tam conclusionem elicere Actum erroneum circa objectum Scientiæ. Deindè nullus habitus habet vim intrinsecam ut facilitet potentiam ad omnes conclusiones, nam habitus ex primo Actu Scientifico productus, quicquid habet virtutis, ab illo Actu recipit: Sed non potest Actus ille includere perfectionem omnium Actuum Scientiæ. Ergo Non potest producere Habitum qui habeat in se vim facilitandi potentiam ad omnes alios Actus.

PARS SECUNDA (Quod scilic. Scientia totalis sit plures Habitus) patet ex primo parte hujus Theorematis. Si enim non est unus Habitus, ergo sequitur quod debeant esse plures, quià revera ad multiplicationem conclusionum seu proprietatum in Scientia, sive pluribus, sive unicâ demonstratione demonstrentur opus est multiplicari Habitus specificè inter se distinctos, quod adhuc magis confirmatur: Si Scientia totalis sit una simplex Qualitas. Ergo Habens unam Demonstrationem Physicam, jam habet totam Physicam habitualiter, et æquè benè illam sciet sicut quispiam alius, qui habet omnes Demonstrationes Physicas cognitas, quod est falsum et contra experientiam. Sequela: Quià ubi est eadem Forma simplex et Homogenea, ibi est eadem operatio: Sed secundum utrumque istorum est idem Habitus essentialiter. Ergo ad eandem operationem inclinabit essentialiter Habitus quo quis scit quinque esse prædicabilia, et ad illam quâ quispiam novit decem esse prædicamenta, quod est manifestè falsum. Confirmatur: Quicquid adversatur ex natura rei uni individuo unius speciei, illud et adversatur alteri individuo ejusdem speciei. Ergo si omnes Habitus unius totalis Scientiæ v.g. Physicæ sunt ejusdem speciei, quod opponetur Habitui unius conclusionis opponetur etiam Habitui seu cognitioni omnium aliarum conclusionum, hoc autem est falsum. Quià habitus omnis, qui adversatur Habitui Scientifico unius conclusionis et expellit eum, non adversatur Habitui omnium aliarum conclusionum, nec expellit illum, undè potest fieri ut habeat aliquis Habitum erroris v.g. quod sibi persuadeat Animam Rationalem esse mortalem, et tamen simul habeat habitum Scientiæ istarum conclusionum (materia prima est ingenerabilis, homo est risibilis, ignis est corruptibilis etc.

Objecti

OBIECTIONES ET SOLUTIONES EARUNDEM.

OBIECTIO 1ma (Quod Scientia sit una simplex Qualitas) Probat: Quia Habitus qui habet de DEO perfectior semper est Habitu qui habet de Ente creato: Sed si Scientia non esset una sed plures habitus specificè distincti, non esset habitus de DEO perfectior habitu de Ente creato, imò hic esset perfectior illo. Ergo. Minor: Quia sit v.g. habitus de DEO perfectus ut decem, ille autem de Ente creato contineat in se partiales Habitus 20, quorum quilibet sit perfectus ut unum, tunc arguo; Ille est Habitus perfectior, qui continet gradus perfectionis 20 quàm is qui tantum continet 10: Sed Habitus de Ente creato continet 20 gradus perfectionis (quia includit in se 20 partiales Habitus) Habitus verò de DEO continet 10 gradus. Ergo Perfectior est Habitus de Ente creato quàm de DEO. Rdeo Disting. majorem: Habitus de DEO est semper perfectior Habitu qui habet de Ente creato Objectivè, Concedo. Extensivè seu Intensivè Nego. Ratio: Quia cùm DEUS sit objectum longè infinities excellentius Ente creato, ideò semper Habitus de ipso erit perfectior objectivè. Habitus autem de Ente creato objectivè erit imperfectior, licet intensivè et extensivè possit esse ipso perfectior, jamverò nullum erit inconveniens habitum hoc diverso modo esse perfectiorem et imperfectiorem respectu ejusdem. OBIECTIO 2da (Quod Scientia totalis non sint plures Habitus, nec aliquid ex pluribus aggregatum) Quia aliàs Scientia totalis nihil aliud esset nisi Relatio et ordo ipse, quod est falsum: nam Scientia est Qualitas et Ens absolutum. Sequela, quia Aggregatio est Relatio. Rdeo Per Scientiam totalem potest intelligi 1mo Aggregatio et ordo partialium Habituum. 2do Habitus ipsi partiales. 3tio Habitus Genericus qui continet illos partiales. Nos ergo hic sumimus Scientiam totalem non 1mo sed 2do aut potius 3tio modo, et ideò negatur sequela. INSTABIS: Possunt unico Actu omnes passiones subjecti per ejus Definitionem demonstrari, si itaque hunc Actum quispiam saepius iteraverit, generabitur in ejus intellectu Habitus qui inclinabit in omnes passiones subjecti. Consequentia: Si enim unica est causa, unicus quoque erit effectus. Ans: Sicut potest de omnibus Praedicatis quidditativis confici una propositio de praedicato copulato dicendo: Homo est Substantia corporea, Animata, Rationalis, Sensitiva, qua unico Actu cognoscet, ita poterit de omnibus

omnibus prædicatis in Quale accidentale, separabiliter, ut sunt passiones unica formali propositio constans ex prædicato copulato et poterit Demonstrari per Definitionem de Subjecto v. g. Omne Animal rationale est visibile, disciplinabile, admirativum etc. Sed homo est animal rationale. Ergo Homo est visibilis, disciplinabilis admirativus, atque sic possunt unico Actu omnes passiones Subjecti per ejus Definitionem demonstrari. Paritas Antecedentis: Quia subjectum eodem modo, scilic. distinctione Formali, tam à prædicatis quidditativis quam ab ipsis passionibus distinguitur. RESPONDEO Neg. Ant. Ad Probationem Neg. paritatem. Licet enim prædicata quidditativa formaliter distinguantur à Subjecto, nihilominus tamen possunt unam rationem Formalem integrare completam. Unde quamvis se junctim considerata per Actus specificè distinctos explicentur, ut tamen in uno subjecto unita intelliguntur unico Actu possunt explicari, quod passionibus non convenit, quia passiones magis formaliter à subjecto quam prædicata quidditativa distinguuntur. Nam passiones simul sumptæ non faciunt unam realitatem completam, et consequenter unico Actu non potest eas intellectus concipere sed potius pluribus Actibus simul, et ideò non est ibi una demonstratio, sed plures, nec ibi unicus generatur Habitus sed plures.

THEOREMA OCTAVUM.

Quævis Scientia totalis est una, non aggregatione aut unione per se Physica, sed Artificiali, quæ tamen non debet dici unitas Specifica, verum potius Generica.

NOTES Per superiora Theoremata ostensum esse, quod dentur diversæ totales Scientiæ, quæ non sunt unus Habitus simplex; sed plures, quot nimirum sunt conclusiones in una totali Scientia Demonstratæ; per hoc autem Theorema demonstratur, ii rationem, qua isti partiales Habitus unam totalem constituunt Scientiam.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS 1ma (Quod Scientia totalis sit una, non per Aggregationem) Quia, si per aggregationem esset una, tunc Scientiæ objectorum partialium, constituerent illam Scientiam totalem, quæ est de objecto adæquato, non aliter, nisi ut aggregatio quædam sunt

quadam unitæ. Atqui hoc est falsum Ergo. Falsitas Ma Objecta partia lia non conveniunt in Objecto totali et adæquato, ita ut lapides in cumulo, sed aliquo nexu per se. Ergo Sciæ ipsorum non constituent Scientiam totalem ut sunt aggregatione quadam unitæ. Præterea jam sic nulla esset ratio, cur V.G. Physica ex conclusionibus Physicis, Logicis et Metaphysicis, atque etiam Theologicis non integretur, sicut parum inter est quod cumulus ex his vel illis construatur lapidibus, eo quod sunt accidentaliter ordinati. Pars Secunda (Quod sit una, non tamen Unione per se physica) Probatur, Quia ex pluribus specie distinctis non potest fieri compositum unum Unitate Physicâ, nisi partes habeant Unionem Physicam, (quia ab Unione dicitur Unitas) Sed habitus qui unam totalem Scientiam integrant non habent Unionem Physicam. Ergo. — Minor, quia hæc Unio deberet esse aut formalis, aut intensiva aut extensiva. Atqui nulla harum Ergo. Minor quoad primam partem quod non sit formalis probatur, Talis enim Unio est duplex: Alia Substantialis alia accidentalis, jam verò neutra potest esse hoc loco: Non substantialis quia hæc est ex actu et potentia Substantiali inter materiam et formam, quæ non potest esse inter istos habitus, cum sint accidentia quæ non componuntur ex materia et forma. Præterea materia et forma sunt Entitates Essentialiter imperfectæ et partiales, isti verò habitus singuli sunt Species perfectæ et indivisibiles (siquidem singuli inclinant ad suos actus independenter ab alijs) Non accidentalis etiam quia hæc intercedit inter Subjectum et accidens: Porrò Unio horum habituum non est talis, nemo enim dixit inter hos habitus esse ordinem Subjecti et accidentis. Deinde de ratione Subjecti est, ut præcedat, sicut de ratione accidentis est ut sequatur: Sed cum quilibet ex his habitibus possit esse prior vel posterior altero, non possunt fundare determinatam rationem prioris vel posterioris, et licet aliquandò una Conclusio sit ratio demonstrandi aliam, tamen dependentia hujusmodi non ponit inter illa ordinem causæ materialis et formalis sed potius efficientis. Quoad secundam partem eadem Minor: Quod, scil. non sit Unio intensiva. Probatur, quia licet possit qualitas intendi, non tamen per gradus alterius speciei, ut Calor non intenditur per albedinem vel frigiditatem, sed per aliam calorem ejusdem speciei, isti autem habitus specificè distinguuntur. Quoad tertiam partem eandem minor: Quod non sit illa Unio extensiva, probatur, Quia Unio extensiva non convenit rebus spiritualibus, quæ carent partibus extensivis. Item quia actus horum habituum generativi, non sunt Unione Physicâ per se uniti. Ergo nec isti habitus. Pars Tertia (Quod Scientia Totalis sit una Unitate artificiali,

ficiali, id est per aggregationem plurium habituum specie distinctorum habentium ordinem ad aliquod unum) Probatur, Quia si Scientia Totalis non est una simplicitatis Unitate juxta 1mum Theor. et si non est una Unitate physicâ aut per aggregationem qualemcunque ut modo fuit probatum. Ergo superest ut sit una per aggregationem Unitate artificiali, et hoc quidem satis est evidens, nam sicut decem rerum prædicamenta dicuntur quædam artificiosa opera, eò, quià se habent veluti quædam domicilia, in quibus speciales rerum series suo ordine collocantur, non totaliter pro arbitrio hominum, sed fundamento ex ipsis rebus habito, ita et scientiæ sunt quoque artificialia quædam opera. V. G. Logica dicitur una totalis Scientia eò quod ex partialibus habitibus constat debito ordine dispositis, natura Objectorum Logicalium spectata, sicut domus est unum arte factum opus non totaliter arbitrio humano instructum, sed habito respectu ad conditiones suarum partium ex quibus componitur, ut graviora deorsum, leviora sursum disponantur, qua ratione [dic]untur inter se naturali quodam vinculo et nexu unita. Pars Quarta. (Quod hæc Unitas artificialis in genere artificialium scibilium non debeat dici Specie infima.) Probatur, Quia hæc Unitas debet correspondere Unitati Objecti adæquati totalis. Unde qualis est Unitas in Objecto totali, talis et in habitu seu Scientia totali. Sed in Objecto non est Unitas specifica, sed potius generica (nam Objectum totale et adæquatum totius Scientiæ dicitur unum esse opus artificiosum quoddam in genere scibilium, et tamen non est unum ut sic Unitate specificâ, sed potius generica, alias Objecta partialia in genere scibilium haberent se ut numero differentia, quod est falsum) Ergo et in habitu non specifica; sed generica est statuenda Unitas, siquidem Unitatem habitus desumit ab Objecto. Quæres Quodnam sit fundamentum et vinculum seu nexus quo isti habitus dicuntur univi in una totali Scientia, et quânam ratione Scientia dicatur una genere vel specie? Resp. hoc posse cognosci ex hac doctrina. Scias 1mò, quod ea omnia quæ considerantur in Scientia non eodem modo se habeant. quædam enim sunt, quæ continent, cujus modi est ipsius objectum. Quædam verò quæ continentur in uno communi, et hoc dupliciter. Quando Aut Virtualiter scil. per quidditatem ipsius possunt demonstrari, et ita se habent passiones respectu proprij Subjecti: Aut potentialiter quandò scil. per quidditatem ipsius non possunt adæquatè demonstrari, sed bene sub illo continetur aliquid, quod est ratio adæquata demonstrandi illa de proprio Subjecto, et ita se habent passiones speciebus convenientes, quod pro Objecto in aliqua Scientia totali assignatur. Istius rei talem habeas imaginationem: Statuas pro

÷ respectu generis

quas pro Objecto animal prout est genus commune suis speciebus, tunc Imo ipsum dicetur continens, secundo tale animal habebit suas proprias passiones sibi convertibiliter convenientes, et istae passiones continentur Virtualiter in animali, quia per quidditatem animalis demonstrantur de ipso. Tertio illud idem animal pro Objecto constitutum, continebit passiones suarum specierum, quae jam non ipsi animali convenient convertibiliter, sed tantum Speciebus. V. G. risibilitas homini, mugibilitas bovi etc. Et istae passiones continentur in animali potentialiter quia scil. non possunt demonstrari per quidditatem animalis adaequate, continentur tamen sub animali homo vel bos, per quorum quidditatem istae passiones possunt demonstrari de suis subjectis, nempe risibilitas de homine per quidditatem hominis scil. per animam rationalem, mugibilitas per quidditatem bovis et Porro ipsemet videre potes hanc continentiam non esse absque fundamento, hanc ergo nos dicimus esse vinculum et nexum, quo habitus partiales in Scientia totali uniuntur. Scias 2do Triplicem posse habitum in aliqua Scientia assignari, scil. Formalem, Virtualem et Potentialem. Formalis vero scientificus, est ille qui formaliter inclinat in cognitionem alicujus Conclusionis demonstratae. Virtualis est, qui solum Virtualiter est scientificus, quia formaliter non inclinat in cognitionem Conclusionis, sed tantum in cognitionem alicujus, quod Virtualiter continet passiones demonstrabiles. Potentialis est, qui potentialiter inclinat in Cognitionem scientificam: Formaliter vero in cognitionem alicujus quidditatis. Exemplum istius sit tale. Accipe primo animal, et propriam ejus passionem A vel B vel sensibilitatem. 2do accipe Risibilitatem, hinnibilitatem, mugibilitatem, tunc dico, quod Cognitio habitualis quam habebis de hac Conclusione (animal est A vel B. id est sensibile) dicetur habitus formalis: Cognitio vero quam habebis de quidditate ipsius animalis, quod scil. sit substantia corporea, animata sentiens, respectu A. vel B id est sensibilitatis, dicetur habitus Virtualis, quia hic habitus virtualiter continet illam Scientiam Conclusionis, quod animal sit A vel B. id est sensibile. Respectu vero risibilitatis, illa cognitio de quidditate animalis habita, quod scil. sit substantia corporea, animata, sentiens, dicetur habitus potentialis, atque sic idemmet habitus de quidditate animalis acquisitus inclinabit tripliciter: Imo Formaliter ad Cognitionem quidditatis animalis, quod scil. sit substantia corporea, animata, sentiens. 2do cum hac formali inclinatione adhuc inclinabit Virtualiter in cognitionem propriarum passionum quae animali convertibiliter conveniunt. 3tio cum hac utraque Formali et Virtuali inclinatione, adhuc inclinabit potentialiter in cognitionem passionum, quae speciebus animalis conveniunt, et per proprias rationes sunt demonstrabiles. Scias 3tio quod

Triplex potest assignari Habitus in aliqua Scientia.

ex his

ex his habitibus tribus, primus scil. Formalis seu Conclusionis dicatur Unus Unitate specifica, tam intrinseca, quam extrinseca et objectiva, sicut est una Conclusio Specie scibilis. Secundus verò scil. Virtualis est Unus Unitate specificâ intrinsecâ: tamen verò Objectivè (quia Objectum continet plures cognitiones specie distinctas) quamvis esset in se species infima, tamen debet dici Unus Unitate generis proximi. Tertius tandem scil. Potentialis, quia est communior, et minus Unus scil. unus Unitate generis remoti. Caeterum dum sic audis dici habitum unum Unitate generis, ne putes sumi hoc loco genus per praedicationem, ita ut sit genus de illis praedicabile in quid eo modo quo praedicatur color de albedine et nigredine, quia habitus quidditatis subjecti est omninò specie distinctus ab habitibus Conclusionum; Sed scias genus sumi solum per Virtualem continentiam plurium specie distinctorum quoad cognosci.

Sed Quaeres Si Objectum est Unum specie, quomodo Scientia ipsius potest esse Una genere proximo? Similiter si erit de aliquo Universalissimo V.G. de Ente, solum non descendendo ad inferiora, quomodo illa Scientia ipsius erit una genere proximo, cum ejus Objectum sit remotissimum et communissimum? Resp. ad 1mum, quod species Specialissima, licet una sit specie infima, tamen Virtualiter includit plura suo modo distincta specie et consequenter habet se in causando veluti quoddam genus, et ideo habitus de quidditate ipsius poterit dici Unus Unitate generis proximi in causando et Virtualiter continendo plura distincta specie. Ad 2dum dico, Quod Unitas Objectiva quam habitus desumit ab Objecto, non est intrinseca sed extrinseca, et ideò non est opus ut omninò sit eadem Unitas Scientiae et Objecti, sed sufficit, ut aliquo modo specificetur ab Objecto, et quia in continendo Virtualiter proprias passiones eodem modo se habent omnia objecta, sive sint communissima, sive species infimae, sive species intermediae; eodem modo quoque se specificabunt Scientiam Unam quod sit Unus generis proximi. Ex eo quoque cognoscitur non esse opus ut ea Unitate Scientia sit Una, quâ est Objectum Unum, quia Unitas generica Objecti est Unitas generis in praedicando: At verò Unitas Scientiae est Unitas per Virtualem continentiam. Praeterea si Scientia non deberet esse Una genere proximo propterea, quia objectum in communissimum et remotissimum, jam sic Cognitio Universalis non deberet esse una specie et numero, sed genere vel specie tantum, quod est falsum.

THEOREMA NONUM

Definitio ista praxis est optima: Praxis est actus alterius potentiae ab intellectu, naturaliter posterior intellectione, natus elici conformiter rectae rationi ad hoc, ut sit rectus.

Notandum

Notandum 1. Dictum 1mum. Ideo hic agitur de praxi, ut possit facilius cognosci, quid sit Scientia Practica et quid sit Speculativa. Dictum 2dum Praxis est nomen Græcum, Latinè idem significans quod Operatio. Dictum 3tium Praxis sumitur quadrupliciter: 1mo Pro Operatione cujuscunque potentiæ, sive talis potentia sit cognoscitiva, sive appetitiva, sive Naturalis, sive Libera, et sic omnis actus cujuscunque potentiæ fuerit, potest dici praxis. 2do Modo capitur pro Operatione solius potentiæ cognoscitivæ, aut quæ sequitur cognitionem, cujus modi est Operatio potentiæ appetitivæ, et isto modo actus intelligendi potest dici praxis. 3tio sumitur pro Operatione existente in potestate nostra, sive sit bona, sive mala, et ita sumendo praxin, etiam latrocinari, inebriari sunt praxes. 4to modo sumitur propriissimè pro sola Operatione alterius potentiæ ab intellectu distinctæ, quæ est posterior ipsa intellectione, nata conformiter elici rectæ rationi. Dictum 4tum. Hoc loco et in sequentibus Theorematibus de praxi 4to modo sumpta erit nobis sermo, nomine enim praxis propriè loquendo, solum actio intellectualis naturæ debet intelligi, nec illa quælibet, sed tantum quæ aliquomodo est divisibilis: Unde nec actiones brutales, nec inanimatæ, nec illæ quæ in hominibus ab anima vegetativa proficiscuntur, ut sunt augmentare, nutrire etc. cum ab imperio voluntatis excipiantur possunt dici propriè praxes. Quia non sunt dirigibiles. Idcirco tria sunt actionum genera, quæ nomine praxis possunt gaudere, scil. actiones Intellectus, actiones Voluntatis, et actiones sensuum.

Praxis sumitur quadrupliciter.

Tria Actionum genera quæ nomine praxis possunt gaudere.

Notandum 2dum Dictum 1mum In definitione praxeos superius assignata tres ponuntur conditiones praxi convenientes. 1ma est, Quod sit actus alterius potentiæ quam Intellectus, id est qui non producitur ab intellectu, aut à potentia aliqua alia sensitiva, aut etiam ab Intellectu, prout Intellectus imperio Voluntatis subjicitur, dummodo Intellectio ista non sit simul regulativa Operationum, sed de hoc inferius. 2da Conditio, Quod sit naturaliter posterior Intellectione, scil. Intellectione directivâ et regulativâ, juxta quam fieri debet rectè, quia praxis est quid regulatum et mensuratum. Intellectio verò practica est regula et mensura praxeos, jam verò regulatum et mensuratum est posterius regulâ et mensurâ sua. 3tia Conditio Quod sit conformis regulæ, nam hæc definitio non de qualibet praxi, sed tantum de recta praxi assignatur, cujus rectitudo sumitur ex conformitate cum regula rationis, sicut irrectitudo seu

‡ prout præcedit imperium voluntatis; sed qui producitur aut à voluntate, aut à potentia etc.

obliquitas

obliquitas sumitur ex carentia talis conformitatis. Dictum 2dum In hac tertia conditione includitur adhuc conditio alia, quod scil. praxis sit finis intrinsecus et per se cognitionis practicæ. Si enim actus ex propria natura est ratione dirigibilis, jam ratio dirigens ex sua quoque natura respicit actum illum in quem ordinatur tanquam in proprium finem. Dictum 3tium Hanc definitionem rectè esse assignatam patet ex eo, quia constat genere et Differentia, Vox Actus ponitur loco generis, aliæ autem particulæ et conditiones illæ tres ponuntur loco Differentiæ. Sed clarior cognitio praxeos ex sequentibus est petenda.

THEOREMA DECIMUM.

Licet nullus actus præcedens Voluntatis Imperium sit propriè praxis, tamen omnes actus eliciti Voluntatis imperatique, cujuscunque sint potentiæ etiam Intellectivæ (excepta cognitione practicâ) sunt propriè praxes.

Triplices sunt in homine potentiæ

Notandum Dictum 1mum. Triplices sunt in homine potentiæ. Aliæ quæ spectant ad animam vegetativam, qualis est potentia generativa, Nutritiva, augmentativa. Aliæ quæ spectant ad animam sensitivam, qualis est potentia visiva, Tactiva, Auditiva, Gustativa etc. Aliæ quæ spectant ad animam rationalem, qualis est Intellectus et Voluntas. Dictum 2dum. Potentiæ Vegetativæ sunt purè Naturales, nec actus ipsarum sunt in nostra potestate, nisi quoad aliquas circumstantias, idque imperfecte neque tales actus unquam possunt dici praxes propriè, ut sunt nutrire augmentare etc. Dictum 3tium Operationes potentiarum ad sensitivam animam spectantium, dupliciter possunt accipi: Uno modo secundum se et sic non sunt praxes, quia præcedunt actum Voluntatis et Intellectus. 2do Ut dirigun-tur ab Intellectu et præcipiuntur à Voluntate, et sic sunt benè praxes. Dictum 4tum Actus Voluntatis est duplex, Alius Elicitus, alius Imperatus. Elicitus actus Voluntatis est ipsa Volitio, seu nolitio, quam Voluntas producit absque Imperio suo V.G. velle dare Eleemosinam. Actus verò Imperatus est omnis ille actus, qui ad Imperium ipsius Voluntatis ab aliqua potentia producitur, dummodo talis actus possit esse in potestate Voluntatis, neque sit cognitio practica V.G. Auditio lectionis Imperata à Voluntate, Itio ad templum ex Imperio Voluntatis producta etc. Dictum 5tum Ex hoc quarto dicto sequitur aliud scil. quod Actus Elicitus à sola producatur Voluntate, Actus verò Imperatus potest produci à quavis potentia sensitiva et Intellectiva, et etiam ab ipsa Voluntate V.G. velle honorare Deum ab ipsa Voluntate Imperatum, unde actus Imperatus tam est multiplex, quam sunt multiplices potentiæ ipsius productivæ. Dictum 6tum

Actus voluntatis est duplex.

Actus quo

actꝫ quo Voluntas imperat alijs potentijs vel sibi ipsi; dicitur imperativꝫ: non verò imperatꝫ nisi fortè adhuc ed is ipse imperaretur à Voluntate. Dictū 7mum Praxis propriè illa dicitur actio, quæ est apta nata regulari et dirigi à Cognitione practica, quam pro mensura respicit, eamq practicam denominat et consequenter præsupponit illam non per accidens, sed per se, sicut Universaliter omnis mensura est prior mensurato.

PROBATIO THEOREMATIS

Pars 1ma (Quod nullꝫ actꝫ præcedens Voluntatis imperium sit propriè praxis) Probatur. Si quis actꝫ præcedens Imperium Voluntatis esset praxis, tunc quæro: Vel ille actꝫ produceretur ab aliquo sensu, vel ab intellectu: Atqui neutrū potest dici Ergo. Minor Quoad 1mam Partem. Praxis est naturaliter posterior intellectione: Atqui nulla actio sensitiva ut à Voluntate præscindit est posterior intellectione, imò est per se prior. Ergò nulla actio sensitiva ut præcedit Imperium Voluntatis est propriè praxis. Quoad 2dam Partem Nullꝫ actꝫ Intellectꝫ ut præcedit Imperium Voluntatis est propriè praxis. Ergo falsum est quod ille actꝫ producatur ab intellectu. Antecedens. Nam alias illi actui corresponderet aliqua Cognitio practica (Quia cuilibet praxi correspondet cognitio practica, cui praxis debet esse conformis) Atqui nulla correspondet (falsum enim est quod detur aliqua cognitio practica in Intellectu regulans Operationem Intellectꝫ ut præcedit Imperium Voluntatis) Ergo. Minor Quia alias Logica esset rigorosè practica non autem speculativa, quod est falsum vide Logicam. Confirmatur, Cognitio directa, ut est Cognitio continetur sub genere speculationis (nihil enim aliud intendit nisi Veritatis Objectivæ attingentiam) Ergo etiam ut directa continebitur sub speculatione, et per consequens non erit praxis. Conseq. Nam directio illa est Instrumentum inquirendæ Veritatis inserviens, et ad illam ceu ad finem ordinatum. Ergo ad Genus sui finis debet reduci propriè, non verò ad Genus finis oppositi, qualis est praxis respectu speculationis. Confirmatur deinde. Quia praxis est actꝫ directꝫ à Cognitione practica: Sed nullꝫ actꝫ Intellectꝫ ut præcedit Imperium Voluntatis potest dici directꝫ et regulatꝫ à Cognitione practica. Ergo. Minor Actꝫ regulatꝫ à Cognitione practica vocatur bonus vel malus, non autem verus vel falsus sicut et ipsa praxis alia est bona alia mala: Atqui nullꝫ actꝫ Intellectꝫ, ut præcedit Imperium Voluntatis dicitur bonꝫ vel malꝫ, sed tantum dicitur verꝫ vel falsus. Ergo. Minor Duo enim in tali actu reperiuntur. 1mò Entitas 2dò Directio passiva juxta regulas Logicas, quæ appellatur nomine illationis seu consequentiæ, et neutri horum actuū convenit

convenit ut dicatur bonus vel malus; Nam Entitas actus non dicitur bona vel mala, sed tantum vera vel falsa. Consequentia itidem solum dicitur vera vel falsa, non verò bona vel mala, nisi quis impropriè loqui velit, et pro vero vel falso assumat terminos istos scil. bonum vel malum, quod aliquando fieri non negamus. Pars 2da (Quod quilibet actus Elicitus Voluntatis sit praxis) Probatur; Ille actus est propriè praxis cui Definitio praxeos competit. Sed cuilibet actui Voluntatis Elicito competit Definitio praxeos. Minor Quia omnis actus Elicitus Voluntatis est Essentialiter posterior cognitione directivà, et ab alia producitur potentia quàm ab intellectu, estque aptus ut conformiter eliciatur rectae rationi, et est in potestate cognoscentis. Praeterea omnis actus Voluntatis etiam circa ultimum finem est dirigibilis à recta ratione, Ergo est praxis. Consequentia quia praxis sic sumitur prout dicit actum regulabilem, ex hoc, quod ... possit benè vel malè fieri. Antecedens Quia etiam circa ultimum finem contingit errare, et si non in ordine ad objectum, at saltem quoad circumstantias, Unde nonnulli Theologi docent dilectionem Dei posse fieri malam in genere moris si scil. non debito tempore eliceretur. V.G. Si Paulus periret in aquis, certè Petrus eo tempore cum periculum Pauli videns, interim tamen orans, et actum amoris divini eliciens, ipsi Paulo pereunti succurrere negligens peccaret. Pars 3tia. (Quod omnis actus Intellectus Imperatus sit praxis) Probatur, Ille actus est propriè, qui est dirigibilis in genere moris ut benè fiat. Sed actus Intellectus, ut imperatus à Voluntate est dirigibilis in genere moris ut benè fiat. Ergo est praxis. Minor Alias nullus actus Intellectus diceretur peccaminosus seu peccatum, quod est falsum. Praeterea actui Intellectus ut est imperatus à Voluntate convenit tota Definitio praxeos. Ergo est praxis. Antecedens, Quia Actus Imperatus non provenit ab intellectu, ut est simpliciter Intellectus, sed provenit ab Intellectu, ut est Voluntatis Imperio subjectus, jam vero Intellectus ut subjectus Imperio Voluntatis est à se ipso distinctus, ut est intellectus, Unde et actus qui provenit ab Intellectu ut est subjectus Voluntatis Imperio, rectè potest dici praxis. Praeterea actus credendi, quo quis credit DEUM esse Trinum et Unum est formaliter bonus in genere moris, et oppositus est formaliter malus. Ergo est formaliter praxis. Consequentia. Quia istae sunt Differentiae praxis. Subsumo Sed actus credendi, quo quis credit Deum esse Trinum et Unum est actus Intellectus. Ergo actus intellectus est praxis. Pars 4ta (Quod actus Imperati aliarum potentiarum sint praxees) Probatur. Illi actus sunt digni nomine praxis, quia recta ratione sunt dirigibiles: Sed actus imperati aliarum potentiarum sunt dirigibiles à ratione recta. Ergo. Minor Nam isti actus aut sunt immanentes, qui in ipsismet potentiis sub-

ijs subjectantur à quibus producuntur, cujusmodi sunt sensationes v.g. Visio, Auditio; aut transeuntes quæ transeunt extra potentiam à qua producuntur, cujusmodi sunt opera artificiosa. Sed tàm hi, quàm illi sunt dirigibiles à recta ratione. Ergo. Minor Nam immanentes, quià sunt opera Virtutum moralium, possunt benè vel malè fieri in genere moris, ut à Voluntate imperantur, et ad laudem vel vituperium imputari quâ ratione correspondet illis in intellectu habitus prudentiæ, tanquam regula directiva, quem habitum prudentiæ vocat Philosophus activum. Transeuntes quoque actus imperatos esse dirigibiles à ratione patet, quià et isti possunt esse boni vel mali in genere moris. Boni si habeant debitas circumstantias ut si fiant debito tempore debito loco et ad debitum ordinentur finem. Mali verò erunt, si contra has circumstantias producantur, porrò isti actus transeuntes non solum sunt dirigibiles quoad bonitatem vel malitiam in genere moris, sed etiam quoad perfectionem vel imperfectionem in genere artis. Unde possunt esse boni in genere moris, si fiant juxta dictamen rectæ rationis, et tamen cum hoc possunt esse imperfecti et mali in genere artis, si nimirum non erunt totaliter conformes regulis suæ artis, quæ est habitus directivus in intellectu correspondens actionibus artificialibus externis, quem Aristoteles appellat factivum, et contra distinguit ab habitu activo, qui dirigit actiones immanentes et vocatur prudentia. Objicies Quod actus intellectus, ut imperatus, non sit praxis, nam Doctor Subtilis in prologo Sententiarum Quæst. 4 dicit: Nullam intellectionem esse praxin, sed solum concedit quod Intellectio imperata vel sit praxis vel practica et hoc secundum concedit esse verum. Nego Duplex est Intellectio imperata alia est, quæ ultra hoc, quia est imperata, adhuc simul est regulativa Operationum, et directiva verè praxeos, potest enim Voluntas imperare intellectui, ut cogitet et quærat media requisita ad finem, et circa illa occupetur. Alia est Intellectio imperata, quæ non est regulativa operationum. Scotus itaque illam priorem negat esse praxin, non verò istam posteriorem, quià illa prior etiam imperata, potius est practica quàm praxis, quià est regulativa et directiva praxeos.

Duplex est Intellectio Imperata.

THEOREMA UNDECIMUM.

Actus Voluntatis Elicitus est primario praxis; Imperatus verò secundariò in actu exercito, et quoad Executionem.

Notandum Dictum 1mum. Terminus iste Ly (primario) dupliciter potest accipi; Uno modo prout dicit adæquationem et convertibilitatem, et sic non capitur hic, quia hoc modo nihil posset esse praxis, nisi actus Elicitus Voluntatis.

Terminus iste Primario dupliciter accipitur.

Actus externus dupliciter potest considerari.

luntatis. Secundo modo prout dicit immediationem, et sic accipitur hoc loco quia actus imperatus est praxis secundariò et per accidens, quia scilicet per actum elicitum, modo eliceatur secundum rectam rationem. Dictum 2dum Actus externus qui potest esse actus Imperatus, dupliciter potest considerari, 1. quasi in actu signato, id est secundum suam speciem et ex Objecto, antequam ab aliquo homine fiat, in cujus tamen potestate est ut sit vel non sit. 2. Quasi in actu exercito, quatenus scil. imperatur à Voluntate et applicatur ab ipsa potentia executiva ad operandum. Primò modo fundat bonitatem vel malitiam objectivam in genere artis seu fundamentalem et potentialem quoad specificationem. Secundo modo fundat bonitatem vel malitiam formalem et actualem, et quoad exercitium, et sic duplex erit praxis et dirigibilitas: Alia potentialis et quoad specificationem, Alia actualis et quoad exercitium.

PROBATIO THEOREMATIS.

Pars Ima Probatur: Ille actus est primariò praxis, cui principaliter conveniunt Conditiones praxeos: Sed talis actus est Elicitus. Ergo est primariò praxis. Minor 2a Conditiones assignatae in definitione praxeos, non conveniunt actui Imperato, nisi ideò, quia actui elicito conveniunt. Ergo. Antecedens Nam videre non est praxis nisi propter velle. Item audire contionem non est praxis, nisi propter actum elicitum scil. propter Volitionem ipsam. Praeterea quandocunque aliquid est primò tale conjunctum cum aliquo posteriori, si potest ab illo separari. adhuc erit tale: Sed actus Elicitus Voluntatis est primò talis, et potest conjungi cum actu Imperato. Ergo si potest separari ab actu Imperato, adhuc erit talis. Subsumo Atqui potest separari. Ergo actus elicitus est primariò talis. Major. Quantitas est primò colorata secundariò verò Substantia, ideò si Quantitas separetur à Substantia, adhuc poterit esse colorata, ut patet in Sacratissimo Eucharistiae Sacramento. Item Homo est primariò risibilis, Petrus verò et Paulus secundariò, et ideò si homo posset esse absque Petro et Paulo, adhuc esset risibilis: Idem de hinnibilitate mugibilitate et aliis dicatur, atque sic Major est vera. Minor subsumpta, quod scil. actus Elicitus possit separari ab actu Imperato probatur: Quia circa aliquod Objectum potest esse actus Elicitus, circa quod non erit actus Imperatus. Ergo. Antecedens Quia cognosco per fidem Angelum qui me custodit, circa quem eliceo actum amoris, cum tamen circa ipsum Angelum non possim habere ullum actum sensitivum, neque interiorem, neque exteriorem, quia Angelus non est sensibilis. Ergo. Confirmatur Voluntas est primò dirigibilis, aliae verò potentiae mediante Voluntate sunt capaces directionis, Ergo actus Elicitus est primo praxis. Consequentia Quia talis est dependentia et ordo inter actus, qualis est inter ipsas potentias. Antecedens

Qa Intell

Quia Intellectus non dirigit alias potentias nisi mediante Voluntate. Pars 2da

Quod actus Imperatus sit secundariò praxis patet ex prima parte, si enim actus Elicitus est primariò praxis. Ergò actus Imperatus debebit esse tantum secundariò.

Objicies. Ille actus est primariò praxis, ad quem regulandum principaliter notitia practica ordinatur (Quia praxis est quae regulatur, et ad quam notitia practica principaliter dirigitur) Sed actus Imperatus est talis (nam praecepta artis V. G. scribendi canendi etc. traduntur de actuali scriptione et cantu, non verò de Volitione scriptionis, et ad hos actus Imperatos canendi et scribendi musica et ars scriptoria ordinatur, non verò ad volendum scribere) Ergo actus Imperatus est primariò praxis. Nego actum Imperatum esse primariò praxin in esse objectivo et potentiali, non verò in esse exercito et actuali, quia quoad exercitium et actualem praxin actus dirigibilitatem actus Elicitus est primariò praxis. Cum enim prius sit actus Voluntatis quam actus exterior, et uterque sit dirigibilis à ratione, quia praerequiritur applicatio potentiae tali et tali modo, implicat, quòd ratio praxis prius exerceatur in actu externo quam interno. Exemplum sit: Actus externus homicidij primariò prohibetur, et super ipsum immediatè cadit prohibitio supra Volitionem verò secundariò. Ideò enim homicidij Volitio est mala et prohibita, quia homicidium est malum et prohibitum, et haec quidem propositio Causalis modo assignata est verissima, si scil. considerentur in esse potentiali et Objectivo, quanquam ut sic libertas prius convenit interno quam externo, nam primitas malitiae non attenditur penes primitatem Libertatis quae est fundamentum, sed penes primitatem prohibitionis: Attamen in Esse exercito et actuali Volitio homicidij est primò mala et prius reprehensione digna quam homicidium, seu actus externus homicidij, quia primò exercetur. Sed Instabis: Ratio praxis prius competit actui externo quam interno dum sunt ambo in potentia Ergò etiam dum actualiter producuntur, prius convenit ratio praxis externo quam interno, et per consequens actus Imperatus erit primariò praxis. Consequentia, Quia eundem ordinem servant actus internus et externus, dum exercentur actualiter, et dum sunt in actu quem servant dum sunt in potentia, ut patet de Esse Libero, quia enim esse Liberum, prius competit interno quam externo in eo signo, in quo ambo sunt in potentia, ideò etiam dum actualiter producuntur prius competit esse liberum interno quam externo. Ergo si ratio praxis prius competit etc. sequitur quod etiam dum actualiter producunt. Nego Consequentiam et Probationem ipsius, quia falsum est quod servetur semper idem ordo in Intentione et executione, quando scil. talis ordo est executioni incompossibilis, ut patet de fine et medio in Intentione et executione, ibi enim finis est prior, hic autem posterior. Idem est in proposito praecipuè in genere moris, quia ad hoc ut aliquid prohibeatur primariò sufficit quod sit liberum sive primariò sive secundariò.

Secundario, prohibitio enim pendet à Voluntate Legislatoris: At in actu exercito necessario prius ponitur internus actus quam externus.

THEOREMA DUODECIMUM.

Ad rationem praxis in rigore requiritur liberum esse ita, ut possit fieri, et non fieri, quamvis largè loquendo non requiratur haec libertas proxima, sed sufficit remota

Voluntatis Definitio. — Notes Voluntatem esse potentiam Essentialiter liberam, et non nisi liberè posse agere, haec autem libertas est duplex. Alia proxima, ut cum Voluntas potest agere et non agere expedite. Alia remota ut cum Voluntas ad unam partem contradictionis determinatur ab extrinseco, et agit absque suspensione, licet ex se et ab intrinseco posset non agere, sic Voluntas beatorum est determinata ad amandum Deum, ita ut non possint Beati non amare Deum. Ratio pro 1ma parte. Illa actio est rigorosè praxis, quae est imputabilis ad laudem vel vituperium in genere moris: Atqui nisi esset libera non posset esse talis. Ergo debet esse libera proximè ita, ut possit fieri et non fieri. Minor Quia libertas proxima est fundamentum totius imputabilitatis (in his enim quae necessario agimus nec laudamur neque etiam vituperamur) Ergo. Ratio pro 2da parte. Actiones remotè liberae sunt meritoriae Ergo sunt praxes saltem largo modo. Antecedens patet in Christo Domino, cujus actiones necessariae et tantum remotè liberae à Divina Majestate fuerant ad meritum acceptatae.

1a. Objicies Si ad rationem praxis requiritur liberum Esse: Ergo Visio Dei in beatis non esset practica sed speculativa, quia Beati necessario agunt, nec possunt non amare Deum. Resp. Cognitiones Beatorum esse practicas, licet Voluntas eorum non possit errare nec se ab amando Deo suspendere seu continere, nec actus ipsorum sint praxes in rigore: Quia de ratione Scientiae practicae non est actualis directio sed aptitudinalis. Cum igitur illae Cognitiones sint ex se ipsis directivae aliarum operationum, erunt verè practicae, quamvis Voluntates sint ab extrinseco determinatae ad actionem rectam hoc enim est per accidens, et ab extrinseco.

THEOREMA DECIMUM TERTIUM.

Practicum in Cognitione formaliter dicit ordinabilitatem ad opus, quod est praxis, quae ordinabilitas in duplici relatione aptitudinali scil. ~~proprietatis~~ prioritatis naturalis et Conformitatis consistit: Jam verò Speculativum formaliter dicit carentiam talis Ordinabilitatis.

Notandum 1mum Dictum 1mum Practicum vel speculativum dicuntur 1mò de actibus, sed isti actus nullius alterius debent esse potentiae, nisi ipsius Intellectus, nullus actus aliarum potentiarum, quae sunt distinctae ab Intellectu potest dici practicus, licet sit praxis, neque enim est dirigens aut regulans, sed tantum regulatus. 2do Practicum et Speculativum

Speculativum dicuntur de habitibus tam Intellectualibus, quam etiam Voluntatis, Unde virtutes morales vocantur habitus practici, et ratio hujus est, quia tam isti quam illi ordinantur ad praxin. Dictum 2dum Habitus Intellectuales practici non ita ordinantur ad praxin, sicut habitus practici Voluntatis, quia habitus Intellectuales, prudentia et ars respiciant praxin directe seu regulative, seu idealiter, non enim habent alium concursum ad actus aliarum potentiarum, nisi ut dirigant. At vero habitus practici Voluntatis respiciunt praxin elicitive, quia Physice concurrunt ad istos actus, qui nomine praxeos vocant. Dictum 3tium Nos hic loquimur de practico, ut convenit habitui intellectuali, et ut speculativo opponitur, non vero ut convenit habitui practico Voluntatis, et dicimus quod formaliter practicum dicat ordinabilitatem seu extensionem ad praxin sicut speculativum, formaliter dicit carentiam talis extensionis seu ordinabilitatis. Dictum 4tum Licet ratio practici, etiam ut opponitur Speculativo conveniat habitui et actui intellectuali, tamen aliter huic, aliter illi competit, nam habitus dirigit praxim idealiter, sed mediate scilicet mediante actu, habitus enim ex se non nisi medio actu attingit objectum: At vero actus dirigit praxin idealiter, sed immediate, unde habitus in tantum dicitur dirigere praxin, in quantum est productivus elicitive actus practici, qui postea immediate dirigit praxin idealiter Notandum 2dum Dictum 1mum. Actus Intellectualis potest dici directivus praxis dupliciter: 1mo Virtualiter 2do Formaliter. Actus directivus seu practicus Virtualiter est ipsa Cognitio principii practici, ex quo deducitur Conclusio practica et hoc esse practicum, non est differentia Scientiae practicae, id est, non facit Scientiam practicam differre a Scientia Speculativa, nam Scientia est Conclusionis non vero principii. Actus autem formaliter practicus est, seu directivus ille, qui expresse et immediate dirigit in praxi, est scil. ipsa Cognitio Conclusionis practicae. Hic deinde actus formaliter practicus et directivus potest esse duplex; Alius qui proxime dirigit, ut dum dictat in particulari hic et nunc esse, tali vel tali modo operandum, quae directio in agibilibus erit actus prudentiae, in factibilibus vero erit actus experientiae, isti enim habitus inclinant in actus particulares. Alius qui remote dirigit, ut dum dictat in Universali hoc esse prosequendum, illud fugiendum, et haec directio in agibilibus erit Conclusio Scientiae moralis, in factibilibus Conclusio artis, quae sunt habitus inclinantes ad opus in Universali. Dictum 2dum Habitus isti Universales, solent aliquando vocari Speculativi, unde Medicina dividitur in Theoreticam, id est Speculativam, et in practicam, non quod formaliter sint speculativi, sed quoniam, quando sunt aliqua duo extrema opposita quanto magis aliquid recedit ab uno oppositorum, tanto magis accedit ad aliud. Modo consideratio in particulari, quia est immediate directiva praxeos in particulari, proxime habet rationem practici, et appellatur practica, et quanto magis aliquid recedit ab illa tanto magis accedit ad Speculativum, et hac ratione habitus Universalis potest dici Speculativus, in quantum recedit ab actu in particulari, unde non absolute est talis sed comparative. Dictum 3tium Res a nobis cognoscibiles sunt duplicis ge

neris

neris quædam enim sunt producibiles; quædam improducibiles saltem à nobis, quæ non possunt cognosci, nisi secundum propria prædicata in primo et secundo modo suasq; qui ditates: At verò illæ priores scil. producibiles dupliciter possunt à nobis cognosci. 1mo quoad suas essentias et prædicata præscindendo ab existentia. 2do modo etiam quoad existentiam scil. qualenq; sunt producibiles in rerum natura considerando modum et circumstantias productionis illarum, ut rectè et congruè fiat. Prima cognitio dicitur speculativa, quia sistit in contemplatione veritatis, nec ultra progreditur, ejusq; finis est scire. Secunda Cognitio est practica, quia se extendit ad opus, judicat enim hoc esse prosequendum, illud fugiendum, ejusq; finis est opus.

PROBATIO THEOREMATIS

Pars 1ma probatur. Quo Cognitio practica est formaliter talis scil. practica, illud practicum, seu ratio practici dicit formaliter: Sed ordinabilitate seu extensione ad opus quod est praxis duplicis relationis denotativa dicitur formaliter cognitio practica, ergo ordinabilitatem ad opus dicit practicum formaliter in Cognitione. Minor Cognitio practica non potest esse formaliter practica, nisi formaliter habeat illā duplicem relationem aptitudinalem, scil. prioritatis naturalis et conformitatis, hoc est, nisi sit naturaliter prior ipsa praxi, et nisi sit conformativa seu regulativa praxeos. Ergo. Antecedentis prima pars Quod Cognitio practica debeat esse prior praxi. Probatur Quod requiritur ad aliquid est prius eo, ad quod requiritur: Sed cognitio practica praerequiritur ad praxin (nam juxta Philosophum 6to Ethicorū cap. 3. Electio recta quae est praxis, necessariò præreguirit rectam rationem idest, cognitionem practicam cui conformetur) Ergo. Præterea omnis praxis aut est actus elicitus, aut imperatus Voluntatis. Sed uterq; præsupponit actum Intellectus (quia Voluntas nullum actum potest producere, nisi prius Intellectus producat suum juxta illud: Nihil est volitum nisi præcognitum) Ergo. Deinde Regula prior est, regulato. Sed Cognitio practica est regula, praxis verò regulatum. Ergo Cognitio practica est prior praxi. 2da pars ejusdem Antecedentis, Quod scil. Cognitio practica debeat esse conformis active, idest conformativa praxeos. Probatur autoritate Philosophi qui 6to Ethicorum c. 3. docet, quod veritas considerationis practicæ est confessè idest conformiter se habens appetitui recto. Duplex autem est conformitas: Una passiva, quæ convenit appetitui et praxi, potestq; vocari conformabilitas. Alia activa, quæ convenit cognitioni practicæ, et potest appellari conformativitas, quia per eam Cognitio practica est formaliter regula judicans et dirigens, quomodo sese gerere debeant aliæ potentiæ in actionibus proprijs. Ex his itaq; patet quod illa cognitio sit verè formaliter practica, cui ex propria natura conveniunt istæ duæ relationes aptitudinales. Pars 2da Quod Speculativum formaliter dicat in Cognitione seu Scientia carentiam ordinabilitatis ad opus, patet ex prima parte. Nam Speculativum opponitur practico. Ergo quod dicit practicū illud negat Speculativum.

Sed pra

ò practicum dicit formaliter ordinabilitatem ad praxin, ut modo diximus. Ergo eculativum negabit eandem ordinabilitatem, et per consequens formaliter dicet in gnitione carentiam ordinabilitatis, ita ut illa sit cognitio seu Scientia Specula va, quae in contemplatione proprij Objecti consistit, et non procedit ultra. Unde hilosophus 1mo Metaphys. Scientiam speculativam vocat liberam: Practicam vero vo t gratia alterius. Et 2do Metaphys. dicit Scientiae Speculativae finem esse verita m, practicae vero opus, nam illa est propter se haec vero propter aliud, cum sit mi istra aliarum potentiarum. Objicies Nulla differentia Scientiae dicit relationem aut arentiam relationis (Quia nullus respectus vel privatio potest esse differentia alicujus rea s absoluti, qualis est Scientia) Sed practicum et Speculativum sunt differentiae dividen Scientiam in communi. Ergo practicum non dicit illos duos respectus scil. relati nem prioritatis naturalis aut conformitatis. Reo Practicum et Speculativum dupli ter posse considerari. 1mo secundum id quod à parte rei dicunt. 2do secundum id, er quod à nobis solet explicari. Primo modo sunt differentiae Essentiales scientiae. Secun modo dicunt respectus et carentiam in sensu explicato, suntque potius passiones conse uentes, quam differentiae Essentiales, istas tamen circumscribunt.

THEOREMA DECIMUMQUARTUM.

Ad Cognitionem practicam requiritur, ut versetur circa rem operabilem, idest, circa actiones nostrae Voluntatis modo operabili, hoc est, quod ~~dicat~~ + modum et circumstantias actionis faciendae, nec sufficit, quod versetur circa rem operabilem alio modo, quam operabili.

+ (dictet ~~[struck]~~)

Ratio, Quia alias, si solum versaretur circa rem operabilem absque modo opera li, sequeretur, quod jam Scientia practica non esset distincta à speculativa, quod st manifeste falsum. Sequela 2a non minus Physica versatur circa Operatio es nostrae Voluntatis, quae sunt res operabiles quam moralis Philosophia.

THEOREMA DECIMUMQUINTUM

Cognitio practica est illa, quae non ex intentione Scientis, sed ex natura sua est ad praxin extensibilis et ad opus ordinabilis.

Ratio Quia alias si ex Intentione Scientis esset ordinabilis, sequeretur eandem cientiam esse modò practicam modò Speculativam, quod est evidenter falsum. Seque a Esset practica, Quia eam Sciens actualiter ordinaret in finem. Esset vero Specu tiva si illam actu non ordinaret. THEOREMA 16tum.

Ad rationem notitiae practicae non requiritur, quod actualiter praecedat et actualiter dirigat praxin. Ratio 2a

Ratio Quia si id esset necessarium, sequeretur Cognitionem practicam, modò esse, modò etiam non esse practicam. Consequens falsum Ergo et Antecedens. Sequela Esset practica, quando actu praecederet praxin positam in re, ipsamq dirigeret; non esset verò practica, si ipsâ positâ nulla praxis in re sequeretur. Falsitas. Quia notitiae practicae competit esse practicam necessariò et intrinsecè, ac per consequens non potest esse quandoq practica et quandoq non practica. Praeterea Architecty vel Medicus, quorum alter artem aedificandi alter verò sanandi habet, si esset mancy et sine potentiis exterioriby ad operandum necessariis, nihil ominy haberet notitiam practicam. Ergo de ratione practicae Cognitionis non est, quod actu praecedat et actu regulet praxin. Confirmatur Ex vi vocabularum qui notitia practica est illa, quae est directiva et regulativa praxeos, hujusmodi autem vocabula non dicunt actum sed aptitudinem, requiritur, Ergo ad notitiam practicam, ut sit apta nata esse prior naturaliter praxi, et regulativa atq formativa praxeos, sibi ipsi tanquam regulae conformandae. Ex his sequitur quod extensio Cognitionis practicae ad praxin et ad ejq consistat in duplici relatione aptitudinali, scil. prioritatis naturalis et conformitatis, nec prima sufficit sine secunda. Unde quandocunq Intellectio ut prior praxi non habet determinatam rectitudinem praxis, cui praxis, ut recta sit debeat esse conformis, talis Intellectio non est practica licet sit prior praxi. Ratio est quia nihil determinatè ostendat de rectitudine praxis, et propterea nulla praxis necessariò debet illi conformari, ut sit recta. E contra verò omnis Cognitio prior naturaliter praxi, quae habet determinatā rectitudinem respectu praxis eliciendae, cui necessariò debet praxis conformari ut sit recta, et verè et propriè practica.

THEOREMA DECIMUM SEPTIMUM.

Scientia actualis et habitualis dicitur practica vel speculativa intrinsecè à sua differentia Essentiali, extrinsecè verò dicitur practica vel speculativa, non ab intellectu, neq a praxi neq à fine, sed tantum ab Objecto.

Notes Ex ~~[illegible]~~ Distinctione formali et specifica Objectorum optimè colligi distinctionē specificam actuum et ex distinctione specifica actuum colligi distinctionem specificā habituum, licet Objectum respectu acty habeat rationem Causae Efficientis, et similiter acty respectu habity, inde enim ortum habuit illud (habity distinguuntur per acty, et acty per objecta) caeterum haec distinctio actuum per Objecta non est per aliqua sibi intrinseca quia Objecta non sunt intrinseca actiby nec acty ipsis habitiby, sed per extrinseca, notificantia distinctionem eorum intrinsecam. Habitus ergo distinguuntur per aliquod intrinsecū ut per Causam Formalem, scil. per suas differentias: Per Objecta tanquam per causā extrinsecā et Efficicientem.

PROBATIO THEOREMATIS.

Pars Ima. Per quod Scientia practica distinguitur Essentialiter ab omniby aliis Cognitioniby, ab illo dicitur intrinsecè talis (Quia differentia est quae dividit geny, constituit speciem, et eam facit differre) Sed per differentiā suam Essentialem differt Scientia Practica ab

ctica ab

ctica ab omnibus alijs cognitionibus. Ergò ab ea denominatur talis intrinsecè. Idem di-
catur de speculativo. Pars 2da. Ab eo, quod est causa communis Scientiæ Practicæ et Spe-
culativæ, non potest dici Scientia practica (quia qua ratione esset Practica, eadem ratio-
ne esset etiam Speculativa) Sed Intellectus est causa communis utriusque Scientiæ, tam Practicæ
quam Speculativæ. Ergò ab intellectu non potest vocari Scientia Practica vel Speculativa. Pars
3tia Quod non à praxi, seu ab extensione ad praxin, velut ad finem. Probatur. Quia si
Scientia diceretur Practica propter extensionem ad praxin tanquam ad finem, Quæro, vel
propter extensionem actualem, vel propter aptitudinem, neutrum potest dici. Ergo. Mi-
nor. Non propter actualem, quia alias artifex non operans actu careret cognitione Pra-
ctica, quod est falsum. Non propter aptitudinalem, quia aptitudo non convenit ali-
cui ~~causæ~~, neque etiam repugnat alteri nisi propter aliquod intrinsecum in tali natura, quia
enim hæc natura est talis, ideò sibi competit talis aptitudo, extensio itaque aptitudinalis (+ natura ~~[illegible]~~)
notitiæ practicæ quæ consistit in hoc, quod ipsa nata est esse regula operationis alterius
potentiæ ab intellectu, non convenit habitui practico, neque repugnat speculativo, nisi
per aliquod intrinsecum, ipsi habitui Practico, quo est essentialiter practicus. Tunc ultra
urgeo. Istud tale intrinsecum, secundum se consideratum, debet provenire ab aliqua causa
quæ sit prior ipsâ praxi. Ergo non ~~est~~ ab ipsa praxi, siquidem ista est posterior illo intrinseco,
et consequenter à praxi non dicetur Scientia Practica. Causæ autem præcedentes praxin ipsam
à quibus intrinseca differentia Scientiæ practicæ possit pendere, non sunt aliæ, nisi intelle-
ctus et objectum (Quia ab Objecto et potentia, juxta D. Augustinum paritur notitia) et cum
ab intellectu non possit provenire, ut patet ex secunda parte (quia sic omnis cognitio esset
practica) necessariò debebit esse ab Objecto. Nec valet si dicas quod etiam finis sit causa
prior, imò prima inter omnes secundum Avicennam 6to Metaphys. Et quod ideò à fine
poterit convenire notitiæ practicæ illud intrinsecum, ratione cujus inest sibi extensio ap-
titudinalis ad praxin: Non valet inquam, quia finis non est causa, nisi in quantum desi-
deratus et amatus. Sed extensio aptitudinalis ad praxin convenit habitui practico, sive
finis sit desideratus et amatus habent sive non multi enim notitiam practicam harum pro-
positionum (vivendum est rectè. Unicuique quod suum est, est reddendum. Quod tibi non vis fi-
eri alteri ne feceris) Qui tamen nec volunt rectè vivere, nec alienum restituere. Præterea po-
test quis discere architecturam, et ipsam habere, licet nolit operari, quod est finis architectu-
ræ. Ergo non habet à fine practica notitia illud, ratione cujus convenit sibi prædicta ap-
titudo. Pars 4ta Quod Scientia non dicatur practica à fine. Probatur. Quia
si habitus diceretur practicus à fine, vel ergò à fine ut habito in re et extra producto, vel ut
amato velut cognito: Atqui nullo horum modorum. Ergo simpliciter à fine non dicitur
Practicus. Minor Non à fine ut habetur in re, quia finis in re et extra productus est
quid ultimum in operatione, et posterior habitu practico et quodammodo effectus. Ergo

Consequen

consequentia. Quia prius non habet esse à posteriore, et quod facit differre aliqua, debet esse prius illis. Non etiam à fine ut amato, quia ratio practici convenit actui sive finis moveat agens, sive non, sive ametur, sive non. Non à fine ut cognito, quia hoc modo finis non causat ut finis, sed ut Objectum, jam verò ut sic non habet rationem finis ad quem requiritur ut sit amatus, sed potius habet rationem Objecti. Praeterea sequeretur Philosophiam moralem non esse practicam, quod est falsum. Sequela: Quia finis moralis Philosophiae non est praxis sed speculatio substantiarum abstractarum. Nec valet si dicas illam speculationem esse finem remotum, proximum verò esse dirigere operantem in finem remotum. Non valet, Quia si Philosophia moralis est practica eo, quod dirigit operantem in actum Virtutis, hoc non est, quia actu dirigit (ut fuit prius dictum) Sed quia est directiva. Ergo est Practica, quia directiva, sed esse directivam et esse practicam est unum ac idem. Ergo sic dicendo sequitur quod Philosophia moralis est Scientia practica, quia est Practica, quae responsio est penitus nulla.

Pars 3tia Quod ab Objecto dicatur Scientia Practica vel speculativa. Probatur à sufficienti enumeratione. Nam primò Scientia dicitur practica vel ab intellectu, vel à praxi quam dirigit, vel à fine praxeos, ut est finis, vel ab Objecto: Sed non dicitur practica ab intellectu, neque à praxi, neque à fine praxeos (ut superius fuit probatum) Ergo ab Objecto. Item secundò ab autoritate Philosophi qui 6to Metaph. cap. 2. et 6to Ethic. Cap. 2 Practicum à Speculativo distinguit penes Objecta. Item tertio Actus Scientiae Practicae causatur ab intellectu et à praemissis: Sed intellectus non est ratio distinguendi, ut est jam dictum: Ergo erunt praemissae, quia conclusio scientifica debet esse ex propriis non ex communibus, cum igitur aliae sint praemissae conclusionis practicae, aliae conclusiones Speculativae, distinctio à priori ex praemissis sumi debebit, praemissae autem non sunt causae originariae istius distinctionis, quia et ipsae Virtualiter includuntur in aliquo priori, tale autem est Subjectum Ergo Causa distinguens practicum à Speculativo erit objectum proprium uniuscujusque Scientiae. V.G. haec Conclusio practica (Ergo Deus est summè diligibilis) deducitur ex his praemissis (Summum Bonum est summè diligibile: Atqui Deus est summum bonum) in quibus Virtualiter continetur. Praemissae immediatè continent Conclusionem ratione medii, quod est Causa Connectens extrema, medium autem ultimatè continetur Virtualiter in Subjecto, in quo etiam Virtualiter continetur Praedicatum, scil. summè diligibile. Quando autem medium est à Subjecto distinctum, cujusmodi est sanitas respectu hominis, quae ponitur finis medicinae, adhuc tamen in hoc casu Objectum est id quod Virtualiter primo et ultimatè continet, non ille finis: Nam in tantum haec vel illa sa-

nitas con-

nitas concluditur de homine, quià homo est tali vel tali temperamento consti
tutus, & in Scientia morali felicitas ponitur finis, sed demonstratur de homine per pro
priam rationem, quia ideò felicitas talis competit homini, quia talem habet animā, unde
subjectum saltem est finis remotus Scientiæ, & ideò ab ipso sumi debent principia, licet, non
in quantum finis, sed ut Objectum. Quæres hoc loco cum ratio practici dicat duplicem
relationem prioritatis, & conformitatis activæ, an utraque relatio ista, an verò una tantum
earum habeatur ab Objecto? Resp. Quod relatio prioritatis non habeatur ab Objecto,
sed ab ordine potentiarum, eo quia Voluntas est regulabilis & posterior intellectū. Altera
autem relatio scil. conformitatis habetur ab Objecto, quia ideò Intellectus rectè dictat
Deum esse summè diligibilem, quia Deus verè in se continet veritatem illius Propositi
onis & rectitudinem illam. Notes duplicem hic esse rectitudinem praxeos eliciendæ,
una est necessaria, altera contingens. Necessaria est tunc, quando independenter à
quacunque Voluntate Objectum natum est terminare aliquam actionem, ut dum dico, De
um esse summè diligibilem, idem patet in illis omnibus, quæ sunt intrinsecè bona vel ma
la, & ideò præcepta, vel prohibita, quia sunt bona vel mala. Contingens verò rectitu
do est, cum scil. Objectum est bonum dependenter ab actu alicujus voluntatis, ut sunt illa,
quæ sunt bona vel mala, quia præcepta vel prohibita V. G. sacrificium missæ in nova lege
est bonum, in veteri lege non erat bonum ex ordinatione divinæ Voluntatis, & in his
ultimis notitia dicitur practica respectu illius Voluntatis, quæ non est determinativa re
ctitudinis, non autem respectu illius, qui determinat rectitudinem & bonitatem Objecti
hæc enim non dependet ab intellectu, tanquam à regula dictante, quia est causa rectitudi
nis Objecti, & prima radix, omnis objectivæ veritatis. Objicies Causæ Efficientes non
distinguunt Effectus specie, nec variant illorum speciem: sed Objecta sunt Causæ effectivæ
actuum, similiter actus habituum. Ergo objecta non variant speciem actuum, atque sic
non dicitur Scientia practica vel speculativa ab objecto. Major à diversis enim Cau
sis specifice distinctis, potest idem Effectus specie provenire, nam calidum idemmet
specie generatur ab igne univocè, à Sole autem æquivocè. Porrò Sol & Ignis sunt
Causæ specie distinctæ, similiter Sol & Homo generant hominem, quia est ejusdē spe
ciei. Resp. Præmissâ hac doctrinâ. Causæ variam habent inter se distinctionem:
Aliæ sunt essentialiter subordinatæ in agendo, ut Sol & Homo. Aliæ non subordinatæ
sed disparatæ, & alterius rationis in causando, cujusmodi sunt Objectum & Intellectus. Item
aliæ sunt Causæ proximæ & immediatæ, ut Homo in generatione hominis: Aliæ re
motæ, ut Sol in productione Equi ab Equo. Deinde Causæ proximæ aliæ sunt Univocæ
ut Homo respectu hominis, Aliæ æquivocæ, ut Sol respectu ranæ vel muscæ. Univocæ
adhuc sunt duplices: Aliæ sunt Univocæ Univocatione completa: Aliæ Univocatione
incompleta. Ad Causā Univocā Univocatione completā duæ conditiones requiruntur.

Prima ut

Ima ut inter causam et effectum sit similitudo in forma. 2da ut etiam sit similitudo in modo Essendi formæ, sicut inter hominem generantem et genitũ est similitudo in forma specifica, et pariter in modo Essendi formæ: Quia quem modum Essendi habet forma in generante, eundem habet forma geniti in genito. Ad Univocationem verò Causæ incompletam, solum requiritur similitudo in forma inter causam et Effectum, sed non similitudo in modo Essendi formæ, sic se habet domus ab extra, et domus in mente artificis, est enim similitudo inter eas in forma, sed non in modo Essendi formæ, quia domus in mente habet modum Essendi spiritualem, domus verò ad extra habet modum in re Essendi materialem. Hoc præmisso dico, quod à Causis subordinatis etiam specie distinctis, benè potest esse idẽ specie Effectus, ut in Exemplis positis patet, sed non à Causis diversis, secundũ specie proximis et Univocis, sive Univocatione perfectâ sive imperfecta, unde homo et ignis necessariò producunt Effectus specie distinctos, et similiter rosa et Equus in mente producunt notitias necessariò specie distinctas, quià sunt Causæ Univocæ alterius rationis. Universaliter itaque verum est, quod quandò Causæ proximæ et Univocæ sive Univocatione perfectâ, sive imperfectâ sunt alterius rationis et speciei, necessariò pariunt Effectus specie distinctos, ac proinde Objecta specie distincta, et ut distincta causantia causant actus necessariò alterius rationis et speciei.

THEOREMA DECIMUMOCTAVUM.

Habitus non dicitur practicus ab actu proprio, tanquam à Causa prima.

Ratio, Quia hujusmodi actus est practicus non à se, sed ab alio scil. ab Objecto. Ergo non potest esse prima causa à qua dicat. habitus practicus. Deinde quod non est de se practicum, non potest esse ratio alteri ut sit practicũ: Atqui actus non est de se practicus, sed ex Objecto. Ergo non potest esse ratio suo habitui, ut sit practicus saltem primo.

THEOREMA DECIMUMNONUM.

Intellectus dicitur practicus denominative ab habitu et actu practicis.

Ratio Quia nihil potest assignari aliud præter actum et habitum à quo possit denominari Intellectus practicus. Quæres hic quid sit intellectum extensione fieri practicum? Resp. Intellectum extensione fieri practicum non est ipsum secundum Entitatem suam et naturam extendi (Quia cum sit incorporeus et spiritualis extendi non potest) sed est [illegible]tum in actum et operationem alterius potentiæ tendere, dirigendo eam, ne in suis deficiat operationibus, et quia in actum alterius potentiæ tendit, ideo dicitur extendi, id est extra se tendere, quia tendit in actus et operationes quæ non sunt sibi propriæ, nec in ipso sed extra ipsum. Ex quo infertur quod quando Intellectus stat præcisè in actibus suis sive Syllogizando, sive dividendo aut componendo non est practicus nec tendit extra se sed in se ipso manet. Ratio, quia ut præcisè stat Intellectus in actibus suis

quibus nullo

qui nullo modo sunt directivi alterius potentiæ in suam Operationem est merè speculativus Ergo præcisè est practicus cum habeat notitiam directivā alterius potentiæ in suam operationem. Antecedens Probatur, Quia per ejusmodi actus non dicitur extendi id est extra se tendere, sed potius per ipsos intra se ipsum manet. Infertur unde Quod quamvis Intellectus per unum actum intelligendi dicatur extendi ad alium, ut puta per notitiam præmissarum ad notitiam Conclusionis) non dicitur rectè practicus, quia manet præcisè in se ipso & non tendit extra se. Si tamen contingat ab Intellectu aliquem actum ad Imperium Voluntatis produci, et si talis actus non fuerit directivus Operationis, tunc commodè potest dici practicus, et Intellectus extendetur ad illum, quia sic Intellectus est quasi à se ipso distinctus prout scil. subjacet Imperio Voluntatis.

THEOREMA Vigesimum.

Practicum et Speculativum sunt Differentiæ immediatè Scientiam in communi dividentes, suntquè Differentiæ Quidditativæ et essentiales, nec possunt etiam virtute Divinâ eidem Scientiæ simul vel successivè convenire.

Practicum et Speculativum dupliciter considerari potest. 1mo Formaliter. 2do Fundamentaliter.

NOTES Practicum et Speculativum dupliciter posse considerari. 1mo Formaliter, et ut à nobis explicatur, quatenus scilic: sunt respectus. 2do modo Fundamentaliter, quatenus accipiuntur pro fundamento talis respectus. PARS 1ma (Quod sint immediatè dividentes) Probatur: Inter Practicum et Speculativum nullum cadit medium. Ergo immediatè dividunt Scientiam. Ans: Quorum unum dicit extensionem ad opus, et aliud non dicit eandem, inter illa non cadit medium (quià extendi et non extendi sunt contradictoria) sed Practicum dicit extensionem ad opus, Speculativū verò dicit carentiam talis extensionis. Ergo inter illa nullum cadit medium. PARS 2da (Quod sint Differentiæ essentiales) Probatur: Nulla Scientia Actualis vel Habitualis potest esse simul vel Successivè practica et Speculativa. Ergo practicum & speculativū sunt Differentiæ essentiales. Ans: probabitur in tertia parte. Conseq. patet: Quià Differentiæ Accidentales possunt virtute Divinâ in eodem Subiecto inveniri. Item quæ faciunt essentialiter differre Species sub aliquo Genere contentas, ~~dicunt~~ sunt essentiales Differentiæ illius Generis: Sed sic est, quod Speculativum & Practicum sunt talia respectū Scientiæ in communi. Ergo sunt Differentiæ essentiales. MINOR: Quià ex quo Speculativa & Practica sunt duæ Species Scientiæ in communi, sequitur quod Scientia in communi sit Genus, et consequenter debet habere differentias, per quas dividatur, & uni speciei competat respectu extensionis ad opus, alteri verò repugnet. PARS 3tia (Quod non possint eidem simul, nec Successivè convenire) Probatur: Quià aliàs sequeretur, quod malè Philosophus distinxisset primâ Divisione Scientiam in Practicam et Speculativam. Conseq. falsum

falsum. Ergo et Ans: Sequela: Quià membra ista non essent opposita, sed Speculativum posset esse Practicum, et è contra Practicum posset esse speculativum, quod est inconveniens, sicut repugnat quod rationale possit esse irrationale, et è contra essentialiter: loquimur enim de Practico et Speculativo essentiali et per se, non de Practico & Speculativo per Accidens, quià quæ sunt per accidens, non habent Locum in Scientiis. Probatur 2do: Nam aut convenirent Scientiæ Actuali, aut Habituali: Neutrum potest dici. Ergo simpliciter non conveniunt. Minor quoad 1mam partem. Non Actualiter: ratio practici & ratio speculativi sunt opposita differentiæ, quæ contradictoriam inferunt oppositionem. Ergo eidem Scientiæ Actuali non possunt convenire. Conseq. Quià aliàs idem Actus tenderet & non tenderet in opus, dirigeret, & non dirigeret. Ans: Nam cognitio practica ex natura sua fertur in objectum, ut operabile est ex se directiva operationis, respicit objectum in ordine ad existentiam. Speculativa verò ex propria natura respicit objectum in se, non in ordine ad opus, neq̃ est directiva operis, et præscindit ab existentia. Ergo. Ans: Quæ enim conveniunt actui ratione objecti Formalis, competunt illi essentialiter (nam Actus ab objectis specificantur) Atqui illa enumerata supra conveniunt Actibus ex objectis propriis formalibus, esse enim practicabile est ratio formalis constituens Scientiam practicam, sicut Speculabile constituit Speculativam: unde diversæ passiones omninò demonstrantur de quolibet per diversa media & principia. Et si ab illis auferatur ratio speculabilis vel operabilis, non amplius remanent objecta practica aut Speculativa Scientiæ. Nec valet si dicas tantum hanc probationem concludere non posse dari Actum formaliter practicum & Speculativum, non tamen eminenter, non valet, quia quælibet cognitio, vel fertur in objectum in ordine ad opus, & sic est formaliter practica, vel in ordine ad se, & sic est formaliter Speculativa. Et ut non potest dari objectum, quod sit considerabile ab intellectu, sed nullo modo ex his; ità non potest dari cognitio quæ non sit practica Formaliter, vel Speculativa. Minor quoad 2dam partem, scilic: quod non conveniant Scientiæ habituali: Probatur: Scientia habitualis est duplex. Alia partialis; Alia Totalis: Sed neutri harum potest convenire simul vel successivè ratio practici et Speculativi. Ergo. Minor: Non partiali, quià cum Actus specie diversi generent habitus

habitus specie distinctos, nec possit idem habitus concurrere ad actus specificè distinctos, sequitur, quod sicut actus practicus & speculativus differunt specie: ita et habitus ipsis correspon-dentes, et per consequens ratio practici et speculativi, non possunt convenire simul scien-tiæ habituali partiali. Non etiam totali, quia scientia totalis dicitur una ex unitate habitus alicujus quidditatis, ut includentis, seu virtualiter, seu potentialiter veritates demonstrabiles de eo, cujus est quidditas, et de inferioribus sub eo contentis, ita ut om-nia considerata in totali scientia conveniant in una ratione formali considerandi, vel genericâ vel specificâ. Sed non potest dari una cognitio alicujus quidditatis quæ respiciat illam sub ratione practicabilis & speculabilis simul, vel sub ratione aliqua præ-scindente. Ergo neque habitus similis poterit dari, ex cujus unitate sumatur unitas to-talis scientiæ. Præterea unitas scientiæ totalis pendet ex unitate principi-orum. Ergo qua scientia una totalis est simul practica & speculativa, illa debet habere etiam principia simul practica & speculativa: Atqui non possunt dari prin-cipia, quæ sint communia scientiæ practicæ & speculativæ, sed omnino sunt di-versa: Ergo scientia totalis non potest esse simul practica & speculativa. Mi-nor: Nam cognitio principiorum, à quibus pendet scientia speculativa est habitus, qui appellatur intellectus seu intelligentia; cognitio verò principiorum, à quibus pendet scien-tia practica est habitus, qui vocatur synderesis. Porrò intelligentia non est synderesis, sed sunt inter se distincta. Ergo et principia eorum.

OBIECTIONES ET SOLUTIONES EARUNDEM.

OBIECTIO Ima (Quod practicum non sit differentia immediatè dividens sci-entiam cum speculativo) probatur. Quia aliàs sequeretur quod practicum ita speciem sci-entiæ constitueret unam, sicut constituit speculativum. Conseq. falsum. Ergo et Ans. Sequela clara. Nam differentia dividit genus, et constituit speciem. Falsitas probatur: Quia cognitio practica non potest dici scientia. Ergo. Ans: Nam Philosophus 1 Metaphys. cap. 2. ad scientiam requirit ut sit gratiâ sui, et de antiquis Philosophis dicit, quod causa cognos-cendi et nullius usus gratiâ ipsum scire prosequebantur. Atqui cognitio practica non est gratiâ sui; sed gratiâ alterius. Ergo cognitio practica non potest dici scientia. Ideo neg. falsitatem, deinde Ans: Ad authoritatem verò Philosophi dico, quod eo loco Aristoteles doceat solum scientiam speculativam, quæ est gratiâ sui, esse nobiliorem et perfectiorem

perfectiorem Practicã, quæ est gratiã alterius, non tamen negat, quod Practica non sit Scientia, imò hanc Divisionem supponit tanquam veram, et propter hoc ipsum commendat veteres Philosophos. Sed Instabis 1. Aristoteles 2 metaphysicor. 3. docet quod Scientia Practica consideret causam non per se. Ergo considerat causam per accidens: Sed Scientia propriè dicta per se cognoscit rem per causam. Ergo cognitio Practica non potest dici Scientia. Respondeo Quod Aristoteles ibidem dicat clarè, non per se, sed ad aliquid, undè non sumit ibi (per se) ut opponitur Lÿ (per accidens) sed ut opponitur Lÿ (ad aliud.) Et in hoc sensu Scientia practica non considerat causam per se, id est propter se, et propter cognoscendum, sed considerat ad aliquid, nempe ad operandum, quod non est contra rationem Scientiæ. Sic etiam idem Philosophus 1 moral. cap. 4 cùm doceat Scientiam moralem ordinari ad operandum, simul docet quod debeat reddere rationes rerum, quas docet, et non solum intelligere Quid, sed etiam propter Quid. Et 1 Met. cap. 1 in hoc distinguit Artem, quo nomine intelligit etiam Scientiam Practicam ab Experientia, quod sciat causam, et propter quid res sit. Instabis 2: Aristoteles docet Scientiam esse debere de objecto necessario et incorruptibili, ut patet ex Poster. Scientia quæ non est propter se ipsam, sed ordinatur ad opus, necessariò est de objecto operabili. Porrò quod est operabile, illud non potest dici necessarium et incorruptibile. Ergo Cognitio Practica non potest dici Scientia. Respondeo Etiam inter objecta Speculabilia quam plurima esse corruptibilia, et tamen de illis secundum Philosophum, et omnes alios datur Scientia, ut patet ex Physica: Ergo de his omnibus dicendum est, etiam in rebus operabilibus et corruptibilibus inveniri veritates necessarias, et immutabiles quæ spectant ad rei essentiam, et de istis dari Scientiam non repugnat, istiusmodi autem sunt etiam regulæ practicæ, quæ de modo benè operandi traduntur. Instabis 3: Philosophus 6 Ethicorum ab initio distinguit duplicem Animæ partem. Unam Contemplativam. Alteram Operativam. Deindè in parte contemplativa constituit tres habitus intellectuales, scilic: Scientiam, Intellectum seu intelligentiam et Sapientiam

in parte

in parte operativa duos, nempe Artem, quam dicit esse Factivam, et prudentiam, quam dicit esse Activam. Docet etiam Artem et Prudentiam esse circa ea, quae possunt aliter atque aliter operari, et per hoc distinguit illas a Scientia. Ergo Aristoteles designat Scientiam tantum, quae est Speculativa, et quae non est circa Objectum aliter atque aliter operabile, cognitionem autem practicam vocat Artem et Prudentiam, ut alioquin non apparet, quomodo haec duplex alia virtus à Scientia distinguatur. Nam non tam Ars, quam prudentia debet esse cognitio certa et infallibilis cum sint virtutes intellectuales, et distinguantur ab opinione. Ergo Non aliter distinguunt à Scientia, nisi quia Scientia est gratiâ sui, Ars verò et prudentia gratiâ operis. Rdet Quod Aristoteles partem contemplativam Animae appellet illam, quae considerat res in universali: Operativam verò, quae considerat res in singulari, et per hoc distinguit Artem atque Prudentiam à Scientia, quia <u>Scientia est circa universalia: Ars verò et Prudentia circa singularia</u>. Et hoc modo tam Philosophi, quam etiam Theologi solent distingere ‡ contemplativam, quia operationes immediatè sunt circa singularia, et cognitio singularium est immediatè et proximè operativa. Consideratio autem universalium magis mediatè et remotè confert et ordinat ad operandum. OBIECTIO 2DA (Quod Practicum et Speculativum non sint Differentiae essentiales Scientiae) Probatur: Quia Affirmatio et Negatio non sunt Differentiae essentiales alicujus positivi: Sed Practicum et Speculativum habent se ut Affirmatio et Negatio (quia Practicum dicit extensionem ad opus: Speculativum verò dicit carentiam hujus extensionis) Ergo. Rtur: Per Distinctionem: Practicum et Speculativum primo modo sumptum scilicet: Formaliter habent se velut Affirmatio et Negatio, neque sunt Differentiae essentiales Scientiae, in communi concedo. At verò secundo modo sumptum scil: fundamentaliter, benè possunt esse Differentiae essentiales. OBIECTIO 3TIA (Quod una et eadem Scientia sit simul Practica et Speculativa) Probatur: Potest reperiri aliqua Scientia, quae simul contineat aliquos duos habitus distinctos, nec tamen sit aliquis illorum, sed distinctus ab illis, sicut medius color continet utrumque extremum colorem, et tamen ab utroque distinguitur. Ergo potest dari Scientia, quae simul contineat

‡ distinguere, Ideò autem Philosophus partem Animae, quae considerat universalia appellavit contemplativam, quia etc. cognitio

cognitionem practicam et Speculativam, et tamen ab utraq; Specificè distinguatur,
et sic, neque erit praecisè Practica, neque praecisè Speculativa, sed simul practica
et Speculativa. Ans: probatur: Philosophus 6 Ethicorum ponit Sapientiam habitum
Specificè distinctum ab aliis Habitibus intellectualibus, et tamen continentem in
se cognitionem Principiorum scilic: Intelligentiam, et ipsam Scientiam, unde in-
quit oportet Sapientem, non solum quae ex Principiis Scire; sed et circa Principia ve-
rum dicere, Sapientia ergo continet simul intellectum et Scientiam. Ergo simul
est intellectus et Scientia. RESPONDEO Esse impossibile dari unum Habitum qui si-
mul contineat Practicum et Speculativum essentialiter. Ad Exemplum de colore
medio Rdeo Falsum esse colorem medium continere in se extrema contraria, nam
color medius v.g. Viriditas, Rubedo etc. est ita simplex sicut Albedo et Nigredo. Di-
citur verò medius, quia partim convenit cum uno extremo, et partim cum alio. Dic
etiam est impossibile quod idem Habitus et Scientia contineat simul Practicum & Spec-
ulativum, et eo magis, quia Practicum et Speculativum opponunt contradictoriè
et rationes Positivae, super quas fundat Practicum & Speculativum, quae oriunt ex
diversitate objectorum, ita opponunt, quod respectus extensionis, qui convenit uni
repugnat alteri, sicut paritas, quae convenit binario, repugnat contradictoriè ter-
nario, unde ejus proprietas explicatur per impar, quae est carentia paritatis. Ad Phi-
losophum Dico quod non sit par Ratio de Sapientia continente habitum intelligen-
tiae et Scientiae, et de Scientia continente Practicum et Speculativum, quia
Intellectus & Scientia sunt Habitus positivi oppositi disparatè, et non contradicto-
riè, suntq; omnes ~~ejusdem~~ ejusdem Generis & Rationis, quia omnes sunt Speculati-
vi: At Practicum et Speculativum non sunt ejusdem Rationis, sed opposita, ideò im-
possibile est ut unus & idem habitus sit simul Practicus et Speculativus. Porrò istae rationes
ita sunt incompossibiles, ut nec virtute Divina possint simul concurrere; Tum quia
DEUS non potest essentias rerum immutare, non enim potest fieri, ut homo non sit
Animal rationale, vel ut Homo sit irrationalis: Tum etiam quia ad hoc, ut talis fiat
mutatio in Actu vel Habitu, deberet etiam mutari ipsum objectum, aliter non esset
major

major ratio cur antea erat Speculativus Actus, et modo est Practicus, jam verò ad mutationem objecti Actus quo ad Entitatem mutatur. Sed Instabis 1mo: Utique idem intellectus potest esse simul practicus et Speculativus. Ergo Actus et Habitus itidem poterunt. R. Ideo Neg. Conseq. Nam etiam idem intellectus potest esse simul Scientificus, opinativus et erroneus, et tamen propterea nemo potest dicere, quod idem Actus vel Habitus sit simul Scientia, opinio et error. Ratio autem istius est, quia ista Differentia (esse Practicum) et (esse Speculativum) accidentaliter conveniunt intellectui, et inadaequatè propter sui illimitationem: At verò Actibus et Habitibus essentialiter competunt, quia sumuntur ex propriis objectis formalibus. Instabis 2do: Potest dari una Scientia totalis omnium rerum ut supra diximus. Ergo illa nec erit Practica tantum, nec Speculativa tantum, sed simul utrumque Formaliter. R. Ideo Posse juxta nos dari Scientiam unam de omnibus rebus, si sermo sit de Scientiis Speculativis, non verò de Scientia in communi. Licet enim per praecisionem detur Scientia tanquam Genus praescindens à Differentiis istis (Practicum et Speculativum) non tamen à parte rei datur haec Scientia à suis inferioribus Speciebus separata, sed semper manet in eis contenta, et ipsis realiter identificata. Instabis 3tio Practicum & Speculativum non sunt opposita differentiae. Ergo possunt eidem Scientiae convenire, et per consequens una Scientia potest esse simul practica & Speculativa. Ans: Unum oppositorum non concurrit ad constitutionem alterius oppositi. v.g. Amarum non concurrit ad constitutionem dulce. Atqui Habitus Speculativus concurrit ad directionem, quae fit à practico. Ergo Practicum et Speculativum non sunt opposita. Minor: Metaphysicus enim habitus est Speculativus, et ostendit Deum esse summum bonum, Primum Ens, Infinitum etc. quae omnia juvant ad dirigendam et excitandam voluntatem in Dei Amorem. Physica quoque considerat naturam Animae et passionem ejus, herbarum et corporis humani, quae cognitiones inserviunt morali et Medicinae, imò sunt principia, quibus Medicus suas conclusiones Practicas demonstrat. Respondeo: Per hanc Instantiam solum concludi quod Habitus Speculativus sit virtualiter tantum, non verò Formaliter Practicus, quod quidem minimè repugnat; nam sicut nullum est inconveniens Aquam esse Formaliter calidam, & tamen simul virtualiter frigidam, similiter vinum Formaliter esse frigidum, et virtualiter calidum, ita quoque unum eundemque Habitum esse Formaliter Speculativum et virtualiter Practicum,

nulla

nulla est repugnantia, tum, quia non est causa adæquata Actus Practici. Nam ad inferendā conclusionem practicam, requiruntur duæ præmissæ, quarum una est ostensiva bonitatis in objecto. Altera verò est directiva in generali, ut patet in hoc exemplo: Summum bonum est summè diligendum: Sed DEUS Gloriosus est Summum bonum. Ergo DEUS GLORIOSUS est summè diligendus. In hoc Syllogismo, major præmissa est directiva, et Regulativa in generali, et remotè, et ~~non~~ Formaliter Practica. Minor Autem est in se Speculativa Formaliter, et ut in tali Syllogismo ponitur, est Virtualiter Practica. &c.

CONTROVERSIA TERTIA.

DE COGNOSCIBILIBUS AB HOMINE.

Ipsa rei natura requirere videtur, ut hanc controversiam præcedenti immediatè adjungamus: Siquidem Scientiam absque eo, cujus est Scientia, Scilicet absque objecto, non est possibile dari. Quanquam hoc Loco non in tam rigorosâ acceptione, ut in Superiore controversia sumimus Scientiam, extendimus enim ipsam ad alias quoque cognitiones determinando, per Theoremata, quænam pro hoc statu ab Homine cognoscantur, unde sit in NOMINE SALVATORIS:

Per Substantias Abstractas intelligitur Prima Intelligentia, nimirū ipse DEUS gloriosus.

THEOREMA PRIMUM.

Substantiæ Abstractæ possunt à nobis pro hoc statu cognosci quidditativè, licet non secundum omnes conceptus proprios.

Notandum 1mum Dictum 1mum Per Substantias Abstractas intelligitur prima intelligentia et causa rerum, nimirum DEUS ipse Gloriosus, tum et aliæ intelligentiæ quas Angelos appellamus. Dictum 2dum: Per statum præsentem intelligitur Tempus istud, quo homo vivit à nativitate ad mortem, dum Scilicet Anima ipsius atque intellectus est conjunctus corpori. Dictum 3tium Circa hanc Difficultatem tres sunt opiniones. 1ma Est Angelici Doctoris, qui tenet partem negativam, docens, quod intellectus conjunctus corpori, non possit cognoscere quidditativè abstractivā cognitione substantias immateriales. 2da Est Averrois, qui sustinet partem affirmativam, quod Scilicet intellectus in hac vita possit cognoscere Substantias Abstractas, etiam DEUM ipsum quidditativè et perfectè cognitione intuitivā. 3tia est media Subtilis Doctoris, qui tenet, quod intellectus noster pro statu isto possit quidem habere et percipere aliquod prædicatum quidditati-

quidditatium de Substantiis Abstractis, non tamen quod illas perfectè, quo ad omnes conceptus quidditativos et competentes ipsis in primo modo dicendi per se percipere valeat. Notandū 2dum Dictum 1mum: Ad videndum quomodo Substantiæ separatæ à nobis cognoscant, sciendum est, quod sint 6 gradus cognitionis sensitivæ quibus alii 6 cognitionis intellectivæ correspondent. Dictum 2dum: Primus gradus cognitionis sensitivæ est cognitio intuitiva, quâ sensus respicit objectum per se, ut præsens est. v. g. cum visus videt colorem. 2dus gradus est cognitio Abstractiva quæ est per speciem, non autem est intuitiva objecti; sed potest esse in absentia objecti v. g. cum Phantasia imaginatur colorem jam visum Romæ, vel Venetiis, et cujus species mansit in Phantasia. 3tius gradus est cognitio rei per Accidens, opposita ~~secundo~~ primo modo cognitionis per se. v. g. cum visus videt tenebras, cognoscit enim objectum per cognitionem sui oppositi privativi. 4tus gradus est cognitio rei per Accidens, opposita secundo modo cognitionis per se. v. g. cum Phantasia imaginatur tenebras. 4tus est cognitio objecti oppositi objecto secunda cognitionis per se. v. g. etc. 5tus gradus est cognitio per compositionem diversorum sensibilium v. g. cum Phantasia imaginatur montem aureum. 6tus gradus est cognitio ~~est cognitio~~ alicujus per Accidens, puta, cum aliquid cognoscitur per id, quod ei accidit. v. g. cum homo videt per figuram et colorem, et alia accidentia quæ ipsi accidunt. Dictum 3tium: Similiter etiam correspondenter dicunt 6 gradus cognitionis intellectivæ. 1 gradus est cognitio intuitiva, quæ appellatur visio, quæ est de objecto præsente, ut præsens est in sua existentia, et talem cognitionem beati habent in cœlo, qui facie ad faciem vident DEUM, ut sunt ipsimet cogniti. 2 gradus est cognitio abstractiva, quæ est cognitio objecti præsentis, non in suâ existentiâ, sed in specie intelligibili à se producta. v. g. cum intelligit rosa abstractè. 3 est cognitio objecti, per cognitionem objecti oppositi primo modo. v. g. cum intelligo aliquod objectum oppositum formaliter vel privativè, intuitivè viso, ut cum intelligo objectum non visum intuitivè. 4 est cognitio objecti oppositi objecto 2do modo, ut cum intelligo non rosam abstractivè cognitam, sive non speciem rosæ. 5 gradus est cognitio alicujus ex conceptibus aggregatis, ut cum intelligo aliquid esse Ens infinitum, necessarium, sempiternum, simplex etc. 6 gradus est cognitio alicujus per accidentia, quæ illi accidunt, et talis est cognitio substantiæ per species accidentium. Dictū ~~[illegible]~~ 4tum quidditas Substantiarum Abstractarum, non intelligitur 1mo, aut 2do, aut 3tio, aut 4to modo,

sed

sed quinto scilic: in conceptu aggregato, et aliqualiter sexto modo scilic. per suos effectus. Substantiæ enim abstractæ, præcipuè prima cognoscuntur per hoc, quod multa apprehensa simul concipiuntur, quæ omnia nulli alii conveniunt, cujusmodi est iste conceptus aggregatus de DEO, quod est Ens infinitum, summè bonum, simplex, necessarium etc. quæ omnia nulli conveniunt simul accepta, nisi ipsi DEO. Notandum 3tium Dictum 1mum: Conceptus proprii Dei sunt duplices. Alii, qui vocantur conceptus proprii, non desumpti ex communibus, ut sunt isti, quod Deus sit Trinus in Personis, quod sit justificans etc. Alii qui dicuntur proprii DEO, sed desumpti ex communibus, ut sunt, quod Deus sit Ens infinitum, optimum, Felicissimum, Sapientissimum, simpliciter necessarium, Actus purus etc. Isti enim conceptus desumuntur ex conceptibus qui sunt communes etiam ipsis creaturis, licet illis in hâc summâ perfectione non competant, et proindè dicuntur proprii DEO, quià in hâc supremâ excellentiâ spectati soli DEO conveniunt. Dictum 2dum: Ad conceptus proprios DEO desumptos ex communibus potest homo juxta nostrã sententiam naturaliter pervenire, id est, potest absquè Revelatione cognoscere Deum esse Ens infinitum, optimum, Actum purum, Finem ultimum, Primam causam etc. At verò ad conceptus proprios non desumptos ex communibus, nequaquam etiam secundum nos potest homo naturaliter pervenire, nunquam enim cognovisset homo Deum esse Trinum in Personis, nisi illi esset Divinitus revelatum. Dictum 3tium: Istud prædicatum (Ens) inest DEO quidditativè in primo modo dicendi, per se, et quidditativè prædicatur de ipso, licet autem sit conceptus quidditativus, non est tamen proprius, ita ut soli DEO competat; sed est illi, et creaturis communis, quià omnis creatura est Ens, et Ens univocè de creatura et De DEO prædicatur. Alii verò conceptus, quos naturaliter de DEO habemus, non sunt ita sicut ipsum Ens quidditativi; sed sunt quasi quædam proprietates ipsius Dei.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS 1ma (Quod possint cognosci quidditativè) Probatur 1mo: Illius cognitionem homo pro hoc statu potest habere, ad quod cognoscendum habet naturale desiderium pro hoc statu (quià desiderium naturale non est ad impossibile, aliàs enim esset frustra) sed ad cognoscendum Deum et alias intelligentias, habet homo pro hoc statu naturale desiderium. Ergo homo potest habere cognitionem substantiarum abstractarũ scil: Dei & intelligentiarum, et per consequens Substantiæ Abstractæ possũt à nobis etc. Minor: Scientiam de DEO et aliis intelligentiis maximè homo pro hoc statu desiderat. Ergo. Ans: Scientiam de maximè scibilibus

scibilibus maximè homo desiderat: Sed maxima scibilia non sunt alia, nisi DEUS gloriosus et Substantiæ abstractæ (quia DEO et Angelis, nihil datur majus, dignius, Nobilius aut perfectius) Ergo Scientiam de DEO et aliis intelligentiis maximè homo desiderat. Major: Omnes Homines naturaliter scire desiderant juxta Philosophum I. Met. Ergo maximam Scientiam maximè desiderant (Hæc consequentia patet, quia ut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, et maxime ad maximè) Sed Scientia maxima est ea, quæ habetur de maximis scibilibus. Ergo Scientiam de maximis scibilibus homo maximè desiderat. Probatur 2do: Si Intellectus conjunctus pro hoc statu non posset intelligere Substantias abstractas, et DEUM ipsum, sequeretur quod neque separatus posset eas cognoscere. Conseq. falsum. Ergo et Ans: Consequentia: Quia potentia improportionabilis per se alicui objecto, non potest per aliquem habitum sibi supervenientem cognoscere illud objectum. Ergo. Ans: Quia omnis habitus, qui ponitur in aliquâ Potentiâ, ponitur in illa ut sit Principium elicitivum Actus, ideò talis habitus, vel debet respicere objectum adæquatum illius Potentiæ, vel aliquam partem ipsius. Nullus autem Habitus, qui respicit aliud objectum omninò improportionatum potentiæ, potest poni in potentia ad hoc, ut sit principium Actus circa objectum ipsius potentiæ. Exemplum. Potentia visiva habet pro objecto adæquato colorem, et jam non potest poni in ea habitus, qui habet pro objecto sonum, ad hoc, ut sit principium proximum elicitivum visionis circa colorem, qui talis habitus est omninò improportionatus objecto illius potentiæ visivæ: ita ad propositum, si potentia intellectiva est omninò improportionata, illi objecto, scilicet: Substantiis abstractis, jam non poterit per habitum proportionatum illis Substantiis, tanquam per principium proximum elicere Actum cognitionis circa illas Substantias, quia potentia est omninò illi objecto improportionata, et consequenter habitus ille supernaturalis non est conveniens ratio, quâ mediante possit potentia illud objectum attingere. Probatur 3tio: Philosophus dicit 2 Metaphys. cap. ult. quod circa simplicia non possimus decipi, quia vel tota attinguntur, et est Scientia, vel tota ignorantur, et est ignorantia: Sed de DEO, qui est ens simplicissimum cognovit Philosophus aliquas propositiones (v. g. quod intelligat seipsum, quod sit sua vita, suum intelligere, Ens infinitum etc.) Ergo potest intelligere, et de facto intellexit Substantias abstractas Philosophus. DICES: DEUM cognosci in quodam conceptu universali et communi, non autem in conceptu proprio. CONTRA

Concep.

Conceptus ~~[illegible]~~, quos Philosophus concepit de DEO et intellexit competunt soli DEO, ut quod sit Actus purus, summè necesse esse, Finis omnium, Actus purus, vita sua, intelligere suum etc. isti sunt conceptus, qui solum competunt Substantiæ primæ abstractæ. Ergo non sunt communes, nec universales, sed proprii et quidditativi, nam quod soli Substantiæ Abstractæ competit, illud non est commune. Probatur 4to: Intellectus noster cognoscit ultimum finem, qui est DEUS. Ergo Substantiæ abstractæ etc. Ans: Quià Philosophus 2 Lib. Metaphys. probat, quod in finibus non detur processus in infinitum hâc ratione, quià si fines essent infiniti, jam nullum esset Agens per intellectum: At consequentia istad valeret: Si Agens per cognitionem non cognosceret ultimum finem, quià adversarius posset dicere, sufficere quod cognoscat proximum finem, quià potest in illum tendere, et sic non valeret consequentia, quod non daretur ullum Agens per cognitionem. Confirmatur: Philosophus supponit, quod intellectus noster cognoscat proximas causas pro hoc statu: quià Lib. 2. Metaphys. t. 13. sic arguit. Si causæ essent infinitæ, nihil esset cognoscere. Et eandem consequentiam facit 1 Physic. t. 35. contra Anaxagoram. At hæc consequentia non valet, nisi necessarium sit ad cognitionem cujuscunque rei cognoscere omnes causas illius. Ergo si non contingit cognoscere primam causam, quæ est maximè causa cujuslibet effectus, nullum effectum cognosceremus, quià non possemus cognoscere omnem causam cujuscunque rei. Dices Quod Agens per intellectum cognoscat ultimum finem et primam causam in universali, ratione summi boni, hoc autem non est cognoscere illum quidditativè, et quo ad, quod quid est. ~~Dei [illegible]~~ CONTRA Licet esse ultimum finem et primam causam sint prædicata universalia, tamen per se primo competunt ipsi Deo et primæ Substantiæ. Ergo sunt conceptus quidditativi, et pertinentes ad quod quid est Dei. Ans: Quià, si non essent prædicata quidditativa et per se, sequeretur, quod essent prædicata accidentalia, hoc autem est falsum, quià cum hæc prædicata sint principalia competentia, si essent Accidentalia, sequeretur quod tota cognitio quam habet Philosophus de Deo esset accidentalis, ut quod est Actus purus carens potentiâ etc, quod nemo admittit. Dices 2 Omnes superiores probationes concludere quod cognoscamus de Substantiis abstractis, quod non sint, non autem quod sint, id est, quod cognoscamus eas negativè, sicut cognosco hominem, dum dico et intelligo ipsum non esse lapidem, non esse bovem, non esse Elementum

Elementum etc. non autem Affirmativè, sicut cognosco hominem, dum intelligo quod sit Animal, quod sit rationalis, substantia, vivens etc: ita etiam cognoscimus substantias abstractas, quod scilic: non sint res istæ materiales, quæ cognitio est negativa, non positiva aut quidditativa. CONTRA In omni propositione negativa est aliqua propositio affirmativa præcedens Negativam, quia omnis proportio negativa præsupponit priorem affirmativam (ut ait Philosophus 2 Perihermenias cap. ult.) v. g. ista propositio Negativa (Bonum non est malum) est vera, ideò, quia ista est vera præcedens ipsam (Bonum est bonum) Ergo ad propositum, si de Substantiis abstractis potest haberi aliqua cognitio vera Negativa, necesse est, quod aliqua prior Affirmativa habeatur, super quam negativæ propositionis veritas fundetur, atque sic non solum negativè; sed etiam Affirmativè, non solum quod non sint; sed etiam quod sint substantiæ abstractæ cognoscantur. PARS 2DA (Quod intuitivè et per Essentiam non possint cognosci) Probatur. Quia si sic, sequeretur, quod quispiam posset experientiâ cognoscere se habere talem cognitionem intuitivam. Conseq. Falsum. Ergo et Ans: Item 2 Intellectus noster ita se habet ad substantias abstractas, sicut oculus nycticoracis ad lumen solis. Ergo tantum abest ut perfectissimam cognitionem intuitivam de DEO habere possimus, ut etiam abstractiva, quam habemus sit imperfectissima. Item 3tio: Objectum intellectus nostri pro hoc statu non est Ens ut Ens; sed quidditas rei sensibilis, licet Ens sit objectum adæquatum intellectus ex natura potentiæ. Atqui potentia non potest ferri ultra objectum suum. Ergo Intellectus noster non potest ferri ultra objectum suum. Ergo Intellectus noster non potest intelligere, nisi res sensibiles, vel quæ ex sensibilibus possunt cognosci. Ergo intellectus intuitivè non potest ferri in substantias abstractas, sed solum abstractivè et per res sensibiles. Confirmatur: Omnis nostra cognitio fit per phantasmata et sensibilia. Ergo nunquam sine phantasmate intelligimus, alias natura et modus cognoscendi intellectus nostri variaretur, quod est inconveniens, quia non variatur operatio, nisi varietur essentia, vel organum potentiæ operantis. Ergo Nihil potest intelligere per essentiam. Ergo multo minus substantias abstractas, imò cum illas intelligit, tantummodo per phantasmata rerum sensibilium in universali, et modo obscuro eas intelligit.

OBIECTIO

OBIECTIONES ET SOLUTIONES.

OBIECTIO PRIMA (Quod non possint cognosci Substantiae) Probatur: Si homo posset naturaliter cognoscere Substantias Abstractas. Ergo posset naturaliter attingere beatitudinem. Consequens falsum, ut ipsa docet experientia. Ergo et ant. Conseq. patet ex Philosopho, qui in Eth. docet felicitatem in speculatione Substantiarum abstractarum consistere. Rdeo dupliciter. 1 Philosophicè, et sic Neg. Falsitatem, quia Philosophi ut Aristoteles posuit felicitatem Speculativam seu Speculationem beatitudinem in abstractiva Substantiarum abstractarum ad quam possumus pervenire pro statu isto. 2 Theologicè, et sic Neg. conseq. Quia beatitudo consistit in cognitione DEI intuitiva & clara, quam sic non possumus habere. Sed INSTABIS

Beatitudo consistit in cognitione DEI intuitiva.

1mo Quod etiam isto modo, quo Theologi ponunt in nobis beatitudinem possimus esse beati, si est verum, quod Substantias abstractas pro hoc statu cognoscamus. Nam cognitio nostra pro hoc statu, et cognitio in patria, quae est intuitiva, est cognitio ejusdem speciei. Si ergo cognitio utraque est ejusdem speciei, tunc si illa est beatifica, scilic. in patria. Ergo et ista pro hoc statu solum differrent quoad magis & minus, sed hoc minimè obest, quia et beati in patria alii magis, alii minus clarè DEUM videbunt. Licet ergo pro hoc statu non possimus ita clarè DEUM cognoscere, tamen possemus illum intelligere, et sic sequitur non posse esse beatos pro hoc statu beatitudine Theologica. Rdeo Falsum esse cognitionem, quam de DEO habemus nunc esse ejusdem speciei, cum illa, quae est in patria. Ad Probationem dico, quod non sufficit ad unitatem specificam Actionis unitas potentiae et objecti, potest enim oriri differentia ex multiplicis causis, praesertim in proposito orit ex lumine & medio, quia cognitio beatifica est intuitiva, id est sine specie, sed immediatè per objectum ipsum, et rursus per lumen gloriae, haec autem quam nunc habemus est cognitio abstractiva, et per speciem intelligibilem, ideò differt specie haec ab illa, atque sic non valet consequentia. INSTABIS 2do Plus distat intelligibile increatum ab intellectu creato, quàm intelligibile creatum à sensu. Sed intelligibile creatum non potest apprehendi à sensu. Ergo Nec intelligibile increatum

increatum ab intellectu creato. Confirmatur ex 2 metaphys. <u>Sicut se habet oculus nycticoracis seu vespertilionis ad Lumen Solis, ita intellectus noster ad ea, quae sunt naturae manifestissimae</u>, scilic. ad Substantias abstractas, quia ista sunt manifestissima objecta ipsi naturae. Sed 1mum est impossibile. Ergo et 2dum. R. deo Majorem duobus modis posse intelligi. Uno modo quoad Entitatem, alio modo quoad intelligibilitatem. Licet ergo Ens infinitum magis distet ab intellectu creato, quoad Entitatem, quam intelligibile creatum à sensu, tamen quoad cognoscibilitatem seu intelligibilitatem minus distat ab illo, quam intelligibile creatum à sensu, et magis est proportionatum intellectui creato Ens increatum quam intelligibile sensui, quia Ens infinitum continetur sub Ente, quod est objectum intellectus nostri adaequatum ex natura potentiae. At verò intelligibile non continetur sub objecto adaequato sensus, qui pro objecto habet Ens sensibile, non verò intelligibile. <u>Ad Confirmationem</u> dico. Per illam Authoritatem Philosophi solum ostendi difficultatem, non impossibilitatem, et valet de cognitione intuitiva, non autem abstractivâ. Item de Abstractivâ perfectissimè quidditativa, non de cognitione quidditativa quoad aliquos conceptus proprios ex communibus desumptos. <u>Instabis 3tio</u>: Potentia passiva non se extendit ad plura, quam potentia Activa sibi correspondens. Sed potentia Activa intellectus, quae est intellectus Agens, non se extendit ad alia, nisi ad ipsa phantasmata et sensibilia. Ergo Nec intellectus possibilis, qui est potentia passiva ipsi correspondens. Confir. Quia nihil potest intelligi à potentia, quod non continetur sub ejus objecto adaequato: Sed objectum adaequatum intellectus nostri pro hoc statu est quidditas rei materialis: Substantiae autem abstractae non continentur sub quidditate rei materialis, cum sint immateriales. Ergo. <u>Minor</u>: Quia objectum debet proportionari potentiae, nec debet eam excedere in modo essendi. Atqui intellectus habet esse in materia, scilicet in corpore cujus est Forma. Ergo ejus objectum debet esse quidditas in materiâ existens. R. deo: Licet major sit falsa absolutè, quia major est capacitas intellectus, vel Animae Rationalis, quam ejus Activitas: undè multa intelligit supernaturaliter sibi revelata, quae viribus intellectus Agentis non potest attingere, tamen concessâ istâ majore, neg. minorem: Quia

Quia intellectus Agens abstrahit à Sensibilibus phantasmatibus, et per ista deducit intellectum possibilem ad cognitionem substantiarum abstractarum quoad conceptum Entis proprium, in quo abstractae Substantiae cum his Sensibilibus conveniunt univocè, et quoad conceptus alios proprios, qui desumuntur ex communibus ex iisdem Sensibilibus. Ad Confirmationem Neg. minorem, deindè majorem. Falsum enim est, quod objectum debeat proportionari potentiae secundum modum essendi, alias intellectus Angelicus deberet esse materialis, quia intelligit Substantias materiales. Similiter oculus deberet esse incorruptibilis, quia videt Solem incorruptibilem: requiritur itaque proportio inter objectum & potentiam non in modo essendi, sed motivi ad mobile, quae potius requirit dissimilitudinem in modo essendi. Nec valet si INSTES Saltem de DEO nos non posse habere conceptum quidditativum et proprium, eo, quia finiti ad infinitum nulla est proportio, jam verò noster intellectus est finitus, DEUS autem infinitus. Ergo. Non valet inquam, quia licet nulla sit proportio (ut dictum est) in Entitate finiti ad infinitum, tamen est proportio cognoscentis ad cognoscibile, quae potius requirit dissimilitudinem in entitate, quam commensurationem, quia proportio cognoscentis ad cognoscibile, est proportio moventis ad mobile, quae omninò requirit diversitatem in Essendo, ut patet de Angelo, qui intelligit res sensibiles et materiales, cùm tamen modum essendi habeat diversum à materialibus rebus. OBJECTIO SECUNDA (Quod possint cognosci intuitivè) Probatur: Formae quae existunt in materia sensibili, ut à nobis intelligantur, necesse est illas à materia abstrahere. Ergo quae ex natura suâ non existunt in materia sensibili, imò neque intelligibili, nullâ omninò abstractione indigent. Ergo Non solum possunt cognosci à nobis, sed etiam facilè cognoscuntur, et per consequens cognitio perfectissima ipsarum, qualis est quidditativa et intuitiva, non debet à nobis negari. Rdeo Neg. Consequ. Quia licet Abstractae Substantiae sint in se magis intelligibiles, cùm sint entia perfectiora istis Sensibilibus: tamen cùm sint improportionatae intellectui nostro, pro hoc statu, qui nihil intelligit, nisi per sensus illi repraesentet

repræsentetur, non sequitur quod eas possint in se, et perfectissimo modo scilic. intuitivè, et quo ad essentiam atq conceptus proprios non desumptos ex communibus cognoscere. Sed Instabis I: Potest homo imponere nomen DEO, quod distinctè significet Divinam essentiam, ut noster Doctor tenet Sent. I. Distinctione 22. Ergo Potest cognoscere distinctè et quidditativè Deum. Conseq. Quià nemo potest imponere nomen significans Essentiam et Quidditatem alicujs rei, nisi concipiat illam quidditatem distinctè, nomen enim est ad placitum, et significat conceptum, quià est explicativum conceptus mentalis. Ergo Non significat conceptum, nisi eo modo, quo illum homo habet in mente. Ergo si homo significat quidditatem Dei distinctè, sequitur quod concipiat eum etiam distinctè. Respondeo Neg. Consequ. Quià vox et nomen impositum potest significare rem et quidditatem alicujus rei distinctè, licet illam quidditatem non concipiat distinctè is, qui illud nomen imposuit: Undè non valet consequentia, si quis imponat nomen ad significandam aliquam quidditatem distinctè, quod ille necessario debeat etiam distinctè cognoscere eandem, quià experientia ipsa docet nos rebus imponere nomina, quas tantum confusè intelligimus, licet intendamus res illas significare in se, secundum suam quidditatem et essentiam, ut cum vocamus primum cœlum, Cœlum Empireum, quod tamen distinctè secundum ejus quidditatem non cognoscimus: Undè falsa est illa propositio, per quam probatur consequentia, quod scilic: nemo possit imponere nomen significans essentiam et quidditatem alicujs rei, nisi concipiat illam quidditatem distinctè. Instabis I: Substantiæ Abstractæ continentur sub objecto adæquato nostri intellectus, scilic: sub Ente, et sunt nobilior pars objecti ipsius. Ergo sunt naturaliter Activæ in nostrum intellectum, et proindè etiam intellectus noster ab illis est passibilis naturaliter, et per consequens est naturaliter intellectivus illarum. Confirmatur: Alias si intellectus noster non cognosceret Substantias abstractas, sequeretur quod ejus aptitudo naturalis et desiderium frustraretur. Resp. Conc. Verum id esse totum, ideò eo modo, quo movent intellectum, etiam ab intelle.

intellectu intelliguntur, scilic: per sensibilia et abstractivè, non autem per se ipsa intuitivè, quia licet omne Ens sit à nobis intelligibile, non tamen omnibus modis, propter finitam Activitatem intellectus, unde licet capacitatem et appetitum passivum habeat intellectus infinitum, tamen vim finitam Activam habet, et propterea non est mirum, quod non possit clarè et intuitivè substantias abstractas cognoscere. Ad confirmationem concedo naturale desiderium esse in intellectu ad omnia cognoscenda, et perfectissimo modo, non tamen frustrat, dum non cognoscit omnia perfectissimo modo: Quia saltem plurima sufficit illum cognoscere, habet quidem passivam aptitudinem, sed virtus ejus Activa, quum non sit perfecta, non potest eam explere. Et licet Philosophus cognoverit hanc inclinationem ad objecta nobilissima cognoscenda maximam, non tamen existimavit ordinari ad cognitionem illorum intuitivam, quia putabat hanc illi esse impossibilem, solum Theologi hoc lumine supernaturali cognoverunt.

THEOREMA SECUNDUM.

Non solum de DEO potest haberi naturaliter aliquis conceptus, in quo per Accidens, sed etiam in quo per se concipiatur Deus.

Notes Dictum 1mum: Ad habendam clariorem superioris Theorematis notitiam, hoc Theorema, et reliqua ponuntur. Dictum 2dum: In Divinis juxta S. Damascenum quaedam sunt, quae dicunt naturam Divinam, ut sunt ea, per quae DEUS describitur. Quaedam verò sunt, quae non ipsam naturam Dei, sed tantum circumstantiam illam significant, ut sunt sapientia, justitia, clementia etc. quae non sunt de Quidditate Dei. Dictum 3tium: Praedicata quibus utimur in descriptione Dei, quae non sunt Accidentalia, dicuntur esse ista. 1mo Ens infinitum, quia Esse est de conceptu quidditativo Dei. 2do Natura intellectualis. 3tio Substantia. 4to Spiritus: unde S. Augustinus (Dicimus Sapiens, Speciosus, Potens Spiritus, quod ultimo loco posui videt significare Substantiam, caetera verò hujus Substantiae qualitates) Dictum 4tum. Praedicatum per Accidens, seu Accidentale dupliciter potest dici. 1mo Quatenus Accidens propriè sumit, et secun-

Praedicatum per Accidens dupliciter potest dici.

enominat illud, cui realiter inhæret, per Realem inhærentiam, et sic non servit nostro proposito, quia in Divinis nullum est Accidens ita, sed solum in creaturis. 2do Prout Accidens idem valet, quod Extraneum, id est, prout sumit̃ pro eo, quod non est de rati„ne formali ipsiq Dei, sic dicimq hominem esse visibilem per accidens, id est, visibile esse extraneum homini, est extra essentiam ejq, et non est de ratione formali ipsiq. Probatur: Benè sequit̃ in aliquo conceptu per Accidens concipit̃ Deus naturaliter. Ergo Naturaliter in aliquo conceptu quidditativo et per se concipit̃ à nobis. Ans: Quià in conceptu attributali cognoscimq eum, quod scilic. sit sapiens, justq, potens etc. Consequentia: Quià omnis conceptq, qui est de aliquo, quod per Accidens concipit̃, præsupponit ipsum concipi quidditativè: Et declaratur in casu, ut si concipio, quod istud prædicatum (Sapiens) non est de ratione formali hominis. Ergo Cognosco naturam Formaliter, quam circumstat istud prædicatum Sapientia. Similiter in Divinis nos non concipimq, quod ista prædicata Sapientia, justitia etc. circumstent naturam Divinam, nisi concipiamq talem naturam per se, quia impossibile est, nos cognoscere talia prædicata, quod non sint de ratione formali alicujq naturæ, et quod sint accidentalia ipsi, nisi illam naturam per se cognoscamus. Aliter potest argui sic: Concipiendo Deum sapientem, concipit̃ proprietas Dei, vel quasi proprietas in Actu secundo eum perficiens. Ergo oportet intelligere aliquid, quasi Subjectum, cui intelligo illam quasi proprietatem inesse. Ergo Ante omnes conceptus passionum, vel quasi passionum oportet habere conceptum aliquem quidditativum, cui intelligant̃ illa attributa inesse, ille autem conceptq erit quidditativq Deo, quià erit intimior et ultimq, in illoq erit statq, non autem in præce„dentibq.

THEOREMA TERTIUM.

Non ~~tam~~ tantum in conceptu Analogo, sed etiam in conceptu univoco communi sibi et creaturæ, potest Deus à nobis concipi naturaliter.

Notes conceptum esse duplicem: Formalem & objectivum. Formalis attenditur ex parte Intellectq, & nihil est aliud, nisi Actq intelligendi, seu Actualis intellectio

Conceptq est duplex.

de

de aliquo objecto producta. Objectivus verò est ex parte objecti estque ipsumet objectum conceptum, in quantum terminat actum intellectus. Alii per objectivum conceptum, intelligunt objectum, non prout est jam cognitum actualiter; sed quatenus est proximè intelligibile. Probationem hujus Theorematis alias DEO dante in Metaphysica.

THEOREMA QUARTUM.

DEUS non potest ab intellectu nostro pro hoc statu naturaliter cognosci in particulari & propriè, id est sub ratione propria ipsius Deitatis, ut est hæc.

PROBATUR 1mo: Nulla Essentia creata potest nos ducere in cognitionem Essentiæ Divinæ sub ratione particulari, quatenus est hæc essentia. Ergo. Conseq. Quià conceptus essentiæ Divinæ sub ratione, quâ est hæc essentia, non potest naturaliter haberi, nisi per ipsam Essentiam Divinam, jam verò nulla Essentia creata à nobis naturaliter cognoscibilis repræsentat nobis sufficienter essentiam Dei sub ratione particulari: nam aut repræsentaret eam sub similitudine Univocationis, aut sub similitudine imitationis: Neutro modo. Ergo. MINOR: Non primo modo, quià univocatio non est, nisi in rationibus generalibus, ~~[illegible]~~, ideò licet detur conceptus aliquis quidditativus Deo et creaturis communis, nobis pro hoc statu possibilis, tamen ille non facit, ut Deum sub ratione particulari et propriâ, sed tantum communi cognoscamus. Non secundo modo, quià creaturæ non possunt perfectè imitari Deum, sed maximè deficiunt. PROBATUR 2do: Omnis notitia de DEO, repræsentans ipsum immediatè, aut est intuitiva, aut abstractiva: Sed neutram possumus habere virtute Agentis naturalis. Ergo sub propria ratione non cognoscitur DEUS à nobis naturaliter. MINOR De Abstractivâ patet. Quià hæc non habetur, nisi mediante specie intelligibili illius cujus est: Sed virtute Agentis naturalis, non potest haberi species intelligibilis essentiæ Divinæ. Ergo virtute Agentis naturalis, non possumus habere notitiam abstractivam de DEO. De Intuitivâ probatur: Quià ut cognoscatur DEUS intuitivè sub ratione propriâ, est objectum voluntarium, & non naturale, nisi respectu Divini intellectus. Ergo. OBIICIES: Potest DEUS ita esse præsens intellectui nostro

NB

[n]ostro, sicut aliæ res quas intellectus intuitivè cognoscit. Ergo Poterit ita bene cognoscere intuitivè De-[u]m sicut alias res. RESPONDEO Disting. Ans: DEUS est ita, sicut aliæ res præsens intellectui nostro [q]uo ad Entitatem, Concedo: imò dico magis esse præsentem, quia nulla res est ita præsens nobis, [s]ut intellectui nostro, et intimè præsens, quoad Entitatem, sicut ipse Deus: At verò quod sit nobis ita præsens sicut aliæ res in ratione objecti, Nego. Quia in ratione objecti magis no-bis est præsens qualibet creatura, quàm ipse Deus. Ratio autem istius est hæc, quia DEUS non causat sui notitiam in intellectu nostro ita, ut alia objecta rerum creatarum, propterea quia DEUS purè liberè sive partialiter sive totaliter in intellectu creato generat sui notitiam, cùm tamen alia objecta creata non liberè, sed naturaliter generent eandem, undè illud dictum (Si DEUS vult, videtur, si non vult, non videtur) Ratio: Quia DEUS non habet talem rationem motivam, [s]icut objecta creata, nam hæc merè et purè naturaliter atque necessariò movent, ita ut non possint non movere ad producendam sui notitiam: DEUS autem purè liberè.

THEOREMA QUINTUM.

Conceptus Entis infiniti est simplicior et perfectior omnibus aliis conceptibus Dei propriis, quos naturaliter habere possu-mus.

Conceptus Proprius dicitur dupliciter.

NOTES Conceptum proprium dici dupliciter. Uno modo, qui sic alicui convenit, ut nulli alte-ri competat. Altero modo, qui est formalis et particularissimus alicujus, qui scilic: datur per rationem formalem rei, et propriam differentiam formalem. De hoc 2do conceptu diximus in quarto Theore. De conceptu autem primo modo, loquimur hoc loco.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS IMA (Quod sit simplicior) probatur: Quia cùm dico: Ens bonum est magis per Accidens, quàm cùm dico Ens infinitum. Ergo. Ans: Passio enim sive attributum magis facit unum per Acci-dens, cum eo, cujus est, quàm infinitas: quia infinitas est intimior, homo enim albus est magis unum per accidens, quàm homo visibilis, quia visibilitas est simpliciter intimior naturæ homi-nis quàm albedo. Quod autem infinitas sit hujusmodi, scilic: quod sit intimior naturæ Divinæ, quàm quodcunquè aliud attributum, vel quàm quæcunque alia passio, vel quasi passio, patet. Nam per [po]ssibile vel impossibile circumscripto omni attributo à natura Divina, adhuc ipsa natura Divi-na intelligitur formaliter infinita, et per consequens infinitas erit simplicior quocunque ~~alio~~ attri-buto, et sic conceptus Entis infiniti erit quoque simplicior quocunquè conceptu alio attributali. PARS 2DA (Quod sit perfectior) Probatur: Quia ille est conceptus perfectior, qui plura includit virtualiter

quàm alius

quam alius (quia virtualis inclusio dicit perfectionem includente) Sed Ens infinitum plura includit virtualiter, quam alius quivis conceptus. Ergo. Minor: Quia sicut Ens includit virtualiter verum et bonum, ita Ens infinitum, includit virtualiter verum infinitum et bonum infinitum, et omnem perfectionem simpliciter sub ratione infiniti. Caeterum advertebis, quod conceptus Entis infiniti, non dicatur propriè continere virtualiter conceptum infiniti boni, quia tale conceptum est Ens per participationem, quod repugnat infinito bono, sed dicitur virtualiter continere impropriè, non verè, sed quasi continere, vel saltem ex hoc, quia per infinitatem Entis quasi demonstratur de eo, infinitum bonum. Praeterea ille conceptus est perfectior, cujus cognitio Demonstratione Quia et à posteriore ultimo generatur in nobis: Sed sic est, quod ultimus conceptus, ad quem possumus pervenire ex effectibus, est Ens infinitum. Ergo. Major: Quia cum DEUS sit remotissimus à creaturis, in ejus cognitionem difficilè ex creaturis possumus pervenire, illi ergo conceptus, qui sunt DEO intimiores difficilius et posterius cognoscuntur quam alii, ideò ille conceptus ad quem ultimo pervenimus, est nobilior. Nec valet, si inferas. Ergo pari ratione potest dici, quod summum bonum, sive summum Ens dicit modum intrinsecum, et sic est ita nobilis et simplex conceptus, sicut Ens infinitum. Non valet, quia Summum dupliciter potest accipi. 1mo Comparativè, et sic dicit respectum ad extra, illud enim est Summum in aliqua ratione, quod excedit omnia alia in tali ratione. 2do Absolutè et ad se, et sic Summum est illud, quod non potest excedi, hoc autem modo non indicat in se, an sit finitum, an infinitum, ideò iste conceptus infinitum magis explicitè indicat hanc perfectionem, quod non potest excedi ab alio.

Summum dupliciter potest accipi.

Notes hinc sequi per modum Corrolarii, perfectiorem cognitionem Dei esse, concipere illum sub hoc conceptu Entis infiniti, quam concipere illum sub conceptu Aggregato omnium perfectionum Divinarum in esse Summo simul cum Simplicitate Divina, ita quod hic est perfectior conceptus, DEUS est Ens infinitum, quam hic, DEUS est ipsa Summa bonitas et simpliciter, ipsa Sapientia Summa et simpliciter etc. ita ut intelligat Sapientiam, bonitatem et alia attributa, non esse quasi accidentia, ipsum DEUM componentia; Sed esse ipsum DEUM simplicissimum. Ratio istius est, quia quando aliqua ita se habent, ut unum communicetur formaliter creaturis à DEO, et aliud non communicet, tunc istud, quod non communicatur creaturis est perfectius eo, quod communicatur ipsis: Sed Sapientia, Justitia, Bonitas, Simplicitas et alia communicant creaturis (dicimus enim hominem esse Sapientem, justum, Angelum simplicem) at

et infinitas intensiva in Entitate et omni perfectione nequaquam communicatur illis (quia repugnat aliquid esse creatum, et esse intensivè infinitum) Ergo.

OBIECTIONES ET SOLUTIONES EARUNDEM.

Obiectio 1ma (Quod non sit simplicior conceptus Entis infiniti aliis) Probatur: Infinitum seu infinitas est passio Dei. Ergo. Ans: Omne quod demonstratur de aliquo, et non prædicatur de illo in primo modo dicendi per se, est passio illius. Sed infinitas est hujusmodi respectu Dei (quia nihil negativum, vel includens negationem prædicatur per se primo modo de positivo) Ergo. R. deo: Neg. 1mo Ans: Dto majorem. Quia de aliquo Ente demonstratur finitas, et tamen non est passio illius, nec quidditas, posito ergo, quod infinitas possit demonstrari de illo Ente, non sequitur, quod sit illius passio. Obiectio 2da (Quod non sit perfectior aliis) Probatur: Conceptus, quo concipitur Deus sub ratione Substantiæ, est perfectior illo, quo concipitur sub ratione Accidentali (quia Substantia est perfectior omni accidente) Sed concipere Deum sub ratione infiniti, est concipere illum sub ratione accidentali (quia infinitum ut distinguitur contra Substantiam, dicit Quantitatem) Ergo. Item 2do: Ille conceptus est perfectior, sub quo concipitur Deus in prædicato essentiali, quam ille sub quo concipitur, ut in aliqua proprietate: Sed conceptus Substantiæ est talis, quia dicitur prædicatum essentiale, conceptus autem infinitatis denotat quandam proprietatem. Ergo. Item 3tio Conceptus quo Deus concipitur ut prima intelligentia, est perfectior, quam conceptus infiniti, quia ut concipitur in ratione primæ intelligentiæ, collocatur in perfectissimo genere viventium, nam intelligere est perfectissimum vivere ex 2 de Anima t. 26. præsertim verò quando hoc sibi convenit per excessum super omnes intelligentias: Sed ut concipitur sub ratione infiniti, non sic concipitur, ut collocat in genere perfectissimo viventium, quia ut concipitur sub ratione infiniti, adhuc restat dubium, utrum sit substantia, vel accidens. R. deo: Hæc omnia quæ objiciuntur, nihil contra nos concludere, quia quandò nos dicimus conceptum Entis infiniti esse perfectiorem aliis omnibus, loquimur tantum de conceptu complexo, ut sit sensus; quod omnium conceptuum complexorum, qui de Deo dicuntur, et à nobis cognoscuntur, ut sunt conceptus Entis boni, Entis veri, Actus puri, Simplicissimi etc. Solus iste sit perfectissimus, scilicet: conceptus Entis infiniti, non loquimur verò de conceptibus quidditativis et incomplexis, cujusmodi est conceptus Substantiæ, conceptus intelligentiæ, Deitatis. Iterum.

THEOREMA SEXTUM

Prædicata ista quæ naturaliter de DEO cognoscuntur, ut quod sit Ens infinitum, Summum bonum Actus Purus etc, per species creaturarum cognoscuntur.

Ratio: Quia Creaturæ, quæ imprimunt Species proprias intellectui, possunt etiam imprimere species transcendentium, quæ sunt communia eis et DEO, unde, cum creaturæ conveniant cum DEO in his transcendentibus (Ens, verum, bonum, Actus, Simplex etc) Intellectus creatus potest ex creaturis Species horum transcendentium abstrahere, et deinde illas simul unire in uno cum omni earum perfectione, et sic concipere Deum, sicut ex diversis speciebus creaturis sensibilium diversorum imaginativa format montem aureum, qui est quid compositum ex diversis sensibilibus.

THEOREMA SEPTIMUM

Substantia non potest à nobis cognosci pro hoc statu sub proprio conceptu quidditativo, à se immediatè causato, sed solum sub conceptu Entis adminiculo Accidentis.

Cognitio Intellectiva est duplex.

Notandum Dictum 1mum: Duplex est cognitio intellectiva, tam de Substantia, quam de accidente habita. Alia confusa, ut dum dico et cognosco Hominem vel Albedinem. Alia Distincta, ut dum cognosco et intelligo hominis Definitionem, quod scilicet sit Animal Rationale, et dum intelligo albedinem esse colorem disgregantem visum. Dictum 2dum: Inter istas cognitiones duas potest esse duplex comparatio. Prima Si cognitio confusa Accidentis comparetur ad distinctam cognitionem etiam Accidentis. Item Confusa Substantiæ ad distinctam Substantiæ. 2da comparatio erit, si cognitio Accidentis, tam confusa quam distincta comparetur cum cognitione Substantiæ confusa et distincta. Dictum 3tium: Ex hac comparatione duplici duplex ordo prioritatis et posterioritatis inter istas cognitiones consurgit. Nam cognitio confusa accidentis præcedit origine cognitionem substantiæ, tam confusam quam distinctam. Ratio istius est, quia, ut probabitur, cognitionem substantiæ non habet, nisi ex accidentibus sensibilibus, quibus comparatis per multum examen ad suam causam, quæ est Substantia, postea intellectus venit in cognitionem distinctam Substantiæ, et hic est ordo primus. At verò cognitio distincta accidentium jam non præcedit, sed

Comparatio duplex inter istas cognitiones.

sed est posterior cognitione distinctâ substantiæ, nunquam enim Accidentia possunt distinctè cognosci, nisi distinctè cognoscatur sua causa: Sed causa accidentium est Substantia. Ergo Prius oportet cognosci Substantiam, quam distinctè cognoscat accidens, et iste est ordo secundus.

PROBATIO THEOREMATIS.

PARS PRIMA Probatur: Si intellectus noster pro hoc statu posset cognoscere quidditatem Substantiæ, sequeretur, quod accidens posset nobis hanc ejus quidditatem manifestare. Consequens falsum. Ergo et Ans: Falsitas, quia accidens non repræsentat, nisi id, quod habet in se,* neq̃ Actu (ut patet) neque virtualiter quidditatem, seu conceptum quidditativum Substantiæ (Quia nihil ignobilius continet in se virtualiter id, quod est nobilius) Sed solum habet Actu conceptum Entis in se. Ergo. Sequela: Quia quamcunq̃ modo habemus cognitionem de Substantia, non habemus eam aliter, nisi mediante accidente sensibili. Ergo si intellectus posset cognoscere etc. Sequitur quod Accidens posset manifestare quidditatem Substantiæ. Ans: Tum quia nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu. Tum etiam, quia illud immediatè et per se cognoscitur ab intellectu, quod immutat eum immediatè et per se: Sed Substantia non immutat intellectum immediatè et per se, sed tantum accidens sensibile. Ergo Substantia non cognoscitur immediatè per se, sed solummodò cognoscitur eo modo, quo intellectui præsentat eam Accidens sensibile. Minor: Quod scil: substantia non possit immutare intellectum immediatè. Probatur: Nam quidquid suâ præsentiâ immutat intellectum, ejus absentiam potest naturaliter intellectus cognoscere, quandò scilic: non immutat, ut patet ex 2 de Anima t. 113. ubi dicit, quod visus est cognoscitivus tenebrarum, quandò lux non est illi præsens: Sed Substantiæ absentiam non potest intellectus noster naturaliter cognoscere. Ergo Substantia non immutat intellectum, nostrum immediatè ad Actum intelligendi circa se producendum. Minor: Alias enim si posset intellectus cognoscere Substantiæ absentiam, sequeretur, quod naturaliter possemus cognoscere in speciebus sacratissimæ Eucharistiæ consecratis Substantiæ absentiam panis et vini, imò si essent decem hostiæ consecratæ, et istis adderent nobis non spectantibus aliæ decem non consecratæ, habentes eadem speciei accidentia omnia, possemus naturaliter dignoscere, et à consecratis non consecratas separare. Atqui consequens istud est manifestè falsum. Ergo et Ans: Confir: eadem minor: Nam quicquid intellectus noster pro hoc statu cognoscit, illud aut est objectum illius

*Sed non habet in se neq̃ etc.

illius sensus, aut in objecto sensibili continetur (quia omnis cognitio intellectiva o-
riginem suam ducit à sensu, juxta illud, nihil est in intellectu + ~~[illegible]~~. unde si homo esset

+ nisi prius fuerit in sensu,

homo, et careret sensibus, nihil intelligeret, est enim ordo naturae inter istas potenti-
as, quarum una subalternatur alteri ita, ut nunquam possit operari intellectus, nisi pri-
us operetur sensus) atqui substantia neque est objectum sensus, neque continetur in objecto sen-
sibili, eo modo, quo superius continetur in suo inferiori. Ergo substantiam non cognoscit pro
hoc statu intellectus. Minor: Nam sensus se non profundit ad substantiam ut patet con-
siderando objecta sensuum, quae secundum omnes Philosophos non sunt substantiae sed
accidentia sensibilia, ut docetur 2 de Anima, ubi assignantur objecta sensuum. Ex his
itaque habetur, quod si non ipsa substantia immediatè, sed solum species objectorum sensi-
bilium primo immutant intellectum, in his enim per sensus ad se delatis intelligit sub-
stantiam intellectus per abstractionem, ut alibi dicetur, sequitur veram esse istius Theo-
rematis primam partem, quod scilicet: nullus conceptus quidditativus habeatur naturaliter
de substantia immediatè ab ipsa causatus. Nec valet si dicas hanc probationem pro-
cedere contra cognitionem substantiae intuitivam, non verò contra abstractivam,
eo, quia ad abstractivam notitiam habendam non est opus intellectum immutari per
~~[illegible]~~ objectum. Non valet inquam, quia contra utramquè procedit, nam etiam in ab-
stractiva cognitione objectum debet aut per se ipsum, aut per suam speciem repraesenta-
re. Modo nulla species datur à substantia producta, quae immutet intellectum, ut est
probatum, sola enim species accidentium possunt eum immutare, et ex ipsis postmodum
format intellectus conceptum substantiae. Deindè cùm abstractiva cognitio ducat suum
ortum à sensibus, certè non potest fieri sine speciebus sensibilibus, atquè sic nequaquam in-
tellectus poterit habere conceptus proprios de substantia, et illos, quos habere solet, tan-
tummodo habet mediantibus accidentibus, vel eorum speciebus. PARS SECUNDA (Quod
substantia adminiculo accidentis cognoscatur sub conceptu Entis) Probatur: Pro hoc
statu habemus conceptum quidditativum de substantia (dicimus enim substantiam
esse Ens, et dum quaeritur ex nobis, quid sit substantia? Aptè et verè respondemus, quod
sit Ens) tunc quaero, aut hic conceptus quidditativus de substantia quod sit Ens causa-
tur

causatur ab ipsamet substantia immediate, aut ab accidente, aut ab aliquo alio. Non potest dici primum, ut patet ex prima parte hujus Theorematis, neque etiam tertium, quia assignetur et arguatur contra illud. Ergo debet dici secundum, quod scilicet causetur ab accidente, atque sic sequitur, quod beneficio et adminiculo accidentis iste conceptus quidditativus substantiae habeatur.

OBJECTIONES ET SOLUTIONES EARUNDEM.

OBJECTIO 1MA (Quod substantia non cognoscatur adminiculo accidentis) Probatur: Prius apprehenditur conceptus substantiae quam accidentis. Ergo falsum est substantiam cognosci ab eo beneficio accidentis. Ans: Conceptus accidentis necessario praesupponit conceptum substantiae (quia 7 metaph. t. 4. dicitur, quod in Definitione accidentis opus est ponere definitionem substantiae) Ergo. Rdeo Disting. Ans: Prius apprehenditur conceptus substantiae, quam accidentis cognitione distincta, Concedo. Confusa, Nego. Nam verum est, quod non potest accidens cognosci distincta cognitione, nisi prius cognoscatur ejus causa, quae quidem non est alia, nisi ipsa substantia. At vero falsum est, quod cognitione confusa non possit cognosci prius accidens, quam substantia, quia contrarium potius est asserendum, nempe quod prius cognoscamus accidens confuse, deinde per multam ejus collationem ad suam causam, quae est substantia, paulatim venimus in cognitionem ejus distinctam, atque ita nequaquam potest haberi distincta cognitio, nisi praecedat illa confusa quae habetur de accidente, et nisi prius accidentis, tanquam effectus ad substantiam, tanquam ad causam fiat comparatio. OBJECTIO 2DA (Quod substantia cognoscatur sub proprio conceptu quidditativo) Probatur: Qui potest assignare tum Definitiones quidditativas specierum quae sub genere substantiae reperiuntur, tum etiam distinctiones inter praedicata quidditativa et accidentalia ad substantiam spectantia, ille cognoscit substantiam sub proprio conceptu: Sed homo pro hoc statu potest assignare tam Definitiones quidditativas specierum substantiae, quam etiam distinctiones. Ergo homo cognoscit substantiam sub proprio conceptu. Rdeo Distingu. Majorem: Praedicata quidditativa dupliciter sumuntur. 1mo rigorose, et sic illa tantum praedicata quidditativa sunt dicenda, quae vere a parte rei, licet non cognoscantur a nobis nunc, sunt de quidditate rei. 2do modo minus rigorose, et sic illa vocamus esse praedicata quidditativa, quae licet non sint talia a parte rei, tamen funguntur praedicatorum quidditativorum officio

Praedicata quidditativa dupliciter sumuntur.

quidditativorum, et eorum vicem gerunt. Qui ergo assignat Definitiones, seu cognoscit prædicata vigorosè quidditativa, ille tam Definitiones quam Distinctiones sub proprio conceptu assignat, et cognoscit Substantiam conceptu. At qui cognoscit prædicata minus vigorosè quidditativa, nempè ea, quæ vicem gerunt quidditativorum, quod is possit assignare Definitiones et Distinctiones, et quod cognoscat Substantiam sub proprio conceptu, Neg. Porrò nos cognoscimus solum prædicata minus vigorosa, ignoramus autem illa, quæ propriissimè dicuntur quidditativa: Vocamus autem ea propterea Quidditativa, quia gerunt vicem quidditativorum, quæ quidditativa sunt nobis pro hoc statu ignota. Quomodò autem hoc contingat, potest cognosci ex modo, quo utimur, dum Substantiæ cognitionem ex accidentibus inquirimus. Quæres Quisnam sit iste modus, quo substantia cognoscitur ex accidentibus? Rxdeo Hunc modum pulcherrimè à nostro Doctore 1mo Sent. Distinct. 22 in corpore quæstionis ex D. August. declaratum esse, ubi docet Doctor Substantiam cognosci à posteriori ex Effectibus et Accidentibus suis, ut puta cognoscit intellectus noster accidentia ista, scilic: Quantitatem et Qualitatem, et videt illa ab invicem esse distincta, nam unum potest esse absque alio. Item: Videt aliquod subjectum illis substerni, quod illa sustentat, et quod corruptis illis Accidentibus permanet incorruptum, et hoc Subjectum vocavit Substantiam. Vidit deindè alias Actiones et effectus illius Entis substrati, et sic successivè venit in cognitionem ejus beneficio Accidentium, et ex diversitate Actionum ac Proprietatum imposuit nomina ipsis Substantiis diversosquè format conceptus, quos quia nos videmus huic Substantiæ, non autem illi convenire, judicamus eos esse quidditativos, cum tamen revera non sint quidditativi, quamvis pro hoc statu et in via Philosophi dicantur quidditativi, neque enim Philosophus alium statum ab hoc distinctum habuit cognitum.

THEOREMA OCTAVUM

Singulare ut singulare, est per se ab intellectu cognoscibile Abstractivè; imò et intuitivè pro hoc statu cognoscitur.

Singulare duobus modis potest considerari.

Notandum Dictum 1mum Singulare duobus modis potest considerari. 1mo ut abstrahit ab existentia, et ab omnibus Accidentibus, nempè Loco, Tempore, Qualitate

Qualitate, Quantitate etc. et tale singulare nihil includit in se aliud nisi naturam specificam, et differentiam individualem, per quam est hoc, id est, est propriè singulare; neque est impossibile fieri talem Abstractionem, quandoquidem existentia non solius singularis sed cujuslibet etiam entis realis censeatur esse proprietas. 2do modo consideratur singulare ut includit in se existentiam, aliaque accidentia consequentia v. g. Quantitatem, Qualitatem, Tempus, Locum etc. et considerando ita singulare, est unum totum aggregatum per accidens, quod Thomistae solent appellare singulare materiale, sensibile & signatum. Dictum 2dum. Circa singulare potest haberi duplex cognitio ab intellectu. Alia Abstractiva, alia intuitiva. Intuitiva cognitio est notitia singularis, ut existit cum accidentibus et circumstantiis supra enumeratis. Abstractiva verò est cognitio sub proprio conceptu singularitatis, ut praescindit ab existentia, & accidentibus atque circumstantiis omnibus, hanc habemus tunc, quando cognoscimus Petrum, non ut existit hic aut nunc etc. sed dum cognoscimus proprium conceptum essentialem singularitatis in Petro, quo intrinsecè differt ab omnibus aliis individuis. Scias autem hoc Dictum 2dum ferè esse idem cum primo. Dictum 3tium: Istae duae cognitiones circa singulare differunt ab invicem, quia prima non includitur in secunda, nec secunda in prima, potest enim fieri, ut quis intueatur singulare existens in tali loco hac horâ cum talibus accidentibus, ignoret autem, quodnam sit illud, an lignum, an herba, etc. et tunc cognoscet intuitivè illud singulare, non autem abstractivè, quia non cognoscet ejus conceptum proprium essentialem, neque sciet quid sit: Potest etiam fieri, ut non videndo singulare, quoad ejus existentiam ex solo discursu intellectus sui, et ex aliis rebus cognitis, cognoscat quid sit illud singulare, ut accidit dum quis cognoscit intelligentiam solis vel Saturni, quam tamen nunquam vidit. Dictum 4tum. Cognitio intuitiva adhuc est duplex. Prima est rei in se existentis, quae fit & habetur absque ulla specie, qualem Theologi dicunt eam esse notitiam, quam beati in Caelo habent respectu Dei, quâ Deum in se ipso intuentur, sine ulla specie ipsum repraesentante, et qualis esset cognitio in potentia visiva si oculus posset videre objectum sensibile v. g. lapidem vel turrim absque specie sensibili, quae per medium aëris solet deferri. Talis enim cognitio seu

visio

Circa singulare potest haberi duplex cognitio ab intellectu.

Cognitio intuitiva est 2plex.

visio diceretur propriissimè intuitiva. Secunda est, quæ non excludit speciem, sed fit per eam, tanquam per imaginem repræsentativam objecti sub existentia, et omnibus illis conditionibus, quas in se continet objectum, ut scilic. existit in se ipso, et in propria existentia, et talis est cognitio, quam nunc ordinariè habemus de colore, licet enim non videamus colorem in se, sed tantum per speciem sensibilem, tamen dicimur videre eum intuitivè, et intuitivam cognitionem ipsius habere propterea, quia illa species sensibilis repræsentat ipsum cum existentia et cum conditionibus singularibus. Dictum 5tum. Huic intuitivæ cognitioni, quæ scilic: fit per speciem, est similis cognitio intuitiva intellectus, nam per speciem sensibilem positam in phantasia, intuetur et cognoscit intuitivè singulare, quia hæc species repræsentat singulare cum existentia, et cum conditionibus consequentibus, et propterea vocatur cognitio intuitiva, distinguiturque ab abstractiva, quæ est per speciem repræsentativam quidditatis tantum, non ut existit, neque ut habet conditiones individuantes, et illas singularitates consequentes.

PROBATIO THEOREMATIS.

Pars 1ma (Quod singulare sit intelligibile) Probatur: Omne Ens est verè per se intelligibile (quia intelligibilitas sequitur entitatem rei, tanquam propria passio suum subjectum, cum Ens sit objectum intellectus adæquatum ex natura potentiæ) Sed singulare est Ens. Ergo est verè per se intelligibile. Minor: Quia singulare addit supra universale differentiam individualem, quæ est entitas positiva: similiter Existentia, Tempus, Locus et alia accidentia per quæ constituitur singulare, materiale et sensibile, sunt entia realia. Ergo singulare est verè Ens. Præterea singulari materiali et sensibili non repugnat intelligibilitas per se, et secundum propriam naturam. Ergo est per se intelligibile. Ans: Aliàs enim nec DEUS gloriosus posset illud intelligere, quod est falsum. Confirmatur: Quod est in actu, est per se intelligibile: Sed singulare est maximè in actu. Ergo est maximè intelligibile. Major: Quia sicut potentia impedit cognoscibilitatem: ita actus est causa cognoscibilitatis. Nec valet si dicas singulari repugnare cognoscibilitate, eo, quod sit in ipsa materia: non valet inquam, quia materia illa, aut significat partem rei compositæ

composita, ut est corpus in homine, constituens simul cum Anima hominem, aut diffe-
rentiam individualem: Sed quocunque modo haec ejus exerceat significatio, nullum habetur
impedimentum, quia neutra ista materia impedit intelligibilitatem singularis. Ergo
non repugnat singulari cognoscibilitas. Minor: Non materia quae est pars compositi. Qui,
à aliàs sequeretur 1° Quod nulla res naturalis seu physica esset intelligibilis per se, quia
res physicae constant ex materia, ut materia significat partem compositi. 2° Sequeretur
quod nec universalia ipsa possent cognosci, nam et haec constant ex materia et for-
ma, ut sunt omnes species quae ab intelligentiis per ejusmodi compositionem di-
stinguunt. Non materia quoque signata seu Differentiam individualem significans,
quia haec, nedum est per se intelligibilis, sed maxime est intelligibilis. Ans: Quia quod
est maxime actuale est maxime intelligibile: Sed Differentia individualis, seu materia
significans differentiam individualem, est maxime Actualis. Ergo. Minor: Tantò
est aliquid magis Actuale, quantò magis Actualis rei constitutivum: Sed Differentia
individualis est constitutiva rei maxime actualis, quia facit unum numero, quod est
maxime actuale et singulare. Ergo. Pars 2da (Quod singulare cognoscatur in-
tuitivè ab intellectu) Probatur 1mo: Quicquid potest sensus cognoscere, illud potest et
intellectus intelligere: Sed sensus cognoscit singulare intuitivè, quia cognoscit illud sub pro-
pria existentia, cum circumstantiis Loci, Temporis et cum aliis accidentibus: Cognos-
cere autem aliquid sub propria existentia cum accidentibus et circumstantiis ejusdem,
est cognoscere illud intuitivè. Ergo etiam intellectus poterit illud intelligere, et per
consequens singulare cognoscitur ab intellectu intuitivè. Major: Quicquid potest vir-
tus seu potentia cognoscitiva inferior, illud idem potest virtus seu potentia cognos-
citiva superior. Sed Sensus est virtus seu potentia cognoscitiva [illegible] inferi-
or, intellectus vero est superior. Ergo Quicquid potest sensus, potest etiam intellectus. Di-
ces Majorem istam esse falsam, si per eam significet, quod eodem modo superior
potentia cognoscat singulare ut cognoscit inferior, veram autem si alio modo: quia
superior eminentiori modo apprehendit scilicet in universali. Contra. Quidquid
potest intelligi in alio, debet in illo contineri: Sed entitas singularis sensi-
bilis non continetur in universali: Ergo singulare sensibile non potest
cognosci sub universali, seu in universali ab intellectu. Dices. quod singulare
nihil sit aliud, nisi universale, et quod [illegible] sed sine materialitate, et sine
universale sit idem quod singulare

Observabis: objectum naturalis inclinationis, est ens. objectum na-
turalis intelligentiae, est singularitas rei sensibilis.

Quid sit cognoscere aliquid intuitivè sub propria existentia.

sine conditionibus individuantibus. contra: ~~addit~~ singulare supra universale differentiam in-
dividualem, quæ est quid positivum. Ergo falsum est singulare nihil aliud esse quam uni-
versale. Deinde utique conditiones istæ materiales, scilic. Locus, Tempus, Qualitas singulares
etc. sunt entia realia sensibilia, à quibus abstradit universale: Ergo ~~universale~~
non est idem quod universale. Undè, licet intellectus habeat cognitionem univer-
salis, tamen non sequitur, quod ideò cognoscat singulare, cum singulare sit quid di-
versum ab universali. Probatur 2: Intellectus discurrit à singulari ad univer-
sale, et è contra. Ergo cognoscit utrumque ~~conceptum~~ extremum sui discursus. Conseq. Nam
aliàs in discurrendo esset ignorans, quod est falsum. Confirmatur: Intellectus
complexus, seu componens præsupponit incomplexum seu simplicem intellectum, quia secunda
operatio mentis præsupponit primam. Sed intellectus componit singulare cum uni-
versali, dicendo Paulus est homo, et cognoscit propositionem esse veram. Ergo cog-
noscit utrumque extremum incomplexum istius propositionis scilic: Subjectum & præ-
dicatum aliàs enim componeret ignorans. Probatur 3tio: Quibus intellectus
imponit ~~[illegible]~~ nomina illa cognoscit (nam nemo potest imponere nomen illi, quod
ignorat) Sed singularibus imponit intellectus noster nomina, imò et secundas in-
tentiones fundat in ipsis scilic: intentionem singularis et individui. Ergo singula-
ria cognoscit. Confirmatio: Quæ potentia cognoscit propositiones singulares, il-
la etiam cognoscit singularia (quià propositiones singulares constant exter-
minis singularibus) Sed intellectus noster cognoscit propositiones singulares, ergo
et ipsa singularia. Minor Illa potentia cognoscit singulares propositiones, quæ
cognoscit contingentes enunciationes (quià enunciationes contingentes seu pro-
positiones constant ex singularibus sensibilibus, quas circumstant Locus, Tempus
& alia accidentia, ut si dicam, Paulus scribit, Joannes currit etc) Sed intel-
lectus cognoscit enunciationes contingentes, quià ex illis syllogizat & discur-
rit. Ergo & singulares propositiones. Nec valet si dicas, quod singulare
cognoscat in universali, non valet inquam, quià universale nequaquam
cognoscit ipsum singulare sensibile, eò, quod est objectum omninò diversum
ab universali, imò dicere quod intellectus cognoscat singulare in universali, est dicere

dicere, quod intellectus cognoscit illud non quoad conceptus singulares; sed quoad conceptus universales, jam verò sic cognoscere singulare non est cognoscere singulare, sed potius ipsum universale, sicut cognoscere, quod Paulus sit substantia corporea tantum, non est cognoscere ipsum esse hominem. Objicies Quod singulare non sit intelligibile. Quicquid est ab intellectu intelligibile, potest dici objectum intellectus. At singulare non potest dici objectum intellectus. Ergo non est intelligibile. Minor: Quod est objectum sensus, illud non est objectum intellectus: Sed singulare est objectum sensus (Nam sensus est singularium, et intellectus universalium) Ergo singulare non est objectum intellectus. Major: Tum quia diversarum potentiarum, diversa sunt objecta (videmus enim aliud esse objectum visus, scilic: colorem, aliud auditus, scilic: sonum etc) Sed intellectus et sensus sunt potentiæ diversæ. Ergo diversa habent objecta, et per consequens, quod est objectum sensus, non est objectum intellectus. Tum etiam, sicut quia se habet sensus ad suum objectum, ita intellectus ad suum. Ergo mutata proportione, sicut sensus ad intellectum, ita objectum sensus ad objectum intellectus. Sed sensus non est intellectus. Ergo nec objectum sensus potest esse objectum ipsius intellectus. Rdeo Neg. minorem. Rdo Majorem, ad primam probationem dico disting. Potentias, duplices enim sunt. Aliæ disparatæ, ut sunt: Visiva, Auditiva, Tactiva, odorativa etc. Aliæ subordinatæ, ut est visiva, sensus communis, phantasia & intellectus. Ergo Diversarum potentiarum disparatarum, diversa esse objecta, Concedo. Potentiarum verò subordinatarum, diversa debere esse objecta, Nego. Jam verò sensus et intellectus sunt potentiæ diversæ subordinatæ, non verò disparatæ, et ideò objectum sensus potest esse objectum intellectus, hoc est, quicquid cognoscit sensus, illud idem potest etiam cognoscere intellectus. Ad secundam probationem de mutata proportione dico, illum modum arguendi non valere in illis terminis, quorum unus est alio superior, ut patet in exemplo arguendo sic. Sicut se habet homo ad non hominem, ita animal ad non animal. Ergo permutatim, sicut homo ad Animal, ita non homo ad non animal. Sed omnis homo est animal. Ergo omne non homo, est non animal, quod est falsum, quia asinus est non homo

[margin:] Axioma.

[margin:] Potentiæ sunt duplices.

homo, non tamen possum dicere, quod Asinus sit non animal, ideò est fallacia conse-
quentis arguendo à destructione Antecedentis ad destructionem consequentis. Nam
non homo in plus se habet seu latius patet, quam non animal. Similiter in proposito, quia
objectum intellectus est communius objecto sensus, communitate universalitatis et præ-
dicationis (objecta enim sunt subordinata, sicut et potentiæ) ideò non potest infer-
ri, quod sic se habeat objectum ad objectum, sicut potentiæ inter se, siquidem obje-
ctum continetur sub alio objecto, scilic. objectum sensus sub objecto intellectus. In-

Differentia inter Intellectum et sensum.

stabis: Philosophus 2 de Anima. t. 60 ponit differentiam inter sensum et intel-
lectum in eo, quia intellectus est universalium: sensus verò singularium: Ergo
objectum sensus non est objectum intellectus. Rndeo: Per hanc Philosophi Authori-
tatem et alias similes nihil aliud probari, nisi hoc, quod scilicet sensus sit sin-
gularium præcisè, id est, quod sensus non possit cognoscere alia objecta scilic: uni-
versalia, nisi ipsa tantum singularia: unde non differt ab intellectu per hoc, quia
cognoscat singularia, sed per hoc, quia tantum singularia cum additione istius
particulæ (tantum) cum enim intellectus possit tam singularia quam uni-
versalia cognoscere. QUÆRES Cur ergo Aristoteles Cognitionem Univer-
salis tribuit intellectui dicendo, quod Intellectus sit Universalium, cum ipse
etiam singularia cognoscat. Rndeo ideò attribuit Cognitionem Universalis
Intellectui, quia præcipua ejus operatio est cognoscere Universalia, et ad hanc
tanquam ad finem dirigitur Cognitio singularium, quia non posset Intellectus
intelligere Universale, nisi cognosceret etiam singulare. Instabis 2do Si Intel-
lectus cognoscit singularia, vel si ejus Objecta sunt singularia: Ergo non erit distin-
ctus Intellectus à sensu: Consequens falsum Ergo et Antecedens. Sequela Pro, Po-
tentiæ distinguuntur per Objecta: Ergo si Intellectus et sensus idem habent Ob-
jectum, sequitur quod istæ potentiæ non distinguantur. Rndeo Negando se-
quelam. Ratio, quia distinctio potentiarum per Objecta est à posteriori et se-
cundaria, non verò prima aut à priori, unde licet haberent idem Objectum ta-
men propter hoc non sequeretur, quod ipsæ potentiæ per se non essent distinctæ.
Cæterum etiam per Objecta sensum distingui ab Intellectu est certum, non qui-
dem ita, quod Intellectus sit circa unum, et sensus circa aliud Objectum: sed quia Ob-
jectum Intellectus latius patet, et est quid totum, scil. Ens in quo clauditur Singulare et Universa-
le: Objectum verò ipsius sensus est strictius, et est pars Entis scil. est ipsum tantum singulare.

THEOREMA

THEOREMA 9num.

Licet Singulare sit cognoscibile abstractivè, sub proprio conceptu Singularitatis; tamen pro hoc statu non cognoscitur ita à nobis.

Notandum Dictum 1mum Non valet consequentia arguendo sic: Singulare cognoscitur intuitivè; Ergo et abstractivè sub proprio conceptu. Quia cognoscere Singulare intuitivè, est intueri et cognoscere naturam singularem seu singularizatam, accidentibus materialibus circumdatam, quod fit tunc, quando cognoscimus accidentia et circumstantias ipsius Singularis, non apprehendendo conceptus ejus particulares Essentiales: At verò cognoscere abstractivè singulare sub proprio conceptu est cognoscere propriè naturam singularem sine ullis accidentibus, quod tunc fit, vel fieri deberet, quando apprehenderemus ipsos conceptus particulares Singularis, si scil. attingeremus differentias Individuales, nempe Pauleitatem, Petreitatem etc. Dictum 2dum Singulare actualiter à nobis cognosci intuitivè ab initio, imò et abstractivè postmodum, non quidem sub conceptu proprio singularitatis, sed sub conceptu speciei specialissimæ est verissimum: Unde singulare cognitione intuitiva esse primum cognitum; deinde et cognitione abstractivâ non tamen sub proprio sed sub speciei Specialissimæ conceptu commodissimè possumus dicere.+ quod singulare sit primum cognitum est dicere ipsam speciem specialissimam esse primum cognitum, nam conceptus primus quem noster Intellectus de Singulari habet, est conceptus ipsius speciei specialissimæ. Dictum 3tium Quod Intellectus intueatur singulare, et cognoscat illud intuitivè, non repugnat huic, quod dicimus Intellectum non cognoscere singulare sub proprio conceptu singularitatis cognitione abstractivâ, quia illa cognitio intuitiva non est apprehensio alicujus prædicati vel conceptus singularis, sed simplex Intuitio, velut propriè dicatur Motio Intellectus à singulari, ideò non repugnat quod Intellectus moveatur à phantasmate, et sic inspiciat singulare phantasma, et tamen cum Intellectus postea incipit intelligere conceptus et prædicata illius singularis, quæ est cognitio abstractiva, incipiat à minus Universalibus.

+ Cæterum dicere

Probatio Theorematis.

Pars 1ma Quod Singulare sit cognoscibile abstractivè sub ratione singularitatis patet ex præcedente Theoremate. Pars 2da Quod non cognoscatur actualiter pro hoc statu abstractivè. Probatur: Omnis potentia cognoscens aliquod objectum sub propria ratione potest illud distinguere à qualibet alia re, circumscriptis ejus omnibus accidentibus ipso solo permanente: Atqui Intellectus noster non potest Singulare distinguere ab alia re ipso singulari permanente, circumscriptis autem ejus omnibus accidentibus. Ergo Intellectus pro hoc statu non cognoscit singulare sub propria ratione singularitatis, et per consequens Singulare etc. Minor patet in exemplo: Accipiamus Singulare

gulare aliquod signatum V.G. Paulum, circumscribamque ab illo circumstantias loci, temporis, item figuram Qualitatem, Quantitatem, et omnia alia quae sunt extra ipsam Pauli singularitatem. Tunc Quaero aut Intellectus noster sciet Paulum distinguere ab omnibus alijs Individuis naturae humanae scil. Petro, Joanne etc. aut non. Si secundum, ergo habeo propositum, quod scil. non cognoscat eum sub proprio conceptu singularitatis, nam si cognosceret, utique posset distinguere. Primum enim dici non potest; Nam si à Petro similiter circumscribantur omnia accidentia, et sola relinquatur singularitas nuda, certè nequaquam poterit intellectus inter Petrum et Paulum assignare differentiam. Alias si crearetur in hoc Lectorio à Deo Petrus et Paulus sine accidentibus, nos statim possemus dignoscere, eos inter se esse distinctos, quod est manifestè falsum, siquidem substantia (ut superius fuit ostensum) non potest à nobis per se pro hoc statu cognosci. Confirmatur Experientiâ. Quia eatenus nos cognoscimus aliquod singulare signatum, et possumus illud ab alijs rebus distinguere, quatenus intuemur in illo accidentia aliqua, quae non videmus in alijs rebus: At si circumscribantur illa accidentia omnia, jam illud distinguere non poterimus, quia jam tunc erit nobis ignotum, substantia enim ut sic non movet Intellectum nostrum immediatè ad Cognitionem sui. Quaeres Quomodo singulare cognoscatur ab Intellectu nostro. Resp. eo Verbis Faventini. Cognosci illud hoc modo. Quando phantasma offertur intellectui, tunc Intellectus cognoscit illud phantasma singulare intuitivè, quia intuetur illud totum, quod sibi à phantasia praesentatur, hoc autem totum est singulare. Postea hoc facto Intellectus agens vult illud singulare cognoscere quid sit? Et sic quodammodo reflectit se supra singulare et auxilio sensus incipit abstrahere ex illo singulari conceptus, seu incipit de illo singulari formare conceptus (abstrahere idem est quod formare conceptus Universales) et primò abstrahit conceptum speciei specialissimae atque hic incipit Cognitio abstractiva: Deinde conceptum Universalem, qui est speciei specialissimae proximus, scil. conceptum generis immediati concipit, seu abstrahit, atque sic ascendit usque ad maximè Universale, scil. ad ipsum Ens: Modo quando Intellectus ab initio Cognitionis abstractivae apprehendit conceptum speciei specialissimae singularis s. eius singularizata. Dicitur cognoscere singulare, quia cognoscit eo modo quo potest, cum non possit illud cognoscere sub proprio conceptu singularitatis. Postmodum hoc ordine Cognitionis confusae absoluto, reflectitur Intellectus et descendit usque ad speciem specialissimam, atque ibidem iterum circa singulare laborat ut ab eo abstrahat conceptum proprium et distinctum singularitatis, cumque illum habere non possit, cognoscit singulare sub natura specifica, cum Differentia Individuali in co

li in communi, id est, ut est Individuum Vagum, & sic conceptus est omnium aliorum perfectissimus, quem pro hoc statu de singulari possumus habere, qui ut patet non est proprius & quidditativus Pauli vel Petri, sed Individui Vagi et communis, nam de Paulo verum est dicere Paulus est aliquis homo; Item de Petro est aliquis homo &c. sed conceptus proprius & particularis Pauli, qui non potest alijs competere, nequaquam potest haberi. Objicies Omne id quod continetur sub adaequato Objecto Intellectus attingitur et apprehenditur ab Intellectu: Sed Singulare ut singulare continetur sub objecto intellectus. Ergo Singulare apprehendit intellectus. Minor Quia singularitas est Ens; jam verò Ens est Objectum Intellectus adaequatum. Resp. Majorem distinguendo: Attingit attingentiâ potentiali et potest cognoscere Concedo. Attingit attingentiâ actuali et cognoscit actu Nego. Eodem modo distingue ipsam Conclusionem. Nam verum est quod singulare potest cognosci sub proprio conceptu singularitatis, prout octavo Theoremate diximus: At falsum est quod pro hoc statu cognoscatur sub ratione singularitatis: Multa enim sunt scibilia de quibus non potest haberi Scientia propter varia impedimenta, non ex natura Objecti aut potentiae, sed ex parte mediorum prodeuntium. Instabis Imò Sensus cognoscit singularia (quia sensus est singularium) ex Philosopho. Ergo et Intellectus apprehendit eadem. Consequentia Quod potest potentia inferior, potest etiam superior. Resp. distinguendo Sensus cognoscit singularia sub conceptu communi Speciei Specialissimae, & sub ratione Universalitatis Concedo. Cognoscit sub conceptu proprio & sub ratione singularitatis Nego. Hoc eodem modo distingue consequentiam. Instabis 2dò Potentia quae ponit differentias & similitudinem inter aliqua, apprehendit illa distinctè: Sed Intellectus noster ponit differentias inter singulare & Universale & haec Cognitio non fit per sensum, quia sensus non cognoscit Universalia sed fit per Intellectum: Ergo ~~[illegible]~~ Intellectus apprehendit singularia. Confirmatur Quia distinguit Petrum à Paulo: Ergo cognoscit singulare, Nam Petrus & Paulus sunt singularia. Resp. Illud Singulare inter quod & Universale ponit differentiam Intellectus, cognosci ab Intellectu in communi tantum, non verò sub proprio conceptu Singularitatis, falsum enim est, quod Intellectus cognoscat proprium conceptum Pauli, ut Paulus est. Ad Confirmationem dico ita esse, quod scilicet distinguat Petrum à Paulo. Caeterum dico hoc fieri non ideò quia cognoscat singularitatem Petri aut Pauli, sed tantum quia videt naturam specificam hominis non esse totam in hoc Individuo, sed tantum ejus partem, atque sic distinguit Paulum à Petro, quia cognoscit Petrum esse hominem hunc & Paulum hominem illum.

THEOREMA

In quolibet singulari duo reperiuntur.

THEOREMA Xmum.

Singulare non cognoscitur à sensu, neq est Objectum sensus sub ratione Singularitatis; sed tantu sub ratione Vniversalitatis.

Notandum Dictum Imum In quolibet Singulari duo reperiuntur, sive sit Substantiale sive accidentale, illud singulare. Imò natura Communis 2do Singularitas seu Differentia Individualis: Porrò Differentia ista Individualis subsequitur naturam communem tanquam quia posterius & coarctat seu contrahit ipsam V. G. in Paulo est humanitas per quam Paulus est homo (nam Paulus humanitate est homo tanquam principio Quo): Deinde in eodem Paulo est differentia Individualis nobis distinctè ignota quam possumus vocare Pauleitatem, et hæc contrahit humanitatem & coarctat, faciens illam singularem seu individuam, et simul cum illa constituit Paulum. Dictum 2dum Natura ista communis, quæ cum differentia Individuali s. Singularitate reperitur in singulari habet Vnitatem, quia est una: Porrò Vnitas ista ipsius est minor unitate numerali, nam Vnitas numeralis est ultima Vnitas, major autem qualibet unitate alia Vniversali. Exemplum etiam potest haberi in accidentibus V. G. albedo est natura communis, hæc albedo est singulare seu particulare contractum s. constitutum per differentiam Individualem nobis ignotam quam vocare possumus & nominare A. vel B. Dictum 3tium Ex quo in singulari sunt ista duo scil. natura & differentia Individualis. Scias Quod Singulare quandò sentitur & movet sensum, non movet illum sub ratione Singularitatis, sed quod tantum sub ratione Vniversalitatis sit ejus motivum, hoc est ratio motiva ipsius sensus seu principium quo movetur sensus non est Singularitas ipsa, quæ contrahit naturam specificam; sed est ipsa natura communis Specifica realis, quæ contrahitur per illam Differentiam Individualem, nobis ignotam. Dictum 4tum. Si Quæras quinam ipsa Singularitas ibi agat si non est ratio motiva, et quomodo se habeat. Rtur Singularitatem esse conditionem agentis sine Qua Non; non autem rationem agendi, quia actiones sunt singularium, nam licet natura communis sit ratio agendi, tamen id quod agit, veluti principium Quod est singulare: Unde sine Singularitate non posset albedo communis videri. Insumma ambo ista natura communis & singularitas requiruntur ad hoc ut singulare possit à sensu apprehendi natura tanquam ratio agendi et principium Quo: Singularitas verò tanquam Conditio sine qua non, et tanquam principium Quod.

PROBATIO THEOREMATIS

Pars Ima (Quod sub ratione Singularitatis non sit Objectum sensus Singulare) Probatur Imò Omnis facultas s. potentia, quæ cognoscit aliquod Objectum sub ratione singularitatis potest illud distinguere à quocunq alio quod est numericè ab ipso distinctum: Sed sensus non potest distinguere Objectum quod cognoscit ab alio, quod non est ... numero cum

mero cum ipso: Ergo sensus non cognoscit suum Objectum sub ratione Singularitatis. Minor. Alias sequeretur quod visus posset distingvere Solis radios abinvicem. Consequens falsum Ergo et Antecedens. Sequela. Quia Solis radii sunt + distincti, et + numero cognoscuntur à potentia visiva, qua neguaquam eos potest abinvicem distingvere. Ergo eos non cognoscit sub ratione singularitatis. DICES Rationem motivam ipsius sensus esse Unitatem Singularem, non tamen illam percipi à sensu absq conditionibus materialibus et illis circumstantijs; Unde et visum licet radius singularis seu Unitas numeralis moveat, hoc est differentia Individualis, tamen visus non potest unum ab altero distingvere eam ob causam quia Conditiones materiales, scil. Locus, Subjectum, Existentia sunt permixta. Contra Ex hac Ratione manifestè sequitur nostri Shecrematis venias, quod scil. singularem Entitatem sensus non attingat, neq ab illa moveatur, nam si sensus neguaquam potest Objectum sine conditionibus materialibus cognoscere: Ergo quando conditiones materiales Objecti non apprehendit, non cognoscit Objectum. SUBSUMO. Sed ut dicis dum visiva potentia videt radios Solis, non cognoscit conditiones materiales uniuscujusq illorum radiorum, namq asseris, istas conditiones esse permixtas et indistinctas, atq ob hoc ipsum non posse visum dignoscere, utrum hic radius sit numericè distinctus ab illo siquidem non sunt in diverso Loco ac Situ: Ergo visiva potentia non cognoscit illum radium singularem sub ratione Singularitatis. Deinde Quaero de his conditionibus materialibus singularis, sintne de ratione intrinseca ipsius anne? Non potest dici quod sint, quia posteriores Entitate singulari, namq fluunt ab illa, et accidunt ipsi. Si autem non sunt intrinseca ipsi. Ergo absq illis potest visiva potentia cognoscere Entitatem singularem radij, et per consequens distingvere illum radium ab alijs, non cognoscendo eas conditiones materiales. Atqui hoc Consequens est falsum Ergo et Antecedens. Atq sic ratio motiva sensus non erit Singularitas. Falsitas est clara. Sequela: Omne prius potest cognosci absq suo posteriore: Sed Singularitas est illa prior conditionibus materialibus: Ergo poterit cognosci absq illis, et per consequens distingui. Probatur 2do. Si Deus poneret duas albedines aequè intensas in eadem superficie (neq enim hoc implicat contradictionem) istae albedines essent ab invicem distinctae, quia haec non esset illa, neq illa esset haec. Tunc Quaero, An visus judicaret istas albedines esse duas, an unam? Non potest dici primum, quia sic etiam radios Solis posset dijudicare et discernere. Si autem dicatur secundum: Ergo illas non cognoscit. Nam si eas sub ratione Singularitatis cognosceret, non judicaret esse unam sed verè duas. Verum itaq est, quod visus Objectum suum cognoscat tantummodo sub ratione Universalis conceptus realis, qui est communis, scil. sub ratione naturae communis, ita, ut Objectum per se sensus motivum, formaliter nihil aliud sit, nisi natura communis, et hoc idem

dicatur

dicatur de reliquis sensibus. <u>Pars 2da</u> Quod Singulare sub ratione Universalitatis cognoscatur patet ex 1ma parte, si enim non cognoscitur sub ratione Singularitatis. Ergo restat, ut cognoscatur sub ratione Universalitatis. <u>Objicies</u> Id quod est Objectum sensus cognoscitur à sensu: Sed Universale non cognoscitur à sensu: Ergo Universale seu natura Specifica, non est Objectum sensus. Minor patet ex 1mo Posteriori tex. 45. ubi aperte docetur, quod sensus non cognoscat Universalia, sed solum Singularia. <u>Confirmatur</u> Omnis Sensatio extra animam est singularis: Ergo et Objectum à quo causatur est singulare et movet potentiam, ut habet Unitatem numeralem, non verò specificam, numerali Unitate minorem. <u>Consequentia</u> ex 2dó Physic. tex. 38. Particularium causæ sunt particulares, Universalium verò Universales. Rtio <u>Universale seu naturā specificam dupliciter cognosci: 1mo sub conditionibus Universalibus 2do sub conditionibus materialibus</u> scil. Loci, Temporis, Situs etc. Unde distinguo Minorem. Universale non cognoscitur à sensu 1mo modo, idest, sub conditionibus Universalibus Concedo. Non cognoscitur 2do modo idest conditionibus materialibus Nego. et hoc tantum Arith. ~~sequitur~~ evincit. <u>Ad Confirmationem Dico</u> Sensationem posse esse Singularem et etiam Universalem; Erit Singularis atque Una numero formaliter: Erit verò Universalis Objective, quia erit circa Objectum Commune. <u>Instabis</u> Si Objectum ipsius sensus motivum esset Universale, seu natura Specifica. Ergo nulla esset Differentia inter sensum et Intellectum. Consequentia, Quia Utriusque idem esset Objectum, nam et Intellectus quoque est Universalium. Confirmatur hoc idem autoritate Philosophi, qui ubique docet nostros sensus esse circa singularia 1 Metaph. dicitur Cognitiones Singularium maximè esse proprias sensibus. Item 2. de ~~[illegible]~~ Anima dicitur, quod dum Singulare sentitur, Universale intelligitur: et in libro de somno dicitur. Sentire esse ipsius Singularis, ex quibus patet Objectum sensus esse Universale Singulare, non verò. Rdeo Jam à nobis ostensum esse Theoremate octavo solvendo Objectiones, qua sit Differentia inter sensum et Intellectum. Ubi diximus potentias esse duplices: Alias disparatas, ut est visus, Auditus, Gustus, quæ habent diversa Objecta. Alias Subordinatas, ut est sensus communis et sensus particularis, nam isti subordinantur sibi, ita, ut Unus sit inferior; alter verò superior et horum Objectum potest esse idem cum hac Differentia, quia superior habebit Objectum universalius et plura cognoscet, quam inferior, nam superior cognoscet ea omnia, quæ cognoscuntur ab inferiori; Sed inferior non cognoscet ea omnia, quæ à superiori cognoscuntur, quod potest Exemplo monstrari. Accipiatur Auditus, item accipiatur sensus communis, tum auditus cognoscet sonum et nihil aliud; Sensus verò communis cognoscet et sonum, et colorem et odorem, et alia: Atque, hoc idem dicimus evenire in proposito, nempe, quod sensus et Intellectus sint potentiæ subordinatæ, ita ut Intellectus sit superior,

<u>Universale seu natura Specifica dupliciter cognoscit.</u>

+ Anima

sit Superior, Sensus verò inferior, quare non debent habere omnimodè diversa Objecta, ex quo sunt subordinatæ potentiæ cognoscitivæ et ejusdem generis (ambæ enim sunt cognoscitivæ) distinguuntur autem earum Objecta penes hoc, quia unius Objectum scil. Intellectus erit latius, communius et Universalius: Alterius verò nempe potentiæ Sensitivæ erit strictius et minus commune. Ad Confirmationem autem et Autoritatem Philosophi dicatur juxta ea, quæ Theoremate Octavo attulimus. Authoritas illa ex libro de Somno non docet, quod Objectum sensus sit Singularitas, sed tantum indicat Singularitatem esse conditionem Agentis, quia Objectum non movet sensum, nisi ut est in aliquo Singulari et Individuo, quia Universalia, ut sunt naturæ specificæ et genericæ non existunt in rerum natura separatæ à Singularibus, quia sunt illis identificatæ.

THEOREMA 11mum.

Cognitio Sensitiva prior est origine in nobis, quam Intellectiva: Item. Cognitio Sensitiva ~~[deleted]~~ + prior est Interiore: (+ exterior ~~sensus~~) Item Sensitiva cognitio accidentis prior est quam Substantiæ. Tandem inter sensitivas tactio prior est visione, Auditione et reliquis.

Notandum Dictum 1mum. Hoc Theorema aliter potest formari sic: Sensus prius origine operatur quam Intellectus. Item. Prius sensus exterior quam interior. Item. Prius circa Accidens quam circa substantiam. Item. Prius Tactus quam alii. Vel sic: Objecta sensibilia prius origine cognoscuntur, quam intelligibilia. Item prius accidentia quam Substantiæ. Item prius tangibilia per se propria, quam visibilia, audibilia etc.

Cognoscibilia sunt duplicia.

Dictum 2dum. Cognoscibilia sunt duplicia, scil. Substantiæ et accidentia, quæ quidem Substantiæ et Accidentia sunt iterum duplicia: Alia Singularia; Alia Universalia.

Potentia cognoscitiva est duplex.

Dictum 3tium. Potentia Cognoscitiva est duplex: Alia sensitiva, Alia Intellectiva: Solam sensitivam absque Intellectiva habent bruta, Intellectivam solam absque Sensitiva habent Substantiæ abstractæ, quas vocamus Intelligentias: Sensitivam et Intellectivam simul habet Homo, qui est quoddam medium inter corporea et incorporea Entia, et quia duplicem habet potentiam, ideo quoque duplicem cognitionem: Aliam Sensitivam; Aliam Intellectivam.

Objectum sensibile e duplex.

Dictum 4tum. Objectum sensibile est duplex: Aliud est Sensibile per se, quod verè et propriè percipitur à sensu, ut color à visu, sonus ab auditu etc. Aliud Sensibile per accidens, quod propriè non percipitur à Sensu, sed per accidens conjungitur cum sensibili per se V.G. Si album sit filius Pauli, tunc album per se videbitur, homo autem seu filius non videbitur, nisi quatenus accidentaliter cum ipso albo conjungitur.

Sensibile per se est duplex.

Dictum 5tum. Sensibile per se iterum est duplex: Unum est sensibile per se proprium, quod uno solo sensu cognoscitur, ut sonus auditu, color visu, sapor gustu etc. Alterum est sensibile per se commune, quod pluribus sensibus cognoscitur, tale autem sensibile commune, Quincuplex in 2do de Anima assignatur. Scil. Figura, Magnitudo, motus,

Communia sensibilia sunt quinque

q

Motus, Quies & Numerus. Dictum 6tum. Substantia est Sensibilis per accidens: Accidens verò est Sensibile per se. Dictum 7mum Cognitionis producendæ duo sunt principia; Unum est Objectum cognoscibile, Alterum verò est potentia cognoscitiva. Dictum 8vum Sensus est duplex Alius interior, alius exterior: Exteriores Sensus sunt Quinque: Visus, Tactus, Auditus, Gustus, Olfactus. Interiores sunt tantum 3 scilicet: Sensus communis, imaginativa s. Phantasia, & memoria. Dictum 9num. Sicut Sensus exteriores sunt Quinque, ita quoque Sensibilia per se propriè sunt quinque, & quinque Sensationes proportionales à quolibet sensu, circa suum proprium per se Objectum elicitæ. Dictum 10mum Sicut ordine Generationis primus omnium sensuum cognoscentium est Tactus, ita primum cognitum inter Sensibilia erit Objectum tangibile, & prima cognitio Sensitiva in homine erit ipsa Tactio seu contactus.

Cognitionis producendæ duo sunt principia.

Sensus est 2plex interior et exterior.

Exteriores sensus sunt quinque.

Interiores sensus sunt tres.

Sensibilia sunt quinque.

PROBATIO THEOREMATIS.

Pars 1ma Quod cognitio Sensitiva sit prior origine, quam Intellectiva Probatur. Quia quod est perfectione & natura posterius in iis quæ generationi & corruptioni subsunt, illud Generatione seu origine est prius (Quia 8. Physic. tex. 58 dicitur, Quod est generatione posterius in iis quæ generationi & corruptioni subsunt, illud est natura prius) Sed cognitio Sensitiva est perfectione & natura posterior, quam cognitio Intellectiva Ergo Sensitiva est prior origine, quam Intellectiva. Pars 2da Quod cognitio Sensitiva exterior sit interiore prior eodem modo probatur ut prima. Pars 3tia Quod cognitio Sensitiva circa accidens sit prior cognitione circa substantiam. Probatur Quod per se sentitur & apprehenditur à sensu est prius eo, quod per accidens sentitur (Quia 8. Physic. tex. 66 nihil per accidens est prius iis, quæ sunt per se) Sed accidens sentitur per se, substantia verò sentitur per accidens ex 2do lib. de Anima tex. 64 & 134 Ergo Accidens est prius cognitum, atque omninò primum cognitum cognitione actuali sensitiva, & per consequens cognitio sensitiva circa accidens est prior cognitione circa substantiam. Notes Ex hoc colligi posse accidens non solum prius sed etiam magis cognosci à sensu, quam Substantiam, quia semper propter quod unumquodque est tale, illud ipsum magis est tale ex 1mo Poster. tex. 15. Sed accidens est notum Sensui & quidem per se ipsum: Substantia verò aut non est nota sensui, aut si est nota est solum nota per accidens: Ergo accidens magis notum est sensui, quam Substantia. Pars 4ta Quod tactio sit prior Visione, auditione & aliis. Probatur Omnis passio Subjecti prioris est prior passione Subjecti posterioris (Quia ex 5to Metaph. tex. 16. cap. de priori: priores dicuntur passiones priorum, ut rectitudo lævitate: Illa enim scil. rectitudo est lineæ passio per se, hæc verò scil. lævitas est passio per se superficiei† Item 2do de Coelo tex. 8 & 12. Ratio ipsius Sursum & deorsum, quæ spectat ad longitudinem est prior ratione dextri & sinistri, quæ spectat ad latitudinem: Longitudo autem est pri

† jam verò linea est prior superficie

or latitud

or latitudine.) Sed actꝰ primꝰ est quasi subjectum; actꝰ verò secundꝰ aptitudine vel actu est quasi passio, aut actꝰ passioni correspondens: Ergo Qualis erit ordo actꝰ primi ad actum primum, talis etiam erit ordo uniꝰ actꝰ secundi, ad alium actum secundum. Subsumo. Sed Sensꝰ, tactꝰ, Visus, Gustꝰ etc. sunt actꝰ primi: Jam verò Tactivum, Visivum, Auditivum etc. Item Tangere, Videre, Audire etc. s. Tactio, Visio, Auditio et sunt actꝰ secundi. Ergo Qualis est ordo inter Tactum, Visum, Gustum; Talis etiam erit inter Tactivum, Visivum, auditivum etc. Item inter Tactionem, Visionem et Auditionem. Hinc ulterius. Sed Tactꝰ in actu primo est ordine generationis omnium aliorum sensuum primꝰ. Ergo etiam tactivum esse. Item Tangere s. tactio secundum ordinem generationis sunt priora visivo, auditivo. Item visione auditione etc. omnium aliarum primò producetur ipsa tactio. Minor illa secundæ subsumptionis scil. quod tactꝰ sit primꝰ omnium probatur, Tum autoritate Philosophi qui 2. de partitibꝰ animalium cap. 8 habet hæc verba (Animal eo definimꝰ quod sensum continet, primumꝗ illum qui primꝰ est, tactu autem primum esse certum est) tum quia quod spectat ad Esse, est priꝰ eo quod spectat ad bene Esse (Nam priꝰ in generatione est esse quam bene Esse) Sed tactꝰ ad Esse animalis alij autem sensus ad bene Esse, ut docetur 3tio de Anima tex. 66. et 68. Ergo tactꝰ est prior alijs sensibꝰ. Unde agere s. influere ad Esse Consequens est priꝰ quam agere s. influere ad bene Esse: atꝗ sic verum est quod tactꝰ priꝰ quam alij sensꝰ tangat, sentiat et cognoscat suū Objectū tangibile et per Consequens quod etiam tactio sit prior visione, auditione etc.

NB

NB

THEOREMA 13mum.

Antequam nascatur infans priꝰ sentit objecta tactꝰ quam aliorum sensuum: In lucem verò emissꝰ priùs etiam objecta tactꝰ atꝗ ipsius gustꝰ, quam aliorum cognoscit

Pars 1ma. Quod priꝰ objecta tactꝰ cognoscantur ab infante antequam nascat, quam aliarum potentiarum. Probatur. Infans in utero materno sentit; sed non sentit nisi tactu: Ergo priꝰ objectum tactꝰ, quam aliorum sensuum antequam infans nascatur sentit, atꝗ sic Tangere est primum sentire, id est, tactio est prior omnibꝰ alijs sensationibꝰ et tactile s. objectum tangibile est primum sensatum: Nam ut se habet Objectū ad Objectum, ita actꝰ potentiæ uniꝰ ad actum potentiæ alteriꝰ, et potentia una ad aliam. Major. Qui vigilat ille etiam sentit (Quia somnꝰ et vigiliæ opponuntꝰ tanquam habitꝰ et privatio, somnꝰ enim est cessatio à sensatione exteriore, vigilare verò est ipsum sentire s. ipsa exterior sensatio ex 1mo cap. de somno) Sed infans in utero materno vigilat (Quia 5to de generatione animalium cap. 1. de pueris ita loquitur Philosophꝰ Intra parentem cum primum sentire cœperint, tempꝰ ferè totum dormiendo consumunt, et infra: Veruntamen expergisci etiam in utero dicuntur quod tum in dissectionibꝰ, tum in prole ovipari generis apparet, mox obdormiscunt rursusꝗ vigilabunt) Ergo infans in utero materno sentit, siquidem dormit, vigilat et expergiscitur juxta Philosophum. Minor principalis quod scil. non sentiat alio sensu

Somnꝰ quid et Vigilia.

nisi tactu

nisi tactu. Probatur Vel enim sentiret visu, vel Auditu, vel olfactu, vel Gustu. Atqui nullo horum. Ergo tantum ipso tactu. Minor, non visu, nec Auditu neq Odoratu, quia illis sensibus non potest infans sentire, qui sensus habent suas sensationes circa Objectum distans: Sed Visus, Auditq, Odoratq habent suas sensationes circa Objectum, quod in sua Entitate reali physica est distans: Ergo Visu, Auditu et Odoratu infans non sentit in utero materno: Major proxima. Sensus, qui suas habent sensationes circa objectum distans, debent habere medium liberum, per quod species sensibiles ad eos deferantur commodè (si enim inter visum et imaginem distantem videndum aliquid in aëre interponatur, non videbitur illa imago) Atqui Visus, Auditq et Odoratq infantis in utero materno existentis non habent medium liberum, sed impeditum Ergo. Minor proxima. Quia medium istud percipiendi odoris, coloris et soni est interceptum membranis foetum circumdantibq; Unde nisi vehemens aliqua intercedat violentia, neguaquam species sensibiles poterunt transferri per illud impedimentum: Ergo. Confirmatur, Illo sensu prius infans sentit, qui suum Objectum prius habet sibi praesens sufficienter approximatum: Illis verò sensibq sentit posterq, qui habent posterq sua Objecta praesentia et approximata: Atqui Tactq prius habet suum Objectum sibi praesens et approximatum, quam alij sensus: Ergo Tactu priq infans sentit quam alijs sensibq. Minor Quoad primam partem patet: Quia membra infantis circumdari corporeis Entitatibq est manifestissimum: Quoad secundam probatur. Quia nec Auditq potest habere suum aërem connaturalem, cum aëre exteriore conjunctum, qui aër exterior ad audiendum requiritur, nec Visus perspicuum et diaphanum, quod ad videndum est necessarium, nec Odoratq. Gustu quoq infantem in utero materno non sentire ex eo potest colligi, quia Gustq residet in lingua; jam verò lingua infantis in utero materno non operatur, Siquidem ex 7timo de Hist. Anim. Cap. 8 Infans per umbilicum nutritur atq augetur, non per linguam. Restat itaq ut dicamq primam cognitionem sensitivam, quam infans habet esse Tactionem s. Tangere, et Objectum sensibile primum ejq esse Tangibile.

Pars 2da Quod infans in lucem emissus priq sentiat Objecta Tactq et Gustq, quam aliorum sensuum Probatur. Nam Infantes ex 7 de Animalib. C. 10 + plorant, et plorant quidem ob aliquod Objectum disconveniens, porrò illud Objectum non potest esse aliud, quam frigus externum, vel calor, vel compressio et extensio membrorum, quorum quidem duo priora calor et frigq sunt propria Objecta ipsiq Tactq, duo verò posteriora scil. compressio et extensio sunt communia sensilia, et cum communia sensilia non cognoscantur, nisi beneficio propriorum, fit ut ipsa tangibilia priq cognosci dicantur. Praeterea infans natq potest prosequi ac fugere Objecta propinqua, et de facto prosequitur et fugit, dilatatione, contractione s. contorsione et ploratu: Ergo necesse est, ut Tactq celerrimè percipiatur

+ Dum nascuntur plorant etc

ciatur, cum infans non possit ab omnibus tangibilibus separari, quibus perimere-
tur per exsuperantiam s. excessum, nisi ea refugeret: At vero Objecta longe posita
neque prosequitur aut fugit, neque prosequi aut fugere potest. Cum ergo natura nec de-
ficiat in necessarijs, nec redundet in superfluis, ut docetur 3 de Anim. tex 45. et lib.
de Respiratione cap. XI: velocissime Tactum atque Gustum absolvit in actu primo, eosque velocissi-
me ad actum secundum sentiendi perducit: At vero caeteros sensus tardius elaborat, quia
cum finis eorum non possit haberi, neque etiam opus est ipsos cito esse aut operari. Itaque
Tactus prius cognoscit sua Objecta sive in Vigilia sive in somno, Namque et in somno pue-
ros atque adultos aliquomodo sentire testatur Philosophus de Generatione animalium 5. lib.
cap. X. Deinde docet Philosophus 7. de Animal. cap. 10 Infantes statim ac nascuntur
sugere ubera, sed gustus est quidam tactus, nec potest habere actum secundum scil. gusta-
tionem sine Tactu actualiter existente ex lib. 3 de Anima tex. 63. et 64. Jam vero
sugere non est possibile, nisi per Tactum et Gustum. Objicies Audibile, Auditus et Au-
ditio in Infante, aliquando praecedunt Tangibile, Tactum et Tactionem: Ergo Tactio
non est prior in Infante Auditione: Atque sic Infans non sentit prius objecta Tactus
quam Auditus. Antecedens. Accidit enim aliquando, ut propter vehementiores so-
nos fiat abortus, et infans aut nascitur aut natus moriatur. Ergo. Respondetur Negando
Antecedens ad Probationem Dico, Quod omnis exsuperantia s. Excessus objecti sen-
sibilis destruat suum sensum, et Excessus quidem destruit et perimit per se Ta-
ctum, imo et ipsum animal, quia animal sine tactu non potest existere. At ve-
ro Excessus aliorum sensibilium, licet suos sensus destruat per se, tamen ipsum ani-
mal destruit solum per accidens, quatenus per accidens conjungitur cum exuberan-
te tangibili unde sonus non per se; sed solum per accidens perimit Infantem. Interim
autem id, quod est sensatum per accidens non est primo sensatum, imo neque est opus
ut sentiatur, sicut forte sonus vehemens non sentitur ab Infante necdum nato, li-
cet sentiatur ab eo in lucem emisso. Et hunc quidem interitum non tam a sono, quam
potius a motu provenire, potest colligi ex 2do de Coelo tex. 53. Ubi in sono tonitrui
docet Philosophus, lapides non propter sonum, sed propter motum vehementem dissipa-
ri etiam validissimos, neque est semper necesse, ut id quod movetur sentiat, nam sicut
dum tormenta evacuantur succenso pulvere, tunc motu ignis et aeris concussa ter-
ra contremiscit, domus concutiuntur et debiliores muri corruunt, licet ipso globo
ex tormento emisso non tangantur. Ita et tenerrima prolis seu foetus constitutio, vehe-
menti impetu pulsata, potest moveri et interire, absque eo quod sentiat, siquidem ruere
et per consequens moveri convenit lapidibus et muris, cum tamen nec muri nec lapides
dicantur sentire.

THEOREMA 13tium

THEOREMA 13tium.

Quænam ex Qualitatibus tangibilibus prius origine perci- piatur tactu ab Infante nato, vel non nato incertum est. Cæterum probabile videtur esse ut in pluribus primas qualitates prius quam secundas, et inter primas prius calorem atque frigus quam alias tactu apprehendi.

Qualitates sunt duplices.

Notes Duplices esse Qualitates: Alias primas, ut sunt frigus, Calor, Siccitas, humiditas et istæ prius origine ab Infante cognoscuntur. Aliæ sunt secundæ, scil. gravitas, levitas, durities mollities, lævitas, asperitas etc. et istæ posterius dicuntur cognosci.

PROBATIO THEOREMATIS.

Pars 1ma Quod sit incertum probatur. Quia potest alicui prius occurrere calor, alicui vero frigus, aut aliqua alia Qualitas. Ergo. **Pars 2da.** Quod sit probabile prius primas quam secundas cognoscere. Probatur Quia secundæ Qualitates agunt beneficio primarum: Ergo convenit illis, ut prius primæ quam secundæ cognoscantur. **Pars 3.** Quod sit probabile, calliditatem vel frigiditatem prius cognosci quam alias Qualitates. Probatur: Quia quæ tangibilia sunt manifestissima et apertissima, illa prius cæteris cognosci est probabile: Atqui calor et frigus sunt manifestissima et apertissima (nam Philosophus 2do de partibus animalium cap. 2. dicit; Quod si calidum atque frigidum tantam recipiunt ambiguitatem et controversiam, quod de cæteris arbitrari debemus, hæc enim scil. calidum et frigidum omnium eorum, quæ sensum patiuntur sunt apertissima) Ergo calor et frigus primo sensu et prima Cognitione sensitiva actuali percipiuntur, vel sola, vel cum alijs Qualitatibus complicata, ut ex multis fiat unum totale sensibile confusum. Et Calorem quidem ab Infante necdum nato sentiri prius quam frigus vel alias Qualitates est maxime probabile, quia calor est motivum ipsius tactus activius et valentius, magisque approximatum, quam frigus: At vero ab infante jam nato potest nunc calor, nunc frigus pro ratione temporis et aëris circumstantis prius cognosci.

Quæres Si calor V. G. prius ab infante cognoscitur sensu ideo, quia est tactui primus et maxime approximatus, quare nemo sit qui istius tangibilis et primæ tactionis sibi primo impressæ recordetur, cum primæ impressiones validius et firmius soleant inhærere suis Subjectis: Unde vulgo dicitur eorum, quæ rudibus percipimus annis, diu recordamur: Idem videre licet ex vestibus et speculo, nam vestes maxime mundæ citissime inquinantur, nec tam cito eluuntur: Speculum facile inficitur, et si fuerit vetus facile poterit illas maculas amittere: At vero si novum fuerit, cum difficultate eas, quibus inficietur, amittet maculas. **Resp.** Causam ad hoc dubium solvendum ex varijs peti [illegible] posse. Primo ex subjecto receptivo, quod quidem si fuerit naturæ consistentis, permanentis et aliquo modo solidæ, potest retinere diu impressam sibi imaginem, At vero si fuerit fluens nequa

ens nequaquam illam retinebit, undè quia speculum & vestis non fluunt eo modo si cut Complexio Infantis, ideò quandò sunt munda & postea inficiuntur, retinent primas impressiones, memoria autem pueri non potest retinere, & si puer fuerit ingeniosꝰ, mul tò minꝰ recordabitur talis primi cogniti, eo quod duplici abundat humiditate, scil. com muni omnibꝰ pueris, & deinde alia propria ingeniosis. Secunda potest ratio habe ri cur non recordemur primi cogniti ex parte Objecti, quia calor aut frigꝰ, nume rꝰ vel magnitudo sunt Objecta sensibilia per se, primatꝰ verò s. primitas s. prioritas ipsa est sensibile per accidens, nam dicit relationem primi ad posteriꝰ positivam, vel negationem relationis ad aliquod priꝰ, et ideò licet species caloris vel numeri im pressa Infanti maneat in ipso, tamen species prioritatis illiꝰ non manet, atꝗ sic non re cordamur primi cogniti. Tertio potest haberi ratio ex multitudine imaginum s. Obje ctorum, nam in veste facile est discernere unam maculam tanquam primam, at si multæ imprimantur et ejusdem et diversæ rationis, jam difficillimum erit primam discernere. Cum itaꝗ in puero multitudo imaginum & cognitionum reperiatur maxima, fit ut per talem multitudinem confundatur memoria prioritatis, quod idem etiam adulto acci dit, nam et adultꝰ dum legit integrum folium non recordatur primæ literæ, imò nec vo cis à qua incepit legere, nisi de industria observet eam. Quartò potest peti causa ex Objecto simplici et mixto, nam non occurrit unum Objectum sensui simplex, sed occur rit unum totum confusum per accidens, ex multis Objectis mixtum, puta calore hu more, magnitudine, figura, mollitie & quæ omnia dum sensum movent, simul tempo ra invicem se impediunt, quoad discernendam prioritatem, et ideò pueri à principio concipiunt totum per accidens confusum in patre & matre, nec discernentes vocal alios viros in quibꝰ inveniunt simile totum confusum Patres, fæminas verò Matres.

THEOREMA 14tum

Prius cognoscitur sensui nostro singulare, quàm Universale.

Notandum Dictum 1mum Sensꝰ differt à sensatione s. sentire, quia sensus est ipsamet potentia, & principium sensationis, & vocatur actꝰ primꝰ s. sensꝰ potentiâ. Sentire verò est Operatio & Effectꝰ ipsiꝰ sensꝰ, & vocatur actꝰ secundꝰ, seu sensus actu. **Dictum 2dum.** Singulare tribꝰ conditionibꝰ indicatur istis. scil. Hoc. Hic. Nunc. Singulare enim est Hoc aliquid, quia est Ens demonstratum atꝗ signatum, & non inest pluribꝰ, est Hic nempe in uno loco signato, non in pluribꝰ: est Nunc scil. in tem pore determinato non extra illud, Quæ quidem tres Conditiones, vocantur conditiones ma teriales & Individuantes. **Dictum 3tium** Universale est in omnibꝰ ubiꝗ & semper, ni mirum quoniam Universale est indeterminatum ad omnia singularia, ad omnia loca & ad omnia tempora, in quibꝰ natura s. Quidditas aliqua Universalis esse potest. **Dictum 4tum**

Singulare tribꝰ conditionibꝰ indicatꝰ.

Licet Sensꝰ

Licet Sensus potentiâ respiciat Universale, indeterminatum, et in potentia ad omnia singularia, et possit indeterminatè omnia illa singularia attingere: Tamen sensus actu sentire s. Sensatio non est nisi de Objecto singulari: Caeterum in hoc Objecto singulari ratio sentiendi quae est motiva ipsius Sensus, est natura communis, ut albedo, non verò singularitas per quam albedo est Haec et Hic et Nunc: Nam singularitas est Conditio Objecti sensibilis, sine qua non fit sensatio circa tale Objectum.

PROBATIO THEOREMATIS

Illud prius origine sentitur aut cognoscitur, quod per se apprehenditur, quàm illud quod per accidens sentitur (Nam juxta Philosophum nihil per accidens est prius his, quae sunt per se) Sed Singulare sentitur per se, Universale verò per accidens: Ergo prius singulare quàm Universale ordine originis apprehenditur. Minor patet ex Philosopho lib. 13 Metaph. c. 10 ubi habentur haec verba (Verum per accidens videt visus colorem Universalem, eo quod hic color quem videt, nempè haec albedo, quam intuetur est color) Haec Autoritas ad alios sensus potest extendi. Nam si visus per accidens videt colorem Universalem. Ergo et auditus per accidens audiet sonum Universalem.

THEOREMA 1stum

Singulare incomplexum prius origine cognoscitur ab Intellectu, quàm Universale incomplexum in eo inclusum: Similiter singulare complexum; prius Universali complexo.

Notes Singulare incomplexum significare ipsamet Individua, cujuslibet naturae specificae extra Enunciationem, cujusmodi est Petrus Paulus, Bucephalus, hic bos, haec albedo. Universale verò incomplexum significat terminos specificam naturam vel genericam denotantes, cujusmodi est Homo, Equus, animal, Elementum, Color, albedo et etiam extra enunciationem. Singulare Complexum est Enunciatio singularis, cujusmodi est haec propositio: Petrus scribit, Iste bos movetur, illa albedo sentitur et Universale autem Complexum est Enunciatio Universalis, cujusmodi est haec propositio. Omnis homo est animal, Omnis albedo est color et

PROBATIO THEOREMATIS

Pars 1ma Probatur: Illa prius origine cognoscuntur ab Intellectu, quae sunt magis confusa, quam illa, quae sunt minus confusa (Lib. 1mo Physic. tex. 3. habentur haec verba sunt autem primò nobis delucida et manifesta ea, quae sunt confusa magis; posterius verò nota fiunt principia et Elementa dividentibus haec) Sed Singulare est magis confusum quàm Universale: Ergo Singulare prius cognoscitur ab intellectu, quàm Universale. Minor Nam si acceperimus Singulare aliquod scil. Petrum hominem, et Universale Hominem, facile advertemus, quod singulare sit totum confusum magis, quàm Universale, quod est una ratio inclusa in illo singulari, sicut in hoc toto Petro Homine sunt duae rationes, nempè humanitas et Petreitas; in hoc (mine) autem ut est Universale, est sola humanitas. Praeterea in

potentiis

potentijs cognitivis subordinatis, quod primò est cognitum à potentia inferiore, illud offer
tur cognoscendum prius potentiae superiori: Sed sensus est potentia cognitiva subordinata in
tellectui, & offert ipsum singulare ut cognitum: Ergo Intellectus prius intelligit singulare quàm
Universale. Major Probatur dupliciter 1mò ex ratione actualitatis, quod enim inter obje
cta est magis actuale, prius agit in potentiam cognoscentem: Atqui Singulare est magis a
ctuale quam Universale (Quia duplicem habet actualitatem, nam non solum fulget in spe
cie phantastica, s. sensibili, verum etiam in actuali notitia imaginatrice: Universale verò
licet sit in specie phantastica, tamen est in potentia remota, cum sit involutum conditio
nibus individuantibus) Ergo Singulare est magis actuale, et prius intelligitur, quàm Univer
sale existens sub opposito Universalitatis. 2dò Ex proportione, quia enim sensus per se
cognoscit accidens & per accidens substantiam, ideo Intellectus primò ordine originis in
telligit accidens, quàm substantiam: Ergò simili ratione quia Singulare per se sentitur
& Universale per accidens, Conveniens est ut Intellectus prius origine intelligat Sin
gulare & posterius Universale. Confirmatur 1mò Prius illud cognoscitur à quo fit ab
stractio, quàm illud quod abstrahitur: Sed à Singulari fit abstractio, & Univer
sale est illud, quod abstrahitur: Ergò prius intelligitur singulare. Ad intelligendam
hanc Confirmationem scias abstractionem esse duplicem: 1ma est quae fit per resoluti
onem totius in sua interna principia: Altera est quae fit per separationem rei à re, quae non
est pars vel totum. In prima non est possibile cognoscere id quod abstrahitur, non praeco
gnito toto à quo fit abstractio. ex 3 Phys. tex. 11, ut cum hominis Musici ratio resol
vitur, in rationem hominis & Musici: In secunda vero optimè potest cognosci id, quod
abstrahitur ignorato illo, à quo fit abstractio, ut V.G. si alicui offeratur saccharum pri
mò cognoscendum, In saccaro est albedo, est quoque dulcedo; Sed visus & Intellectus sequens
visum cognoscet albedinem, non cognita dulcedine; Et hanc abstractionem habet Ma
thematicus: Geometra enim considerat magnitudinem relictâ substantiâ, vel mate
riâ vel motu, quae sunt conjuncta cum magnitudine. Nostrum itaque argumentum
procedit in prima abstractione, non verò in hac 2da. Confirmatur 2dò. Cujus
libet propositionis prius notae, termini quoque sunt prius noti: Sed propositio singula
ris est prius nota, quam Universalis (ut mox probabitur) Ergò termini propositionis
singularis erunt prius noti: Subsumo; Sed tales termini sunt singularia incomplexa:
Ergò Singulare incomplexum prius cognoscitur, quàm Universale. Pars 2da Quod
Singulare complexum prius cognoscatur quàm Universale. Probatur. In omni Co
gnitione scientificâ duplex genus Enunciationum invenitur: nempe Conclusiones U
niversales & principia Universalia: Et Conclusiones quidem tanquam mediatae Enun
ciationes cognoscuntur demonstrativè per principia immediata, principia autem
ipsa cognoscuntur per Inductionem; Sed procedit Inductio ex singularibus Enuncia

Abstractio est duplex.

tionibus

tionibus, Singularia complexa sunt Enunciationes singulares: Ergo singularia complexa prius cognoscuntur quam Universalia. Praeterea illud quod potest esse sine altero cognitum, et non è contra prius cognoscitur, nam in post. praed. cap. de priori dicitur, (Unum esse prius quam duo, quia si duo sunt sequitur necessario etiam unum esse, et non è converso): Sed Universalis Enunciatio affirmativa est totum, particularis verò est pars, et particularis potest esse vera, etiamsi Universalis sit falsa: Universalis autem non potest esse vera si aliqua ejus particularis est falsa. Ergo veritas Enunciationis particularis potest esse sine veritate Enunciationis Universalis et non è contra: Ergo veritas et cognoscibilitas Enunciationis particularis est prior veritate et Cognoscibilitate Enunciationis Universalis, et per consequens singulare Complexum prius cognoscitur quam Universale. Exempl. Haec particularis (Quidam homo est doctus) est vera; cujus Universalis (Omnis homo est doctus) est falsa.

THEOREMA Ultim.

540

MARTINUS NIJHOFF - Boekhandelaar - Uitgever
Tel. Int. 2809 'S-GRAVENHAGE Lange Voorhout 9

541

Je vous offre:

Ich offeriere:

I beg to report:

SCHWABIUS, CHRISTOPHORUS.-
Libellus rerum philosophicarum in Academia Cracoviensi à Christophoro Schwabio Dantisco summo cum studio animique industria tum temporis calamo exceptus. 1641 et 1642. 4to vél. Gld.20,--

Manuscrit volumineux. Ce sont des notes de cours, surtout relatives à la philosophie aristotélienne.

Zam.
14/VI 911

10.000-4-11

Bestelkaart voor Boekwerken, enz.

Monsieur le Bibliothécaire de la Bibliothèque

de L'Université.

K r a k a u.

G a l i c e.

542

La Bibliothèque de l'Université CRACOVIE (Autriche)

La Haye 17 Juin 1911

En possession de votre carte de 14/6 1911

je vous ai envoyé sous bande recommandé:
à l'examen:
1 M.S. Schwabius Christophorus, Libellas rerum philosophirarum

Guld.	20.-
10% Rabais	2.-
	18.-
Affranchir	0.85
Guld.	18.85

K. 37.47 h

Agréez. Monsieur, mes salutations distinguées

MARTINUS NIJHOFF

5000-1-'10

BRIEFKAART

(CARTE POSTALE)

ALGEMEENE POSTVEREENIGING (UNION POSTALE UNIVERSELLE)

Zijde voor het adres bestemd (*Côte reservé à l'adresse*)

La Bibliothèque de l'Université

KRAKAU

Autriche

MARTINUS NIJHOFF

Boekhandelaar - Uitgever

'S-GRAVENHAGE

Nobelstraat 18